ALBERTI KRANTZII,

RERVM GERMANICARVM HISTORICI CLARISS.

Saxonia.

De Saxonicæ gentis vetuſta origine, longinquis expeditionibus ſuſceptis, & bellis domi pro libertate diu fortiterq́ geſtis.

Denuo, & quidem accuratius emendatiuſq́; quàm antè, edita.

Cum præfatione D. NICOLAI CISNERI, I. C. *& tribunalis Imperatorij aſſeſſoris.*

ADDITO INDICE LOCVPLETISS.



FRANCOFVRTI AD MOENVM

APVD A. WECHELVM.

M. D. LXXV.

AD AMPLISSIMOS ET ERVDITISSIMOS VIROS DN. D. CONSVLES ET *Senatores Reipub.Hamburgenſis.*

NICOLAI CISNERI IVRISCONSVLTI, & tribunalis Imperatorij Aſſeſſoris,

PRÆFATIO.

HISTORICOS, *omneſq́; eos qui monumenta temporum, locorum, hominum rerumq́ue geſtarum reliquerunt (perinde vt alios bonarum artium ſcriptores) alia atque alia argumẽta, in quibus operam ſtudiumq́; ſuum collocarẽt, ſibi propoſuiſſe, eaq́; diuerſa ratione tractaſſe, ex ipſorum libris, qui ad manus noſtras peruenerunt, nemo eſt vel mediocriter in illis verſatus, quin intelligat. Ac quidem, quum multæ & variæ ſint & argumentorum atque rerum, & tractationis apud illos differentiæ, nos eas tantùm delibabimus, quæ noſtri ſunt inſtituti. Itaque alij generales vel vniuerſi orbis, vel principalium eius partium, vel præcipuarum nationum: alij ſpeciales certarum gentium hiſtorias conſcripſerunt: alij plurium diuerſarumq́; nationum coniunctim, alij ſingulorum populorum, prouinciarum, ciuitatum hominumq́; fama illuſtrium res geſtas ſeparatim literis mãdarunt. Rurſus ex his alij, quæ in exteris regionibus & populis ac Rebuſpub. acciderunt, alij quæ in ſua gente, ciuitate & patria euenerunt, poſteritatis memoriæ conſecrarunt. Horum diſcriminum non apud veteres modò, ſed & recentes: nec apud Græcos Latinoſq́; tantùm, verùm etiam aliarum linguarum Hiſtoricos plurima extant exempla. Quemadmodum verò Cicero ad L. Luceium perpetuæ hiſtoriæ ſeiunctam certi alicuius generis explicationẽ anteponit: quòd quum in eo mens tota ſcriptoris ſit defixa, dilucidius, vberius, accuratius omnia perſequatur: ſic domeſticarum rerum commemoratio tanto præſtat externarum deſcriptioni, quanto & laudabilior eſt paternarum ſedium, quàm externorum populorum & ciuitatum illuſtratio, & potior eorum quæ domi & in ſua ciuitate, quàm quæ foris & extrinſecus fiunt, cognitio. Nam alienarum rerum ignoratio excuſari poteſt: at domeſticarum inſcientia vix in priuato*

permittitur, nedum in eo toleretur qui in Repub. verſatur. Vt enim præpoſteri hominis eſt aliena inquirere, domeſtica negligere: ſic externorum hiſtorias cognitas habere, patriæ verò ſuæ ſtatum, & quæ in ea memorabilia contigerunt, neſcire, eſt peruerſi.

Quæ quum ita ſint, non poteſt non magnopere Alberti Krantzij inſtitutum laudari, qui in patriæ ſuæ vicinarumq́; gentium, quàm in remotorum longeq́; diſſitorum populorum nomine & rebus geſtis celebrandis ocium ſuum conſumere maluit. Etenim non modò boni viri officium præſtitit, quòd memoria rerum Germanicarum conſignanda plurimum Reip. profuit: ſed & ſingularem in patriam pietatem, quòd eam illuſtrare conatus eſt, declarauit. Ad quod ſtudium ſi ſe multi ex noſtratibus contuliſſent, qui ætate Krantzium anteceſſerunt, iiſq́; ſeculis vixerunt, quibus Germanici populi tum ciues ſuos contra potentiam Romanorum tutati ſunt, tum ex ſuis ſedibus in Romanorum prouincias ſe effuderunt, multo clarior & illuſtrior maiorum noſtrorum virtus extitiſſet: quæ niſi ab hoſtibus ipſis, quibus admirabilis viſa eſt, memoriæ prodita fuiſſet, denſiſſimis obruta tenebris iacuiſſet. Nec præclarum tantùm hoc Krantzij fuit inſtitutum, ſed & egregia, quam adhibuit opera, quum id quod concupiuit, magna ex parte ſit conſecutus. Prima enim cura Hiſtorici eſſe debet, eorũ quæ ſecundũ Ciceronis ſententiã conſiſtũt in veritatis ſtudio, falſitatis fuga, omnium perturbationum vacuitate. Proxima exædificationi eſt tribuenda, quam idem Cicero in rebus & verbis ponit. Rerum tractatio ordinem temporum deſiderat, regionum notationem, hominum fama ac nomine excellentium deſcriptionem, conſiliorum, actorum, euentuum, cauſarum, effectorum, omniumq́; circumſtantiarum explicationem. Verborum ratio certam eorum collocationem requirit, & genus orationis fuſum atque tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens, non contortum, non aſperum, non acre.

Ex quo intelligi poteſt, quanti hominis & qualis oratoris ſit hiſtoriam ſcribere. Magnum ſanè atque arduum adeo opus, vt perfectam & abſolutam eius formam, quam, quum præcepta illa Cicero tradidit, animo cõprehenſam tenuit, vix quiſquã etiam florentiſſima illa ætate expreſſerit: pauci in ſcriptis ſuis adumbrarint. Quo minus non dico perfectio illa, ſed accurata legum illarum obſeruatio in Krantzio noſtro ſpectanda eſt, qui in ea tempora incidit, quibus literæ primùm ex caligine & tenebris lucem reſpicere cœperunt. Sed tamen illas leges, quibus, qui res geſtas literis complectuntur, fidem merentur, ſtudioſè eum conſectatum eſſe videmus. Quod verò exquiſitæ eſt doctrinæ, ſi in eo non elucet (vt in veteribus vel noſtrorum temporum elaboratis & excultis rerum geſtarum monumentis cernitur) temporum id potius vitio, quàm ipſi eſt adſcribendum. Et quidem multa Krantzio deeſſe ex iis, quæ rerum rationem requirere Cicero docet, non eſt difficile animaduertere. Sed nec fortaſſe, quæ in hac τῆς ἐργασίας parte, tractationi hiſtoriarum tanquam propria Cicero attribuit, ille ſibi propoſita habuit, qui ſatis eſſe putauit, ſi quæ hominum memoria digna exiſtimauit, vſitato, & inueterato iam ſeculis aliquot more cõmemoraret. Certè opera ſua non inſcripſit hiſtorias, ſiue quòd non inſtituiſſet hiſtorias conficere, ſiue quòd, quæ in ea expetuntur, non præſtiterit. Tantum verò abeſt, vt vel id genus orationis adhibuerit, quod Hiſtoricum Cicero vult proſequi, vt nec pura illa & illuſtri breuitate, quæ Commentariis congruit, ſit vſus. Nam communi iſtorum tempo-

rum errore, mediæ illius ætatis, quæ à naturali illo Latini ſermonis candore longè abfuit, ſcriptorum, quàm parentum literatæ Latinitatis ſimilis eſſe maluit. Neque enim, qui tum ſuperioríque ſeculo memoriam antiquitatis collegerunt, Cæſarem, Saluſtium, Liuium, aliosque hiſtoriarum principes, in quibus ſuccus ille & ſanguis natiuæ & germanæ Latinæ linguæ inerat, ſed Eutropium, Oroſium, Paulum Diaconum, & alios, qui à faſtigio illo perfectæ ætatis multum deciderant, imitandos ſibi eſſe duxerunt. Qualiſcunque verò auctor noſter ſit, ſi eum vel cum æqualibus ſuis & coæuis, vel cum ſuperioribus, qui in eadem materia laborarunt, contulerimus, primas illum tenere apertè cognoſcemus, ſiue orationis formam, ſiue rerum tractationem, ſiue fidem ſpectauerimus.

Equidem quum in eam ætatem, qua Krantzius vixit, reſpicio, & quàm deprauata plerorumq; iudicia, quàm deformata & inquinata bonarum literarum ſtudia, quàm mutatus & in barbariem verſus ſermo Latinus tum fuerit, mente colligo, in eam adducor ſententiam, vt exiſtimem eum in ſcriptis ſuis tantum præſtare non potuiſſe, niſi excellentis ingenij, incredibilis diligētiæ & inexhauſti laboris fuiſſet. Itaq; ob has inſignes dotes meritò laude eſt afficiendus, præſertim quum perinde vt alij eiuſdem loci atq; ordinis, ætatem in ocio tranſigere potuiſſet: nec tantum laboris & moleſtiæ ſuſcepiſſet, niſi & patriæ eximio amore, & ſingulari Reip. ſtudio inflammatus, animum ad hiſtorias ſcribendas applicuiſſet. Quòd verò nec eiuſmodi genus dicendi, nec rerũ tractatio in eo apparet, cuiuſmodi in hoc genere requiritur, quòd etiam nonnulla errata occurrunt, ignoſcendum ei eſt, vel ob ſolam temporum, quibus ſcripſit, incuriam: quibus vel acutiſsimus & diligentiſsimus quiſque ea videre non potuit, quæ hoc erudito & reſloreſcente ſeculo etiã à mediocris doctrinæ hominib. perſpiciuntur. Notandi igitur & corrigendi ſunt errores, reprehendenda & emendanda vitia, ipſi verò auctores non idcirco vel acerbius inſectandi, ſed venia imò & excuſatione digni, qui temporum magis vitio, quàm ſua culpa peccarunt. Quod non modò de iis locis accipio, de quibus etiamnum doctiſsimorum virorum variæ & diſſentientes ſunt opiniones, ſed & in quibus noſtro ſeculo eos lapſos eſſe obſcurum non eſt: præſertim ſi in iis offenderunt, in quibus ex coniecturis magis quàm rationibus quid eſt ſtatuendum.

Eius generis ſunt diſputationes de nomine & origine gentis Saxonum, de ſedibus & migratione eorundem, indigenæ ne ſint, an peregrini, & vnde profecti, & in quæ loca commigrarint. De quib. omnibus hoc loco nõnihil diſſerere viſum eſt. Ac de prima quæſtione, quæ eſt de origine Saxonum, Krantzius in præfatione ſua varias refert opiniones. Alios enim ait à Britãnis: alios à Danis & Normannis populisq; Septentrionalib. alios à Macedonibus (ex quibus fuit Witikindus Saxo de reb. geſtis Saxonum, Sigebertus Gembrarenſis aliiq; huius generis ſcriptores & annales) Saxones deducere. Quorum omnium ſentẽtiis confutatis, nõ admodum eorum refragatur opinioni, qui eos ex Aſia Scythica in Germaniam commigraſſe exiſtimant, ſi modò probatorum ſcriptorum teſtimoniis confirmaretur: id quod etiam in iis deſiderat, qui Saxones vel à Sacis, vel ab Aſcanez filio Gomeri deriuãt. Sed & Æneæ Syluij cõiecturas explicat, quibus adducitur, vt ſtatuat Saxones à Gallis Boiis deſcendiſſe. Ipſe verò deſcriptionem Cattorum apud Cornelium Tacitum aggregat ad Saxones, tum morum ſimilitudine, tum finium conuenientia, tum vocum cognatione motus.

Wolfgangus Lazius ex reliquiis belli Troiani Saxones deducit. Quum enim illæ ex variis & Aſiaticis & Europæis gentibus conſtarent, ad Rhenum atque inde ad Danubium claſſibus in mari Arctoo vectæ appuliſſent, Cimmerios Saxones, Celtas & Turingos, ſiue pulſa primæua gente Aſchana, id eſt Tuiſconis fines occupaſſe, ſiue cum illa commixtos in vnam paulatim nationem coaluiſſe. Sed hanc Lazij opinionem nullus recentiorum, quod ſciam, vel probauit vel ſecutus eſt. Conſentiens enim hodie omnium fere eruditorum eſt opinio, Saxones à Sagis vel Sacis originem ducere: de quibus & Herodotus, & apud Strabonem Ephorus, & Chærilus, & Eratoſthenes, & Diodorus Siculus, & Plinius, & Ptolomæus, & Stephanus, & Pomponius Mela, aliíq; eius generis non contemnendi auctores. Ac quidem Ptolomæus in ſeptima Aſiæ tabula Sacarum fines & terminos deſcribit, inter quos & Maſſagetarum partem & Comædos refert, eosq; confiniis aliis Scythis intra Imaum iungit, ac Aſcatanea & Imao montibus & Iaxone fluuio claudit. Eadem deſcriptione vſus eſt Æneas Syluius in prima Aſiæ parte. Plinius lib. 6. cap. 17. inter celeberrimos populos ex innumera Scytharum multitudine primo loco Sacas refert.

Strabo lib. 11. tradit Sacas regionem trans Iaxarten tenuiſſe: & ex Eratoſthene refert, eos cum Sagdianis toto regionis ſuæ ſolo Indiæ oppoſitos, & à Sagdianis Iaxarte flumine diuiſos. Quomodo autem inde progreſſi ſint, eodem in libro Strabo oſtendit. Nam quum aliquando in propinquiora, aliquando in longius remota incurſiones feciſſent, & Bactrianam & Armeniæ optimam regionem occupaſſe, & ad Cappadoces vſque, maximeq; eos qui ad Euxinum Pontici dicuntur, proceſſiſſe. Idem libro 7. Chærili verſibus docet Sacas fertiliſſimam Aſiæ partem in ſuam poteſtatem redegiſſe, qui eos quoq; à iuſtitiæ laude commendat, vt & eodem nomine Scythas & Nomades, quorum pars ſunt Sacæ. Diodorus etiam Siculus Latinam Sacarum reginam, eorumq; res geſtas magnis extollit laudibus. Hæc autem Sacarum in Aſia loca, Perſis vicina fuiſſe, argumento eſt, quòd hi Scythas in vniuerſum Sacas à proxima gente appellauerũt, ab antiquis Plinio teſte Arameos dictos. Id inde quoq; patet, quod Herodotus non modò eos inter gentes, ſed & ſatrapias Perſicas recenſeat. Ac eos in Perſarum exercitu ſtipendia feciſſe, iidem quos modò nominaui, Chærilus & Herodotus teſtantur.

Porro quam nationem Sacaſſenam de nomine Sacarum Strabo vocat, eam Ptolomæus iuxta quorundam ſententiam Sacapenã appellat, eamq; ad montes Moſchicos è regione Cappadociæ collocat: quanquam Strabo Sagapenorum quoque lib. 19. mentionem quoq; faciat, quos Elymæis finitimos eſſe tradit. Idem Ptolomæus vltra montes Tapuros colonos Sacarum producit, quos Saſones nominat, non longè à Suebis montibus remotos: à quibus etiam Imaum verſus non longè abſunt Teoloſages: & intra Alanos & Suebos montes Suebi, ac Boreæ propiores Suebeni illorum coloni, & Alani omnes in Scythia intra Imaum: quas gentes & lingua & origine coniunctas fuiſſe multis viris doctis placet. Ex his Sacſones, Saxſones ſiue Saxones noſtri in Europam peruenerunt, vt & Æneas Syluius arbitratur, Cimmerios, ex quibus genus ſuum acceperunt (vt Capnioni viſum eſt, quem multi hodie ſequuntur) veluti parentes ſuos in Germaniam ſecuti. Vnde & Ptolomæus eos ad Cimbricam cherſoneſum (quod & Krantzius hîc innuit, eumque primam Saxonum mentionem feciſſe ſcribit) & poſt illum Stephanus conſtituerunt: quia littus illud maris Germanici ad

ci ad Cimbricam cherſoneſum inſulaſque Albis oſtiis adiacentes in ius nomenque ſuum redegerunt.

Hinc non eſt obſcurum Saſones ſiue Saxones à Sacis nomen traxiſſe. Ac quidem Iohannes Goropius, qui in primordia gentium, & rationes vocum inquirendas diligenter incumbit, Saxones κατὰ συγκοπὴν dictos putat quaſi Sacoſones. i. Sacarum filios. Witikindus monachus verò, qui temporibus Othonum Imperatorum vixit, Saxones appellatos ab inſigni illa Turingiorum cæde, quam magnis cultellis ab iis confectam eſſe commemorat, propterea quòd ſua lingua cultellos illos, quibus tum Saxones vtebantur, Sachs *vocarint. Verùm quum ſatis conſtet, Saxonum nomen antè in vſu fuiſſe, quàm vlla iis cum Turingiis vel contentio vel bellum fuerit, illam rationem nominis probare nequeo: quum præſertim maxima temporum perturbatione, ex ignoratione profecta, principium id inquinatum ac cõſpurcatum videam. Nam quum Saxonum mentionem à Ioſepho in oratione Agrippæ ad Iudæos, & Lucano Poeta (vt Bebelius ab Egeſippo) fieri narrat, parum ſibi conſtat, dum breui pòſt interuallo ab illo Saxonum contra Turingios inopinato impetu & facinore id nomen ei genti impoſitum refert. Capnio Saxones Axenos dictos opinatur, quòd ad pontum Axenum conſederint. Vnde & apud Ptolomæum Axones, nõ Saxones legendum putat. Sed quum idem Ptolomæus nec in Aſiæ nec in Europæ tabulis Saxones ad eum pontum aggreget, & non vetuſta modò exemplaria inter ſe conſentiant, & cum Saxonum nomine apud Ptolomæum tum aliorum auctorum deſcriptiones conueniant, tum quam ad hunc vſque diem retinuimus: appellatio (quamuis ex Strabone commemorauimus Sacos ad Cappadoces Ponticos progreſſos) ob tam leuem coniecturam temere non eſt mutanda.*

Atque hæc de Saxonum origine & etymologia hactenus. Ex quibus indigenæ Saxones ſint, an aduenæ, nõ eſt difficile intelligere. Itaq; in hac quæſtione lapſus eſt, quòd Taciti autoritate permotus, qui Germanos omnes αὐτόχθονας eſſe credit, idem de Saxonibus ſtatuerit. Etſi verò multi viri literati, & in hiſtoriarũ lectione multum verſati, Tacito aſſentiuntur, in quorum numero ſunt ex noſtratibus Conradus Celtes, Henricus Bebelius, Andreas Althamerus, Iodocus Wilichius, Wolfgangus Lazius (ſecum diſcordans, vt ſuprà indicaui) & ſimiles, exterorum verò Sabellicus, & Nicolaus Perottus & alij quidã: tamen rationes quibus Tacitus hanc ſuam ſententiam confirmat, mihi non ſatisfaciunt: quòd aduenæ, qui nouas ſedes quærebant, non terra ſed claßibus in eas adueherentur: quòd nemo ſit alienigenarum, qui florentiore ſede in Aſia, Aphrica aut Italia relicta, tantis maris periculis ſe obiicere, atque ad tam incultam & horridam regionem contendere velit. Neque enim id quoque temporis Germania ita informis terris, ita aſpera cœlo fuit, vt eæ regiones, quæ vltra eam ad Arcton pertinent: neque ignotus aut inuius fuit omnino Oceanus: neque vel voluptatis, vel vtilitatis tantùm, ſed & neceßitatis cauſa commigrationes ſuſceptæ, nec mari tantùm, ſed & terra inſtitutæ fuerunt. Quæ omnia cùm ex aliorum grauißimorum autorum monumentis, quæ Taciti temporibus extiterunt, tum ex Strabone & Dionyſio Halicarnaſſæo ipſemet apertè cognoſcere potuit. Ille enim lib. 7. tradit, omnium ſeptentrionalium Germanorum commune eſſe, vt facilè ſolum atque ſedes propter tenuitatem victus mutent, quum nec agros colant, nec opes poßideant, ſed maxima parte ex pecore viuant, eoq; caſas habitent, quas vno

die extruant,inſtar Nomadum:quorum etiam more & imitatione,rebus ſuis in curr us impoſitis,cum pecore,quò viſum fuerit,proficiſcantur. Hic verò lib.1. Antiquitatum,vetuſtum hunc morem à multis tam Græcis quàm Barbaris receptum ſcribit,vt quum populi multitudo in immenſum excreuiſſet,nec ſatis alimentorum domi omnibus eſſet,aut aeris intemperie terra pauciores ſolito fruges produxiſſet,aut alia calamitas ciuitatem afflixiſſet,eaq; propter multitudo minuenda eſſet,Deo conſecrantes quæcũq; eo anno nata eſſent,iuuenes armatos emiſiſſe,qui peractis ſacris ad victus ſedesq; quærendas ablegati,quamcunq; regionẽ aut armis ſubegiſſent,aut gratia obtinuiſſent,pro patria habuiſſe,ſedesq; ibi poſuiſſe. Cuius conſuetudinis eodem in loco exemplum refert de Aboriginibus,vt de Samnitib. Strabo lib.5. Ad has cauſas quidam recentiorum hanc quoq; adiungunt,quòd qui populi ſuis ſe ſedibus continere cupiebant,vicinarum à tergo gentium excurſationib.perpetuis quaſi vexarentur & pellerentur.Hac igitur coloniarum deductione & migrandi neceſsitate factũ eſt,vt omnes terræ regiones,ſi modò inhabitabiles non eſſent,hominib. cõplerentur. Itaq; maxima hiſtoriæ cognitione præditi horum temporum ſcriptores,qui diligẽtiſſimè primas gentium origines inueſtigarunt,Philippus Melanthon,Caſpar Peucerus,Reinerus Reineccius,Ioannes Goropius,primos maiores noſtros,non modò in iis regionibus,quas in Germania aut tenuerunt aut etiamnum colunt,ortum ſuum non habuiſſe,verùm etiam ex aliis in alias immigraſſe & conſediſſe exiſtimant. Atq; hãc ego quoq; amplector ſentẽtiam,quòd eam complurib. veterum teſtimoniis,& melioribus argumentis comprobatam video. Wolfgangum Lazium ideo in his non colloca ui,quòd in hac quæſtione ſecũ ipſe pugnare videatur.Quòd enim Saxones cum Cimmeriis,Celtis & Turingis fines Tuiſconis occupaſſe referat,paulo antè recitaui.Idem verò in præfatione quum quæ gentes in quib. regionib. conſederint,& ex quib.propagatæ ſint,enumerat,Saxones cum Francis & Turingis ſuis primæuis ſedib.manſiſſe,in anguſtias tamen redactos & non minima ſui parte abducta ſubiicit. Porro ſicut Sacas & ex iis oriundos Saxones produxi ex Aſia,in qua ex Oriente verſus ſeptentrionem ſe contulerunt,atque ab Aquilone paulatim in regiones nobis propinquiores proceſſerunt:ſic plerique Germaniæ populi,Sueui,Catti,Alani,Cimbri,Daci,Dani,Getæ,Gothi,eadem ferè ratione & via progreſsi in Europam ſe effuderunt. Ita vt quæ ipſis inter ſe in Aſia eſſet vicinitas,eandem propè & in Europa conſeruarent.Sed de hac ſecunda quæſtione ſatis.

Quòd verò Krantzius noſter arbitratur gentem Saxonum,alio nomine,à priſcis autoribus,qui Saxonum nomen non vſurparunt,eſſe appellatam,eius rei argumentis probabilibus fidem facere debuiſſet. Non enim quia Tacitus in deſcriptione Germaniæ Saxonum non meminit,ideo ſub Cattorum vel aliorum populorũ nomine eos comprehendit.Nam nec in iis Sicambros recenſet,quorum Ptolomæus in ſuis tabulis mentionem facit,& ante eum Cæſar,Strabo & Plinius. Nec verò ideo Tacitum eos (vt Rhenanus putat) ſilentio præteriiſſe cenſeo,quòd ſimulatq; ſe Romanis dedidiſſent,tranſlati ab iis in Galliam fuerint. Nam Franci,qui & Sicambri dicti fuerũt,multo pòſt illam ipſam trans Rhenum regionem coluerunt.Illæ autem coniecturæ,quibus Krantzius auguratur,ſub Cattis Saxones contineri à Tacito,adeò leues & incertæ ſunt,vt hac vna ratione ſubuertantur,quod à probatis autorib. vterq; populus ſimul ante & poſt Tacitum referatur & deſcribatur. Ante quidem,ſi

(quod

(quod B. Rhenanus ſæpius aſſerit) Ptolomæum vetuſtiori chorographia, quàm Tacitum vſum eſſe verum eſt, vt equidem arbitror: nec Wilichij mihi diſplicet opinio, qui exiſtimat, Ptolomæum ab aliis ſcriptoribus deſcriptiones ſuas mutuatum eſſe: Tacitum verò eum Germaniæ ſtatum, quem ſuis temporibus eſſe & vidit, & ab aliis audiuit, poſteris tradidiſſe. Ptolomæus enim non modò in Aſiæ tabulis vt Sacarum & Saxonum in Scythia intra Imaum, ſic & in ea quæ eſt extra Imaum, Chattarum, Scytharum ſub Caſia regione, vbi antiquiſsimæ eorum ſedes fuerunt, diſertam mentionem facit. Sed & in Europæ tabulis, tam in Germaniæ typo, quàm in explicatione eius, & Saxones & Chattas ponit: illos quidem ad Cimbricam cherſoneſum, & Oceani littora, inter quos & Sueuos, Teuthonarios & Virunos collocat, hos verò cum Tubantis ſub Camanis inter Melibocum montem & Herciniam ſyluam. At poſt Taciti tempora eoſdem Sidonius Appollinaris in Panegyrico, de laudibus Auiti coniungit:

Saxonis incurſus ceſſat, Chattoſq; paluſtri
Alligat Albis aqua.

Ac quum Ptolomæus tam in Scythiæ quàm Germaniæ deſcriptione, & Saxones & Chattas apertè enumeret, valde miror B. Rhenanum, diligẽtem in primis antiquitatis inueſtigatorem, ſcriptum reliquiſſe, Ptolomæum Chattorũ non meminiſſe. Nec vllo modo eam quam adfert rationem admittere poſſum, Cattos primùm obſcuros, ſub Domitiano & Traiano demum claros factos eſſe: ſcriptores autem eas Germaniæ nationes, quæ ſuis temporibus non ignobiles fuerunt, commemoraſſe. Vt enim maximè demus de Ptolomæo dubium eſſe, num de Chattis Germaniæ populis quid tradiderit: at certè vetuſtiores Tacito & Ptolomæo, Strabo, Velleius Paterculus & Plinius in Germaniæ populis etiam Cattos apertè numerant. Nam Strabo lib. 7. inter minores Germaniæ gẽtes, Cheruſcos, Chattos, Gamabriunos, Chattuarios, Bucteros (Tacitus Gambriuios, Chaſuarios, Bructeros vocat) Cimbros, Chaucos, vnà cum aliis refert. Idem ſcribit Germanicum in triumpho filiam Chattorum ducis, & eius gentis ſacerdotẽ multoſq; alios homines, ex deuictis Bructeris, Cheruſcis, Chattis & Chattuariis, reliquiſq; quos recenſet populis, duxiſſe. Deinde Velleius Paterculus Tiberium Cæſarem Sentio Saturnino mandaſſe ſcribit, vt per Cattos, excíſis continentibus Herciniæ ſyluis, legiones Boiohemũ duceret. Plinius quoq; ſub Hermionibus, quarta Germanorũ gente Sueuos, Hermunduros, Cattos & Cheruſcos complectitur. Sed ne plura, ante Tacitum plures fuiſſe Cattos an non, ex his inſignibus grauiſsimorum autorum teſtimoniis conſtat.

Et ſi verò frequentiſsima non apud Geographos modò, ſed & hiſtoricos & poetas Cattorũ fiat mentio, multæq; cùm apud alias regiones, quas coluerũt, notæ ſuperſint, tùm elegans apud Tacitũ extet deſcriptio (qui tradit Cattos vltra eos, qui Decumates agros exercebãt, initiũ ſedis ſuæ ab Hercinio ſaltu inchoare, nõ ita effuſis ac paluſtribus locis, vt cæteras ciuitates, in quas Germania rareſcat, ſed durare colles, paulatimq; rareſcere, ſaltumq; Herciniũ Cattos ſuos & proſequi ſimul & deponere, proximoſq; Cattis certũ iam alueo Rhenũ Vſipios ac Tencteros colere) tamẽ quæ gẽtes hodie eorũ regionem habitẽt, tantopere inter ſe noſtri ſeculi ſcriptores diſſentiũt, vt eorum moleſtũ ſit dinumerare ſententias. Nam Ioãnes Auentinus nunc pro Francis & Heſsis accipit, nunc pro Heſsis tantùm. B. Rhenanus veteres Cattorum ſedes par-

tim à Francis, partim ab Heſſis ſiue Haſſis occupatas arbitratur. Idem ſentit Philippus Melanthon: qui etiam ad Heſſos quod attinet, id ex cognatione nominũ colligit, quem ſequitur gener Caſpar Peucerus: qui tamen veteres Cattos Turingiæ partem, vicinam Franconiæ, poſſediſſe cenſet. De Heſſis idem etiam ſtatuunt Conradus Celtes, B. Birckhaimerus, Sebaſtianus Munſterus, qui pleriſque hoc videri ſcribit: Wolfgangus Lazius, Georgius Fabritius, Reinerus Reineccius. Henricus Glareanus in genere aliorum ſolùm opiniones refert, quòd Cattorum regionem, quidam hodie Turingos colere, quidam Heſſos & Francos velint. Franciſcus Irenicus varius eſt in hac re. Nam lib. 9. Catti, inquit, Franciæ populi dicuntur, quos Schonerus Mathematicus Saxones, Marlianus Vngaros, Celtes & Cochlæus Haſſos interpretari videntur. Ego potius Cattos Turingos probarem. At lib. 11. tradit, enarratorem Ptolomæi iuxta Ligios Vngaros ſedes tenuiſſe, alios tamen Sueuorum gentes quaſdam (vbi nunc eſt Herenberga) veriſsimè pro Cattis habere, cuius rei veſtigium eo loci repererit. Quendam rerum Germanicarũ peritiſsimum Francos dicere: nec abſurdum ſibi videri, ſi nec Haſſi, iuxta Celtis opinionem, ſed Turingi dicerentur. Turingis quoque, quia Hercinio ſaltui vicini ſunt, id attribuit Althamerus, quanquam idem pro Cattis Luſatios intelligat. Iodocus Wilichius alios fuiſſe putat Cattos apud Tacitũ, à Chattis Ptolomæi. Nam Chattas, quos hic Meliboci montis accolas conſtituit, nobis eſſe Heſſos, & eoſdem eſſe Cattos Melibocos. At illos Ptolomæo eſſe Carithnos. Vt enim Tacito ſunt in eadem ripa Rheni agri Decumates, Catti, Vſipites, Tencteri, Bructeri & Friſij: ſic huic poſt Heluetiorũ eremũ eſſe Carithnos, Veſpos, Tingeros, Buſactores, Paruos & Phryſios. Cattos igitur apud Tacitum non eſſe Heſſos, ſed qui marchiam Badenſem, Heilbrunnam, Heidelbergam & vicina loca Othonæ ſyluæ (quæ Herciniȷ ſaltus pars eſt) incolant.

Etſi verò in tanta autorum diſſenſione, ſuum interponere iudicium difficile eſt, præſertim qui ſibi vult cauere ne in finium regundorum controuerſiam incidat: tamen quum collatione teſtimoniorũ ex veteribus ſcriptoribus à me commemoratorũ, cum his recentium interpretationibus, non obſcurè deprehendi poſsit, qui horum illas magis, qui minus attenderint, non abs re eſſe putaui, quid de iis ſentiam breuiter explicare. Vt igitur ordiar à Reimundo Marliano, rectius Irenicus eius mentem in poſteriori loco quàm in priori retulit. Neq; enim Cattos opinatus eſt eſſe Vngaros, ſed Ligiis Vngariæ populis, Cheruſcis, Herciniæq; ſyluæ ac Hermunduris proximos eſſe ſcripſit. Itaque qua in re aberrauit, id Irenicus excepit, & quibus cum illis cõſentit præteriit. Cattos Ligiis eſſe proximos prodidit, reliquos verò, quos Marlianus adiunxit, præteriit. Quanquam qui Ligij ſint, ipſi quoque ſcriptores inter ſe diſcrepant, quos vltra id continuum montium iugum, quod dirimit ſcinditque Sueuiam, in plures ciuitates ſuis temporibus diffuſos fuiſſe Tacitus prodidit. Alij enim Sileſios & vltra Viadrum Polonos eſſe putant: alij Hungaris annumerant. Illorum ſententiæ ſuffragatur & Taciti deſcriptio, & alluſio Lignitij oppidi cum nomine Ligiorum. Horum autem opinioni adiumento eſt & quòd Danubiũ Ligios alluere traditum ſit, & quòd Tacitus ſcriptum reliquerit, præfecto Pannoniæ mandatum, vt exercitum contraheret ad arcendos Ligios. Iam verò quam veriſsimã idem Irenicus ex omnibus quos retuli interpretationibus iudicauit, Cattos olim in eo tractu conſediſſe, in quo hodie Herenberga ſita eſt, hanc ego à Veterum deſcriptione

longiſsi-

longiſſimè diſsidere arbitror. Cuiuſmodi id ſit veſtigium, quod illic extet, non enarrat: Regionẽ iſtam Martianæ ſyluæ, quæ olim Hercinia ſiue Orcinia dicta eſt, propinquã eſſe non nego: ſed ſylua illa per totam Europam longè lateq́; diffuſa eſt. Nam Cæſar ad fines Dacorũ, Celtes ad Boſphorum Euxinũ pertinuiſſe ſcripſerunt. Ptolomæus ad Sarmaticos montes ferè producit, Dionyſius Germaniam ei ſubiicit. Ac licet temporis progreſſu, paulatim multis in locis exciſa fuerit, tamẽ tanta adhuc Iuliani temporibus erat, vt nullam talem in orbe Romano extare noſſet. Quocirca ſicut olim, teſte Cæſare, propter magnitudinem, multorum gentium fines attigit: ſic hodie plurimæ eius rei diuerſis Germaniæ partibus reliquiæ ſuperſunt.

Quod quum ita ſit, non vbicunque Hercinius ſaltus olim fuit, eôdem Catti ſunt aggregandi: ſed in qua parte hæſerint, id notis indagandum eſt in anti quis ſcriptoribus inſignitis. Quibus ſi inſtiteris, vel ex vno Velleio Paterculo, quæ de Cattis ſcripta reliquit, inueſtigabis regionem Cattorum quam Hercinius ſaltus proſequitur. Nam is Marboduum eiuſq; regionem deſcribens, cum Marcomannorum gente ſuis excita ſedibus, in interiora refugientẽ, incinctos Herciniæ ſyluæ campos (quos profligatis Boiis occuparat) incolere, & Germaniam ad læuam & in fronte, Pannoniam ad dextram, à tergo ſedium ſuarum Noricos habere tradit. Quem quum Tiberius Cæſar diuerſis è partib. aggredi ſtatuiſſet, Sentio Saturnino mandaſſe ſubiicit, vt per Cattos, exciſis continentibus Herciniæ ſyluis, legiones Boiohemum duceret (id regioni, quam Marboduus habitabat nomen eſſe) ipſum Cæſarem à Carinuto (qui locus Norici regni proximus ab hac parte erat) exercitum qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos orſum eſſe. Præclarum hoc eſt de veterũ Cattorum ſede indicium, propterea quòd Boiohemum vel Boiemum, nomen ſuum etiamnum hodie retineat. Ad quod ſi aggregaris opinionem Irenici, qui Cattos ſedes ſuas Herenbergæ & in eius vicinia tenuiſſe cenſet, non modò magno à Boiohemo diſtabunt interuallo, ſed nec ex diuerſa à Norico parte Boiohemo cõfines erunt. Apertè enim refert diuerſis è partibus Boiohemum Cæſarem inuadere in animo habuiſſe, per ſe quidem, & cum ſuo exercitu à Norico regno, cum legionibus autem duce Saturnino per Cattos & Herciniam. Itaque illic Cattos non habitaſſe, per quos diuerſa ex parte quàm per Noricum, Saturninus legiones in Boiohemum duxit, ex hoc Velleij loco certiſſimum eſt.

Proinde aliorum argumentorum expoſitione ſuperſedebo, ex quibus magnã quoque vim habet, quod ex vicinitate aliorum cum Cattis populorum (vt Cheruſcorum, Cattuariorum, Hermundurorum) ducitur: ſed id in confutatione interpretationis Wilichianæ mox perſequar. Nam & is non multum ab Irenico diſsidet, qui Cattorum ſedes conſtituit in Badenſi marchia, non longè ab Herenberga diſiuncta, viciniſq; locis ex eo à me ſuprà relatis. Verùm hanc ſuam ſententiam, excepta ſylua Orthonica, de qua paulo pòſt, nunquam mihi probauerit. Hac enim præcipua ratione mouetur, vt exiſtimet Cattos apud Tacitũ eoſdem eſſe cum Carithnis Ptolomæi, quòd vterq; vtatur eadem quaſi ſerie in enumerandis populis Germanicã Rheni ripam accolentibus, quos proximè ille Cattis, hic Carithnis, vel præponit vel poſtponit: ità vt ſi quis diligentius inter ſe compararit, probè ad amuſsim omnia conuenire, niſi quòd Tacitus initio facto ab Auſtro ad Boream, Ptolomæus contrà à ſeptentrione vſque ad Alpes procedat. Ac licet quem vterque in iiſdem gentibus commemo-

randis ordinem ſeruarit diligenter perpenderim: tamen tam pulchrè inter ſe in illis ipſis gentibus recenſendis, vtriuſque deſcriptionem conuenire equidem cernere non poſſum. Id obſeruaui, ab Wilichio in commemorandis ex Ptolomæo illis gentibus, & eiuſdem ordinē immutatum, & intermedios aliquos populos intermiſſos eſſe. Nam Ptolomæus Heluetiorum eremo proximos facit Viſpos, nō Carithnos, vt Wilichius (quos alij Charitinos vocāt, & de Wirtenbergenſib. accipiunt) & inter hos ac Tingeros ſiue Tenchteros medios ponit Vangiones, Intuergos, Ingriones, vt & inter Tingeros ac Buſactores interiicit Sulebos, Longobardos, Sicambros. Quamobrem perperam eos Wilichius confert cum iis gentibus, quas recto ordine Tacitus recenſet.

Deinde ſuos etiam Cattos Tacitus, & in Germania, & in annalibus finitimos facit Cheruſcis ac Hermunduris ad Albim ſitis, quibuſcum bella geſſerunt. Quin ipſos quoque Cattos non longè Albi abfuiſſe, in iiſdem annalibus indicat, vt & Sidonius in eo quod paulo antè citaui carmine. Ac vt ex Strabone colligi poteſt, Cheruſcos, Chattos, Chattuarios vicinos fuiſſe, ſic ex Plinio Sueuos, Hermunduros, Cattos & Cheruſcos: qui Hermionibus, vni Germanorum genti, eos ſubiicit. Quòd ſi cum his Ptolomæi tabula de Germania cōiungatur, perſpicuum erit ab eo Cheruſcis aggregari Camanos, eorumque regionem ad Melibocum montem vſque & ſtatim poſt, ſub Camanis, Cattas & Tubantos, nec longè à Cattis Caſuarios (quos Strabo, Plinius & Tacitus Cattuarios vocāt) & Sueuos Anglos: vt nec procul adeo à Cheruſcis Sueuos Senones collocat. Quare vt de aliorum populorum confiniis nullā prætere a inſtituamus collationem, quum apud Ptolomæum Chattæ nō Cheruſcis, ſed & aliis populis (quos cùm Strabo & Plinius cum Cattis enumerāt, tum Tacitus iiſdem confiniis iungit) ſint viciniores quàm Carithni, malo illos quàm hos pro Cattis apud Tacitum habere. Adhæc maior eſt nominum ſimilitudo inter Cattos & Chattas, quàm inter Cattos & Carithnos. Accedit eodem, quòd ipſemet Wilichius Cattuarios Ptolomæo Caſuarios (quos vicinos Cattis fuiſſe, multorū teſtimoniis confirmauimus) ab orientali parte Abnobiorum montium, vbi hodie Caſſella Haſſiæ eſt, habitaſſe non multo poſt tradat. Hæc ergo argumēta multo maioris apud me ſunt ponderis, quàm Wilichij coniecturæ, quibus adductus ſe à communi eruditorum virorum conſenſu diſceſſiſſe profitetur.

Ad reliquos verò noſtræ ætatis ſcriptores quod attinet, eorum, licet diſſidentes admodum, opiniones locum habere arbitror, ſi eas commodè interpretemur, nimirū ſi non eas modò ſedes Cattorum ſpectauerimus, in quibus primùm in Germania conſederunt, ſed quæcunque poſtea acquiſiuerunt, ſiue fines ſuos ex primis illis ſedib. propagarunt, ſiue in alias regiones in ſuam poteſtatem redactas cōmigrarunt: quod magis puto. Etſi quæcunque occuparunt Catti, quemadmodum Cheruſcos ab iis ſubactos Tacitus in annalibus teſtatur, non ſingulis illis gentibus ſeiunctim, ſed vniuerſis coniunctim aſſignauerimus. Quæ enim hodie gens Catzenelebogēſis à Cattis Melibocis dicta, quæ Othonicæ ſyluæ incolæ, quæ ferme Haſſi, quæ magna ex parte Franci, quæ Turingi ad ſaltum Hercinium, quæ aliqua ex parte Saxones Hercinij, & in Cheruſcorum finibus, poſſident: ea quondā eatenus Cattorum fuiſſe opinari licet, quatenus regiones illæ vicinitate inter ſe coniunguntur. Ac quidem de Cattis Melibocis, Othonicæ ſyluæ habitatoribus, Francis & multa & certa veſtigia extant: at de reliquis tum paucæ tum obſcuræ coniecturæ. Itaque illis multi excellentium

*tium noſtra ætate ſcriptorum, ob veriſimilitudinem, his verò in illa obſcuritate vix
vnus atque alter veteres Cattorum ſedes deſtinarunt.*

*Sed de Cattis ſatis, imò nimium quàm ſatis. Iam verò quum de Anglorũ ſeu An-
gilorum ſeu Angliorum (qui Britanniam de patriæ ſuæ appellatione Angliam voca-
runt) etymologia & primordiis, variæ ſint & diſcrepantes inter ſe ſcriptorum opi-
niones, in eorum quoque nomine & origine deducendo Krantzium noſtrum lapſum
eſſe, qui eos ex Angria educit, mox oſtendam. Huius capitis duas conſtituo partes, al
teram de origine & ſede, alteram de vi & ratione nominis. Quod igitur ad priorem
attinet, Saxo Grammaticus ab Angulo filio Humbli, gentis Anglicæ principia ma-
naſſe, prouinciamque cui præerat, nomen ſortitum prodit. Sed cum in eo præter do-
ctrinam, iudicium quoque & fidem eruditi deſiderent, eo miſſo facto, ad recentiores
veniamus. Ad alios igitur quod attinet, Paulus Æmilius in annalibus regum Fran
corum, Andreas Althamerus, Henricus Glareanus, & Iodocus Wilichius ab iis
Anglis ſiue Angliis eos deriuant, quos Tacitus in Germania inter Sueuorum gentes
enumerat, quæ ab eo in ſecretiora & interiora Germaniæ porriguntur. In eadem ſen
tentia eſt Caſpar Peucerus, qui eos iuxta Ptolomæum Sueuos Anglos nominat. Nã
hi primo loco à Ptolomæo inter mediterraneos Germaniæ populos ponũtur, quos O-
rienti propiores Longobardis facit. Iodocus Wilichius hos eorum limites ex Ptolo-
mæo conſtituit. Ab occidente eis confines facit Sicambros, quorum latera claudere
ait à meridie Caſuarios, ab Aquilone Chamas, ab Oriente Dulgumnos & Cam:-
nos, quos à Tacito Dulgibinos & Chamauos nominari arbitror. Cæterùm hæc de-
ſcriptio non conuenit cum eo quod Peucerus idem notat, ab his Sueuis Anglis nomen
datum oppido Angloen ſiue Angelheim in Pomerania: niſi ante Ptolomæum for-
taſſe ſedem in ea habuerunt, & poſtea (vt multæ aliæ gentes) paulatim magis ver-
ſus meridiem & occidentem fuerint progreſſi. Nam Aquilonarium gentium con-
tinuas quaſi migrationes fuiſſe, iam antè ex Strabone oſtendi. Itaque ob frequentes
illas mutationes ſedium, Philippus Melanthon, eorum populorum quos vnà cum An
gliis recenſet Tacitus, veluti, Reudignorum, Auionum, Varinorum, Eudoſum, Suar
donum & Nuithonum (vt & ipſorum Anglorum, quos fluminibus & ſyluis mu-
niri ait) nec ſitum rectè monſtrari, nec locum certum aſſignari, nec regiones commo-
dè diſcerni poſſe exiſtimat. Multo verò minus cum hac notatione ſedis Anglorum
congruet, quod Peucerus adiungit Bedam preſbyterum prodidiſſe, hos inter Vitas
& Saxones ſediſſe, & cum iis in Britanniam, olim Albionem dictam, perueniſſe,
eamq; ſui iuris atque ditionis feciſſe. Quare Wilichius duplices Anglos, Sueuos con
ſtituit, & mediterraneos illos Ptolomæi, & maritimos Bedæ, inter Iutas (ſiue Vi-
tas) & Saxones veteres: atque hos à Britannis accitos, vt Pictos atque Scotos pro-
fligarent. Krantzius noſter lib. 1 cap. 20 & Anglorum qui in Britanniam nauiga-
runt veterem ſedem Angariam fuiſſe putat. Poſteriores enim ab ea Anglos, An-
giros, L. litera in R. tranſmutata, vocare cœpiſſe, idq; ad diſcrimen Anglorum inſu
larium, cap. 26 lib. 2 factum ſcribit: inde qui olim Angliæ, pòſt Angariæ duces di-
ctos eſſe. Quod ſi (vt quidam Ptolomæum interpretantur) Sueui Angeli in media
Weſtphalia ad fontem Amaſi habitarunt, cui Angaria proxima eſt, parum hæc
Krantzij opinio à prioribus differre videtur. Sunt rurſus alij, qui Anglos hos ab An
gelis Saxonibus, qui littus maris inhabitarunt, profectos, non à Sueuis, cenſeant.*

Ac mihi quidē has omnes opiniones ſingularūq́; rationes examinanti, poſtrema hæc veroſimillima eſſe videtur. Nam licet ex Cæſare, Strabone, Tacito & Ptolomæo appareat, Sueuos eum terrarum tractum habitaſſe, quem hodie bona ex parte Saxones tenent, quum qui ex Sueuorum maxima gente præcipui ac (vt Taciti verbis vtar) vetuſtiſſimi nobiliſſimique fuerunt, Sueui Senones, iiſque proximi Longobardi, vltra citraque Albim quaſi meditullium hodiernæ Saxoniæ ſuperioris incoluerint, eademque inde primordia ducant vnde Saxones, iiſdemque non in Germania modò, ſed & in Aſia vicini fuerint, vt ſuprà demonſtraui: tamen alij populi Sueui, alij Saxones fuerunt, alias illi, alias hi ſedes habuerunt. Eadem ratione Angli, ſiue Angeli Sueui (de quibus apud Tacitum & Ptolomæū) ab Anglis Saxonibus Bedæ diuerſi fuerunt, & ſeparatas & ſeiunctas regiones tenuerunt: vt mox oſtendam. Ac tametſi Beda claſſem illam, quæ in Britanniā venit, ſpeciatim ex tribus fortiſſimis Germaniæ populis conflatam, Saxonibus, Anglis & Iutis, & Angliam quidem iam inde vſq; ad ſua tempora habitatoribus vacuam remanſiſſe, tamen generatim antè Anglorum ſiue Saxonum gentem accerſitam à rege Virgerio in inſulam primò tribus nauibus appulſam ſcribit. Nam & quos Iutas Beda nominat (quos à Gutis dictos, atq; inde Iutlandiam nomen habere, plerique noſtra ætate arbitrantur) eoſdem multi Vitas Saxones interpretantur. Quin ipſe quoque Beda indicat, Saxonum nomine Iuttos comprehenſos, dum ſub occidentalibus Saxonibus Iutarum nationem contineri refert. Sic quoque quum Britannia iam in poteſtatem eorum veniſſet, licet diſtincta eſſent Anglorum atque Saxonum regna, aliudque eſſet orientalium Anglorum, alia tum orientalium, tum meridionalium tum occidentalium Saxonum regna: tamen poſtquam Egbertus, occiduorum Saxonum rex, imperio ſuo Cantianum Narthumbiorum & orientalium Saxonum adiunxiſſet, & reliqua Merciorum orientaliumque Anglorum ita humilia & infima reddidiſſet, vt non multo poſt in ſuam redegerit poteſtatem: nihilominus, quum commutare inſulæ nomen, & diuerſa populorum ſibi ſubiectorum in vnum cogere ſubſtituiſſet, vt eodem iure cenſerentur, Britanniam Angliam, & vniuerſam gentem Anglos appellaſſe, Polydorus Virgilius narrat. Id quod neutiquam ſumma prudentia præditus princeps feciſſet, quum præſertim præcipua iam regna ſuo occiduorum adieciſſet, & reliqua duo (in quibus & Anglorum orientalium erat) propediem ſibi acceſſura animo præcepiſſet, generiſq́; ſui memoriā in inſula illa perpetuam conſeruare conaretur.

His igitur ſatis comprobatur, communi illos nomine, nunc Anglos, nunc Saxones, dictos eſſe: ac promiſcuum horum appellationum vſum fuiſſe, ex alijs quoq; eiuſdem ſeculi ſcriptoribus cognoſci poteſt. Siquidem Bonifacius archiepiſcopus Maguntiacenſis, natione Anglus ſiue Angloſaxo (cui antè Wunifrido nomen fuerat) in epiſtola ad Zachariam, tranſmarinam Saxoniam vocat. Idem in epiſtola ad Edoaldum Anglorum principem, veram in Germania Saxoniam antiquam vocat, intuitu Angliæ, quaſi illa noua eſſet Saxonia. Eoſdem qui Britanniam ſubiugarunt, & è ſuo nomine Angliam appellarunt, non aliter quàm Saxones Gildos vocat. Paulus etiam Diaconus in Theodoſio Iuniore, quum narraſſet Britannos, Scotorum impetus formidantes, ſibi auxilio Anglos aduocaſſe, ſtatim ſubijcit gentem Anglorum (ſiue Saxonum) Britanniam nauibus aduectam. Witikindus quoque Saxo, à Britannis Romanorū ope deſtitutis Saxones, ob rerū geſtarū famam, ſubſidij cauſa accitos ſcribit,

eosq́;

eoſq; Anglo Saxones à ſitu inſulæ nominatos. Hinc ab Anglicarum rerum ſcriptoribus modò Saxones angli, modò Angloſaxones appellantur. At eos Sueuos Anglos dictos, apud neminē veterum ſcriptum legi. Anglos verò Saxones fuiſſe, præterquàm quòd certo multorum autorū teſtimonio compertum habemus, hac etiā ratione comprobatum video, quòd Sueui mediterranei, Saxones verò maritimi fuerint: vt non ſolùm de illis id in vniuerſo genere Cæſar docet, ſed etiam ſingulatim de Sueuis Anglis & Tacitus & Ptolomæus demonſtrant. Saxones autem littora maris Germanici & Oceani inſulas tenuiſſe, nō modò idem Ptolomæus, vt & Stephanus & Oroſius oſtendunt, ſed & multis aliis autoribus, qui circiter hæc tempora vixerūt, quum Angli in Britanniam profecti ſunt, apertum eſt, qui eos piraticam exercuiſſe non obſcurè indicant. Nam mare longè lateque eos prædationibus infeſtum reddidiſſe, & maritimas oras Romani Imperij vexaſſe, inq; fines prouinciarum Romanarum quæ Oceano adiacebant, erupiſſe, idem Oroſius, & ante eum Eutropius (de quibus Krantzius lib.1. cap.16.) & Sidonius Appollinaris, ſimiliterq; Claudianus, Ammianus Marcellinus, Pacatus, Paulus Diaconus, aliiq; eius generis poſteris tradiderunt: ac cum his Scotos & Pictos ſæpe iidem coniungunt, qui ipſi quoque piratæ & accolæ maris & paludum fuerūt. Ex his Pictos, ab Aquilone profectos Beda autor eſt, Polydorus Virgilius eos Scythiæ populos eſſe affirmat, Iouius ex Noruegia in Britanniam transfretaſſe ſcribit. Hi non ſolùm ſedes in Britannia minori, ſiue ſecunda, ſed & principatum conſtituerant: verùm deleti eſſe dicuntur circiter annū Domini DCCCXL. Ab iis Pictlandia dicta eſt, quæ nunc Laudonia vocatur. Ammianus Marcellinus Pictos ſuis temporib. in duas gentes diuiſos fuiſſe, Calydonas & Victuriones prodit. Scotos idem Beda à Circio in Britanniam inuectos memorat. Primùm enim Hyberniam, inde extremam Britanniæ oram in Oceano Aquilonari inuaſerunt. Hinc Panegyriſtes Hybernos eos vocare videtur, quū Britanniam Pictis & Hybernis aſſuetam hoſtibus ait.

Etſi verò de origine eorum diuerſæ ſunt Hiſtoricorū ſententiæ, vt & Iouius annotauit, qui alios ex Hybernia, nonnullos ex Dania Cimbricæ cherſoneſi, vel Gothiæ Noruegiæq; peninſulis originē eorum deducere, quoſdā etiā opinari ex Hiſpania claßibus aduectos: tamen eorum mihi potiſsimùm placet opinio, qui ex Scythiæ populis eoſdem deriuant: in quorum numero ſunt Polydorus Virgilius, & Reinerus Reineccius, qui etiam Scotorum nomen ad Scytharum appellationem alludere tradit. Scythas enim vel Scotos, Saxones & inferiores Germanos Schutten vocare. Probabile eſt autem paulatim ex Aſia in Europam proceßiſſe, & in peninſulis modò commemoratis ſedes ſuas poſuiſſe, atque inde in Hyberniam traieciſſe. Nam (vt Polydorus Virgilius prodidit) quum Scoti à Pictis prælio ſuperati ex Britannia aufugiſſent, poſt annos aliquot à Pictis (quibus formidoloſa erat Romanorum potentia) partim ex Hybernia, partim ex Noruegia euocati ad priſtinas ſedes redierunt. Frequenter quoque cum Saxonibus Franci (quod & ipſi ad mare habitarent) Romanas prouincias, præſertim Belgicæ, Armoricæ & Galliæ tractus deprædatos eſſe, Eutropij, Marcellini & Claudiani teſtimoniis cognitum eſt: qui tandē, vt & Belgicam vtramq;, & Galliam in ſuam adduxerunt poteſtatem.

Sed vt ad inſtitutum noſtrum redeam, Anglos illos in quorum ius & nomen Britannia trāſiuit, littus maris habitaſſe, adeò iis autorum locis, quib. ſuprà eos Saxones

fuiſſe docui, perſpicuum eſt, vt id reuocari in dubium nullo modo poſſe videatur. Nam & qui patrum noſtraq; memoria Anglicas hiſtorias contexuerunt, ſcriptis ſuis tradiderunt Anglos è Saxonico littore in Britanniam transfretaſſe, vt ſuprà re tuli. Quocirca Wilichius conſtitutis duorum generum Anglijs Sueuis, mediterraneis & maritimis, hos Angliam ſibi ſubieciſſe ſcribit. Quòd maris accolas, rectè: quòd eoſdem Anglos Sueuos fuiſſe putat, perperam. Nam poſt Ptolomæum, ante Bedæ ætatem, Sueuos Saxones ex interiori regione ſe ad littora contuliſſe, vix inueniri aut pro certo adferri poſſe crediderim. At Saxones eos fuiſſe, ac promiſcuè Saxones & Anglos dictos, ita ex ijs, quæ diximus, adeo euidens eſt, vt longiorem orationem nõ deſideret. Ad Krantzium verò quod attinet, à ſe ipſo in hoc capite diſsidere videtur. Nam cap. 19. lib. 1. infrà, tradit Anglos Saxones, ſeu Saxones cognomẽto Anglos, ſeu Saxones Anglos, (tribus enim his appellationibus vtitur) à Britannis ex proximis Germaniæ littoribus accerſitos, inſulam eam ingreſſos. Notanda diligẽter hæc verba, Ex proximis Germaniæ littoribus. *Deinde cap. 20, commemorata ex Beda, tripartita illa populorum qui in Britanniã venerant, diſtinctione, docet, Britannis ex Anglis Saxonibus, Anglorum nomen inditũ. Mox verò cap. 21, quum verba illa Bedæ, quæ ſuperiori capite retulerat, Anglorum in Saxoniam patriam, iam inde ab illo in Angliã tranſitu, ad ſua vſq; tempora deſertã perhiberi, in benigniorem partem interpretatus eſſet, ſubijcit, Anglos, teſte Ptolomæo, olim vocatos, ætatis proceſſu corrupto (vt fieri ſolet) vocabulo, L. litera in R. commutata, Angiros dici cœpiſſe, quorum princeps Wedekindus Carolo Magno Imperante toti Saxonum prouinciæ præfuerit. Idem eodem cap. Anglos Saxones, Angliam de ſuo nomine dixiſſe. Rurſus cap. 22, Wedekindũ ducem Angrariæ (Angariam vocant) in adminiſtratione fuiſſe, &c. Et paulo pòſt, Carolum Magnum Weſtphalia peragrata, inde obſides accepiſſe, præcipuè ab Anglarijs. Item cap. 22. Angriam pro Anglia ab imperitis ad differentiam Angliæ inſulæ dictam, qui ignorarint, ita ſe honori ſuo detrahere, quòd maiorum ſuorum, qui in Britanniam commigrarant, decus obſcurarent.*

Quũ igitur Krantzius antè tradiderit ex proximis Germaniæ littoribus Saxones Angliam intraſſe, poſtea autem eos qui Britanniam in ſuam poteſtatem acceperunt ex Anglia deducat, & poſterioribus temporibus, pro Anglis (vt à Ptolemæo dicuntur) vitioſè Angiros vocatos notet, meritò quis eum ſibi ipſi contrariũ eſſe exiſtimauerit: niſi fortè dixerimus illos Amaſia fluuio in mare deuectos, idq; pro eodẽ Krãtziũ habere, atq; ſi protinus ex ipſo littore in Angliã ſoluiſſent. Hanc enim ſententiã adiuuare videtur, quòd cap. 13. li. 1, poſtquam retuliſſet, Strabonem narrare in Amaſi à Druſo Nerone nauali prælio victos eſſe Bructeros, addat, Pars fuit hæc Saxonum, *quoniam Amáſia Saxoniũ perlabatur, & in Chaucis, hoc eſt Friſiis mari miſceatur: & inferat, neminem negare poſſe, ducem Romanorũ cum mediterraneis Saxonibus manus conſeruiſſe, quando etiã à mari fulminans in Amaſi Bructeros (hoc eſt fluminis accolas nunc dictos Weſtphalos, olim Saxones, & antè Bructeros) perdomuerit. Equidem vereor ne in hac noſtra interpretatione Krantziũ excuſare poſsimus. Nam quum Saxones, Ptolomæus, Eutropius, Stephanus, Oroſius, Paulus Diaconus, in Oceani littoribus, ad Cimbricã Cherſoneſum, inuijsq; paludibus conſtituerunt, nullo modo eam deſignarunt regionem per quam fluit Amaſis. Neq; deſcriptio Anglorũ apud Bedã congruit cum Anglorũ apud Ptolomæũ, vel Angirorum apud*

Krantzium

Krantzium ſedibus. Siquidem Ptolomæus Anglos ſuos (quos poſtea Angiros nuncupatos autor noſter affirmat) mediterraneos, non maritimos, Sueuos, non Saxones facit, vt & Anglios ſuos Tacitus inter Sueuos recenſet. Porro in eodem capite 21, hic quoque error nobis obiicitur, in quem per Bedam inductus, quòd primos horum Anglorum Saxonum duces ab aui atque proaui ſui nomine Vectim inſulam appellatam eſſe putauerunt: in qua ſua quoque ætate oppidum, arcem & fluuium eiuſdem nominis extitiſſe Krantzius annotat. Id enim nomen inſulæ Vecti longè ante Saxonum in Britanniam aduentum fuit: quemadmodum Ptolomæus in fine capitis tertij, libri vigeſimiprimi, quo primam Europæ tabulam explicat, eius omnino mentionem facit.

Sed præter hunc lapſum, multipliciter Krantzius, in iam commemoratis à me capitibus ferè oſcitanter hallucinatus eſt. Primò quòd Ptolomæi Angelos ſiue Anglos, vt maximè (iuxta quorundam ſententiam) ad Amaſis fontem habitarint, pro Saxonibus accipiat, quum diſertè à Ptolomæo Sueui nominentur. Deinde quòd Bructeros partem Saxonum eſſe ſcribit, quum nec Ptolomæus nec alij Saxonibus eos finitimos tradant, nec Tacitus Cattorum (quos Saxones Krantzius intelligit) partem aut gentem fuiſſe commemorat. Tum quòd Amaſium Saxoniam perlabentem in Chaucis, hoc eſt Phryſiis, exonerari ſcribit. Tantum enim abeſt vt Amaſis veteres Saxoniæ fines attingat, vt nec Viſurgis quidem illos alluat. Ac veteres (vt ex Tacito & Ptolomæo cognoſci poteſt) diſertam & Phryſiorum & Chaucorum mentionem faciunt, & nec in vna nec in altera regione Amaſim in mari euolui tradunt, ſed veluti limitem quendam eſſe quo Phryſij à Chaucis diſtinguantur. Ac Ptolomæus quidem eo Phryſios à Chaucis minoribus, vt hos à Chaucis maioribus Viſurgi diſiungi docet. Et ſi verò multi recentiorum hodie Chaucos Phryſiorum nomine contineri arbitrantur, tamen qui illi ſint, non conſentiunt, quòd alij Groningenſes, alij Emdenſes, & vicinos terram inter Amaſim & Viſurgim colentes intelligant: ex quibus poſteriores rectius ſenſerunt. Inſcitè autem ex his Munſterus tradit Amaſim per Friſiam fluentem, antiquos Saxones à Weſtphalis ſecernere, & Viſurgim per veterem labi Saxoniam. Nam (vt dixi) Viſurgis Chaucos minores à maioribus dirimebat. Itaque fœdius errauit, quàm quum Krantzius noſter Amaſim Saxoniam perlabi tradidit. Excuſari enim hic in ea re poteſt, ſi eorum temporum, quibus tractus iſte ad Amaſim Saxonia dici cœpit, rationem habuerimus. At Munſterus liberari à culpa non poteſt, quum diſertè de veteri Saxonia loquatur, cuius fines Albis ad Auſtrum verſus, non Viſurgis, terminabat. Ac tametſi Chaucorum minorum ſedes non incommodè hodie tribuantur Emdenſibus, reliquisq́; Friſiis orientalibus, propter Amaſim in ripa Aquilonari habitantibus: tamen quòd alij illã Chaucorum regionem aliis populis his à ſeptentrione vicinis adſcribũt, ſatius fuerat, ſi vel ætatum diſtinctionem Krantzius adiunxiſſet, vel veterũ deſcriptiones ſecutus fuiſſet, vel (ſi nouam chorographiam ſpectare voluiſſet) Chaucos ſilentio prætériiſſet.

Sed diutius ac par eſt, in hoc loco hæſi: itaq; reliqua Krantzij errata ſubiiciam. Superſunt autem duo: & quòd Bructeris rectà Saxones ſucceſſiſſe ſtatuat, quum illis pulſis, penitusq́ue exciſis, in regionem eorum Chamauos & Angriuarios immigraſſe Tacitus ſcriptum reliquerit: & quòd originem atque nomen Angriæ acceptum ferat Anglis Ptolomæi, quæ id non ab iis ſed Angriuariis accepit, quorum

memoriam Krantzius omnino prætermiſit. Diuerſi autem inter ſe non modò hi populi, ſed & ſedes eorum fuerunt, vt apud Tacitum & Ptolomæum videre licet. Ac tametſi noſtræ ætatis diligens in primis antiquitatis indagator, Sueuos Anglos eo loci habitaſſe tradit, prope quem Angria condita eſt, & ad quem quarto Europæ typo (qui Germaniæ eſt) apud Ptolomæum Baſileæ impreſſum minuſculis literis iidem collocati ſunt: tamen ipſe Ptolomæus in tabula quarta, in Germaniæ ſitu deſcribendo, eos Orienti propiores quàm Longobardos facit, protenſos ad Septentrionem vſque ad medium Albis, & verſus Sueuos Senones. Nec huic ſententiæ de Angriæ origine & appellatione aduerſatur, quòd idem Ptolomæus Angriuanos inter Chaucos maiores & Sueuos, ponit ad Albim fluuium, quum Angria propter caput Amaſiſ ſit ſita. Nam Ptolomæus veteres eorum ſedes ſpectauit, quas ad Albim fluuium habuerunt. At tum demum Angriæ nomen dederunt, quando ex ſedib. illis à Chaucis eiecti (vt oſtendi) cum Chamauis, in eam partem quam Bructeri tenuerunt, iis pulſis profligatisq; immigrarunt: vt Tacitus in lib. de Germania indicat. Et ſi enim Ptolomæus minor ætate fuit Tacito, tamen antiquioribus tabulis vſum eſſe ex Rhenano annotaui. In vtraq; autem ſede Angriuariorum monumenta ad poſteritatis memoriam extant, in priori Angermundt, in poſteriori Angria, quæ nomen eorum non obſcurè teſtificantur.

Iam verò ſi (vt quidam ex recentiorib. exiſtimant) Angriuarij iidem cum Anſibariis ſiue Anſuariis fuerunt (tametſi Tacitus ſcriptum reliquerit Anſibariorum iuuentutem ad internecionem deletam) tamen Iuliani temporibus, gentem illam adhuc reliquam fuiſſe Ammianus Marcellinus memorat, quum Iulianum Anſuariorum regionem, licentius extremam Gallorum oram perſcrutantium, ſubitò peruaſiſſe dicit, multisque ex iis partim captis, partim occiſis, ſupplicibus reliquis pacem ex arbitrio dediſſe. Sed quia Francos eos fuiſſe narrat, argumento eſt, etiam tum in illo terrarum tractu Francorum nomen celebratum, vt id Rhenanus probat: vt eos Chaucorum non modò vicinos, ſed & gentem fuiſſe cenſet, quum præſertim his immenſum terrarum atque inſularum ſpacium autores attribuerint. Sanè Caycorum Caucorum nomine eos Claudianus comprehendit. Ac littora Oceani Germanici eos tenuiſſe idem Rhenanus egregia multorum autoritate & teſtimonio probat. Porro Francis, Alemannis, Sueuis aliisq; Germaniæ populis, ſedibus ſuis relictis, Romanorum prouincias opprimentibus, armisq; ſubigentibus, Saxones quoque, vbi inſtar illorum eruptionem in Romanum Imperium molientes, repulſi fuerunt, nec contenti illis maritimis ſedibus, incurſionibusq; piraticis & naualibus deprædationibus moleſti eſſent, paulatim ex littorib. in interiora ſe recipientes, vacuas illorum regiones, qui in Romanorum ditionem irruerant, occuparunt. In his quoque fuit ab Angriuariis, ſiue ab Anſuariis, Francis habitata regio, quæ hodie Weſtphalia nominatur. Nec refragor eorum ſententiæ, qui antè Saxones hanc terram quàm Sueuorum ſedes inuaſiſſe arbitrantur. Id etiam Krantzio do, inde Saxones commigraſſe in proximas ad Viſurgim regiones. At verò ea ætate, quum Saxones in Angliam tranſgreſſi ſunt, in ipſis locis habitaſſe, in quibus Angria ſita eſt (vt Krantzius putat) niſi veterum teſtimonio reuinctus nunquam credidero. Multo verò minus is mihi perſuaſerit primitus Saxoniã fuiſſe. Vt verò ea potiti ſunt Saxones, quin ex præcipuis eorũ ſedib. fuerit, inde opinari licet, quòd quum, creſcente eorum potentia, duodecim du-

ces creaſſent, qui adminiſtrationi reipublicæ ſuæ præeſſent, quorum vni tempore belli imperium committebatur, ex eorum ordine Angriæ quoque duces magnæ autoritatis fuerunt. Inde oriundus fuit Widekindus, cui à Saxonibus, in bello quod Carolus Magnus triginta annis cum iis geſſit, ſumma rerum delata fuit. Vnde & regem in quibuſdam codicibus nominatum fuiſſe author noſter libr. 2, capit. 22 refert. Primus hic Caroli Magni auſpiciis cum ſua gente religionem Chriſtianam amplexus eſt, ex quo præſtantiſſimi Imperatores, Henricus & tres Othones, nobiliſſimam generis antiquitatem ducunt. Sed in explicatione prioris partis huius loci, de Anglorũ primordiis, prouectus ſum longius quàm initio conſtitueram.

Reſtat altera pars, de etymologia ſiue vi nominis, quam paucis delibabo: nam & in ea inter ſe diſſident. Ac antè, in principio prioris partis, indicaui Saxonem Grammaticum ab Angulo filio Humbli Anglorum nomen deducere, qui quid id ſignificet, & cuius linguæ ſit, non explicat. Widikindus Saxo, Anglos Saxones dictos eſſe ſcribit, quòd inſula, quam ditioni ſuæ adiunxerunt, in angulo quodam maris ſit ſita. Rectius alij, qui Angliam veluti noſtri orbis angulum interpretantur: qui magis à Latina quàm Germanica voce deriuationem ſuam petere videntur. At Auentinus & Goropius noſtræ linguæ hoc nomen acceptum ferunt. Ille vocabula hæc Angel *&* Engel *tribus modis à nobis accipi tradit: nunc pro hamo, ſiue aculeo: nunc pro cardine, nunc pro limite. Atque hinc generatim Angulos Ptolomæo, & Anglos Tacito dictos exiſtimat. Hic verò Anglos nominatos à prima ſignificatione, qua hami piſcatorij ſignificantur, atque hoc nomen ipſoſmet Anglos Saxones ſibi ſumpſiſſe, quaſi dicerent ſe hamos eſſe, omnia quæ in mari inuenirent, attrahentes. Etſi verò Sueui Angli longè à mari fuerunt ſecluſi, tamen eoſdem quoque Angelos, vel Anglios, vel Angilos, ab hamis nominatos eſſe, quòd Sueui hi Sicambris & Vbiis proximi, finitimorum omnia raperent, & quaſi adhamarent. Equidem minimè ab horum ſententia diſceſſero, qui Germanicum vocabulum eſſe ſtatuunt, quamuis malim cum Auentino, à generali quàm ſpeciali ſignificatione & vi nominis deducere, & certam nominis rationem cuiuſque iudicio arbitrióve relinquere. Ac tametſi plures non diſſimiles quæſtiones & loca ab huius operis argumento non aliena nobis Krantzius in his libris ſuppeditet, quorum tractatione, tum quæ in hoc opere coargui poſſint, ſignificaretur, tum in qua varietate ac diſcrepantia huius generis ſcriptores conſtituti ſint, oſtẽderetur, tũ etiã quæ plurimũ veroſimilitudinis habeat declaretur: tamẽ quia cũ de aliis capitibus à me ſuprà propoſitis, tum de prima parte huius poſtremi pluribus verboſiusq; diſputaui, quàm vel præfationẽ deceat, vel mea fuerit voluntas, harum diſceptationem (præterquam quæ mox de Hamburgi etymologia ſum diſſerturus) prætermittere viſum eſt: ne ſi eaſdem explanandas ſuſcipiam, quid mihi in hoc genere ſcriptionis propoſitum ſit, non ſatis animaduertiſſe videar. In ſuperiorum verò capitum explicatione, idcirco ſum diutius immoratus, & vt intelligatur in his lubricis quæſtionibus facilè Krantzium errare potuiſſe, quòd in iis admodum procliue ſit labi, quum earum diiudicatio, ex coniecturarum potius collectione, quàm rationum momentis conſtet, & vt eluceſcat quæ in tanta opinionũ varietate quàm proximè ad veritatem accedat.*

Sequitur vt his relictis, nos ad ea quæ Krantzius in hoc opere præſtitit, referamus. Ac quidem neminem mihi ex iis legere contigit, qui res Saxonum literis

conſignarunt, qui vel plura de illis vel maiori diligentia Latina lingua ſcripſerit, nedum, qui ab eo tempore, quo nomen eorum Romanis innoteſcere cœpit, vſque ad hoc ſeculum, hiſtorias eorum hinc inde diſperſas collegerit, & in vnum quaſi corpus coegerit. Neque enim ſolùm ea perſtrinxit quæ Romani autores de Saxonibus memoriæ prodiderunt, quorum primam à Ptolomæo mentionem factam notauit, ſed & quæ poſt eos tam exteri quàm rerum Saxonicarum ſcriptores collegerunt, in hoc opus contulit. In his fuerunt Witikindus Saxo, Babo Corbeienſis abbas, Helmoldus, Petrus Damianus, Hermannus Contractus, Albertus abbas Stadienſis, Henricus Erphordienſis, & Hermannus Chronicorum compilator. Quin etiam quorumcunq; Chronicorum & annalium, in præcipuarum ferè totius Saxoniæ eccleſiarum, nonnullarum etiam ciuitatum bibliothecis & tabularijs deliteſcentium copiam & facultatem habere potuit. Iis peruolutatis, quicquid huius argumenti eſſe duxit, excepit, & in lucem protulit. Itaque non tam peruulgata quàm ex manuſcriptis libris eruta, in hoc opus ſuum, obſeruata temporum ſerie, digeſſit, quo amplius mille annorum memoriam complexus eſt. Ac quidem quæ ex Romanorum aliorumque hiſtorijs in promptu ſunt, vel in exteris acciderunt regionibus, ea paucis attigit: quæ verò ex reconditis, in lucem antè nō editis annalibus & Chronicis memoria digna exiſtimauit, ac in Germania & Saxonia tum ab Imperatoribus Germanis, tum à Saxoniæ principibus ac proceribus, inde à Carolo Magno, geſta fuerunt, accuratius & diligentius proſecutus eſt. Quum igitur res cùm aliorum, tum Germanorum, inprimis verò Saxonū cognitione digniſſimas poſteritati commendarit, & vix vlla horum librorum exemplaria in bibliopolijs venalia eſſent, ac non immeritò ab antiquitatis ſtudioſis deſiderarentur, iam annos aliquot notitia & amicitia mihi coniunctos typographos ad opera hæc iterum excudenda adhortatus ſum. Quem laborem, quòd & reipub. vtilem & ſibi fructuoſum fore ſperaret Andreas Wechelus, ſuſcepit. Ac dum in eo laboraret, vt & emendatiores hos libros, & ad legendum accommodatiores emitteret, ecce ſuperiori anno ab hæredibus Quentelij iiſdem de cauſis inducti, impreſſi prodierunt. Qui licet Wechelū anteuerterint, tamen nec hic, quòd iam hoc opus prælo ſubmiſerat, ab incœpto deſiſtendum ſibi putauit, quum præſertim & ſummas rerum quæ tractarentur, & annorum ſeriem atq; numerum in margine annotari curaſſet. Sed & alia opera, quæ lectoribus & plus vtilitatis attuliſſet, & gratior futura fuiſſet, acceſſiſſet, niſi ad finem perducta operis huius editio, ab eo differri amplius nō potuiſſet. Quid verò præterea ab vtroque typographorum, in huius operis diuulgatione præſtitum ſit, non mihi hîc exponendum, ſed lectoris iudicio permittendum eſſe putaui, ne in alterum propenſior, ab altero alienior eſſe videar.

In veſtro verò nomine quòd hanc Crantzij Saxoniam apparere volui: & argumento libri, & auctoris conditione, & quorundam veſtrorum Senatorū erga me beneuolentia ſum adductus. Nam in hoc libro cùm de vniuerſa Saxonia, tum nominatim de ciuitate ueſtra agit (quam ad Saxoniam ab omni memoria pertinuiſſe affirmat) ſententiā etiam ſuā de eius origine & vi nominis explicat. Quemadmodū autem in originibus rerum & rationibus nominum tradendis, de quibus certi nihil proditum eſt à veteribus, diuerſæ & diſcrepantes ſunt doctorum ſententiæ: ſic & de etymologia vrbis veſtræ docti inter ſe diſſentiūt. Nam plerique à Ioue Hāmone Hamburgum dictum putant, quòd Iouis effigies à Carolo Magno in vrbe veſtra euerſa

eſſe

eſſe feratur: de qua auctor noſter lib.2 cap.16. In hac opinione ex recentiorib. ſunt Conradus Celtes, Franciſcus Irenicus, Andreas Althamerus. Krantzius noſter lib.1 capit. 11 nomen eius refert ad Hamam pugilem gentis Saxonicæ, quem apud vos certamine à Starcatero Dano victum ſcribit. Iohannes Goropius vrbi veſtræ Germanicum nomen & originem aſsignat. Ham *enim præcipuè pernas ſalitas & fumo ſiccatas ſignificare aſſerit. Itaque quum Hamburgum in inferiori Saxoniæ parte princeps & antiquiſsimum oppidum fuerit, in eo celeberrimum ſalſamentorum & carnis porcinæ fumo duratæ emporium fuiſſe: ac quum inde Saxones maritimi viciniq; populi nauibus ſuis in mare infeſtis commeatum ad diuturnas nauigationes neceſſarium petere ſolerent, locum huius mercatus Hamburgum nominaſſe. Caſpar Peucerus, in ea vicinoque tractu, veſtigia appellationis Gambriuiorum impreſſa remanſiſſe arbitratur. Ac tametſi ſatius fortè ſit in hac opinionum varietate & rationum inopia iudicium ſuſpendere, quam ex iis vnam aliquam aſſenſione comprobare: mihi tamen poſtrema maximè probabilis eſſe videtur. Etenim primam opinionem ipſemet Krantzius improbat, qui ſimulachrum illud Iouis non agnoſcit, & quod perhibetur de eius demolitione, commentum eſſe exiſtimat: ac Hammonem à Germanis cultum eſſe, apud nullum probatorum auctorum legi. Neque etiam ab Hama vocatum eſſe arbitror, quum ſi quis pugnæ illius cum Stercatero (vt à Krantzio deſcribitur)* ἀκριβῶς *paulo diligentius examinarit, fabulam potius quàm hiſtoriam eſſe cognoſcet. Ac vt duellum illud ſit confectum, vnde conſtabit, vel eo in loco illud commiſſum, vbi vrbs veſtra eſt condita, vel inde id nomen fluxiſſe? Equidem Krantzium in hanc falſam opinionem auctoritate Saxonis Grammatici diſceſsiſſe reor, quem vtinam tanti non feciſſet, nec quæ ille ſcripta reliquit, protinus rata habuiſſet: ſed in diſcriminandis fabulis ab hiſtoriis ſuum quoque iudicium adhibuiſſet, præſertim in iis, quæ in opera ſua retulit. Iam verò non tantum apud me coniectura Goropij valet, vt niſi eam aliis adminiculis corroborauerit, ſtatim ei aſſentiri queam. Non enim video, quamobrem illum carnis porcinæ mercatum veſtræ potiſsimùm Vrbi attribuat, quum & aliæ quoq; in eadem regione extiterint vrbes & oppida non minus commoda piratarum acceſſu & commercio, vt ex Ptolomæi tabulis patet, nec diuerſa in his atque illic viuendi conſuetudo obſeruata fuerit.*

Et ſi verò vrbs veſtra Germanicæ appellationis originem præ ſe ferre videtur, tamen quum Gambriuij quoque antiquiſsimi Germaniæ populi fuerint, & prior ſiue ſyllaba ſiue vox nominis non illi propria, ſed toti vicinitati communis ſit: conſentaneum eſt à Gambriuiis reliquum eſſe. Nam licet Gambriuiorum ſedes alij in aliis locis conſtituant, atque ex iis quidam Cammeracenſes, quidam Sicambros manaſſe opinentur: tamen veriſimilius eſt eos Cimbrij & Marſis finitimos, Albis ripam Aquilonarem habitaſſe. Atque eiuſmodi nominum mutationes in multis regionibus, ciuitatibus, oppidis, pagis atque locis à doctiſsimis viris obſeruatas, eorum ſcripta teſtantur. Nec dubium eſt quin Gambriuium maiorē cum Hamburgo cognationem habeat, quàm Treua: quam apud Ptolomæum vrbem B. Birckamerus de veſtra vrbe accipit. Quòd ſi verò rationē huius nominis quis ex noſtra lingua reddere velit, æquè eā à genere retis piſcatorij (quod Hamen *vocamus) q̄ à pernis infumatis deducere poteſt. Quin hæc etymologia cum ſententia Goropij, de Anglorū ſimiliūq; Germaniæ populorū appellationibus, multo magis congruit, atq; ea quam de vi nominis*

veſtræ vrbis exponit. Nam quum ille Anglos Saxones tum Holſatorum, Dithmarſorum & Hamburgorum ſedes tenuiſſe, tum propter ſtudium in mari prædandi ac aliena acquirẽdi, ab hamo piſcatorio Angel, nominatos ſtatuat: eadẽ ratione Hamburgum quoque, præcipuam eorum vrbem, ab alia voce, idem illorum rapiendi deſiderium notante (id eſt à genere retium piſcatoriorum) appellatam eſſe, appoſitè magis quis æſtimauerit, quàm ab illa vocis Ham ſignificatione, vnde Goropius vim nominis deriuat. Perinde enim vt hamo, ſic retibus quoque (quæ à nobis Hamen dicuntur) piſces capiuntur. Itaque tam conuenienter hac voce, atque hami piſcatorij, appetitio illa aliena acquirendi exprimitur: à qua vt generatim Germanos quaſi Berman (id eſt Viros acquirendi, congregandiq́; ac corradendi deſiderio captos) ſic ſpeciatim pleraſque eorum gentes dictas eſſe ille quidem cenſet. Quare vt bellè omnia hæc inter ſe conſentiant, multo probabilius Hamburgi nomen ab hac retis piſcatorij, quàm illa carnis porcinæ ſignificatione, mea quidem ſententia, petere licet. Atque hæc iam à me expoſita ſunt, non quòd penitus ita ſentiam, ſed quòd ad ſententiam Goropij propius accedere videantur. Quo ipſo loco admonitus, præterire nõ potui quod ad inſignem veſtram laudem redundare exiſtimaui. Quàm enim olim primi illi Saxones piraticæ dediti fuerunt, tam vos maioresq́; veſtri eius generis prædones exoſos habetis: in quos grauiſſimè vos animaduertiſſe, & Krantzius ipſe teſtatur, & noſtra memoria compertũ eſt. Sed de ciuitatis veſtræ etymologia ſuum cuiq; ſit iudicium. Equidem in hac re tantis vetuſtatis inuolucris implicata, licet non deſit quod opiner, tamen nihil habeo quod affirmem.

Quòd ergo (vt ad rem redeam) Krantzius magni exiſtimauerit intereſſe cùm ad nationis tum patriæ ſuæ laudem, rerum præclarè geſtarum memoriam literis mandare, non minus ad vos quàm ad alios Saxones, huius operis argumentum pertinere perſpicuum eſt. Ac quidem hæc prima cauſa vobis cum aliis eſt communis, altera vero propria veſtra. Nam auctor apud vos natus eſt, ex honeſta & antiqua familia oriundus, in veſtra ſchola optimarum artium diſciplinis inſtitutus, in ſummo apud vos Eccleſiaſtico collegio ſacerdotio dignitateq́; auctus, &, vt illis temporibus, ſacras literas docuit, & in rebus diuinis populum inſtituit, ſua quoque in reſpondendo de iure opera ciuibus veſtris adfuit. Tantos enim & in Theologiæ & iuriſprudentiæ ſtudio progreſſus fecit, vt ſumma honoris inſignia in vtroque ſit adeptus. Antiquitatis verò & hiſtoriarũ cognitioni adeo fuit addictus, vt in ciuitate veſtra cùm alia opera tum hanc ipſam hiſtoriam conſcripſerit, ac apud vos, quem à Deo ſpiritũ accepit, reddiderit, præclaraq́; hæc ingenij doctrinæq́; ac induſtriæ monumenta reliquerit. Nec ſolùm parentes veſtri viuentem ſingulari humanitate & magnis honoribus proſecuti ſunt, verùm etiam mortuum dignis epitaphij laudibus affecerunt. Quod vt ad perpetuam poſteritatis memoriam duraret, paucis ab annis vir excellens D. Michael Rederus, veſtræ ciuitatis aduocatus & Syndicus, ac eiuſdem apud vos collegij (vt vocant) Decanus, reſtitui & exornari curauit. Quare quum totus ille veſter ſit, nec de eo vobis cum aliis ſit pugnandum (vt multæ olim Græciæ ciuitates de Homero inter ſe cõtenderunt) ſub nullius potius quàm veſtro nomine hæc Saxonia in manus hominum emitti debuit. Quid quòd veſtræ ciuitati hanc ille gratiam rctulit, quòd eam antè celebrem, ſcriptis ſuis illuſtriorem reddiderit? Quod officium fortaſſe cumulatius præſtitiſſet, niſi collegij ſui, in quo decanatus munere functus

ctus eſt, ſtudioſior fuiſſet. Quanquam quum omnes omnium charitates patria complectatur, nihil cuiquam ſecundum Deum ea prius nihilq́; antiquius eſſe debeat.

Ad has priores cauſas accedit & hæc, quæ licet cum illis conferenda non ſit, tamen non parum momenti habet: quòd ampliſsimorum virorum Dn. Hieronymi & Iohannis Hugenorum, quos ex ſenatoribus legatos ad proxima comitia hic celebrata miſiſtis, magna erga me fuit humanitas & beneuolentia, & mea cùm de aliis veſtræ Reip. viris conſularibus ac Senatoribus, tum de his ipſis præclara exiſtimatio animiq́; inductio: ex quibus alter hinc diſceſſurus ſuæ etiam beneuolentiæ pignus & memoriæ monumentum domi meæ reliquit. Multi etiam ſunt anni, quum mihi apud Andes cum Theodorico Mollero, ex veſtro ordine nato, atque excellenti ingenio & ſingulari iuris cognitione prædito adoleſcente, magna fuit & conſuetudo & ſtudiorum communicatio. Sæpe etiam veſtrates, qui dum Heidelbergæ ius ciuile profitebar, iuriſprudentiæ ibi operam dabant, multos ex vobis ab eximia humanitate, inſigni prudentia, ſingulari eloquentia, exquiſita doctrina & admirabili virtute commendarunt. Eadem multo magis mihi prædicauit Ioachimus Willerus, in hac ætate egregius iuriſconſultus, ciuis veſter, mihiq́; magna neceſſitudine coniunctus, qui ſingulatim complures etiam commemorauit, auctoritate, dignitate & amplitudine præſtantiſsimos viros, quorum non modò ad tuendam Rempublicam excitatus ſit animus, ſed & voluntas confirmata. Ac quum Plato eas demum beatas fore Reſpub. putet, quas aut docti aut ſapientes homines regere cœpiſſent, aut qui eas regerent, multum ſtudij in doctrina & ſapientia collocaſſent: fortunata quoque veſtra ciuitas ſit oportet, cuius gubernationi tot clariſsimi & virtute & doctrina viri præſunt. Itaque quum illos, in quibus excellentes illas & ingenij & animi dotes eluceſcunt, ſemper plurimi fecerim, non alienum exiſtimaui, in hac præfatione cùm erga vos omnes hoc meum ſtudium animiq́; affectionem teſtificari, tum erga illos, quorũ explorata mihi eſt beneuolentia, gratam voluntatem declarare.

Quocirca ob hanc quoque & veſtræ erga me benignitatis memoriam, & mei erga vos amoris & obſeruantiæ ſignificationem, meam operam non ingratam vobis fore ſpero, vt poſtrema cauſa tanti ponderis non ſit, tamen priores duas pro tam grauibus & iuſtis habeo, vt non dubitem, quin vel earum ſolùm intuitu hoc meum ſtudium ſitis in bonam partem accepturi. Bene valete. Spiræ Cal. Martij 1575.

ALBERTI KRANTZII

VIRI IN THEOLOGIA ET IVRE PONTIFICIO CELEBERRIMI, SAXONIÆ LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO.

GENTIS Saxonum primordia,& originem,& (quas putant) antiquitates, apud noſtros relegentem, pudor occupat & confuſio faciei: ita puerilibus fabulis & anilibus deliramentis omnia ſcatent, vt nihil in his ſibi conſtet, nihil quadret. Vna eſt omnibus ſententia, aliunde profectam gentem, nauibus à mari aduentaſſe: ſed vnde, & quo tempore, non inter ſcribentes conuenit. Alij à Britannia aduectam putant, in quo fallit illos quòd audierint, vel fortè legerint, Britonibus atque Saxonibus aliquando fuiſſe inuicem militandi commercia. Sed non attendunt Saxones tranſiſſe in Britãniam, non Britones migraſſe in Saxoniam. Tempora ſuis locis ſignabimus. Alij à Danis aut Normanis & regionibus aquilonis gentem deriuant. Sed ignorant illi, quod in Dania noſtra oſtendimus, ab annis ante Chriſtum mille inextricabile fuiſſe odium gentis Danorum ad Saxones: vt facilè quiuis agnoſcat non profectos ex Danis Saxones, quos velut perpetuos hoſtes implacabili odio ſint ſemper inſectati. Alij à Macedonibus ortos ferunt, de militia Magni Alexandri: nam illo cadente, velut omnibus inuiſos Macedonas nauibus vndecunque quæſitis aufugiſſe: & partim in Pruſſiam, partim per Albim fluuium aſcendentes, in eam quæ nunc eſt Saxoniam commigraſſe contendunt. Sed huius fabellæ fictores ignorant duces Alexandri Magni poſt eius exitum in ſe verſos, omnibus indiguiſſe copiis militum quas ille reliquit: nam totis incubuere viribus pro ſe quiſque terras occupare. Quem verò formidarent milites, qui quoquo verterentur, erant ducibus, qui ſtuderent augendis viribus, acceptiſſimi? Et eſt Babylon, in qua Alexander occubuit, longè mari ſubmota: vt non ſit veriſimile, inde profectos milites, maritimo itinere abiiſſe. Siue enim Caſpium ſinum peterent, ſiue pontum Euxinum, longiſſimum iter terra fuit. Nec vſquam lectum aut compertum eſt, à mari Caſpio ad occiduas præſertim mundi partes vllam fuiſſe nauigationem, obſtante mari congelato poſt Riphæos montes, qui longè procurrunt in boream. Nam quod Mela commemorat (teſtem faciens Q. Metellum Celerem, ex Cor. Nepote) in mare Germanicum veniſſe Indos, illos ego Indico mari profectos accipio, per meridionalem plagam poſt omnem Aphricam petiiſſe partes occiduas: & inde circumnauigata Mauritania, & Gadibus ipſis, & omni Hiſpania, perueniſſe in Britãnicum: vnde facilis illis curſus fuit in mare Germãnicum. Sed & fabella de temporibus ſeſe confodit. Nam illa commemorat in aduentu primo Saxonum contigiſſe, quæ poſt natum Chriſtum annis non minus quingentis facta docebimus: cùm tempora Magni Alexandri, quę aſſignant Saxonum aduentui, pertingant ad annos quingentos ante natum Chriſtum. Aiunt enim tum aduentaſſe Saxones, cùm Theodericus rex Franciæ

Ermifridum Turingum perſequeretur:quod omnino friuolum eſt, & veri inane: nam diu ante ea tempora in ſua prouincia demorati ſunt Saxones. Teſtis eſt Ptolemæus, qui ſcripſit ſub Imp. Adriano. Is enim nominat Saxones, oſtenditque iam tum habitaſſe ad Cimbrorum dorſa:hoc eſt, ab auſtro Cimbricæ regionis, quæ(eodem teſte) Iutia eſt, Cherſoneſus procurrens inter duo maria, Britannicum & Germanicum. Sunt præterea qui ſcribant, Ariouiſtum, qui in Gallis Cæſari ſe obiecit, regem fuiſſe Saxonum. Et ipſe Saxo Sialandicus, Danicæ antiquitatis memorabilis ſcriptor, iam inde ab initio & memoria prima Danorum Saxones nominat: teſtatúrque ſemper ab omni memoria in nationibus Danorum & Saxonum fuiſſe inuicem implacabile odium. Poſſum mille introducere teſtes, iamdudum fuiſſe Saxones in hac ſua prouincia, priuſquã Theodericus Francus Ermifrido Turingo colluctaretur. Nam & Theutones, qui cum Cimbris ante natum Chriſtum profecti ſunt in Italiam, multis ex rebus Saxones fuiſſe contendo:idque ſuo tempore multipliciter oſtendam. Reiecta igitur fabula de temporibus Theoderici Franci, & ea confutata quæ de Alexandro Magno Saxones primos producit, inepriores cæteris ſunt, qui tempora illa coniungunt, quæ non minus mille diſtant annis:quòd Alexander ante Chriſtum quingentis, & Theodericus poſt natum Chriſtum plus quàm quingentis annis regnauerint. Ex Danis autem non prodiiſſe Saxones, vetuſtum & inextricabile odium inuicem prodit nationum. Britones autem non in Saxoniam, ſed Saxones in Britãniam commigraſſe, oſtendit errorem ex gentium ortum cõmixtione. Quid enim cauſæ fuerit, Britones ex fertiliſſimis agris, & mitiore cælo, ad ſteriles campos, & immitem æthera commigrare? Igitur reiectis friuolis aliorum ſentẽtiis, quos tandem ab origine prima Saxones eſſe dicemus? indigenas an aduenas? Ego tibi candide lector ſuper his rebus exiſtimationes meas aperio: tu ex his meliora, & veritati propiora coniicito, occaſionem per ea conſequutus circunſpiciendi & veriſimiliora rimandi. Nam in rebus obſcuris, vbi nulla ex annalibus præceſſere adiumenta, oportet ex probatiſſimis autoribus per coniecturam diuinare potius, quàm certa tradere. Ego Ptolemæum & Tacitum præfero, teſtes (vt credo) omni exceptione maiores: vtinámque tam noſtri fuiſſent vigiles in ſua, quàm fuit Tacitus in aliena regione deſcribenda. Germaniam enim omnem diligentiſſimè peruagatus deſcripſit, in eius gentis laudes plura teſtatus, quàm vllus auſit Germanus ſuper congentilibus ſuis. Et vocant Itali verſo nomine Loquacem, credo quia nimius illis viſus ſit & profuſior quàm vellent, in laudes Germanorum, quos vocant illi barbaros, & Græci viciſſim illos. Reddant vtinam, reddant, in Auguſta integrum hiſtoria Tacitum, quem recondunt, reddant nobis Plinium in libris x x. rerum Germanicarum, recognoſcant nobiſcum præclara Germanorum facinora, quæ nunc obliuione ſepulta iacent. Sed ad originem Saxonum redeo.

Saxonum quæ ſit origo.

Saſones. Teſtatur Ptolemæus, in Aſia illa boreali ſupra montes Alanos, in vaſtiſſima illa Scythia, citra tamen Imaum montem, habitare Saſones: ſed illi an aliquando populariter emigrantes, quærendis nouis ſedibus venerint in Germaniam, nullus authorum, quos viderim, tradit. *Alani.* Alanos quidem origine Scythas fuiſſe, primùm in Germania, inde in Galliis & Hiſpaniis militaſſe, ibique conſediſſe cum Sueuis, nonnullóſque tranſgreſſos in Aphricam cum Wandalis, tradunt & Romani & Gallici ſcriptores, qui temporum illorum recordantur, poſt natum Chriſtum circiter quadringentos annos, & infra. Sed quando ex Aſia, & quibus ducibus tranſierint, nemo commemorat. Et niſi tetigiſſent Alani Romanas prouincias, perpetuum latuiſſent, quòd in Germania nulli fuerint ea tempeſtate ſcriptores. Saſones igitur an cum Alanis, an ante illos tranſierint in Germaniam, quo tempore, quibus ducibus, nulli ſunt authores: quanquam vetuſtior ſit Saxonum quàm Alanorum in hac prouincia memoria. Sed quod de Alanis compertum eſt, aliunde illos immigraſſe, ſiquis auſit de Saſonibus contendere, ego non reluctor: veniſſe ſcilicet illos de Scythia, petitum nouas ſedes: quomodo ante illos fecere Huni, fecere Heruli: *Huni & Heruli.* nam de Gothis & Gepidis alia ratio eſt, quam in Suecia noſtra oſtendimus. De Hunis quoque ſignificabimus, quid veteres ſentiant: & de Wandalis compertum eſt, non eſſe aduenas: quia Gothi, Gepidæ & Wandali prima origine ſunt Germani. Sed ex eadem Scythia longè pòſt tranſierunt Bulgari, qui nunc tenent Miſiam: inde etiam Vngari, qui tenent Pannonias. Deinde venere Turci, quos Mela Turcas appellat. *Turci. Tartari.* Nouiſſimè prodiere Tartari, in ſolitudinibus Sarmaticis

&

& vaſtiſſimis campis potius tendentes quàm habitantes:paſtoralem enim vitam agunt. Sed Turci minorem Aſiam cum omni Græcia occupauere, nunc Venetis confligentes de Cypro & Candia. Senſerit igitur qui volet, Saxones, pridem Saſones (facilè enim fuit pro conſuetudine ſuperiorum Germanorũ illa vnius elementi immutatio, qui crebrius x pro s commutant) ex Aſia Scythica veniſſe in Germaniam. Requirat tempora, quæ probatis non diſſonent authoribus:nam de ducibus fortè nulla erit memoria. Saxonem verò Grammaticũ virum Sialandicum, Danicæ ſcriptorem hiſtoriæ, teſtem optimum, nolim ſubmotum, qui ſupra mille annos ante Chriſtum nomen Saxonum introducit. Hoc ſiue per anticipationem faciat, ſiue quòd compertum habeat in authoribus ſuis, illa vetuſtiſſima memoria gentẽ eo nomine cenſitam, nõ ſatis firmiter enuncio.

Saxo Grammaticus.

Hæc interim prima de Saxonum origine coniectura ſit. Succedit altera, quæ Ænæã Syluium, inde Pium papam II. in hiſtoria Bohemica præfert authorem. Is in deſcriptione terrę Bohemiæ flumina pandit quæ ſe in Multauiam exonerant, Saxonam & Luſuntium & Miſam nominat, quos Multauia in ſe receptos ſecum deuoluit in Albim. Compertum eſt ex Tacito, Boios ab origine gentem Gallicam, tenuiſſe regionem intra mõtes, quæ nunc Bohœmia eſt: inde verò pulſos à Marcomannis, hoc eſt Wandalis, qui vſque hodie tenent. Nam Bohœmi Wandali ſunt, remanẽte veteri nomine in prouincia, vt nunc Boiœmi dicantur qui pridem Marcomanni, & generali vocabulo Wandali.

Boij poſtea Boiœmi & Bohœmi appellati.

Vnam enim eſſe gentem vna lingua prodit: vnde etiam manauit nomen in totam nationem Wandalorum, vt apud Ptolomæũ appelletur gens magna Bœmi. Nec enim vnquã habuit Germania maiorem gentem: quam ſit etiam hodie Wandalica, cõplectens Ruſſos, Polonos, Bohœmos, Dalmatas. Teſtis eſt (quod diximus) vna lingua, quadam varietate (vt fit) per diuerſas regiones alternata: ſed tamen vna eſt: quod facilè perpendit auſcultans.

Lingua Bohœmica multæ gentes & maxima vtuntur.

Pulſis ergo ex Bohœmia fluminum accolis, nomina fluuiorum ad quæ pridem incolebant, ſecum (vt creditur) extulerunt: vt qui in proximis regionibus ad Luſuntium incoluere, partem Sleſiæ nunc tenentes quæ Luſatia dicitur, marchioni parens Brandemburgenſi, Luſatij dicantur. Qui Miſam, ad proxima tranſeuntes, appellentur vſque hodie Miſnenſes. Qui verò ad Saxonam, paulo vltra progreſſi, Saxones ſunt vocitati: qui paulatim ditionem ampliantes, in latum ſunt diffuſi, pulſis retro Wandalis, qui omnia confinia olim tenuerunt. Tenemus tempora ſuo loco deſignanda, quibus Saxones pulſis Wandalis, regionem occupauere quam nunc tenent. Verum eſt tamen, quòd ea quæ nunc eſt Weſtphalia, prius quàm cætera terra vltra Viſurgum, teneret Saxoniæ nomen: ſed poterat in longis ſeculis viciſſitudo eſſe pellentium ac repellentium inuicem nationum.

Vveſtphalia Saxonia dicta eſt.

Haſſones verò qui ab Hercinio ſaltu ad Rhenum plana incolunt, ſi ſint aliqua Saxonum porno, vt mutata pro conſuetudine Græcorum h litera in s (aut econtra) pro Saſſonibus Haſſones ſint dicti, non diffinio. Et hæc interim ſecunda ſit de gentis origine coniectura. Vnde apparet, ſi rectè coniicimus, ab origine remotiſſima fuiſſe Gallos Boios Saxonum patres: & his duabus ex rebus aduenas in ſuam regionem Saxones eſſe, fatendum videretur. Sed mihi tertia (quam dicam) ſententia magis ſedet animo. Multum enim tribuo teſtimonio Taciti, Germaniæ diligentiſſimi inquiſitoris, qui indigenas putat eſſe gentes Germanorum.

Taciti diligentia.

Verba ipſius ponenda ſunt, Ipſos, inquit, Germanos indigenas crediderim, miniméque aliarum gentium aduẽtibus & hoſpitiis mixtos, quia nec terra olim, ſed claſſibus aduehebantur, qui mutare ſedes quærebant: & immenſus vltra, vtque ſic dixerim, aduerſus oceanus raris ab orbe noſtro nauibus aditur. Quis porro præter periculum horridi & ignoti maris, Aſia, aut Aphrica, aut Italia relicta, Germaniam peteret, informem terris, aſperam cælo, triſtem cultu, aſpectúque, niſi ſibi patria ſit? Hunc ego ſequutus authorem, Saxones indigenam eſſe gentem credo: ſed alio ab authoribus nomine appellatam, qui vetuſtiſſimis ſcripſere temporibus.

Saxones indigenas eſſe, vera ſententia.

Et Ptolomæus quidem primus ſuo nomine Saxones dignatur, vet Ægyptius Alexandrinus. Cęterùm qui ante illum Strabo, & qui poſt eum Tacitus ſcripſere, Cattos appellauere gentem quæ ab Herciniis montibus in plana deſcendit, & vſque ad Rhenum propagatur. Taciti verba contemplemur. Vltra hos, inquit, Catti, initium ſedis ab Hercinio ſaltu inchoant, non ita effuſis & paluſtribus locis, vt cæteræ ciuitates, in quas Germania pateſcit, durant: ſiquidem colles paulatim rareſcunt: & Cattos ſuos ſaltus Hercinius proſequitur ſimul atq; deponit. Duriora genti corpora, & ſtricti artus, minax vultus, & maior

animi vigor,multæ(vt inter Germanos) ſolertiæ & rationis, præponere electos, audire præpoſitos,noſſe ordines,intelligere occaſiones,differre impetus,diſponere diem,vallare noctem,fortunam inter dubia,virtutem inter certa numerare. Hæc certè Saxonibus congruere, & de illa eſſe gente perſcripta, qui animum aduertit, & ſine inuidia iudicat, protinus intelliget. In Hercinia enim regio incipit,& cum rareſcentibus montibus natio deducitur vſque in Haſſiam atque Weſtphaliam. Nam quæ nunc Saxonia apud nos potiſſimùm dicitur terra Brunſwickcenſis,Magdeburgenſis & Halberſtadenſis,ex Wandalia captæ acceſſere prouinciæ Saxonię:quod ſuis locis monſtrabitur.Durant quidem montes ad Viſurgum, & illo etiam tranſcenſo in Weſtphaliam perueniunt, in terram vſque ducatus Montenſis. Et(vt quandoque per errorem tranſcribentium,quandoque per ſtridorem externæ linguæ,nominum fiunt infractiones) non eſt longè à veri ſimilitudine,ſi quis contendat pro Saxi vocabulo eſſe vſurpatum Catti: multas enim ſimiles mutationes eſſe factas reminiſcimur. Ergo quæ multa Tacitus de Cattis præclara commemorat,gentis Saxonum propria eſſe contendo. Liberum ſit lectori iudicium:ego tamen quò magis propendet animus,indicare debui.Sunt prætereà qui à Sacis, gente Scythica,Saxonum nomen & Gentem oriri arbitrentur:ſed quando prodierint in Germaniam,nobiſcum ignorant. Alij etiam ab Aſſenez filio Gomer, nepote Iaphet,pronepote Noæ,gentem noſtram deriuant,illa veri ſimilitudine, quòd teſtentur authores filios Noæ diuiſiſſe terrarum orbem,vt Sem Aſiam,Cham Aphricam, Iaphet Europam, tenuerint. Nec longinqua fuerit nominum deriuatio Saſſones ab Aſſenez,ſi qua interim mediorum temporum monumenta, ſi quælibet extarent probatorum teſtimonia authorum:quæ nulla extant, niſi quòd teſtantur ſacræ literæ, Aſſenez cum cæteris fratribus per Gomer à Iaphet eſſe natum, & ex iis inſulas gentium eſſe inſeſſas. Sed ad arcam vſque Noæ aſcendere vt quibuſdam videri ridiculum ſit, ſic poteſt eſſe aliis religioſum.In manibus eſt hodie Beroſus Babylonicus, vetuſtiſſimorum temporum ſcriptor:quem hac ætate quidam Viterbienſis cum multis aliis antiquitatum monumentis interpretatus eſt,ad oſtendendas Italiæ antiquitates, & præſertim Viterbi ſui:quo multorum teſtimonio autorum docere contendit, ſub nomine Iani perueniſſe omnium antiquiſſimum patrem noui ſæculi Noe, quem Beroſus Noam appellat. Et (quod Germaniam noſtram contingit)oſtendit idem Beroſus, Tuiſconem Noæ poſt diluuium primogenitum filium eſſe parentem omnium Germanorum,à Tanai ad Rhenum.In qua latiſſima prouincia Sarmatas,Wandalos,& omne genus cæterarum in Europa per vaſtiſſimam terram nationum,inter limites duorum fluminum, vno Germanorum nomine comprehendit. Nominat autem inter Tuiſconis filios Mannum, Hunum,Suæuum,Marſum,Gambriuium,Theutanem,& quos Plinius attigit, Iſteuonem, Hermionem, Ingeuonem,quos & Tacitus in Germania ſua commemorat, plures deo ortos teſtatus Germanorum proceres,qui carminibus eorum celebrētur : quod vnum eſſe genus ſeruandæ antiquitatis & Saxo (poſt Tacitum) commemorat in ea gente borealis Germaniæ.In quo Beroſi teſtimonio duo illa præcipua tenemus,quæ nemo Latinorum aut Græcorum attigit, Theutanem fuiſſe Germanorum ex Tuiſcone parentem,qui poſteris nomen ſuum reliquerit,& quòd Huni, gens antiqua, ex Huno patre, Tuiſconis filio,citra Tanaim nati,in gente numerentur magnæ Germaniæ : quod neque Strabo, neque Ptolemæus, neque Mela, neque Tacitus, ſed neque Plinius, nec aliorum quiſquam commeminit.Omnes enim refugiunt in vaſtam illam Aſiæ ſolitudinem,& Scythiæ latitudinem,quoties ignotæ gentis originem requirunt.Inde falſò producunt Gothos & Hunos,cùm ſint notiſſimo omnium borealium teſtimonio Gothi ex Sueciæ regno:in quo etiam hodie ſtirps gentis cum nomine perſeuerat. Huni quoque Beroſi atteſtatione,patre nati Huno, Tuiſconis filio inter Europæos citra Tanaim, etiam cum Germanis annumerantur:quomodo Suæui(vetuſtiſſima Germaniæ gens)& Marſi,quorum reliquiæ ſedent ad exitum Albis fluminis Thietmarſi, cum vicinis, qui Marſorum referunt vocabulum.Sed hæc cùm ſit pars Saxoniæ,ad Saxoniæ tamen nomen,quod iamdudum requirimus, nihil pertinent. Hæremus ergo in ſententia Taciti,Cattos ipſos vocari Saxones : quando & regionis termini, & gentis mores conſentiunt eius teſtimonio.

[Margin: ...xones qui ...tto Catti.]

[Margin: ...roſus Babylonicus.]

[Margin: ...rminum ...l antiquita- ... monumen- ... ſeruanda ...ius.]

HAC

CAP.

HAC æſtimatione freti repetamus à vetuſtiſſima memoria, quæ Saxo Sialandicus, Danicæ antiquitatis ſcriptor, inter ſuæ gẽtis præclara facinora, etiam de Saxonibus commemorat: nam apud nullum reperimus authorem Saxonum priorem memoriã: ſed limites prouinciæ deſignare par erit. Ab aquilone quidem Saxonum prouinciæ ab omni memoria annumeratum eſt, quicquid ab Eydora fluuio (qui limes eſt Daniæ atque Teutoniæ) in auſtrum vergit, Holſatiam, Thietmarſiam, Stormariam complectens: quas tres terræ partes vno Nordalbingiæ nomine veteres amplexi ſunt. Quod etſi vocabulum non ſit ſatis Latinum, venia tamen danda eſt longinquis Latio regionibus, ſi ſuæ linguæ mixtis nominibus regionum vocabula faciant: quod & Itali & Galli & plerunque omnes faciunt. Hæc autem Saxoniæ pars ad orientem habet terminum Veterem vrbem, olim inclytam, nunc ſolas caſas ruſticas præferens opidulũ, Stargard Wãdalico nomine, quod ſonat Aldemborg lingua Saxonum, Latinè Vrbem veterem. Ex qua orientem verſus, per littora maris Germanici vſque in Pruſſiam Wandalica gens omnia ditione tenebat: nunc verò Saxones impleuere, exturbatis per tempora vetuſtis habitatoribus. Niſi quòd claræ vrbes per hoc litus ſparſæ, à Saxonum gente exædificatæ, parent tamen principibus antiquæ gentis Pomeraniæ atque Magnopolis. Lingua autem tota eſt Saxonica, vix paucis reliquiis antiquæ gentis per rura diſperſis. Initium ergo Saxonicæ nationis eſt trans Albim ab Holſatia. Inde tranſiliens Albim, per diœceſim Bremenſem in Weſtphaliam vſque ad Renum fere pertingit: ab inde verò in Haſſiam peruenit ad Herciniam (qui nunc Herrici montes dicuntur) pertingens ad confinia Thuringiæ: in qua olim non contemnendam partem Saxones militiæ ſtipendium à Francis, quibus militauere, ſuſceperant. Inde iterum ſub montibus longo tractu peruenit in regionem Albi non longinquam, complectens Wittembergum & confinia eius quæ nunc ſuperior Saxonia dicitur, duobus principatibus Saxoniæ titulum ſibi vendicantibus. Legitima quidem ſucceſſione ad principes inferioris Saxoniæ omnis regio pertinet: ſed ſuperiorem apprehenderunt Miſnenſes marchiones, cum dignitate electuræ, quæ illi inſeritur principatui. Meditullium autem huius, quam deſcripſimus prouinciæ, totum ex Wandalico ſolo redactum eſt in linguam & mores Saxonum, terra videlicet Brunſwickcenſis, Luneburgenſis, Magdeburgenſis, Halberſtadenſis. Ad eandem vero nationem pertinet omnis Marchia Brandemburgenſis, ex eodem Wandalico ſolo capta, ac verſa in linguam Saxonum & mores. Quæ vtique lingua, ſi ad lucem veritatis res inſpiciatur, ſola ſeruat ſinceritatem ſuæ vocalitatis, vt verba omnia puro ſono denuntiet, non inuerſa ſtridoribus, non contorta diphthongis, quomodo Francorũ (Germanos non Gallos dico) Suæuorum, Bauarorum Auſtralium, in quorum ſtridoribus Hunos, Auarres, & reliquos barbaros qui illis diu incubuere prouinciis, audire mihi videor, cùm frendent potius quàm eloquantur, eadem quidem quę & nos verba, ſed Tartareo ſono contorta, ſtridoribus immixta, & multis diphthongis diſſonantia, proloquuntur. Et iam (ſi diis placet) etiam noſtri ſtudent ſtridores ſuperiorum imitari Germanorum, quo modo & illi (vt ferunt) iam linguæ ſuæ pertæſi, Italicam frequentãt, & Flammingi Gallicam: ita paſſim Germanorum lingua in anguſtum deducitur: ſed noſtris in Marchia ea ratio eſt, vt ſtudeant ſuis iam principibus Franci generis, qui auorum memoria Marchiam ſunt cum dignitate electurę conſequuti. Et in ſuperiori Saxonia Miſnenſibus veri Saxones linguam coaptant, quòd alienigenæ principes veris Saxonibus excluſis, nacti ſunt memoratos principatus. Viderint ſuperiores Germani, & qui curiam ſequuntur regis Romanorum, cur Italorum ſibilos patriæ linguæ (vt fertur) prętulerunt. Sed omiſſis querimoniis de iniuria linguæ Germanicæ, ad Saxones reuertamur: qui etſi à limite Eydoræ ab aquilone in mediterranea longè procurrant, tamen à vetuſtiſſima memoria ante natum Chriſtum annis ſupra mille, etiam maria perquirentes nauigabant, per Albim, per Viſurgum, perque Amaſim in mare Britãnicum (quod noſtri vocant occiduum, cùm interim Germanicum appellent orientale) & cum Danis, Suecis, etiam Phinnis, qui ad aquilonem pene ſunt mortalium vltimi, non modò commercia rerum & bellorum incurſus, ſed etiam nuptiarum fœdera conciliabant. Nam bella interceſſiſſe Saxonibus & Danis inde certum eſt, quòd Iutia (quæ eſt Cherſoneſus Cimbrica, nunc parens Danis) tum Saxonum ditione tenebatur. Quo tamen duce, & quo tempore Saxones eam ceperint, non tenemus: ſed tempora, & regem qui illam pro-

Saxoniæ limites.

Linguæ ſenſim commutantur.

Saxonum gens vetuſta.

uinciam Saxonibus ademit tenemus,& in commemorationem vocabimus,ſi rem quæ præceſſit prius attingamus.

CAP. 2. CVM Danis regnaret Gram,rex ætate ſua clariſſimus, & in præliis manu prõptus, qui ducis ac militis ſtrenuam operam ſæpe coniungeret(cùm & ordinibus vt dux præeſſet,& multa præclara facinora ipſe pugnans ederet) erat Phinnis rex Simblus, qui filiã ſpectabilis formæ & ſingularis pudicitiæ puellam, iam annis nubilem, ad nuptias collocare diſponeret,vbi primùm ſua fortuna dignum procum comperiſſet. Gram rex iam regno Sueciam tenebat cum Dania:inde de finibus controuerſia quoque illi inceſſit cũ rege Phinnorum. Vtrinque arma parantur, & ducunt in aduerſum : ſed tamẽ priuſquã explicaretur acies,colloquium fuit de legibus pacis. Per quam occaſionem rex Daniæ vidit ſpectatæ formæ regis Phinnorum filiam,& primo ſtatim aſpectu ita animo perculſus eſt vt amaret, paciſceretúrque cum hoſte,ſi filiam illi cõiugem permitteret, & arma poſiturum,& prioris copulæ ſe vincula ſoluturum:tenebat enim iam coniugem filiam regis Sueciæ,per arma quæſitam. Ea autem fuit gentis huius etiam in paganiſmo continentia,vt non multis(quomodo Turcæ & Saraceni)coniugibus laſciuirent, ſed vna cõtenti conthorali,iam tunc Chriſtianum coniugium implere viderētur. Simblus,qui potentioris arma regis non contemnebat,pacta comprobans,filiam illi deſponderat. Cùm autem rex Daniæ bellum in Norwagiam ſuſcepiſſet,implicitúſq; magnis difficultatibus teneretur, quibus etiam nõn facilè expediendus putaretur, Simblus Phinnorum rex prioris pœnitens pacti,quod metu quodam concuſſus inierat,eandem ſuam filiam Hẽrico Saxonum regi vxorem dare conſtituit:apparatibúſq; pro regia fortuna factis, iam proximè nuptiarum diem demorabatur. Facilè enim fidebat, vbi Saxonum illi arma accederent,Danorum regem etiam potentiſſimum ſuſtinere. Tenebant autem tum Saxones Cherſoneſum Cimbricam,quæ eſt Iutia,vt facilè Danos, ſi in Phinnos mouerẽt, à tergo adorirentur, Daniámque adeo facerent infeſtam, vt ſuis rebus Dani conſulere coacti,hoſtem Phinnum obliuiſcerentur. Sed tum nuptiæ in Phinnia apparatæ, regio luxu feruescebant, cùm ſuperueniens Gram Daniæ rex nihil metuentibus conuiuis, omnia diſturbabat. Nam exercitum quem in Norwagiam armabat, in Phinnos cõuertit,ibique ſponſum regem Saxonum Henricum inter ſacra nuptiarum oppreſſit,abſtractáque patri filiam abduxit. Hæc prima in Danicis antiquitatibus Saxonũ mentio. Cùm autem idem rex Daniæ ſuſceptum in Norwagios bellum proſequeretur, Saxones iniuriam occiſi regis animo voluentes,arma iunxere Norwagiis,non tam illorum charitate,quàm occiſi regis ſui vltione:quo in bello, Saxonum præcipuè armis idem rex Daniæ oppreſſus occubuit. Nec enim erat difficile Saxonibus,iam nautico populo, Iutiam tenenti,in Norwagiam illi non longinquam,arma conuertere. Quid non æui valet mutare longæua vetuſtas? Iam tum Saxones ibi bella geſſere,& ibi conciliauere ſibi nuptias, quò nunc floreſcentibus per littora Germaniæ mercaturis Saxonum, vix nauigant qui pauperiem in vltimis fluctibus tentant effugere. Sed inde molem & vires gentis metiaris de longinqua militia, & de repoſitis gentibus ad fœdera nuptiarum euocatis.

[S]eptentrionalium gentium [p]ra cæteris cõ[t]inentia.

[P]hinnus filiã [Danis] ademit cui [d]eſponderat.

CAP. 3. SIFRIDVS rex Saxonicis rebus præerat ea tempeſtate, qua Haddingus Daniam regno teneret. Exoritur quidam vir audentior quàm fortuna ferret, qui Daniam è Iutia infeſtam habuit,territans Danorum regem viribus Saxonum. Nam ipſe Iutiam,quæ tũ parebat Saxonibus,patriam habebat:eadem audacia verſus in Saxoniam, inde prædas agebat,Danorum arma Saxonibus prætendens. Erat ea tempeſtate Sifridus Saxonum rex aliis implicitus bellis,quòd pacem ab Toſtone(id erat enim viro nomen) qualicunque conditione emere cogebatur. Pacti conuenti placitum fuit, vt regem Daniæ Haddingum ſociis armis oppugnarent. Firmantur inuicem pacta,iunguntur arma, Iutiæ atque Saxoniæ viribus rex Daniæ prælio congreſſus vincitur, fuga ſibi per mare cõſulere cogitur. Inſequutus fugiẽtem Toſto,prope erat vt comprehenderet: ſed elabitur, & reparatis viribus hoſtem nihil tale opinantẽ aggreditur. Toſto accepto graui vulnere, vix ſe tutatus ab hoſte,in fugam rebus conuerſis ſe coniicit:inde cùm iam omnia ſua fuorũque præliis abſumpſiſſet,vtpote qui regi par eſſe non poſſet,piraticã, quæ tum iuſti quæſtus nomen habuit,aggreſſus,opes reparauit,& inde iam auctior rebus & animo, patriã reuiſit: Danorum regem,cuius exercitibus par eſſe non poſſet(quòd Saxoniæ princeps

[D]anus prælio [s]uperatus fugit,& hoſtem [p]oſtea interimit.

iam

iam illum auxilio deſtitueret) in duellum prouocauit. Tantus erat regi animus, vt etiam ſi ob generis imparitatem iuſtè recuſaret, contemnerétque prouocantem, accepit tamen oblatam conditionem, & cõgreſſum Toſtonem ſtrauit. Hæc altera in Danicis antiquitatibus Saxonum commemoratio. Silet interim nobis Cornelius Tacitus, ſilet & Plinius in libris XX. rerum Germanicarum: de quibus ne fragmina quidem (vt de Cornelio) extant. Quanquam ſi ſupereſſent, tantám antiquitatem non attingerẽt, quòd ante Iulium Cæſarem, & Galliæ & Germaniæ ſatis eſſent Romanis incognitæ. Teſtatur tamen Cornelius Tacitus Batauos, nunc Gelrenſes, eſſe genus Cattorum, hoc eſt Saxonũ. Ipſum audiamus, Omnium, inquit, harum gentium (nimirum ad ripam Reni incolentium) præcipui ſunt Bataui, non multum ex ripa, ſed inſulam Rheni amnis colũt: Cattorum quondam populus, & ſeditione domeſtica in eas ſedes tranſgreſſus, in quibus pars Romani Imperij fierent. Manet honos, & antiquæ ſocietatis inſigne: nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit: exuti oneribus & collationibus, & tantũ in vſum præliorum ſepoſiti, velut tela atque arma bellis reſeruantur. Sic Bataui (id eſt Gelrenſes) ex Cattis, hoc eſt Saxonibus prodierunt. Nam & Brabantini & Flandrenſes mixtum ex Saxonibus ſanguinem ducunt. Sed hoc ad tempora Magni Karoli pertinet, qui multa millia Saxonum (quod dicemus) cum liberis & cõiugibus tranſtulit vltra Rhenum. Nũc ea commemoratione cõtenti ſimus ex Cornelij teſtimonio, Batauos (quorum ille multa pręclara attigit in Auguſta hiſtoria) origine Cattos, hoc eſt Saxones eſſe. Iuuat & illud huic inſerere loco, quanti faciant Trãſrenani homines ſuam in Germanos referre originem. Ipſe Tacitus loquatur: Treuiri, inquit, & Heruli, circa affectationem Germanæ originis vltro ambitioſi ſunt, tanquam per hanc gloriam ſanguinis à ſimilitudine & inertia Gallorum ſeparentur. Audiant Galli tumidum genus hominum, teſtimonium Romani authoris: agnoſcant hodie Franci genus ſuum ex Germania, & ipſi ambitioſi ſunt ab hac origine, gloriam ſanguinis à patribus Germanis mutuantes, vt ſeparentur ab inertia natiua Gallorum. Sed noui hominum cor altum, non recipient Taciti teſtimonium, non gloriabuntur de Germana origine. Magis, ſi licet, erubeſcent, nec immeritò: quia ſanguis ille dudum exaruit cum robore priſco, emolliuit iamdudum viros clementia cæli, quod & patribus eorum Gallis remur contigiſſe.

Franci in Gallia à Saxonibus.

CAP. 4.

HVNDINGVS Sifridi filius rem Saxonum adminiſtrabat, quo tempore Danis regnabat Roe, is qui Roſchildiam ſuo de nomine, claram quondã in Dania vrbem fundabat: cuius regis germanus Helgo, maris imperium ſortitus, victricem vbique claſſem cùm circumtuliſſet, per Albim fluuium aſcendens, Saxoniam ipſam ferro flammiſq; vaſtabat. Hundingus Saxonum princeps inopinato hoſtis aduentu turbatus, tumultuarias vires contraxit, quas Danis opponeret. Apud Stadium exercitus conuenere: ſtabant parati in armis, & copiã pugnandi fecerant vtrique. Tum rex Danię ferocior animo: Quãdo, inquit, in magnis exercitibus præclara virtus ſæpe non eminet, tecum ego Hundinge manus conſero: ſpectent vtrinque exercitus pugnantes duces ſuos, & illorum ſe fortuna metiantur, vt victum ſe ſciat exercitus cuius dux ſuperatur. Non erat decorum detrectare: nam ignominiæ tum ſupremæ habebatur, ſi euocatus recuſaret. Conuenere paribus armis in circum medio campo deſignatum, acribus odiis incurrunt, ſed tum ceſſit Saxonum ductor: victoria Danorum erat. Vnde factum eſt, vt Iutia decedere Saxones cogerẽtur. Reuerſa eſt igitur hoc tempore Cherſoneſus Cimbrica in Daniæ ditionem, nec poſt eum diem Saxonibus legitur paruiſſe. Arma quidem Saxonum ſæpe illata ſunt in prouinciam, ſæpe vaſtata Iutia. Aliquando prima pars eius, qui ducatus eſt Slesvickenſis, Saxonibus ſuberat: ſed nunquam ex illo die Saxonicum iugũ Iutia tota recepit. Rex Daniæ victor, receptæ prouinciæ gubernatores præfecit, qui ab incurſionibus Saxonum illam terra mariq; tutarentur. Magnum ea res Stadio vetuſtatis perhibet teſtimonium, quando nullius reliquæ vrbis memoria celebratur ex illo tẽpore. Ptolomæus quidem multarum de ſuo tempore per Germaniam vrbium nomina cõmemorat, quarum hodie vel nulla extant veſtigia, vel nomina ſunt immutata. Stadio tum fuiſſe nomẽ quod nunc eſt, cùm duorum regum inſigni pugna locus illuſtraretur, hic locus teſtatur. Dorſtadium tamen vocant oppidum priſcum, vnde Stadio teſtantur eſſe originem. Huius autẽ Cimbricæ Cherſoneſi iuſtior poſthac mentio erit, cùm ad ea tempora ventum fuerit, quibus Cimbri patria egreſſi per Gallias ſe in Italiam contulerunt: inueſti-

Danus ſingulari certamine victor.

Stadium oppidum vetuſtiſſimum.

gandumque nobis erit, quæ tum fuerit gens Cimbrorum: quando conſtat hac tempeſtate victos Saxones prouincia diſceſſiſſe.

CAP. 5. GELDERVS Saxonum princeps erat eo tempore, cum inter Hotherum Sueciæ regem, & Balderum inter eius regni proceres nobiliſſimum (cui admiratione virtutis, aut præſtigiis magicarum rerum deluſa vetuſtas, opinionem iniecerat diuinitatis, quòd diis genitus, propicios haberet ſui generis authores) bellum eſſet, ob nuptias puellæ, quam vterque coniugem depoſcebat: alium regia dignitas in ſpem adduxit, vt indignum duceret, ſi imparis fortunæ qualiſcunq; illi præponeretur. Alium opinata diuinitas animo extulit: ſed exitus docuit ementitam famam, fuiſſeque mortalem quem diuum ferebant. Res in apertum bellum proceſſit: congerunt arma magnis conatibus. Balderus qui ſuis viribus par eſſe regi non poterat, ad externa reſpexit auxilia: Gelderũ Saxoniæ principem in ſocietatem belli etſi longinqui deuocabat: nam Saxones nauigationibus aſſueti etſi Iutiam modò non tenerent, naualem tamen operam non intermiſere. Conuenere nauales exercitus, & pugnam atrocem diu paribus ſuſtinuere viribus: ſed Balderus falſa à popularibus diuinitate donatus, tum ſibi fuga conſulere coactus eſt. Non enim valuit opinata diu diuinitas aduerſus arma mortalium. Teſtis Belli portus Balderi fugam vocabulo refert: ſed non idem fugiendi animus Saxonibus, perſeuerauere in pugna pertinaciter, donec ad vnum cæſi ſunt omnes. Generoſi animi viuax virtus vinci poteſt, fugari non poteſt. Gelderum Saxoniæ principem prælio conſumptum, remigum ſuorum cadaueribus ſuperiectum, ac rogo nauigiis extructo impoſitum, pulcherrimo funeris obſequio hoſtes extulerunt. Eſt enim virtus ipſa venerabilis, etiam apud hoſtes. Cineres eius perinde ac regij corporis reliquias non ſolùm inſigni tumulo rex hoſtis tradidit, verumetiam plenis veneratione obſequiis in funere decorabat: nihil inferior Pœno Hannibale, qui cæſum Marcellum venerabiliter remiſit ad Romanos.

[S]axones ad in[t]ernecionem [c]aeduntur.

CAP. 6. INTERCESSERE exhinc anni non pauci, donec ad Wermundum regem Daniæ ſceptrum perueniret. Is cùm florens æuum ſterilis ſine prole peregiſſet, in ſenecta filium ſuſtulit Vffonem ingenio tamen, vt videbatur, craſſo, vt non homo ſed ſtatua putaretur: pater aliquanto ſe fœliciorem ratus eſt, ſi filium non haberet, quàm ea ſtoliditate beluam humana forma nutriret. Acceſſit ſenectæ incommodis oculorum defectio: cuius rei fama peruenit ad Saxones, aſſiduos Danorũ hoſtes, quos deturbatio antiquæ poſſeſſionis in Iutia continuò perurebat. Qui genti tum præerat, nomen in annalibus nõ habet, ſed tamen quòd ſublimi fuerit vir animo, legatio quam miſit ad Regem Danorum oſtendit: cuius hæc ſumma fuit, Vir grãdæuus, & qui ſenio deficit, etiam cæcitate percuſſus, ſponte regno cederet Saxonibus, nec in diſcrimen mitteret exercitum ſuum: regem Saxonum, vbi ſceptra Daniæ illo tradente acciperet, facturũ vt non illum pœniteret adoptionis, meliorem ſe illi futurum filium quam illam beluam, quam ſub imagine oris humani nutriret in aula. Superba legatio regem ſenio fractum vehemẽter commouit, altéque ducens ſuſpiria, contemptum ſui non leuiter ferebat: reſpondit tamen, modeſtius facturum Saxonum regem, ſi paucos qui ſeni ſupereſſent dies præſtolatus, tum ſceptra inuaderet Daniæ, cùm ille in fata conceſſiſſet: non eſſe ſatis modeſtum, ſenectutem probris exaggerare: leuius ſe arma quam ignominiam ferre. Si tamen ille arma inferat, inuenturum in Dania militiam qua occurrat venienti. Ad hæc legati, nihil opus eſſe totis rem exercitibus peragere, ad compendia tranſeundum. Filium ſuum Saxonum rex regis filio opponet in duello. Tum ſenior, Quid opus eſt cumulare probra probris? Fatiſcentem irriſiſtis ætatem, nunc exprobratis etiam ignauiam filij, quaſi mea ex me culpa talis ſit editus. Aſtabat legationi Vffo filius, & inexpectata omnibus voce confidentiſſimè à patre veniam loquendi popoſcit. Senior quis eam a ſe loquẽdi licentiam depoſceret rogat. Proceres eſſe Vffonem filium reſponderunt. Tum ille, Non ſatis viſum eſt vobis ad calamitatem meam ab exteris mihi inſultari, quando etiam à domeſticis probrum irriſionis cumulatur. Illi quam ſanctè iurant, eſſe qui loqueretur, Vffonem filium. Quiſquis eſt, inquit, liberè quod ſentit proloquatur. Tum Vffo. Quando, inquit, tam ſuperba legatione & patriam maieſtatem & regiam dignitatem Saxones contaminaſtis, agnoſcite regi Danorum ſupereſſe filium, qui geminos ex vobis prouocet in certamen. Regis veſtri prodeat filius, armigero quem velit comitatus: ego duos

[Sa]xonis inſo[le]ns legatio, [q]uam non im[pu]ne tulit.

[V]ffonis antea [in]ertia repen[ti]na virtus.

vnus

vnus excipiam. Accepere conditionem legati, abeuntes. Wermundus propius iubet adeſſe filium, vt manuum miniſterio diſcat, ſi ille ſit quem eſſe teſtentur. Grandia filij membra complexus pater credidit eſſe quem volebat. Tum ad filium. Cur, inquit, fili tam diu latuiſti, taciturnitate & ignauiæ ſimulatione abſconditus? Ad quod ille, Quandiu tu pater integris viribus regnum adminiſtraſti, nihil opus fuit aut vocis meæ miniſterio, aut vlla forti in rebus gerendis opera. Nunc quoniam te virium tenet defectio, vſque ad contemptum exterorum, credidi eſſe vicis meæ, & ſuperbiam verbo retundere, & forti opera te patre dignum filium oſtendere. Cur ergo, refert ille, vnus duos prouocaſti? Vt abolerem, inquit, gentis Danicæ nuper obiectam ignominiam, quòd duo vnum Atiſlum Sueciæ regem deiecerunt. Exultans pater arma filio iubet expediri: nulla enim aut patris, aut cæterorum procerum grãdibus eius artubus poterant coaptari. Diſciſſa tamen ad locum tegentis clypei, vtcunque illi paterna ſunt arma coaptata. Gladium vnum cæteris incomparabilem pater in deliciis habebat, hunc ſolum filio parem ſperabat, quando cæteri ad primam vibrationem diſſilierunt. Eydora fluuius limes antiquus Danicæ atq; Saxonicæ ditionis, locus pugnæ deputatur. Prodiere hinc Dani, inde Saxones: medius in flumine locus qui extabat deligitur. Pater Wermundus etſi cæcus, pugnæ deeſſe non patitur: certus de ponte in fluuium ſe mergere, ſi filius vinceretur. Proceſſere Saxo cum armigero, quibus vnus Vffo opponitur. Prouocat ille vtrunque: pugnatur. Nec minores animis Saxones diuiſis operis, non vna concurrebant. Primus armiger ictum ferens incurrit, ſed fruſtratus eſt: nam hoſtis declinabat: ſublatáque dextra caput Saxonis Vffo diffidit. Cæcus pater ictum gladij ipſo ſono diiudicans, qua parte hoſtem rogat ceciderit. Illi reſpondent vno ictu totum peremiſſe. Redibat ſeni ſpiritus, & æquatis iam viribus, quòd vnus vni confligeret, certior illum victoriæ ſpes comprehendit. Succedit in pugnam Saxonum regis filius, & eluſis aliquandiu altrinſecus ictibus, idem fuit regio iuueni exitus qui armigero. Iam & pater victoris ſonitum vibrati gladij cautius agnouit, & plenam iam filio conſtare victoriam lætus accepit. Hic tum erat exitus ſuperbæ Saxonum legationis. Nam iugum quod tum Danis imponere ſatagebant, ipſi accepere.

Sᴠʙ hoc rerum ſtatu non diu Saxonia permanebat: excuſſo enim tributariæ ſubiectionis iugo, populus ad libertatem natus, ſe in illam protinus vendicauit: & aliquot Danorum regibus in medio detritis, cùm idem regnum ad regem Dan eius nominis III. perueniſſet, continuatis bellis Saxones cum gente Danorum decertantes, ſtatuerunt aliquando totis viribus de ſumma rerum decernere. Vrebat Saxones ereptæ dudum Iutiæ memoria, ſiquando virium intenta conflictatione ad eam redire poſſent. Rex Daniæ Dan puer, duodecimũ ætatis agebat annum, cùm legationẽ mitteret Saxonum princeps in Daniam, aut tributa Saxonibus Dani penſitarent, aut bellum de rerum ſumma expectarent. Bellum maluerunt proceres: quod tanto apparatum eſt omnium regnicolarum ſtudio, vt ante expectatum hoſtibus in Albi occurrerent, tanta nauium multitudine, vt amnem nauigabilem diu ita implerent ratibus, quòd velut ponte facto nauibus, de ripa tranſirent in ripam. Nec Saxones ſegniores, & ipſi vndecunque contractis viribus, obuiam hoſti proficiſcuntur, & collatis armis is fuit exitus qui eſſe plerunque ſolet. Nam qui ad prælia alacriores hoſtibus in ſua occurrunt, fœlicius comperti ſunt dimicare, quòd melius res in hoſtico quàm in ſuo ſolo vſu compertum eſt procedere. Vincuntur Saxones, & tributa quæ Danis intentauerant, ipſi coguntur ſuſcipere. Hoc mihi loco interfandum putaui, ne quis miretur ſolas eas Saxonum res ſermone perſtringi quæ illis fuere cum Danis, nihil verò ex mediterraneis attingere. Sed & illud mouebit fortè lectorem, in cunctis quas memorauimus controuerſiis Danos ſemper Saxonum victores oſtendi: quod contrà poſterioribus ſeculis vſu compertum eſt. Vtriuſque autem rei vna cauſa eſt, quòd ex antiquitatibus tantæ vetuſtatis nullus nobis præter vnum Saxonem Sialandicum Daniæ illuſtratorem, author eſt, & ideo rerum mediterranearum, quas ille non attigit (quæ tamen non minores, etiã illuſtriores putari poſſint) nulla nobis memoria eſt: nec in ea parte habent cæteræ nationes quod illis inuideamus, aut quod noſtræ antiquitatis obliuione poſſunt obtendere: nam pauci mille annorum memoriam vix explicant, ineptias enim plures

Cᴀᴘ. 7.

Saxones prælio à Danis ſuperantur.

præferunt, quæ ſomniis ſimillimæ ſunt: quod nos de Francis congentilibus noſtris, ab olim Germanis, ſuo loco oſtendemus. Iam verò quis mirabitur Danicum ſcriptorem, Danicis rebus multum tribuere: quod & Romani ſuis, & Græcis Græculi fecerunt? Quæ ſi eadem præditus dicendi facultate Saxonicas res vir genere Saxo commemoraſſet, aliam rerum formam narrando prætenderet. Studet enim quiſque ſuæ nationi illuſtrandæ.

uid hiſtoriarum fidem primus ele-...

CAP. 8. IPSE temporum, quæ attingimus, ordo nos commonet, vt Cimbrorum mentionem hoc loco introducamus. Iam enim peruenimus ad vicina eius ſeculi, quo veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cælo reſpiciens, obuiauerunt ſibi in oſculo pacis, in mediatore Dei & hominum Chriſto domino omnium ſeculorum Saluatore. Ante cuius ortum annis plus quinquaginta, Cimbri cum Theutonibus, Amburones cum Tigurinis, magnis exercitibus per Gallias mouentes, in Italiam contenderunt: & occurrentes ſibi Romanorum variis in locis conſulares exercitus, cum ducibus ſuis obtriuerũt. Nouiſſimè & ipſi à Q. Catulo & C. Mario Romanis conſulibus, ad internecionem (vt ferunt Romani) delen. Hæc de Romanis hiſtoriis nobis teſtatiſſima ſunt. Sed non ita compertum nobis eſt, quæ gens fuerint Cimbri, Dani, Saxones, an Wãdali, aut promiſcuæ omnes, aut ex his quædam: quod præſenti loco nobis pro viribus explanandum. Nam Romani ſcriptores ſola Cimbrorum commemoratione contenti, nihil ſuper eius gentis ſedibus & origine attigerunt. Cimbros autem habitare in Cherſoneſo, quæ à Saxonibus procurrit in boream, inter duo maria, Britãnicum, & Germanicum (noſtri vocant Orientale & Occidentale) ipſius Ptolemæi deſcriptione certum habemus: idem Strabo & Tacitus aſſeuerant. Nam Tacitus ætate ſua, ad vtranque ripam caſtrorum veſtigia cetni commemorat, ad magnæ rei fidem, & molem gentis metiendam. Hæc eſt prouincia, quam nunc Iutiam vocamus: in qua præter ducatum Sleſwickcenſem quatuor ſunt epiſcopatus, non Italicis anguſtiis dimenſi, & magna eius portio regi Daniæ cenſualis paret. In hac habitaſſe Cimbros, trium quos diximus teſtimonio eſt certiſſimum. Sed quæ gens fuerit, Dani, Saxones, aut Wandali (omnes illi per vices eam tenuere prouinciam) hoc quærimus. De Cimbris quidem teſtatur Strabo his verbis: Peninſulam habitantes ingenti quadam inundatione compulſi natalia loca deſeruerunt: nunc verò cõſuetam prioribus annis regionem inhabitant. Auguſto quoque Cæſari lebetem, plurima ſibi ſanctitate conſecratum, dono miſerũt, eius amicitiam poſtulantes, vt iniurias quæ prius ſubierant obliuione delerent: compotéſque votorum facti remearunt. Dictu profecto ridiculum, vt homines ad maris æſtus, quos perpetuò natura efficit, per dies ſingulos bis accedentes, indignati è patrio ſolo digrederentur. Tacitus quoque in deſcriptione Germaniç. Eundem, inquit, Germaniæ ſinum haud dubiè ad mare Balticum, proximi Oceano Cimbri tenent, paruæ nunc ciuitates, ſed gloria ingens, veteriſque famæ latè veſtigia manent. Vtraque ripa caſtra ac ſpatia, quorum ambitum nunc quoque metiaris molem, manúſque gentis, & tam magni exitus fidem. Ptolemæus (vt diximus) qui ſub Hadriano ſcripſit Imperatore, teſtatur Cherſoneſo, quæ in mare Germanicum excurrit, habitaſſe Cimbros. Sed quod genus hominum fuerit, cui ea ſit appellatio, hoc requirimus. Strabo Poſidonium facit teſtem, Cimbros latrocinando incertis errabundos ſedibus, ad paludem vſque Meotim militiã agitare. Inde contracto vocabulo (quòd Cimbri veteri Gallorum lingua latrones vocitentur) ab eis vocitari Cimmeriũ Boſphorum quaſi Cimbrum, cùm Græcorum lingua Cimmerios Cimbros vocitet. Plutarchus autem in Mario de Cimbris teſtatur in hunc modum, populos eſſe Germanicos ex his qui ad boreum oceanum ſedem haberent, quòd homines magno corpore horrendiſque oculis eſſent. Nam apud Germanos (ait ille) Cimbri prædones appellantur: quod Strabo de Gallica, Plutarchus de Germanica interpretatur lingua. In hoc tamen conſentiunt, quòd vterque latrones eo vocabulo aſtruit ſignificari. Quidam ferunt Celticam terram, propter magnitudinem regionis, ab extremo mari à ſeptentrionalibus climatibus ad orientem verſus Meotim fluuium conuerſam, Ponticam Scythiam attingere, & hinc factam gentium commixtionem. Homerus quoque gẽtem Cimmeriam ab extremis occidui mundi aduenisse, Boſphoreúmque Cimmerium de ſuo nomine feciſſe, teſtatur. Conſona trium teſtimonia illuc vergunt, vt ſuſpicemur Wandalorum gẽtem olim Cimbricam à rapinis appellatam, eam eſſe quæ à vetuſtiſſima memoria, ab occi-

...mbri qui ...erint.

...mbri vnde ...cti.

occidua mundi regione, quam diximus, habitaſſe Cimbros, per maritima Germanici oceani verſus orientem, per Pruſſiam atque Poloniam, per Sarmatiam, nūc Tartariam, vſque ad paludes Meotidas tenuiſſe medias prouincias. Teſtis eſt lingua, quæ etiam nunc veteribus Wandalis, quorum apud nos ſunt reliquiæ, Bohœmis, Polonis, Ruſſis, latiſſimæ genti, vna eſt.

NAM & pro aliis faciunt coniecturæ, quòd aut Saxones fuerint, aut Dani, qui ſunt dicti Cimbri. Quòd enim Dani fuerint, qui ſub Cimbrorum nomine profecti ſunt cum Theutonibus & aliis Tigurinis & Amburonibus, inde apparet, quòd per ætatem illam Dani eam prouinciam tenuerunt. Dudum enim Saxones inde eiecti fuere, & iam ſub potentiſſimo rege Frotone Iutia quieuit circa natum Chriſtum. Strabo (vt diximus) ſuſpicionem induxit cum conteſtibus ſuis, quòd fuerint Wandali qui Cimbri ſunt appellati. Nam latrocinando incertis errabundi ſedibus, Cimbri ad paludem vſque Mœotim militiam agitarunt. Sed quî poterant agitare militiam tam longinquam, niſi Wandali extitiſſent, qui per gentiles ſuos Wandalos omnia media tenentes facilè ad Mœotim attingerent: Nam alienam nationem ita vagari intra ſuæ prouinciæ limites Wandali non tuliſſent. Ptolemæus autem cogitationem iniecit, Saxones ea appellatione cenſeri: eſt enim non gentis (vt diximus) proprium, ſed a mala iniecta qualitate appellatiuū, quòd Cimber latronem ſonat. Saxones autem ſic tum à vicinis appellatos credi poteſt ꝙ ferocia genti ſit cognata. Sed auget ſuſpicionē, ꝙ Ptolemæus nominat Cimbros mediterraneos, qui a mari recedant in Auſtrum. Hi autem fuere Saxones, qui cùm diu Iutiam tenuerint, ibi a Ptolemæo credi poterant, ætate ſua habitare. Nam quòd in mediterranea recedant, compertiſſimum eſt. Quid igitur in hac varietate cēſemus? Ego ſine controuerſia Danos Iutas fuiſſe exiſtimo: qui tum appellatione Cimbrorum, cū Theutonibus (hoc eſt Saxonibus) & cæteris nationibus Italiam petiere. Nā Dani (vt diximus) ea tempeſtate tenuere Iutiam prouinciam, & poterant hi militiam agere vſque ad Cimmerium. Cum Gothis enim dudum exibat ea gens, & habitabat ad Cimmerium, deinde ad Danubium: vbi de ſuo nomine Daciam fecit vocari prouinciam (quod in Suecia noſtra oſtēdimus) & in mediterranea proceſſit, ea potiſſimùm ætate qua Danorū proceres Saxoniam ſuæ fecere ditionis. Nec iniurium eſt, Iutas Danos, appellari Cimbros, id eſt latrones, quòd militiam latè agitauerint, per maria, per litora, per terras, vſq; adeo vt nauigantes aliquando Cōſtantinopolim pulſauerint, longiſſima circuitione vſi: quod in Norwagia oſtendimus. Nec iniuriam quis putare debet, ſi aut Dani, aut Saxones, aut Wandali, Cimbri (hoc eſt latrones) appellentur, cui in mentem venerit, quid Alexādro reſponderit princeps piratarum:: cùm ille rogaret, quidnam illi eſſet, quòd mare teneret infeſtum. Hoc ipſum, inquit, rex quod tibi, qui terrarum orbem fatigas. Sed quia ego pauculis nauibus rem perago, pirata dicor: tu quia magnis exercitibus vim facis, Imperator diceris. Ita prorſus ſe res habet. Verum dixiſſe libera voce rex comprobabat, impune dimittens. Quid, oro te, Romanos adegit infeſtum ſibi facere mundum, niſi libido dominandi & amor habendi? Ea fuit cauſa Danorum quæ illis inſcriptionem faciebat, vt Cimbri, hoc eſt latrones, dicerentur.

Cap. 9.

Cimbri ex Iutia Danorum inſula profecti.

Latronis nomen aliàs no ignominioſo.

EA Cimbrorum gens annis ante virgineum partum ſupra quinquaginta, ſedibus ſuis exita cum vxoribus & paruulis, nouas petere ſedes annixa per Gallias, teſte in commentariis Cæſare, iter tenuit in Italiam. Profectos autem patria duxiſſe per Saxoniam, quæ nunc Weſtphalia eſt, & inde tranſmiſſo Rheno, in ſocietatem belli ex Galliis accepiſſe Amburones & Tigurinos. Gallici autem ſcriptores ſolita leuitate Cimbros vocant Brabantinos, aut Flandrenſes, & alios aliis, pro ſuo arbitrio, deputant populis. Sed Ptolemæus, Strabo, Tacitus, Plinius, grauiſſimi teſtes, ſubmouent Gallorū leuitatem, oſtendentes qui fuerint Cimbri, habitantes in Cherſoneſo duorum marium. Accedit teſtis alius, omnibus autoritate incomparabilis, C. Cæſar, qui in commentariis teſtatur de Cimbris. Quum enim de Aduaticis Gallorum ciuitate loqueretur, inter alia dicit. Ipſi erant ex Cimbris Teutoniſque prognati, qui pertranſeuntes Gallias, impedimenta cum inualidis ad arma ſub præſidio reliquerunt. Qui, inquit, quum iter in Italiam & prouinciam noſtram facerent, iis impedimentis quæ ſecum agere & portare non poterant, citra Rhenum flumen depoſitis, cuſtodiam ex ſuis ac præſidia ſex hominum millia vnà reliquerant. Priuſquam tamen

Cap. 10.

Cimbrorū in Italiam expeditio.

Italiam per alpes attingerent, longo circuitu ſub ipſis alpibus tranſeuntes, Macedoniam vaſtauerunt. Ibi Papirius Romanus conſul cum exercitu fuſus. Inde verò Aurelius Scaurus conſulis alterius legatus, cùm exercitus eius deleretur, ipſe viuus in manus Cimbrorum peruenit, & cùm in conciliũ ab his euocatus, deterreret eos, ne alpes tranſirent Italiam petituri, quòd diceret Romanos vinci non poſſe, à Bolo rege feroci iuuene occiſus eſt. Ab eiſdem Cimbris C. Manlius & Q. Seruilius proconſules victi prælio caſtriſq; binis exuti ſunt. LXXX. millia militum ceciderunt, calonum atque lixarum XL. millia. Secundum populi Romani iuſſionem Cepionis (cuius temeritate clades accepta erat) damnati bona publicata ſunt, primóque poſt regem Tarquinium ei imperium abrogatum eſt. C. Mario (qui niſi illi ſeculo contigiſſet, actum fuiſſet de nomine Romano) propter Cimbricum bellum, conſulatus per plures annos prorogatus eſt, ſecundo & tertio conſulatu abſens creatus eſt: quartum conſulatum diſſimulanter captans, conſequutus eſt. Cimbri vaſtatis omnibus circa Rhodanum, per Pirenæum ſunt ſaltum in Hiſpaniam tranſgreſſi: ibique multa populati, à Celtiberis retroacti ſunt: reuerſique in Galliam bellicoſis ſe Theutonis coniunxerunt, prius tamen vaſtata Hetruria, cùm Romani interim tranſmarinis impliciti bellis, matrem Italiam defendere ab Cimbris nequiuerunt.

Tacitus de Cimbrorũ expeditione & Germanorum virtute.

Hãc autem Cimbrorum expeditionem nec Cimber quidem glorioſius efferret, quàm eſt à C. Tacito commemorata: Sexcẽteſimum, inquit, & quadrageſimum annum vrbs noſtra agebat, cùm primum Cimbrorum audita ſunt arma Cæcilio Metello ac Papirio Carbone conſulibus. Ex quo ſi ad alterum Imperatoris Traiani conſulatum computemus, ducenti ferme & decem anni colligũtur. Tamdiu Germania vincitur: medio tam longi æui ſpatio multa inuicem damna non Samnis, non Pœni, non Hiſpaniæ, Galliæue, ne Parthi quidem ſæpius admonuere: quippe regno Arſacis acrior eſt Germaniæ libertas. Quid enim aliud nobis quàm cædem Craſſi, & ipſe Ventidio victus Pacorus, nobis Oriens obiectarit? At Germani Carbone, & Caſſio, & Scauro Aurelio, & Seruilio Scipione, M. quoque Manlio fuſis vel captis, quinque ſimul conſulares exercitus populi Romani abſtulerunt. Sed huius tam indomitæ virtutis hic tum erat exitus, vt cùm diuiſis copiis Theutones cum Amburonibus ex Galliis, Cimbri verò ſeorſum per Vindelicos, alpes penetrarint in Italiam, Theutones victi ſub alpibus ad aquas Seſtias à Mario, Cimbri verò, cùm poſtulatas à Romanis ſedes non acciperent, apud Atheſim pugnantes, duorum conſulum iunctis copiis, Romanæ virtuti conceſſerunt. Quam victoriam etſi Mario magis inſcribendam Romani putauerunt, virtute tamen militum Catuli cõſulis rem actam alij ſcriptores non ſilent. Non tamen ad internecionem tum cæſam gẽtem crediderim, etſi multa ſint millia interempta. Strabo quoque teſtis accedit, qui (vt ſuprà meminimus) ſub Auguſto pacem petentes teſtatur impetraſſe. Poſtea verò quàm Romanis ab ea gente pax fuit, nemo gentis facit vllam mentionem: nec inter noſtros Cimbros inuentus eſt qui literis mãdaret rerum ſucceſſiones, in magna veterum (quod ad literas pertinet) inopia. Malebant enim fortiter facere, quàm aut doctè loqui, aut eruditè ſcribere ad memoriam poſterorum.

Cimbris Auguſtus pacem petentibus dedit

CAP. II.

HAC de Cimbris non iniucunda interpoſita commemoratione, ad Saxones noſtros reuertamur, qui crebris colluctationibus congreſſi Danis, varia fortuna fuere nũc ſuperiores, nunc deiecti. Nam Frothoni Magno, cuius tempora ad natum Saluatorem pertigerant, & filio eius Fridlæuo, æquè ad arma victorioſo, regibus tributa pependerunt. Sed iam regno deuoluto ad Fridlæui filium Frothonem puerum duodecẽnem, Saxones iugum excutere maxima vi armorum contenderunt. Principes tunc Saxoniæ fuerunt Swertingus & Haneſus, qui contractis vndecunque auxiliis, magno prælio hoſtibus non imparatis concurrerunt. Tam difficili labore diu ſudatum eſt in acie, vt magnitudine ſtragis vtrinque factæ vtraque ſibi pars victoriam reputabat. Dani Saxones, & illi Danos profligaſſe ſunt arbitrati: contentio ad duellum peruenit. Fidebant Dani Starcatero, monſtruoſæ magnitudinis & roboris homini, cuius proceritati virium acrimonia reſponderet, cuiuſque de fortitudine plura in Suecia ſcripſimus. Saxones pugilem præferebant Hamam æquè inter ſuos fama illuſtrem: cui, vt diſcrimen non recuſaret, tantum ſe auri congeſturos pollicentur, vt molem corporis eius ſuperaret. Virum fortem virtutis & gloriæ maior quàm auri cupido tenet. Operas pollicetur, nec terretur gigantea mole pugilis cum eo congreſſuri: poterat enim maior in exiguo regnare corpore

Saxones Danorum vectigales.

pore virtus. Ab initio quidem Saxones regem iam ætate adultum, iam rebus fortibus pro inuicto habitum, ad monamachiam depoſcebant. Sed Dani indignum rati, regem imparis fortunæ obiectare homini, Starcaterum illi fecere vicarium. Venitur in campum qui pugnæ metatus eſt. Hama fiducia virium, quòd iuuenili floreret robore, virum ætate iam fractum ad luctamen depoſcebat: aggreſſuſque prior hoſtem, pugno petitum ita impulit, vt terræ adegerit nutabundum. Palluerunt Dani: ita enim impellentis Hamæ pugno deiectus eſt Starcaterus, vt genibus nixus, hùmum mento contingeret. Sed vbi ſenior collegit vires, ſeſe erigens ad gladium decurrit, non iam luctamine ſed ferro rem peracturus: nam toto anniſus corpore, gladium diſtrinxit in aduerſum. Nec illum fefellit impetus: nam medium Hamæ caput ictum diffidit. Ita peracta victoria Dani tripudiàuere. Hunc ego inſignem exitum tribuiſſe loco nomē ſoleo ſuſpicari, in quo peracta ſit pugna, vt ab eo victo Hama diceretur, vnde poſtea de propinquo erecta vrbs Hamburgum nuncuparetur: non ab Hammone Lybico: nam eius memoria quomodo potuit ad noſtros permanare? Hac elati victoria Dani, iugum aggrauabant in capita Saxonum. Sed non deerat Saxonibus animus, pro libertate (quæ fortibus viris vita charior eſt) vitam paciſci. Itaque Hanefus alter ex principibus, non deſtitit liberandę patriæ per dies & noctes operam impendere, auxilia vndecunque contrahit, auctiſque in bonum modum copiis bellum Danorum regi denunciat. Ille verò paratum deduxit exercitum, quem idem Daniæ rex ſemper expeditū habebat. Nam nauibus traiecit Albim: quæ enim vltra fluuiū fuere, priori victoria Danis ceſſerunt. Congreſſi conſeruere manus. Ibi dux Saxonum cadens victoriam hoſti reliquit, & loco pugnæ nomen ſuum indidit. Hanefro iuſſit appellari, quòd Hanefi ſemen ibi moraretur: nam fro Dani ſemen vocant. Eum autumo locum qui nunc Hanofer, detorto parū (vt fit) nomine vocitatur. Quæ res ad coniecturam accedit, Hamam quoque (quod diximus) ſuo loco nomen indidiſſe. Sed in rebus obſcuris ſit locus coniecturæ.

Saxonis & Dani ſingulare certamen.

Hamburgi oppidi nomen vnde.

Saxones à Danis victi.

CAP. 12.

SWERTINGVS alter ex Saxonum principibus, quum ad liberandā probro patriam omnibus rebus contenderet, nec armis hoſti par eſſet nec fortuna, non quieuit tamen omnes intentare vias recuperandæ libertati. Dolum parabat: quando dolus an virtus quis in hoſte requiret? Daniæ regem ſimulata fiducia accepit in ſua nil dubitantem, quòd armis ſuorum præmunitus, nihil hoſtile formidaret. Medio in cōuiuio ignem iuſſit triclinio admoueri, paratis omnibus ex compoſito quæ conflagrandæ domui inſeruirent. Vtcunque ferent ea facta minores, Vincet amor patriæ. Non dubitauit ipſe cladi accedere, dummodo ſecum hoſtem opprimere. Ea eſt Deciorum apud Romanos inſignis gloria, caput ſuum pro ſuorum incolumitate deuouere. Nam & in ſacris literis ea res laudis ſuæ habet exemplum. Samſon ille gentis Hebrææ propugnator, quū genti ſuæ non alio ſe vidit futurum vſui, concutiens cui omnis imminebat regia columnam, hoſtes oppreſſit, ipſe commoriens. Filij autem Swertingi, vt vltionem paternæ necis in filio, regni Danici ſucceſſore, præuenirent, adoleſcentem nuptiis germanæ ſororis conciliarunt: ex qua ille filios ſuſcepit patrij regni ſucceſſores. Stetit hoc in rerum ſtatu diu quieta Saxonia. Verſati ſunt fratres reginæ Danorum in regia Daniæ, & tranquillitati rerum ſuarum ſic conſulebant: Regem conuiuiis & cæteris illecebris deuinctum habentes, donec Starcaterus vir fortiſſimus aduentaret: qui (vt in Dania ſcripſimus) ita Daniæ regem ſermone velut igne inflammauit, vt ſacra hoſpitij ac menſæ ſuæ temeraret, occiſis in conuiuio leuiris, hoc eſt vxoris germanis fratribus. Sed tamen tributa in Saxoniam ceſſauere, iam Saxonibus libertatem ſuam pulchrè per arma tuentibus.

Saxo ſe & Danum hoſtem concremat.

CA. 13.

QVÆ interim in mediterraneis Saxoniæ geſta ſunt, ſilentio teguntur: ipſe Tacitus Auguſtæ ſcriptor hiſtoriæ, nimium ſuper his rebus tacitus eſt. Plinius autem in viginti rerum Germanicarum libris totus nobis obmutuit. Nam quæ per hæc tempora à Druſo Nerone Auguſti priuigno geſta ſunt in Germania, in qua ille diu fœliciter rem geſſit, penitus non tenemus: niſi quòd Strabo narrat eūdem ducem in Amaſi rem nauali prælio geſſiſſe aduerſus Bructeros: pars fuit illa Saxonum. Nam Amaſis Saxoniam perlabitur, in Chaucis (hoc eſt Phriſiis) mari mixtus. Quis igitur neget mediterraneis Saxonibus ducem Romanum conſeruiſſe manus, quando etiam à mari tonans, in Amaſi Bructeros (hoc eſt fluminis accolas, nunc dictos Weſtphalos, olim Saxones, & antè Bructeros) perdomuit? Cuius per omnem Germaniam diu inter proceres tam celebre

Druſi Neronis cum Saxonibus bellum.

nomen fuit,vt cum ingenti deſiderio memoriam illius repeterent. Teſtatur Petrarcha extitiſſe ſua ætate Romæ triumphalem arcum Druſi Neronis, cum inſcriptione, cuius caput diſiectum legi non poterat:ſed tamen hos verſiculos tum à ſe lectos in illo,

—Ad diuortia Reni
Peruaſi,hoſtiles depopulatus agros,
Dum tibi Roma decus æternáque ſudo trophæa:
Hiſter pacatis lenior ibit aquis.

Tantúque fecit res in Germania geſtas, vt filium exinde Germanicum iuſſerit appellari. Ad Salam vſque fluuium,quod conſtat,peruenit. Albim an tetigerit,incompertum eſt.Nam vltra Albim vetuit Auguſtus legiones ſuas tranſire, ſatis ducens, gentem intra eum limitem in fide continere:in quibus ſine controuerſia Saxones erant,ſiue tum Saxi ſiue Catti dicerentur.Germanicus quoque Druſi filius,bono patri in Germania optimus natus filius,patriam ditionem cum ſumma laude regebat, exemplo patris in manſuetudine & lenitate plura in Germanis quàm ſeuero imperio procurans. Meminerat periculum Quintilij Vari,qui ſub eodem Auguſto quum inſolentius liberæ genti imperare contenderet,cum tribus legionibus à Germanis eſt ad internecionem deletus.Quã rem fertur idem Auguſtus tum tuliſſe indignè,vt inſanientis more caput illidens parieti exclamaret,Redde Germaniam Quintili Vare,redde Germaniam. Reddidit Druſus Nero priuignus eius(vt diximus)vir manſueti animi: quem Roma expectabat Auguſto ſucceſſorem,niſi illum mors ante Auguſtum abſtuliſſet. Eadem fuit expectatio de filio Germanico, vt Tiberio ſuccederet: ſed illa quoque fruſtrata eſt. Ad Saxones redeamus.

CA. 14. SIWARVS per ea tempora quidam ex nobilitate Saxonum eò prouectus eſt, vt quum regia Danici generis ſtirps prælijs exciſa, ad vnam Geritam puellam deueniſſet, iamque procerum voluntate, eum regem Dani ſibi depoſcerent,quem illa dignaretur maritum. Hoc certè decernentes, ſuæ quiſque ſpei ſeruiebant: exiſtimantes vnum aliquem ex ſuo numero deligendum à puella maritum. Sed ſordebant nobili puellæ natales omnium procerum ſuorum, quibus ipſa regina iuſto emineret principatu. Siwarus autem Saxo & ipſe interpoſitis amicis, rem ſtatuit pertentare. Non recuſauit puella: ſed grauem ac difficilem conditionem placito inuexit, obtendens procanti,futurum ſpondens quod peteret, ſi ille regni Danici membra per proceres diſtracta adunaret. Equidem rege deficiente, quum iuſtum vacaret imperium, quiſque partem ſibi deſumpſit, quam pro ſua defenſitaret.Egit tum Siwarus cum regni primoribus, aliis ære nundinatis, aliis per arma deterritis, aliis etiam per promiſſa ad ſe inclinatis,vt vni ſibi pars magna cederet regnaturo.Parantur regio luxu regales nuptiæ, nec deerat aliquid ſpei præter expectatum nuptiarum diem.Erat quidam Noricæ ſtirpis regio de ſanguine nobilis adoleſcens Haldanus,qui ad eaſdem nuptias aſpiraret. Nam eadem illi puella nonnihil ſpei fecerat: ſed quòd tum diuturnam & longinquam militiam ageret, vt iamdudum nihil ex eo certi compertum eſſet,facto functus credebatur:apud Ruſſos enim militabat. Fama verò nuptiarum, quòd Saxo virgine regia & regno donaretur,ad aures vſque perlabitur Haldani. Deſeruit quæ tractabat omnia, & raptim exercitu contracto ipſis nuptiis interuenit:& diſpoſitis per oportuna loca militum præſidiis,ſæuiebat in conuiuantes.Primùm verò ſponſum ferro perculit: inde reſiſtentes ſine diſcrimine repulit. Habebat verò non paucos in regno & regia (vt fit) qui occultè illi fauerent: & vbi peruentum eſt ad rem, etiam partes eius adiuuarent.Ad extremum ergo omnes qui votis eius aduerſarentur perdidit: ſponſam abduxit, qua ad legitimas nuptias cum regno eſt potitus. Hæc ſunt quę de Saxonũ antiquitate Danicus ſcriptor, ſolo nomine Saxo (quod in ea gente nonnunquam vertunt in proprium) commemorat: cætera iacent ſepulta.

Saxonem Daniæ reginam ambientem riualis Haldanus interimit.

CA. 15. PER tempora autem Veſpaſianorum principum,Bataui Cattorum(qui & Saxonũ) congentiles, grauiſſimum bellum in Romanos præſides geſſere, tribus per ea tempora ducibus ſiſi. Nam Iulius Ciuilis rebellionis autor, Claſſicum & Tutorem, duos in vicina gente præſtantiſſimos duces in ſocietatem belli acciuit: multaque geſſere præclara facinora, quæ facundiſſimus ſcriptor Cornelius proſequitur, ſed minimè in fragminibus

Batavi in Romanos rebellant.

bus quæ ex illo tenemus, exequitur. Exitum tamen illum aduertimus, vt poſt multa quę varia inter partes fortuna geſta ſunt prælia, reconciliatio interuenerit, quũ oſtenderet Cerealis dux Romanus Ciuili impunitatem, & populo factorum abolitionem. Sed neque Batauorum res exequi in profeſſo nobis eſt, neque (ſi velimus) bona nobis facultas ſupperit: quòd nulli rerum extant annales. Saxonum res ſuſcepimus aliquantum è tenebris in lucem eruere: quorum ſi teneremus fideli teſtimonio res geſtas, cerneremus primordia eius gentis eſſe digna clariſſimis rebus, quas per ſequentia ſecula peregerunt. Quis enim ſperare debet quotidie ad mare luctantes Saxones, qui in Phinniam Sueciã que arma protulerunt, domi fuiſſe quietos, & nihil cum Turingis, nihil cũ Wandalis vicinis rerum habuiſſe? Inuidit autem fortuna minoribus, quòd maiorũ ſuorum præclara facinora nullis literis excepit. Nõ defuiſſe Saxones crediderim maximo illo Romani Imperatoris Marci Antonini in gentẽ Marcomannorum bello, quod omnibus Romani Imperij viribus geſtum, nihil terroris & laboris minus habebat Punicis illis bellis, quæ inter maxima Romani populi ſolent numerari. Sed neque Marcomannorum neq; Saxonum aliquis rem in literas miſit: hoc ſolùm tenemus quod Romani ſcriptores ad Imperij gloriam extulerunt, fortia hoſtium facta ſilentur. Hominem cernimus imminere leoni, quia pinxit homo: ſi noſſet pingere leo, aliam picturæ formam cerneremus. Sed hæc interim queri poſſumus, emendare non poſſumus.

Fortiſsimis gentibus ſcriptores defuerunt.

C A. 16.

VSQVE ad hæc tempora, circiter annos poſt natum Chriſtum trecentos, in Romana hiſtoria nullam comperio Saxonum mentionem ſub eo vocabulo: ſed (quod ſæpe querimur) ſi Tacitus & Plinius loquerentur, (qui aut laceri aut nulli extant) ex montibus & fluminibus deſignatis facilè intelligeremus gentem Saxonum, etiamſi aliis vocabulis inſcriberetur. Sed vtamur cõceſſis. Primus Eutropius, & eum ſequutus Oroſius, temporibus Diocletiani & Maximiani Imperatorum hanc gentem nominauit. Carauſius (inquit Eutropius) cùm apud Bononiam (illam dicit Gallicam in Picardia) per tractum Belgicæ & Armorici pacandum mare accepiſſet, quod Franci & Saxones infeſtabant, multis barbaris ſæpe captis, nec præda integra aut prouincialibus reddita, aut Imperatoribus miſſa, cùm ſuſpicio eſſe cœpiſſet cõſultò ab eo admitti barbaros, vt tranſeuntes cum præda exciperet, atque hac occaſione ſe ditaret, à Maximiano iuſſus occidi, purpuram ſumpſit. Iiſdem pene uerbis teſtatur Oroſius, & in ſua Britania commemorat Beda. Audiant Gallici ſcriptores, qui Francos producunt à Mæotidis paludibus, ſub Valentiniano Imperatore, necdum hoc tempore nato. Audiant & Saxonũ primordia à temporibus Theoderici regis Francorum repetentes: qui ex hoc tempore in ducentos annos necdum edebatur in lucem. Agnoſcant Frãcos & Saxones iam nunc ſub Diocletiano littora Galliarum infeſta habuiſſe. Quanquam de Francis maiores etiam ineptiæ memorantur, quòd originẽ ducant à Troianis, & conſederint ad paludes Mæotidas in Sicambria. Quid autem per tot egerint ſæcula, quos duces habuerint, ne ſomniari quidem poſſunt. Et quidem Sicambria non ad Mæotidas paludes in oriente, ſed ad Rheni fluenta fuit in occidente, teſte Cæſare, Strabone, Ptolemæo, & omnibus coſmographis. Inepti homines eò confugiunt, vt dicant aliam Sicambriam fuiſſe hîc & ibi, nec tamen vnum ex geographis teſtẽ producunt: & vt mille tergiuerſationibus vtantur, conuincit eos propria fabella de mendacio, quòd aiunt ſub Valentiniano Francos migraſſe in Germaniam. Nam teſtes omni exceptione maiores, quos nominauimus, conuincunt ſub Diocletiano Francos habitaſſe in Germania, cùm excurrerent ad prædam in mare Britãnicum cum ſociis Saxonibus. Accedit alius teſtis diuus Hieronymus, qui in Hilarionis vita teſtatur ſub Conſtantio Imperatore veniſſe nobilem iuuenem ex genere Francorum. Ea, inquit, gens media inter Suæuos atque Saxones habitat. Quid poteſt expreſſius dici? quid ad confutandum fabulam validius? Inuectus eſt ex Gallicis ſcriptoribus homo qui configeret cornicum oculos, quique vnde prodiiſſet fabula aperiret: cuius hæc verba ſunt, Valentinianus (inquit) Cibalienſis ex filia Genebaldi Sicambrorum regis (quem alio nomine dixere Priamum) natus, peruenit ad Imperiũ. Sicambriani, id eſt Franci, ab eo inuitati ſunt ad debellandos Saxones ſupra Lanum habitantes (à quo fluuio Alani dicti ſunt) in oceani litore reſidentes ſupra Rhenum, qui Romanum aliquando Imperium incurſabant. Et quia debellari commodè non poſſent à Romanis ad paludes intranſibiles, quibus ſe tutabantur, promiſit, ſi gens Sicam-

Saxones & Franci Gallia litora infeſtant.

Francorum a Troianis fabuloſa origo.

Francorũ vetus ſedes.

briana dicta Saxones debellaret, quòd tributo decennali laxarentur.

CA. 17. HAEC ſunt Gallici ſcriptoris verba, in quibus attende prudens lector, Alanos Aſiaticos eſſe populos in vaſta Scythia, quos in Romanis prouinciis aliquando legimus diuerſatos: ſed quando tranſierint incompertum habemus, niſi quia legimus eos cum Wandalis veniſſe primùm in Gallias & Hiſpanias, inde Gothis adhæſiſſe in Betica. Quē autem fluuium dicit Lanum, non agnoſcimus: nullus enim eſt in Saxonum regione hoc nomine riuus. Si tamen diceret Salanos, hoc eſt habitantes ad Salam, poſſemus Saxones agnoſcere. Sed tamen hoc compertum eſt, Saxones à Francis debellandos, iuſſu Valentiniani deſignari. Nam & Oroſius expreſsè de eodem Imperatore ait, Valentinianus Saxonum gentem in oceani litoribus & paludibus inuiis ſitam, virtute atque agilitate terribilem, periculoſam Romanis finibus eruptionem magna mole meditantem, in ipſis Francorum finibus oppreſſit. Hic videant fabulatores vnde ſit nata erroris occaſio. Saxones erant, non Alani (niſi Salanos dixeris) in paludibus oceani occidentalis, non Mæotidis orientalibus. Annumerat autem Chaucorum (hoc eſt Phriſonum) gentem Saxonibus, quòd multa illis bello ſocietas eſſet. Illi enim paluſtribus locis habitabant: nā Saxones campis habitant apertis. Subnectit, Quos in Francorum finibus (quæ nunc Franconia dicitur, olim Sicambria) adiutus gentis illius armis, Imperator repreſſit. Nam quòd decennalem fabula commemorat à tributis immunitatem, & exacto decēnio rebellionem ad Imperium, vanū arbitror. Nam Valentinianus ſolis annis vndecim fuit in Imperio: nec Sicambris, hoc eſt Francis ſuis, vlla arma oſtendit. Hęc quadam digreſſione de Francis non inutili ſint ſatis: quando Saxonum Francorúmque ſocietas in maritimis ſpoliis nos euocauit. Diutius tamen quàm vellem me fabella detinuit: mallem enim res geſtas tibi lector obtendere, quàm cum laruis pugnare. Sed quid faciemus ſuperbiæ Gallorum, qui fabellas tales adorant in gremio? Nec tamen infructuoſum erit errores dimouere, in quibus cōmemorandis magno flatu ſe Gallici ſcriptores ſonoros & eſſe putant, & gloriantur. Saxonū autē primordia ſcribentes, antea retudimus, & iam ſe conuictos agnoſcant, quando tot ſunt teſtes grauiſſimi, diu ſediſſe hanc gētem in ſua prouincia, priuſquam Theodericus Francorum rex (cuius temporibus Saxones ferūt aduentaſſe) naſceretur. Fabulam autem vnde compegere de mercata à Turingis terra, & diſſeminato puluere, poſtea attingemus. Hoc autē nunc intelligant, longè vetuſtiorē quàm ſint illi arbitrati. Credant Saxoni, Ptolemęo, Eutropio, Hieronymo, Oroſio, qui vna voce teſtantur, Saxones in ſua prouincia diu ante Theodericum conſediſſe.

CA. 18. QVID domi potuerit ea tempeſtate gens Saxonum, ex his rebus coniiciamus, quas foris geſſerit. Nam circa annum Chriſti quadringenteſimum quadrageſimumnonum quum Britones, gens inſulam oceani præclaram incolens, quæ nunc Anglia dicitur, à Pictis & Scotis premerentur, nec à Romanis iam magno bello implicitis vltrà auxilium impetrarent, aliquandiu ſuis ſe viribus ſunt tutati. Sed cùm impares hoſtibus & viderentur & eſſent, à proximis Germaniæ litoribus Saxones ad ſtipendia deuocabant, vt propugnatores eorum fierent in hoſtes. Quod quo ordine geſtum ſit, paulo altius repetemus, teſtem introducentes illius gentis domeſticum, & apud omnes authoritatis non vulgaris, venerabilem Bedam Anglicum, Anglicanas res perſcribentem. Picti, inquit, gens (vt putatur) Scythica, longis nauibus aduehitur Hiberniam, ſedes ibi petitura. Eam tunc Scoti tenuere: qui ſuper hac re ab aduenis interpellati, reſponderunt locum aduenis in prouincia non eſſe, ſed humanitatis ſe habere conſilium quod illis impertiātur: eſſe non longinquam inſulam, quam ipſi ſereno cœlo videre conſueſcerent habitatoribus non admodū plenam, agris ſuis longè feraciorem, cœlo mitiorem, quam cōprehendere contendant: ſi armis ſuis indigeant, venturos auxilio. Hac reſponſione placati Picti abiere, & aquilonares partes monſtratæ inſulæ non magno negotio apprehenderunt ibi ſedentes. Scoti autem non longè poſt ea tempora & ipſi in Hibernia ſibi non diutius manendum ex quibuſcunque cauſis putauerunt: vtentes conſilio quod antè Pictis oſtenderant, nauigabant in eandem inſulam: & Pictis aliquandiu reſiſtentibus, numero & armis præſtantes præualuerunt. Ita vtraque gens eam inſederat prouinciam, quæ iamdiu Scotia eſt appellata: quam à Britannia increſcens maris æſtus dirimit: cæterùm obſeruato tempore maris refluentis, ſicco veſtigio peruenitur ab altera in alteram. Quum autem vtrique genti anguſta prouincia eſſet, ampliandas ſedes communibus

viribus

Valentinianus Francorũ auxilio Saxones bello ſuperauit.

Picti a Scythia Hiberniam veniunt

viribus decreuerunt. Itaque apparatis nauibus & vada & portus Britaniæ reliquæ tentauerunt, & copiis militum ſuorum expoſitis incolas in anteriora retrudere ſunt conati.

CAP. 19.

Qui Romanorum imperatores in Angliam nauigauerint.

BRITONES quũ iamdudum Romanis paruiſſent ab Iulij Cæſaris temporibus, qui primus claſſe ab Galliis inſulam introiuit: deinde ſub Claudio per miniſterium Veſpaſiani tunc ducis, poſtea imperantis, eam deditam pro Imperio recipientis (quam rem tanti fecit Imperator, vt filium ex eâ Britanicum iuſſerit appellari) deinde ſub Imperatore Seuero, qui grandi foſſato prouinciam in ea Romanam diremit ab hoſtica terra: qui etiam in ea vitam finiuit, & continuato in ea Imperij iure, etiam Cõſtantius magni Conſtantini pater, iam Auguſtus, ibi clauſit diem extremum, tumulatus Eboraci. Quũ ergo (vt dicere cœpimus) ad hæc vſque tempora Romanis paruiſſet prouincia, iam Brirones preſſi à Pictis & Scotis, auxilium Romanorum implorauere. Præfuit Galliis pro Romanis ea tempeſtate Aetius patritius ſub Imperatore Valẽtiniano eius nominis III. Is implorantibus ſociis legionem militum ex Galliis miſit: cuius pręſidio ab hoſtibus ſecuri defenſique Britones quieuere. Sed quũ grauioribus motibus Galliæ quaterentur, reuocabat eam Aetius legionem, vt Galliis conſuleret. Per quæ tempora Picti & Scoti cernentes Romano præſidio nudatos Britones, grauius inuaſere. Illi ad ſolita recurrentes conſilia, miſerabiliter ab Aetio poſtulauerunt legionem remitti, quòd iam præter libera corpora, quæ ipſi Romanis deberent, nihil reliquum haberent. Si tueretur, eſſe ſpẽ recuperandorum omnium: ſi minus, iam præter miſeram animam, quam pro libertate ponerent, habere ſe nihil. Aetium etſi calamitas ſociorum grauiter permoueret, maior tamen cura animum perurebat, quòd Huni, Gepidæ, Wandali, Sueui, Saxones, Alani, & multæ præterea barbaræ nationes, Galliis imminerent: ita vt omnium militum copia ad tutandam regionem opus videretur. Auxilium implorantibus Britanis mittere non potuit: ineundum enim fuit grauiſſimum illud & omni ſeculo memorabile prælium in campis Catalaunicis. Iubebat bono eſſe animo ſocios, & ſuis ſe aliquandiu viribus ſuſtinere: quamprimum poterit, ſe præſidia miſſurum. Operepræcium putaui verba Bedæ inſerere, & ex epiſtola lachrymis plena partem ponere, quam Britones Aetio miſere. Aetio ter conſuli gemitus Britanorum: & prius interpoſitis quibuſdam, hæc inferunt, Repellunt barbari ad mare, repellit mare ad barbaros. Inter hæc oriuntur duo genera funerum: aut iugulamur, aut mergimur. Neque tamẽ per hoc quicquam auxilij impetrarunt. Nam Aetium imprimis Gallicanæ expeditionis cura totum occupauit, & Hunorum apparatus (qui dietim nuntiabatur) deterrebat, ne quas haberet copias diminueret: qua ratione nequiuit Britanorum precibus ſatisfacere. Itaq; Romani ciues qui Britaniam frequentes diuerſis ex cauſis inhabitabant, & ipſi ſimul Britani, cùm ſe à Pictis & Scotis diutius tueri diffiderent, Anglos Saxones, datis in ſtipendium pecuniis, ex proximis Germaniæ littoribus conduxerunt præſidio affuturos: qui quidem Saxones cognomento Angli, duce eorum Vortegerio inſulam ingreſſi, Scotos atque Pictos prælio repreſſerunt ſuperatos. Sed ipſi poſtea mercenarij Saxones ambitione ducti, magis Britonibus quàm Picti aut Scoti hoſtes nocuerunt. Romanos enim ciues, & Britanorũ primores, maiori ex parte vario genere mortis interfecerunt: ex eóque tempore cœperunt Saxones Angli Britaniæ dominari. Sic memorant Itali ſcriptores.

Britones a Pictis & Scotis vexati.

Saxones, qui & Angli, in Britaniam ſtipendio accerſiti in miſeros ſæuiunt.

CAP. 20.

BEDAM indigenam, quem teſtem introduximus, his de rebus ſcribentem, quia multis incomperta res eſt, Saxones Britaniam de ſuo nomine (quòd Angli dicerentur) dixiſſe Angliam, audiamus: vt erubeſcant inſcitiam ſuam, qui Saxones ex Britania ortos fabulantur: ne ſcientes Britones ex Anglis Saxonibus Anglorum nomen mutuaſſe. Verba eius ponenda ſunt. Anno (inquit) ab incarnatione Domini CCCCXLIX. quũ orientis Imperium teneret Martianus, & Valentinianus Auguſtus occidenti præeſſet, Anglorum ſiue Saxonum gens inuitata à rege Britonum Vitigerio, Britaniã tribus longis nauibus aduehitur: & in orientali parte inſulæ, iubente eodem rege, locum accepit commanendi, quaſi pro patria pugnatura: re autem vera hanc expugnatura ſuſcepit. Inito ergo certamine cum hoſtibus, qui ab aquilone ad aciem venerãt, victoriam ſumpſere Saxones. Quod vbi domi nunciatum eſt, ſimul & inſulæ fertilitas & ſegnitia Britonum, mittitur confeſtim illò claſſis maior armatorum, ferens manum fortiorem: quæ præmiſſæ adiuncta cohorti inſuperabilem fecit exercitum. Suſceperunt ergo qui aduenerant, donantibus Britonibus locum habitationis inter eos, ea conditione vt pro pa-

triæ pace & ſalute in hoſtes militarent, illis militantibus debita Britones ſtipendia ferrent. Aduenerant autem de tribus Germaniæ titulis fortioribus, id eſt de Saxonibus, Anglis, Iuris. De Iutarum origine ſunt Cantuarij & Vectuarij, hoc eſt ea gens quæ Vectam tenet inſulam, & ea quæ vſque hodie occidentalium Saxonum Iutarum natio nominatur, poſita contra inſulam Vectam. De Saxonibus (hoc eſt ea regione antiquorum Saxonum) venere orientales Saxones, meridiani, & occidui. Porro de Anglis (hoc eſt de illa patria quæ Anglia dicitur, & ab eo tempore vſque hodie manere deſerta inter prouincias Iutarum & Saxonum perhibetur) orientales & mediterranei Angli, paritérque tota Nordhumbrorum progenies, id eſt earum gẽtium quæ ad boream fluminis Humbri inhabitant, cæterique Anglorum populi ſunt orti. Duces fuiſſe perhibentur eorum primi, duo fratres Hingeſt & Horſa: è quibus Horſa poſtea occiſus in bello à Britonibus, hactenus in orientalibus Cautiæ partibus monumentum habet ſuo nomine inſigne. Erant autem filij Wetgiſli, cuius pater Vecti, cuius pater Vecta, cuius pater Voden: de cuius ſtirpe permultarum prouinciarum genus regium originem duxit. Non mora ergo confluentibus in inſulam certatim gentium memoratarum cateruis, grãdeſcere cœpit populus aduenarum, ita vt ipſis quoque qui aduocauerant indigenis eſſent terrori: quum ſubitò inito ad tempus fœdere cum Pictis, quos longius iam bellando pepulerũt, in ſocios arma vertere incipiunt. Equidem primùm annonas ſibi abundantius ſubminiſtrare cogunt, proteſtantes, ni facerent, ſe rupto fœdere omnem regionem vaſtaturos. Nec ſegnius exequuntur: ſiquidem (vt breuiter dicam) accẽſus manibus paganorũ ignis iuſtas de ſceleribus populi vltiones expetiit, non illius impar qui quondam a Chaldæis Hieroſolymorum mœnia, imò & ædificia cuncta conſumpſit. Sic enim & hic agẽte impio victore, imò diſponente iuſto iudice, proximas quaſq; ciuitates agróſque depopulans, ab orientali mari ad occidentale nũllo prohibente ſuum continuauit incendium, totámque pene inſulam pereuntis ſuperficies obtexit. Ruebant ædificia publica ſimul & priuata, paſſim ſacerdotes inter altaria trucidabãtur, præſules cum populis ſine vllo reſpectu honoris ferro pariter & flammis abſumebãtur: nec erat qui crudeliter interemptos ſepulturæ traderet. Igitur nonnulli de miſerandis reliquiis in montibus com prehenſi, aceruatim iugulabantur: alij fame confecti, protendentes manus hoſtibus dabant, pro accipiendis alimentorum ſubſidiis, & æternum ſeruitium ſubituri, ſi tamen nõ continuò trucidarentur: alij tranſmarinas regiones dolentes petebant: alij præſtolantes pacem, in patria trepidi pauperem vitam in montibus & ſyluis & rupibus, mœſta & afflicta mente ſemper agebant. At vbi hoſtis exterminatis diſperſiſque inſulæ indigenis, domum reuerſus eſt, cœperunt & illi paulatim vires animóſque reſumere, emergentes de latibulis quibus abditi fuerant, & vnanimi auxilium cœleſte conſilio petentes, ne ad internecionem vſquequaque delerentur. Vtebantur eo tempore Ambroſio Aureliano duce, viro modeſto, qui ſolus fortè Romanę gentis tempore pręfatæ tempeſtatis ſuperfuerat, occiſis in eadem parentibus, regium nomẽ & inſigne ferentibus. Hoc ergo duce pugnam capeſſunt Britones: & victores prouocantes ad prælium, victoriam Deo fauente ſuſcipiunt. Et ex eo tempore nunc hoſtes nunc ciues vincebant, vſque ad annum obſeſſionis Badonicij montis, quando non minimas eiſdem hoſtibus ſtrages dabant, quadrageſimo circiter & quarto anno aduentus eorum in Britãniam. Hęc verbis venerabilis Bedæ repetere volui, quò maior eſſet fides hiſtoriæ.

Saxones in Britannos, quos ſeruare debebant, crudeliſsime.

Britones oppreſsi nouas vires ſumunt.

CAP. 21.

HIS teſtimoniis Bedæ adiiciendum putaui, quum dicit ille Anglorum in Saxonia patriam ex illo eorum in Britaniam tranſitu vacuatam dici, non ita accipiendũ, quaſi ea regio habitatoribus indigeat (quum emittat quotidie qui per omnes ſe prouincias diffundant) ſed quòd tum deſiderare viſa ſit cultores, quum tam frequẽtes ad miliriam commearent. Angli quidem (teſte etiam Ptolemæo) vocati ab olim, ſed ætatis proceſſu corrupto (vt fit) vocabulo, pro Anglis Angiri dici cœperunt: quorum princeps Wedekindus poſteris ſeculis toti prouinciæ dominabatur, illo tempore quo Magnus Karolus prouinciam omnem Saxoniæ ad ſacra Chriſti cogeret: hodiéque principes Saxoniæ ſe duces Angriæ & Weſtphaliæ præferunt in titulis. Colonienſis quoque archiepiſcopus ex die deſtituti Herici Leonis, illum ſibi aſſumpſit inſcriptionis inter alios titulum. Hoc quoque non prætereundum, quòd quum Beda genus regium commemorans, Vecti & Vectam nominet, hodie extare oppidum cum arce, & fluuiũ eius nominis, in teſtimo-

Anglorum nomen quam vetuſtum.

nium

nium antiquitatis. Sed & illud adiiciendum, quòd poſteaquam Angli Saxones omnem inſulæ principatum cum tranſlato etiam nomine deſumpſere, Britones, præter eos qui bellorum tempore ſe tempeſtati ſubſtraxere, populariter egreſſi in continentem Galliarum, ex aduerſo Britanniæ litore ſe collocarunt, eámque de ſuo nomine dixere Britanniam: quod etiam in hodiernum diem prouincia vocabulum ſeruauit. Sed quam ſuę originis inſulam ſeruare non poterant, Angli Saxones Angliam de ſuo nomine dixere, Britones viciſſim apprehenſam Galliæ regionem ſuo nomine ſignarunt: inque ea meliorem ſortiti fortunam, in id roboris excreuerunt, vt qui pridem ſuam tueri non poterant, nunc alienam apprehenſam non ſolùm defenderent, ſed ex ea reliquam etiã Franciam regibus fecere infeſtam, ſemper contumaces, ſemper Francorum regibus infenſi: vſqueadeo vt cùm ſequentibus ſeculis Normanni Galliarũ litora apprehendiſſent, eaque ex fœdere regum tenerent, adiecta eſt eiſdem Normãniæ ducibus etiam prouincia Britanniæ, quam malè ſibi parentem, vt pridem Franci, ſic poſtea Normãni ſunt experti: quod etiam in noſtra Norwagia ſignificauimus. Multis verò ſeculis ducem ſuum ſortita eſt Britannia vſque ad ætatem noſtram, qua nouiſſimus dux Franciſcus, ſola filia relicta decedens, Romanorum regi Maximiliano, cum deſponſa filia eius potiundæ ſpem fecit: ſed præuenit eum rex Franciæ Karolus VIII. qui deductam puellam Romanorum regi, vbi Franciam pertranſire conſtituit, detinuit, ſibi iunxit, reginam vocauit: & ipſe moriens ſine prole, ſucceſſori ſuo Ludouico pridem Aurelianenſi duci, pridem ſororio ſuo relictam coniugem habere fecit: monſtruoſis ſemper nuptiis infœlicem fœminam, nulli prouenientem marito, niſi quem iure tenere non poterat. Ea nouiſſima ſtirps Britanniæ nunc alterum ſortita thalamo regem, hodie eſt regina Franciæ.

Poſtrema Britonia duciſſa duobus Galliæ regibus nubit.

CA. 22.

MVLTA deinde multis ſeculis in Anglia ſequuta ſunt bella: ſæpe Galli incurſarunt, ſæpius Picti, & Scoti. Sed Saxonibus gladio ius ſuum tuentibus, diuiſę cœperunt eſſe gentium mãſiones, vt Britones in ſua patria manentes, qui iam ex magna parte Chriſti iugum ſuſceperant, in ſuis finibus conſiſterent: Saxones verò gẽtilitia ſordentes fœditate, ſuis etiam ſe terminis in inſula capaci continerent: donec miſerãte Chriſto, & illi per inſtantiam beatiſſimi papæ Gregorij Euangelicum iugum ſuſciperent, quum ille (vt ſcribitur) Anglorum Saxonum fortè pueros ex Britãnia captos Romæ cerneret venales. Quæ res indicio eſt, Romanos in Galliis duces non deſtitiſſe ab infeſtatione Britãniæ, in qua captos Anglorum Saxonum filios Romæ venundarent. Hanc ergo gentis Saxonum in Britãniam (quam de ſuo dixere nomine Angliam) tranſitionem in præclaris gentis facinoribus numerantes, hoc loco amputabimus: relinquẽtes quæ illic geſta ſunt, annalibus Anglicorum, quos (vt audio) habent expeditiſſimos. Quòd autem inuitati in prouinciam ſedes acceperant, ſed perfidia vſi arma verterant in ſocios, nõ laudo perfidiam, nec excuſo in ſociam nationem violentiam. Sed pro illorum ingenio tem porum magnificum erat in aliena prouincia ſedes tueri: quod fecere Franci in Galliis, Gothi in Hiſpaniis, & item Saxones in Britãnia. Et ipſi rerum domini Romani, quid aliud fecere in orbe Romano? magnum regibus beneficium præſtantes, ſi illos regio nomine dignarentur? non abripientes quod non poterant adimere? & beneficium de eo facientes, quod per vim armorũ non inuaſere? Vbi non tam ſæpe voluntas defuit quàm facultas. Sed hæc interim: in Saxoniam reuertamur.

Saxones in Anglia ad Chriſtum cõuertuntur.

CA. 23.

SAXONES igitur qui aliis in Britãniam migrantibus domi ſederant, interea non omnino quieta tempora habuere. Inuitante Aetio Romano patritio, quum Hunorum bellum immineret, non difficilè paruerunt: nam armatis copiis non paucis, tanto exercitui deeſſe non ſunt paſſi. Tanti autem tum conuenere diuerſarum nationum, & tam magni exercitus, quantos in Europam nunquam conueniſſe in ſubiectis Toloſæ campis conſtabat, Catalaunicos tunc vocabant. Cum Romanis, quorum dux Aetius, vir militari diſciplina eruditiſſimus, Wiſigothæ (quorum rex Theodericus cum filio Thuriſmundo) Burgundiones hac parte ſtabant: Franci iam recens ex Germania Rhenũ trãſgreſſi in Gallias, quorum rex Merouęus, qui Clodioni patri ſucceſſit: Saxones, genus hominum ea tempeſtate Romanis incompertũ (nam quid rerum cum illis habuerit Druſus Nero Auguſti priuignus, iam in obliuionem tranſierat, magis verò quid cum Cimbris, quibus tum Theutones Saxones iunxere arma) Lutetiani quoque Pariſienſes,

Attila cũ Romanis funeſtũ ad Toloſam prælium.

in quem locum Franci non longè pòſt regni ſedem conſtituerunt, hac acie militauere Romanis. Ab Hunorum autem parte ſtabant cum gente tum validiſſima & multarum victrice nationum, Gepidæ, Oſtrogothi tres fratres æquè reges: in quibus erat pater Theoderici, poſtea Italiam magnificè regentis, Marcomanni, Quadi, Heruli, & Turingi: qui omnes ad quingenta millia numerum expleuere. Acies in hunc modum ſtructæ ſunt. Attila imbellem mulierum puerorúmque turbam inter carros (quorum vis maxima ſuo exercitui inerat) ad proximos colles primùm ſemouit, & inde ſtructa apertis campis acie, ſeſe cum Hunis ſuis medium locauit. Oſtrogothos reges ſiniſtro, Ardaricū Gepidam dextro cornibus præfecit. Structuros autem Theodericum Aetiumque tardauit comperta Sigibaris Alanorum regis perfidia, quem reſciuerunt ab Attila corruptum, conſtituiſſe, quumprimum conſeri pugnam eſſet cœptum, ex cornibus (in quorū altero ſperauerat locari) ad hoſtes tranſire, vt laborantibus in prælio Romanis & Wiſigothis à tergo inſtaret. Veriti tamen duces ne, ſi in perfidum Sigibarem acerbius decernerent, Alanos peſſimo loco & tempore abalienarent, & duplici damno eos quibus ipſi carerent, hoſtico adderent exercitui, diſſimularunt. Sigibaréque quid fieret ignorante, municipij quod Toloſæ ille proximum tenebat, portas ab extra obice munierunt, & ſtationes, ne Huni poſſent ingredi, addiderunt: ipſum verò regem cum Alanis curarunt acie media cum auxiliis contineri. Theodericus exinde cum Thuriſmundo filio & Wiſigothis, ne Oſtrogothis concurrerent, ſiniſtrum, Aetius cum Romanis & Burgundionibus ac Merouæo Francorum rege dextrum cornu tenuere: Saxones cum Alanis media acie ſunt Hunis obiecti. Fortè erat in campo tumulus vtriſq; caſtris pari ſpacio proximus: de cuius oportunitate (vt apparuit) maxima quū exercitus duces certaſſent, occupauit Thuriſmundus. Cōcurrentibus inde cornibus prælium vbique eſt initum pro numero & multitudine maximum atrociſſimúmque, ſed (in tanta barbarorum quæ vtriſque inerant caſtris colluuione) adeo multiplex, adeo varium, vt nec ipſi qui aderant pugnatores, intellexerint quo ſint ordine commiſſa certamina. Cædem verò inauditā, ac in medio campo riuos ac ſanguinis torrentem fuiſſe, taliter ſcribentibus conſentio: quod neceſſe fuit accidere, quum hinc inde armatæ legiones, in quam iratæ ſæuirent, inconditam ac propè inermem multitudinem hoſtium obiectam habuere: inde ardētes inter ſe ſummis odiis Scythæ, mutua ſeritate ac ſæuitia concurriſſent. Dum autem recedentes Hunos & in fugam verſos ardentiori animo inſequitur Theodericus Wiſigotha, ſuorum magis preſſura alliſus quàm hoſtium ferro interfectus occubuit: & tunc prælium, quod ad ſerum diei erat cœptum, in dubiámque noctem continuatum, interuentu vmbrarum vtrinque direptum eſt. Attila poſtquam ſe magna cum clade ſuperatum videt, intra carrorum ſepta cōfugit: ſcutatiſque in circuitu (vt valli ſpeciem pro carris ſtantes exhiberent) diſpoſitis, ſagittarios adiungit, vim hoſtium, quæ improuiſa fieret, quoad acies ſtrueretur, propulſaturos. Et ne aut viuus in poteſtatem hoſtium veniret, aut mortuus careret ſepultura, iumentorum clitellas in ſtruem cōgeſſit, in qua ſi durius quid accidiſſet, ſe gladio à domeſticis cōfodi, ac ſubiectis ilico flammis cremari iuſſit. Cæſa fuiſſe eo in prælio ex vtroque exercitu CLXV. millia qui minus, qui plus CLXXX. ſcribunt. Hanc pugnam, quòd omnium fuerit omni memoria maxima, hoc loco explicui: præſertim quia Saxones (quorum geſta proſequimur) ſtabant in parte victrice, oppoſiti medio agmine Hunis: in quo non mediocrem ad victoriam operam intelliguntur contuliſſe.

Saxones Attilæ & Hunnis prælio oppoſiti

CA. 24. PER eadem tempora quū Franci duce Clodione tranſito Rheno Belgicam Galliā introiſſent, quòd iam Galliç viribus exhauſtæ, & crebra exterarum nationum incurſione extenuatæ ſuis armis parum poſſent, Romanorum etiam exilibus præſidiis tutarentur, accepere imperia venientium. Ita factum eſt vt Franci Germani iam ſemel ac iterū antè tranſito Rheno, quum ſedes in Galliis quærerent, retropulſi: nunc verò audentiores facti, ab exemplo Burgundionum, qui iam prouinciam ſuam inhabitandam acceperant, in qua perſeuerat nomen in hodiernum: & Gothorum moniti fortuna, qui iam Hiſpanias occupauerant, & Wandalorum, qui iam in Aphricam tranſierant ex Betica, & ipſi Franci, explorato quòd Gallia Romanorum modico præſidio tutaretur, tranſito Rheno, in Galliis primam vrbem Cameracum accepere: inde mouentes in Tornacum, quòd valido Romanorum præſidio teneretur, vi vrbem capere aggreſſi fruſtrantur: ſed

Franci cum Clodione in Galliā veniūt

elicitos

elicitos ad pugnam Romanos prælio ſuperant, illam perinde vrbē ſuæ fecere ditionis. Clodioni autem morienti in Galliis ſucceſſit Merouæus filius, qui magno illi quod diximus, prælio intererat pro Romanis: cuius filius Childericus quum ampliandæ ditioni intenderet, reperit Odoacrem Saxoniæ ducem Aurelianis imminere: ſic enim in prædam ſibi præſtitas Gallias cuncti putauere, vt ſuum eſſet quod quiſque occuparet. Sed Childericus tum ſuperato prælio ducem excedere coegit. Nec erat noua neque inſolita Saxonum in Galliis militia. Nam ſunt ex Gallicis ſcriptoribus qui affirment, magnos illos reges, qui Romanis & præcipuè Iulio Cæſari conflictarentur, fuiſſe Saxones. Ferūt à veteri memoria Anſonaricem gentis Saxonum principem, opportunitate inuitatum, de ſtrage quam audierat patratam in Italia de Belgicis, qui profecti fuere cum Cimbris, quum iam Belgicam iuuentutem bello conſumptam putaret, duxiſſe in prouinciā trans Rhenum, vt vindicaret & patris & aui mortem à Belgicis peractam, Wādalos, Suæuos, Hiſtrios in ſocietatem belli pertrahens, mouit in hoſtem. Leo dux Belgicæ quas potuit in aduerſos hoſtes vires comparauit: & inito prælio Leo dux cecidit. Gotfridus frater bellum renouans, quum vtrinque pertinaciſſimè dimicaretur, extraxit pugnam in noctem. Sed quum iam tertiò manus cōſererent, ita intercēpti ſunt Belgici à fronte Saxonibus pugnantibus, à tergo ab auxiliaribus Saxonum circunuenti, inter media ſepta opprimuntur, vix elabente cum paucis duce Gotfrido. Victores, terra peruaſtata vrbes capiunt: apud Valentianas trepidatum eſt. Vicit tamen inſtantia Saxonum, vt arcem fortiſſimè defenſam occuparent. Omnem igitur regionem inter Rhenum & Scaldim (quæ nunc Lotharingia, Brabantia & Leodienſis eſt) ſibi tributariam fertur feciſſe dux Saxonum. Deinde quum Gallias ab Romanis permiſſas Iulius Cæſar tueretur, Ariouiſtum regem, cuius eſt celebre in Romana hiſtoria nomen, iidem Gallici ſcriptores affirmant Saxonum fuiſſe principem. Sed ego hæc, vt parum comperta, nō auſim affirmare, præſertim quòd Ariouiſtus non ea parte Galliarum copias ſuas, quas Cęſari opponeret, habebat, quæ reſponderet Saxoniæ, ſed magis quæ Suæuiæ. Teſtatur hoc Veſontiorum oppidum, quod vſque hodie manet in finibus Burgundiæ imperialis: nunc vocant Biſontium, ſedem archiepiſcopalem. Id verò reſpondet ſuperioribus Germaniæ partibus. Sed ſit huius relationis fides apud authores ſuos.

Merouæus & Childericus Francorum in Galliis Reges.

Alia Saxonū in Belgium expeditio.

C A. 25.

LIBET hoc loco exagitare eorum inſcitiam, qui Iulium Cæſarem aiunt in Germania ſeptem opportunis locis arces de nomine ſeptem planetarū fundaſſe: quam velut ſacram hiſtoriam ſtulti adorant. In ipſa quidem narrationis ſuæ fronte prodit fabulator inſcitiam ſuam, quum tres tum extitiſſe reges cōmemorat, Iulium, Craſſum, Pompeiū. Ignorat belua regium nomen tam fuiſſe Romanis inuiſum, vt ne tum Iulius Cæſar quū monarchiam occupaſſet, auderet ſe regem nominare, ſed dictatorem, ſed imperatorē. Non ergo reges, ſed primi erant authoritate inter ſenatores, ij quos fabula commemorat. Nec orbis imperium diuiſere, vt ille fabulatur: ſed à ciuibus in prouincias miſſi temporaliter gubernauere. Vnde Iulius quum decennio Gallias adminiſtraſſet, cōſulatum abſens petebat: quo non impetrato, bellum excitauit ciuile in ſenatum & patriam, cuius tum partes defenderet Pompeius. Nec vnquam ſtetit idem Cæſar in Germania, vt imperium ibi gerens arces fundaret: ſed bis tantùm facto ponte Rhenum ex Galliis tranſtuit in Germaniam cum exercitu. Teſtis eſt ipſe Cæſar, qui res à ſe geſtas in caſtris conſcripſit: extant Commentaria eius. Vix congreſſus hoſtibus, quum illi fugerent in ſyluas, reduxit exercitum. Qui iſta requiris, in IIII. & VI. Commentariorum Cæſaris libris reperies: nihil perinde opus eſt verba ipſius Cæſaris introducere, quando paſſim Commentarij eius vbique leguntur. Si tamen de Auguſti priuigno Druſo Nerone, & eius filio Germanico diu in Germania belligerantibus legiſſent, probabilius in eorum perſonas fabulam contuliſſent. Sed neque hoc crediderim, illos fuiſſe arcium quas memorant authores: alioqui Ptolemæus, qui Saxones inter antiquos ſcriptores primus nominat, quiq; ſatis erat propinquus temporibus dictorum Cæſarū (ſcribēs ſub Hadriano Imperatore) quum commemorat omnia Germaniæ loca, non præteriiſſet, quæ ibi Cæſares fundauiſſent, etſi ille Alexandrinus homo, diſſimulanter gloriam Cæſarum tranſiſſet. Cornelius Tacitus Germaniæ diligentiſſimus deſignator, & Italicarum laudum ſtudioſus exequutor, non præteriiſſet tot præclara Cæſarū opera per Germaniam. Igitur totam fabulam cū authoribus reiicimus, contenti veris narrationibus, quas

Falſa quorundam ſcripta refelluntur.

Iul. Cæſar Germaniam bis duntaxat ingreſſus eſt.

teſtimonio probatiſſimorum introducemus autorum. Hoc potius crediderim, aliquē ex Germaniæ proceribus militaſſe Romanis, & ſacra illorum perdidiciſſe, domumque reuerſum Romanis idolis vel arces vel templa conſecraſſe: quale aliquid de Maroboduo temporibus Auguſti narrat Strabo. Et hæc ad ſuperiora tempora referantur, hoc loco per rememorationem dicta.

CA. 26. VENTVM eſt ad tempora, quæ hactenus noſtri prima Saxonum putauerūt, quibus hoc bellum inter Turingos atque Saxones cōſertum eſt: quod vnde ſit ortum, aliter noſtri ac Franci memorant: vtranque ſeriem breui exequemur. Annus erat poſt natum Chriſtum quingenteſimus aliquot additis, quum moriens Clodouæus, primus Chriſto fidelis Francorum rex, quatuor reliquit filios, Theodericum, Childebertum, Clothariū atque Clodomirum: qui inter ſe regni ditionem, quam pater mirificē ampliauit, partiti, concordibus animis in ſuo quiſque demorabantur. Turingis ea tempeſtate Ermenfredus rex præerat: qui ſuaſu vxoris Amelbergæ duos fratres, quòd regnum affectaſſe diceretur, Bertarium atque Baldricum necauerat. Id dolentes Franciç reges, quòd eos ſanguine contingerent occiſi iuuenes, bellum indixere Turingo, mouentque in hoſtem. Ille dolos ſtruens, qua parte intraturos ſciebat, foſſam grandem aperuit, eamque viridantibus operit ramalibus atque ceſpitibus. Ea re comperta reges in hoſtem irritatiores feruntur, occurrentem prælio fundunt & fugant, inſequunturque fugientem ad fluuium vſque Onſtrit. Ibi prælium inſtaurant Turingi ex fuga ſubſiſtentes: ſed tanto ſternuntur à Francis ardore, vt ſtragis magnitudo pontem è cadaueribus ſtrauerit Francis tranſituris. Ermenfredus tum ex fuga ſe cum paucis in vrbem recepit: vnde fide regia euocatus ab Theoderico in Tulbacum caſtellum, quum ambularēt inuicem colloquentes, loco præcipiti Theodericus ex latere ambulantem, & nihil tale formidantem, cubito impellens pręcipitio colliſit, regnúmque occiſis eius liberis in po teſtatem accepit. Hæc Gallorum commemoratio nulla ex parte Saxones contingit. Aliter autem noſtri rem narrant. Ermenfredi (inquiunt) coniunx Amelberga ſoror erat regum Franciæ. Ea per Iringum militem, cui rex multa permiſerat, & cui pene totus incubuerat (talis enim erat manu & conſilio) regi ſuggerit, Theoderici Metenſium regis ditionem inuadat, quòd notho minus quam legitimæ natæ Amelbergæ regnum deberetur. Theodericus ad Ermenfredum legatos mittens, commonefacit vt regibus Franciæ integritatem fidei conſeruet, ſe illi futurum non dominum, ſed amicum, quòd regum eſſet ſororius. Tum ſe inſolens mulier occaſionem putat eſſe nactam, qua mentis ardorem effundat, ſtimulat regem per Iringum militem, ferocius reſpondeat legatis, regnum iuſtiori titulo ſibi deberi per coniugem, quæ nata eſt de regina matre, quàm Theoderico, qui natales ſuos agnoſceret: ferebatur enim ex concubina natus. Secundum hæc verba Ermenfredus prius re in concilio diſcuſſa, quum omnes paci inclinarent, impares ſe Francorum viribus teſtarentur, Rex tamen inſtinctus ardore fœminæ per militem memoratum legatis reſpondit, amicitiam & affinitatem regum ſe magni facere, mirari tamen quòd Theodericus ſupra ſe dominij ius præferat: compertos eſſe natales coniugis ſuæ atque Theoderici, quòd illum ſeruilis ex matre conditio afficiat, illam ſtirps regia ex vtroque parente condecoret. Legati non leuiter accepere ignominioſa reſponſa, ſcientes ea magni cruoris effuſionem portendere: quæ tamen audiuere, ad regem ſuum pertulerunt. Ille etſi excanduit audiens, tamen iram vultu preſſit, mode ſtē reſpondens, Ergo ſeruilem Turingo cōditionem præferamus, oſtēdamúſque ei qui geniti ſimus. Nec moratus, validum conduxit exercitum ex omni ditione Francorum. Nec ſegnius Turingus, ſciens quale incendium conflauerit, arma vocat, venięti occurrit hoſti. Conuenere exercitus hoſtiles in loco qui dicitur Rumberg, neuter pugnam detrectauit: ilico magnis vtrinque animis concurſum eſt. Extracta eſt in noctem pugna, quæ in veſperum cœpta eſt, vmbræ dimouerunt præliantes, nox caſtris cuſtodes adhibuit. Vix orta luce magno animorum ardore ad pugnam redeunt, certi non cedere, integri ſauciis ſubmittuntur, & per omnem, quæ longiſſima fuit, diem certamen extrahitur. Tanta vtrinque cædes commiſſa eſt, vt incertum pugnantibus eſſet qua parte ſtaret victoria. Tertia demum lux prodidit Ermenfredū maiori parte copiarum eſſe nudatū: qui perinde ſe pro victo gerens, in vrbē Chidinga ad amnē Onſtrit fugiens ſe recepit.

CA. 27. THEODERICVS verò cruentam ferens victoriam, dubitauit quid facto opus eſſet,

[margin notes:] odoneus pri… s Chriſtia… Francorū …x. — …anci Turin… …rum regnū …upant. — …ācorum & …uringorū tri…duana pugna

eſſet, hoſtem trepidum inſequi fugientem, an renouatis viribus ex integro in illum ducere. Vocat procerum ſuorum concilia. Ibi re plenius diſcuſſa, erant quibus operæprecium videretur feruenti re vti victoria, & hoſtem conterritum, ac tantis viribus nudatum, vno nũc impetu opprimere: nam tempus illi reſpirandi permittere, quid eſſe aliud quàm hoſtem in ſe armare? Eſſe pręterea vicinã Turingis gentem, quæ ſi in ſocietatẽ belli Turingis accederet, magnũ de integro Francis naſci laborẽ. Ilico duceretur in hoſtẽ: vel hoc prouidendum, ne tantæ illis vires accederent. Saxones ante omnia pertentandos, ſi mora placeret, vt Francis armorum ſocij veniant, quòd facilè in Turingos gentili odio laborantes ducerentur. Ea comprobata ſententia, mittuntur qui Saxones ad communionem belli agrorũ promiſſione deuocent: nec difficulter inuitati ſequuntur promiſſa. Armant exercitum validum, & Francorum partibus accedentes feruntur in Turingos. Quum in conſpectum veniſſent Francorum Saxones, collaudauere animorum alacritatem, mirati corporum proceritatem, diffuſam per armos cęſariẽ, arma in promptu. Erant in Francis qui cauendum hoc genus militum prædicarent, ne fortè prouecti alieno auxilio intolerabiles fierent Francis. Mittuntur ad oppugnãdam vrbem, quæ hoſtium regem intus haberet. Illi non ſegnes certant miſſilibus, vt mœnibus deturbẽt propugnaturos. Sed illi nihil territi fortiter tuẽtur mœnia: & vbi de muris miſſilia multa fruſtra iacta perierunt, ſtatuunt obſeſſi erumpere, & nihil tale timentes imparatos Saxones adoriri. Intus ſtruunt aciem, & ordine progrediũtur ad intentos oppugnationi. Turbauere primo impetu (quod neceſſe fuit) incompoſitos: ſed vbi in aciem coiere Saxones, valida paribus odiis pugna conſeritur. Turingi pro vxoribus & liberis, próque vita & libertate certarunt. Saxones ſeſe Francis oſtentaturi, pro gloria laborauere. Durum atq; cruentum prælium, quod nulla potuit vis dirimere, nox interueniens diremit. Cedentibus vtrinq; vel in vrbem vel in caſtra, campus detexit quid pertinax labor diei peregerit: ſtrages magna partium apparuit. Sed qui in vrbe fuere Turingi, quòd magnam ſuorum manum amiſiſſent, nec haberent vnde vires iam clauſi repararent, hoſtibus omnia foris pro arbitrio eſſe cernentes, ſolatia commeatuum, ſupplementa non deeſſe militũ: ſibi omnium rerum in diem maiorem futuram inopiam. Igitur Ermenfredus Iringum ſuum petendæ paci ad regem Francorum mittit oratorem, facturum ſe ex æquo omnia quæ reges Franciæ iubeant: modò affinem illi ſuum recognoſcant, germanæ ſororis ac liberorum eius miſereãtur germani. Nihil peccaſſe paruulos, extra noxam imbecillem fœminam: illis pacem Franci reges impartiantur, ſi minus Ermenfredus mereatur. Hæc legationis erat ſumma. Vicit qui in concilio erant proceres miſerabilis oratio, pacem petenti dandam decreuerunt. Iringus placido regis ac procerum reſponſo lætus, ad dominum redit iam anxium ad expectationem.

Saxones Francis auxilium aduerſus Turingos ferunt.

Turingus obſeſſus pacem à Francis impetrat.

CA. 28.

INTEREA dum arma quieſcunt vtrinq;, dumq; deliberant reges de forma paciſcendi, egreſſus Turingus quidam vrbe, ad fluminis ripam accipitrem emittit capiendis quas viderat columbis: ille volans in aduerſam ripam, inſequitur volucres fugientes. Saxonum quidam reuocatum ab alto accipitrem manu prehendit. Stabat triſtis dominus accipitris, quem ille magno licitaretur: clamabat, vt qui cœperat, propius ad colloquiũ veniret, habere ſe rem quam occultam inſinuet, magno Saxonibus (ſi ſapiant) coemendam. Propinquauit ille, & vbi fide data propius conſtiterant, pactus eſt Turingus prius ſibi reddi accipitrem, tum ſe detecturum in quo ſit ſalus Saxonum conſtituta. Nec grauatè reddit, vir armis potius quàm venationi intẽtus. Ait Turingus inter reges iam de pace conueniſſe, prouidendum Saxonibus, ne coniunctis inter ſe amborum armis opprimantur: proinde nox illis proxima ad ſalutem data, ſi ſapiant, illa vtantur. Hæc ſiue dolo ficta, ſiue reuera decreta, Saxo qui audierat, diſſimulanda non putauit: vocato conſilio rem aperuit. Ibi perpenſa in Saxones Turingorum odia, nec ſatis comperta Francorum fides, reſpicere fecerunt in vires quas nuper commiſſo prælio amiſere: & quum ſe vtriſque impares arbitrarentur, cœperunt ad nocturnam fugam nonnulli pendere. Tum ſenior quidam, Quòd audio Saxones in vobis fugæ conſilium præualere, non probo: qui ab ineunte ætate militans in gente noſtra, ad hanc quam cernitis caniciem perueni. Saxonum ſemper arma tractaui, in caſtris noſtratum conſenui, nunquam verſa retro noſtrorum agmina commemini. Vinci fortè nonnunquam Saxones potuerunt, fugari nunquam poterant. Ego hanc ignominiam vel primus deteſtor:

Saxones Turingos inopinato opprimunt.

hoc cano capite primus, ſi iubetis, ingrediar, ſigna præferens: ſequatur me qui gloriam gentis adauctam volunt: fortibus viris minimum ſemper fuit periculi. Imparatos Turingos, & ab antiquo & nunc rectius hoſtes aggrediamur, & (ſi ſors velit) etiam Francos ex ſocijs adorituri. Incendit omnium animos ſenis oratio: arma corripiunt, & nihil metuentem vrbem aggreſsi, pertinaciter oppugnant: deinde aggreſſam ſcandere capiunt, ſæuijt gladius in omnes qui arma tulere. Cæduntur obuij ciues, milites ſine diſcrimine, quum antè vrbs capta eſſet quàm intus intelligerēt. Incurrere multi in hoſtes, ciues arbitrati, & extinguuntur: rex Ermenfredus cum paucis vrbe elabitur. Franci etſi ad pacē inclinabant, victores tamen Saxones collaudāt. Elapſum regem eò reſpicere rex Theodericus arbitratus, quòd bellum reſumptis viribus renouaret. Igitur mittit legationem poſt illum, vt ad pacta inchoata reuertatur. Nihil ſe imperante factum, Saxones ſua voluntate tumultuantes nunc quieſcere. Credidit rex, & quod verum eſſe cupiebat, facilè perſuaſum habuit. Iam egerat cum Iringo Theodericus, vt in ſuo conſpectu dominū ſuum venientem perimeret, magnis à ſe rebus munerandus. Vbi venit in regis præſentiam Ermenfredus, victorem veneratus procidit, vt genua amplecteretur. Iringus ſtricto gladio iacentem dominum confodit. Theodericus proditorem exoſus, mox à ſe exire præcepit: cui enim mortalium fidum fore, qui dominum ſua manu confodiſſet? Iringus furens iam, certus mori, gladium intorſit, vt Theodericum cæderet: ſed fruſtratus in ſe vertit enſem, & dominum cadens amplexu petiuit. Hic erat exitus proditoris. Theodericus promiſſam Saxonibus terram donauit: vrbem quam expugnauere, perpetuò conceſſit habitandam. Hic eſt ager ille quem ab Turingis non auro ſed ſanguine mercatum Saxones accepere: nunquam enim Turingi poſſediſſe leguntur agros ad Hadeleriam, quos (vt fabula finxit) pro auro Saxonibus par arma ſua defenſos tradidiſſent. Suæui vſque ad mare aliquando dominati ſunt, nunquam Turingi. Suæui terram Saxonum in Italiam cum Longobardis migrantium aliquando occupauere: quod ſuo tempore dicemus. In proximo circa hæc tempora res gere batur.

Turingus perfidioſè necatur.

CA. 29.

DVM in hoc rerum ſtatu Saxones agerent Francis pacati, Turingis (quibus Franci præerant) non moleſti, quòd terras à Francis permiſſas incolerent, Albuinus Longobardorum rex iam diu in Pannoniis ſedens, per Narſetem Italiæ prę́ſidem, qui in ea deleuerat Gothorum reliquias, quòd iam inſigni iniuria ab Imperatrice Conſtantinopolitana notaretur, illum velut eunuchum ad penſa inter puellas diſtribuenda reuocante, quum ille reſpondiſſet, telam ſe orditurum, quā Imperatrix cum totius Imperij viribus non reſolueret: vocaſſetque Albuinum in Italiam. Vocatus ille venit cum gente ſua, vxoribus & liberis vnà ductis. Proſpexit tamen reditui, ſi quid aduerſi contingeret: nam Hunis precariò ſuam attribuit prouinciam habitandam. Nec verò Albuinus reditui ſolùm proſpexit, ſed violētiæ cauit, quam eſt fieri poſſe opinatus. Nam vt munitior intraret Italiam, x x. millia Saxones ſibi adiunxit, qui (quemadmodum Longobardi) vxores filióſque cum omni ſupellectili carris impoſitos traxere: inſupérque duxere ad fœtus ſuſcipiendos equarum boúmque armenta, præter iugandos aratro boues, & innumeram animalium multitudinem cibo mortalium ſuffecturam. Fuit verò migratio Saxonum aliis etiam populis accommoda. Clotarius namque & Sigebertus Francorum reges, Suæuos ad Rhenū ſedentes, in deſerta à prædictis Saxonibus loca Germaniæ tranſtulerunt, quum nec illos nihil male de ſe meritos delere vellent, neque Galliarum partibus ſibi vicinis coaleſcere æquanimiter tolerabāt. Hæc eſt illa emigratio & Suæuorum in Saxoniam introductio, quam Speculum Saxonum in textu & gloſſa commemorat: quum reuerſi Saxones, pulſis Suæuis deteriorem fecere conditionem fœminarum, quę Suæuis coniugio (quod mox dicemus) copulari ſunt paſſæ. Quod ibi (quiſquis erat Speculi cōditor) falsò tribuit emigrationi quam in Angliam fecere Saxones. Nam inde nūquam ſunt reuerſi, inſulam ſemel apprehenſam nunquam deinde relinquētes. Mira eſt autem illis ſeculis tam crebra gētium tranſmigratio, quæ neque antè neque poſterioribus ſeculis tam frequens acciderat. Quis autem ſine nutu gubernantis omnia Dei illam (vt vocant Itali) barbarorum eruptionem accidiſſe crediderit? Quis non videt perinde retuſam ſuperbiam Romanæ ditionis, quæ diu autorem ſuum diſtulit agnoſcere? Nam vbi ſanctorum martyrum abundantius quàm Romæ fuſus eſt cruor? Quo in loco magis efferbuit pro falſis diis principum indignatio? Ergo quod Roma diu irrogauit inno-

Saxones cum Longobardis Italiam occupant.

Iuſta aduerſus Romā diuina vltio.

xiis,hoc paſſa eſt in ipſa vrbe, & Italia, & Romanis prouinciis, ab illis nationibus quas antè ignorauit,vel contempſit.

Cap. 30.

Saxones quum aliquandiu ſub Longobardis in Italia militaſſent, pertæſi alieni imperij,qui ſe ad libertatem natos arbitrarētur,in patriam reſpexere. Acceſſit Francorum regum non obſcura ſuggeſtio: quid vellent in Italia ſeruire,qui in libertate nati, etiam aliis(ſi ſatis niterentur)imperarent? Vrebat quidem Francos gloria Longobardorū, quòd locupletem prouinciam & dominam gentium tam facilè cepiſſent, imminerentq́; terrore vicinis gentibus. Quocirca volentes Longobardorum Franci potentiam minuere,tale aliquid Saxonibus per ſubmiſſos inſtillauere. Facilè perſuaſeris homini libero ſuo iure viuere. Non ſurda aure Saxones accepere in quod ſua ſponte propendebant: Quum ergo Longobardi eſſent bello Campaniæ occupati, Saxones tranſcendere alpes conſtituerunt.Id quum Longobardi reſciſſent, non vltra differendum rati, periculis occurrere conſtituerunt,quæ eos multa manebant,ſi Saxones, tam magnum præſidium,abiiſſent.Sed quia Amatus prouinciæ Romanæ,& Francilio Anicienſis pręſides, ab regibus Franciæ communiti,arma oſtenderūt Longobardis, in illos ducendum fuit. Omiſſis igitur Saxonibus eò intenderant: quum interim Saxones ſuo itinere gradientes per Gallias in Remenſes ſunt delati,& apud Strablonenſe rus caſtris poſitis non paruo tempore quieti fuerunt, nec damna prouincialibus intulerunt, qui eos iuſſu regum commeatibus adiuuabant. Quamprimùm Saxones intellexerunt Burgundiones cladem accepiſſe ab Longobardis, & Amatum prouinciæ Romanæ præſidem interfectū, & Longobardos in Italiam reuertiſſe, timore laxati mutarunt mores, & omnia in Remenſibus tumultu implentes,prædam vndiq; agebant.Ennius interea Mummulus Romanus ciuis Amato ſuffectus,quem in Longobardos Franciæ reges multis copiis adiuuabant,Longobardos ſuperauit.Quare ab Arithparto Pariſiorum rege iuſſus (quod facere optabat) duxit in Saxones nihil tale timentes, &, haud ſecus quàm ſi nihil hoſtile commiſiſſent,omnem curam cuſtodiæ negligentes.Aggreſſus itaq; Mummulus eos primo impetu fudit,diſſipatosq; perſequutus,magnam in illos edebat cædem. Colligentes tamen ſeſe,& inuicem adhortati Saxones, prælio volebant & iuſta acie cum Mummulo cōfligere. Sed multi hincinde miſſi à Francis regibus nuncij, vtrunq; exercitum perduxerunt ad pacem: cuius fuerunt conditiones, vt Saxones relicta præda, & certa auri ſumma in compenſationē irrogati damni perſoluta, in Italiam quâ aduenerant remearent:quandoquidem Suęui ab regibus Franciæ Saxonum terra donati, cedere loco noluerunt.Ergo in Italiam remearunt.Sed quum eſſent ad priora loca reuerſi, Longobardos iam factos inſolentiores offenderunt.Iterum ergo remeare conſtituunt,& ad Sigebertum Metenſium regem mittentes,certiora quàm prius fœdera icerunt: quibus innixi,cum vxoribus filiiſq; & omni ſuppellectili Italia exceſſere.Ne autē quâ incederent, prouincialibus nimis graues eſſent,& commeatibus indigerent,ſeſe in duas partes diuiſerunt.Eorum vna per Nicæam,altera per Ebredunenſes iter tenuit:& tamen omnes ſimul deducente amicabiliter Mummulo,ad Sigebertum regem peruenerunt. Conuenerat autem in fœdere quod regē inter & Saxones ictum erat, vt eos ille in patrias ſedes reſtitueret,quas anno antè quintodecimo reliquerāt cum Longobardis in Italiam profecti. Optaueratq́; Sigebertus id facere:& Suęuis ſuaſit vt regionem partiri paterentur, vellentq́; æquo iure cum Saxonibus habitare. Saxones verò contrà,patriam ſibi totam, non dimidiā,ex fœdere adiudicandam contenderūt. Et quum altercationibus aliquandiu res protracta eſſet,inſtitere Saxones, vt ſi nollet rex aut nequiret Suæuos aliena deturbare terra,æquo ferret animo,ſi armis ipſi iuſtiſſimis quærerent quod tanta cum iniuria negabatur.Paſſus verò ille eſt Saxones in Suæuos ducere: neq; interea deſtitit pacem quærere inter eos,fœderaq́; componere. Sed nullis verbis,nullis pollicitationibus molliri Saxonum pectora potuere,qui ferro potius experiri quàm pacto vellent. Et ventum eſt ad prælium,in quo ſuperatis & magna internecione cæſis Saxonibus, māſit regio Suæuis:quam,prout initio acceſſus ſui facere cœperant,Suæuiam appellarunt. Sed tamen Saxonibus obnixè inſtantibus quum Franciæ reges aliis impliciti bellis tenerentur,arma vndecunq; contraxerunt:& Suæuis de integro congreſſi, exturbarunt regione,& recuperatæ per arma patriæ filios & vxores inuexere. Crediderim,qui inter Suæuos habitauere Saxones,quum ad prima prælia quieuiſſent, ſperantes congentiles ſuos

Saxones Remenſem agrū vaſtantes cæduntur.

Saxones patriam à Suæuis occupatam recipere conantur.

eorum viribus non indigere, vbi viderant profligatos, & iam magno prælio victos, multis amiſſis, viribus opus eſſe: eorum acceſſiſſe partibus: & ita paribus animis à remanentibus & redeuntibus Saxonibus in Suæuos eſſe depugnatum. Eiectos prouincia Sueuos inſuper contumelia affecere. Nam legẽ ſanxerunt, mulieres Saxonici generis quotquot Suæuis denupſerant, alienas à ſucceſſione paterna haberi: & rurſus in ſuis conſuetudinibus (quas poſtea Speculo Saxonum indiderunt) quum Karolus Francorum rex & Ro. Imperator authoritate (vt ferunt) interpoſita confirmaret, mulierum conditionem in multis ob eam rem fecere deteriorem. Verum eſt tamen quòd inſcitia gloſſatoris cauſam refert in eam profectionem quam in Britanniam Saxones fecere, ignarus quòd inde nunquam egreſſi perpetua ditione inſulam ſeruauere, cum vxoribus & liberis ibi remanentes: ſed ex hac Italica cum Longobardis expeditione illa prouenerunt quæ in fœminas ſunt conſtituta.

[S]axonum in [S]ueuos odium.

CAP. 31.

[D]agobertus [p]rælio cum Bertoldo Saxone [c]ertat.

BERTOLDVS tum Saxonibus dux præerat, ad arma vir impiger, quum Dagobertus rex Metenſium (quod Auſtraſiorum regnum nuncupauere) à viuente Clothario conſtitutus patre, vicinam etiam Turingorum prouinciam tenebat. Bertoldus autem quum potentiam vicini regis ſuſpectam duceret, occaſionem iamdudum quærebat eam imminuendi. Ortum eſt bellum (vt fit) inter vicinos de finibus. Dagobertus copiis validis in Metenſium regione perarmatis Rhenum traiicit, ducturus in hoſtem. Nec ſegnis Bertoldus Saxonum dux iamdudũ bellum ſitiens, iuueni regi dux veteranus occurrit. Conſeruntur manus, & graui vtrinq; prælio multi cadunt. Dagobertus acri certamine premitur ab oppoſito Saxone, vt decuſſa galea partem cutatam capitis cum adhærentibus capillis in terram demitteret. Nec leuis erat ictus, cuius impetu decidẽs iumento regius iuuenis propè erat vt caperetur, ſi non proximorum fidelium manibus eximeretur. Ergo attritis exercitus ſui viribus, paulatim ſe retraxit rex Dagobertus, victoriam permittens hoſti: quæ tamen non paruo illi quoq; conſtabat. Inſinuat per nuncium Dagobertus patri quo ſint res in ſtatu: orat quamprimum ſuppetias ſibi ex Francia venire. Pater comperto quo in periculo ſit filius, raptim contractis ex regno armis, & valido ſuorum conflato exercitu, ipſe proficiſcitur filio venturus auxilio: & tranſpoſitis copiis per Rhenum, magnis itineribus contendit ad filium: & iunctis exercitibus vnà mouent in hoſtem. Caſtra tum tenebat vltra Viſurgum (nunc Wiſeram vocant) qui limes eſt veteris Saxoniæ, hoc eſt Weſtphaliæ, & eius quæ nunc nomen Saxoniæ retinet. Habuit tamen etiam illa tempeſtate Saxonia prouinciã vltra Viſurgum in Herciniam ab olim, & eam quam nuper ſtipẽdij vice promeruit ex Turingia à rege Francorum Theoderico, cui tum (vt diximus) Saxones militauere: in qua tum conſederant vires ad prælium collectę. Franci admotis flumini caſtris quoq; ſuis, inſolito tripudiauere clamore. Miratus quid hoc eſſet Bertoldus, audit ab iis quos rerum hoſtilium miſit exploratores, veniſſe Clotharium Dagoberti patrem, Francorum regem, cum nouis ad filium Francorũ militum copiis: illa de re exhilaratos milites inſolitum præferre clamorem, alacritatis indicem. Mirum (inquit ille) ſi Francorum rex, quem nuper vita functum ferebant, nunc ex mortuis redeat depugnare. Dum parantur vtrinq; prælio, nunciatur Clothario non credere Bertoldum adeſſe Francorum regem. Ad ripam ergo rex propius venit, & nudato cano capite, quo inſignis noſcebatur, videndum ſe Saxonibus prębuit. At Bertoldus rege conſpecto, quem vita functum audierat, exclamat, Veniſti vetulum caput, canumq; pecus veniſti, iuuenum te armis iterum immiſcens. Franci autem, quum moram facere viderentur Saxones, concepta de recentibus viribus fiducia, vel nauibus comparatis, aut vado (res enim in obſcuro eſt) fluuium tranſierunt: & inuaſis Saxonibus, magna armorum contentione prælium conſerunt. Nec ſegnes reſtitere Saxones, diu æqua manu cum hoſtibus confligentes. Sed vicit Francorum pertinax inſtantia, propter innouatas & multiplicatas vires: ceſſereq; Saxones hoſtibus victoriam, cæſo in medio pugnantium agmine duce Bertoldo: quid enim facerent ſublato capite membra? fuga ſibi quiſq; conſuluere. Sequuti Franci, omnẽ Saxoniæ prouinciam igni ferroq; vaſtauere: nec abiere priuſquam prodeuntes obuiam proceres de pace agerent, quando bello tantæ moli impares viderentur. Summa fuit, vt Saxonia annuo Francis penſo tributo, dominos ac maiores ſuos agnoſceret. Tributum conſtituitur quingentorum boum, annua ſolutio. Hoc autem genus tributi, aut ei non diſſimile in equis, quandoque Saxones perſoluerunt Da-

[C]lotharius [D]agoberto filio auxilium [f]ert.

[S]axones à Frãcis deuicti, & vectigales facti.

niæ,quum eſſent ab illis quoque armis & viribus ſuperati.

STABAT hoc in rerum ſtatu Saxonia non diu: nam eodem regnante Francis Dagoberto, Wandali (quos nonnulli corrupto vocabulo Winulos dixere) quum adhuc vicinam tenerent prouinciam, quæ nunc terra Brunſwickcēſis eſt cum vicinis ecclesiarum prædiis,diſſimulantibus(neſcio ſi etiam ad eam rem inuitantibus)Saxonibus, vt per occaſionem excuterent iugum Francorum, irrupere in Turingiam, tum Francis parentem. Gens erat viribus non contemnenda:exemplum ſequuta congentilium ſuorum,qui ſæpe tranſito Rheno res magnas peregerunt:quod in Wandalia noſtra explicuimus. Sed tum Saxones miſſo ad Dagobertum Francorum regem nuncio,cum illo egerant,vt ſi armis ſuis pellerent Winulos (gentem Wandalorum) de Francorū prouincia,tributo liberi,& amici regis in reliquū tempus ſcriberentur. Accepere conditionem Franci: Saxonéſq; cōtractis ad eam rem armis, pro arbitrio ſponſionē impleuerūt, ſiue aperta vi,ſiue per pactionē res ageretur. Obſcurum enim permāſit qua via fieret,q̧ nulli tum in Saxonia ſcriptores haberentur,& in Francia gloriæ gentis inuideretur: nemo dignatur rem ſatis explicare. Sed tum Francis per Saxones reddita eſt ſua Turingia, & in reliquum iidem Saxones non tributarij, ſed Francis fœderati habebantur. Quo tempore in Francia templum ſanctis martyribus Dionyſio & ſociis extructum, à Chriſto (vt ferunt) eſt conſecratum, prodente homine leproſo, qui intus pernoctabat, obtēta ab æditui venia: & in argumentum veritatis, mundatum ſe cunctorum oculis ingerebat,qui noſcebatur paſſim à multis proximo veſpere leproſus. Hac etiam tempeſtate inſtitutum eſt ius publicarum ſub diuo nundinarum inter Pariſium & ſancti Dionifij oppidum in Francia,quod peragitur in agris, in tota Francia celebre, quod Lenditum vulgus appellat, ab edicto (vt eſt veriſimile) detorto vocabulo. Per hæc tempora rex Anglorum Saxonum ex Anglia, nomine Cedoaldus,qui multis bellis fortiſſimè in patria dimicauit,ad Chriſtum conuerſus eſt:& tendens Romam venit ad Chunipertum regem Longobardorum, qui filiam eius tenebat vxorem: à quo cum magno honore ſuſceptus,Romam perducitur,& à beato Sergio papa baptizatus,Petrus eſt nominatus: quumque adhuc in albis eſſet, Romæ moritur,& in eccleſia ſancti Petri ſepelitur. Iam enim paulatim Anglia tota cum omni gente ſua ad pœnitentiam conuerſa, credidit Chriſto.

CA. 32.

Saxones libertati ſuæ reſtituti.

Lenditū Sendionyſiana nundinæ.

ASSIDVVM deinde bellum Saxonibus inceſſit de Turingia Francorum prouincia:in cuius finibus iam,quia Saxones nonnihil iuris elaborando quæſierant, quotidiana de terminis quæſtio erat. Sed & Francis Chriſtianis principibus odioſum erat Saxonum nomen,quòd adhuc gentili ſorderent errore. Quocirca Karolus Martellus, Pipini Breuis filius,aulæ præfectus,qui maior etiam domus dicebatur, non diſſimilis poteſtate illi, qui olim Romano florente imperio, præfectus prætorio diceretur: pro qua dignitate mira inter Francos proceres fuit contentio. Sed tamen Martellus variè à fortuna iactatus,quum carcere nouercæ elapſus eſſet,ad eam dignitatem peruenit, vt regnum omne ſub illo adminiſtraretur. Iam enim reges partim ob puerilem ætatem, partim ob ſocordiam,regni gubernacula permiſere Maiori domus: ipſi velut idola domi ſedebāt,ſemel in anno populis ſe exhibuere viſendos, reliquos dies in ocio & voluptatibus triuere: vt olim Perſarum reges,qui nuſquam ſe præbuere conſpiciendos, ſed per amantiſſimos ſui ſolùm adibantur,conſulti de rebus gerendis. Qui ſtatus ſemper fuit perditioni proximus. Sic enim periere Perſarum reges: ſic & Francorum regnum in alios per ſimilem ſocordiam eſt tranſlatum: &(ſi verum fateri licet) ſic periit Romanum imperium: quòd quandiu principes rem gerebant, omnia proſperè ſucceſſere: quorū erat nouiſſimus Magnus Theodoſius. Poſt cuius interitum, quia principes ipſi per ſe rē agere detrectabant, ducibus permiſere. Sub quibus primùm declinauit, donec in eam concederet vmbram,in qua vix cernitur hodie. Sed tum Francorum res adminiſtrabat Martellus, vir illi ſeculo fœliciſſimus: qui niſi illi ſeculo cōtigiſſet,actum eſſet de vniuerſis Galliis: quas tunc infeſtas fecere de proximis Hiſpaniis,quas occupauere numeroſiſſimi Saraceni. Sed Martellus ſuo nomini reſpondens, vbique malleus hoſtium, vbique propugnator ſuorum, Aquitania & Vaſconia primùm, inde etiam Romana prouincia expulit Saracenos,mira virtute & incredibili fœlicitate vbique victor. Qui pacatis in occidente rebus, quum Saracenos ſuis & Romanis prouinciis expuliſſet, conuerſus in

CA. 33.

Francorū reges rerum adminiſtrationi parū intenti.

Martellus Saracenos deuicit, & Saxonibus bellum intulit.

alterum latiſſimæ ditionis angulum, etiam illum purgare ſordibus conſtituit. Saxones erant ea tempeſtate dæmonicolæ, & qui Chriſtianam religionem aſpernarentur. In eos conuerſus Martellus, bellum inſtituit, & bellum inchoauit, quod demum nepos eius ex filio Karolus Magnus peregit. Tantæ molis erat Saxonicam gentem patrijs ritibus auertere: Magno tamen tum bello preſſi Saxones & exhauſti, Karolo quidem Martello manus dedere, componentes cum illo per qualeſcunq; conditiones: ſed leges Chriſtianas accipere necdum conſenſerunt. Et is quidem vir incomparabilis, vbi poſt mirifica quæ vbiq; victorioſè peregit opera, iam ætate feſſus, priuſquam vita excederet, filiis Karlomanno atque Pipino ditionem diſtribuit: de rege nihil penſi faciens. Nam armis quæſitam dignitatem filiis relinquere diſponens hæreditariam, viuens inter filios ita partitur, vt Karlomanno Auſtraſiam, Franciam & Turingiam, Pipino verò Gallias permitteret. Vbi tamen maior rerum moles incumberet, iunctis viribus fratres vnum iuſſit ſentire. Ita communem fratrem Griphonem bella Germanis intentantem, quòd pater illum teſtamento videbatur præteriſſe, capiunt, & honeſta liberaq; cuſtodia curãt aſſeruari: ipſi iunctis armis in Alemannos iuga detrectantes duxere. Aquitaniã duce Hunoldo rebellantem redegere in quietem: Odilonem Baioariæ ducem iam rebus nouis ſtudentem præueniunt. Inter hæc Saxones quoq; ſe commouerant, non ſatis propalata tumultuationis cauſa. Vna in propatulo fuit, quòd nomini Chriſtiano infeſtiſsimi, erant idololatræ. Quam rem fidelis & religioſus princeps Karlomannus animo execratus, in eos duxit exercitum: & eos quidem tum perdomuit, vt legibus ſeculi parerent ad æquabilitatem: ſed Chriſti religionẽ neq; verbis ſuadere neq; armis inducere poterat. Deinde autem vir cordatiſsimus, & quem ſeculi pœniteret, iamdudũ omiſſa regni adminiſtratione, fratriq; Pipino permiſſa, Romam proficiſcitur: ibiq; aliquandiu verſatus, in monte Soracte (qui Syluestri dicitur) monaſterium diui Benedicti ſub regula ſuis expenſis erexit, ſeq; inibi monachum fecit. Sed frequentatione viſitantium de Francia nobilium malè affectus, eo relicto loco ad montem Caſsinum (quem ſanctus quondam pater Benedictus incoluit) adiit, ibiq; Domino ſeruiebat.

Martellus filiis regnum diuidit.

Saxones ad Christum adduci nulla ratione possunt.

CA. 34. GRIPHO Pipini frater, iam altero demigrante, ſperans in partem adminiſtrationis ſummo iure deuocari: vbi ſpe ſua fruſtraretur, ad Saxones perpetuos Francorum hoſtes confugit. Ibi collecto iuſto exercitu, aduenienti Pipino occurrere ad Onacram amnem, loco quem Horemum incolæ vocant, non dubitauit. Pipinus autem ad fluuiũ Miſaham in vico Strahungo caſtra fecit. Nullo tamen prælio commiſſo in colloquium venere fratres: ſed tum infecta re inuicem diſceſſere. Gripho quidem Saxonũ idololatricæ gentis pręſidio nõ ſatis fidens, in Baioariam ſe recepit. Ibi conciliatis qualitercunq; proceribus, Taſſilonem hoſpitem ſuum ducatu proturbat. Ea re cognita Pipinus cum magnis copiis in Griphonem progreſſus, Taſſilonem reſtituit: Griphonem autem in eius poteſtatem venientem, in Galliis donat non parua ditione, vt magnorum ducum par, etiam maior videri poſſit. Ea tamen re minimè cõtentus, ad ducem Aquitaniæ Gaifirum iam Francis inimicantem defecit. Quo tempore regni Francię proceres regis ſui Hilderici perſpecta ignauia, & quòd nullis rebus idoneus videretur, ſolenni legatione apud ſummum pontificem Zachariam peregerunt, vt regnum Hilderico abrogatum, Pipino & ſucceſſoribus illius in perpetuum proueniret. Oratores fuere Burchardus Bituricenſis archiepiſcopus, & Furadus, quem alij abbatem, alij ſacerdotem ſcribunt. Ita regnum Pipino prouenit, & in eius ſucceſſione diu permanſit. Quam ideo rem in commemorationem adducimus, quòd proximè de Karolo Magno, Germaniæ & Galliarũ principe, multa ſcripturi, teneamus quo ordine in lineam ſui generis regalis principatus aduenerit. Iuuat inter hæc intueri, quibus ſe inuicem obſequiis extulerunt domus Franciæ, & ſummus Pontifex: nam Franci detulerunt Pontifici arbitrium declarandi regis: quaſi is ſit per quem reges regnant, qui pridem in vrbe conſiſtere vix potuit, quo minus arbitrio Conſtantinopolitanorum Imperatorum aut captus aut relegatus abiret. Viciſſim Romana ſedes hoc præſtitit beneficium domui Pipini, vt regium nomen haberet: & deinde Karolum ad imperiale culmen prouexit. Non paruæ cauſæ durantis etiam hodie fœderis inter Romanum pontificem, & Franciæ reges, dicente Scriptura, Qui me glorificant, ego exaltabo. Ad Pipinum reuertamur. Prima huius regis poſt ſuſceptã coronã opera fuit, arma in perfidos Chriſto Saxones vertere. Magno igitur in eos apparatu ducens,

Franci ex papæ autoritate regem ſuũ regia dignitate ſpoliant.

Francorũ reges & papa ſe mutuo ornãt.

ducens,bellum eis intulit grauiſſimum:ſed ea fuit gentis moles,vt non ſtatim ad mutãdam religionem poſſet armis cogi. Ea igitur expeditio fruſtra fuit. Quum autem vndique nouo regi & fauor & vires increuiſſent(nam ſolennes ab Imperatore Conſtantinopolitano nuncios cum muneribus accepit) Baioariæ dux Taſſilo regem adiens, imperata ſe facturum pollicetur. Quum igitur in Saxoniam maiori apparatu ducere conſtituiſſet,audit Saxones omnes aditus cõmuniſſe. Sed ille vi perfregit, & in hoſtico ſolo pugnaturus conſtitit: occurrentes & iuſta acie decertãtes vicit:impoſito tributo(id erat trecentorum per ſingulos annos caballorum)ad tempus Parliamenti ſoluendo dimiſit. *Parliamentũ.*

LIBRI PRIMI FINIS.

ALBERTI KRANTZII
SAXONIÆ LIB. II.

A MAGNO Karolo non abre nouo ordimur principio,quòd ille Saxoniæ ſalutem inuexit, cum religione Chriſti, maiorem prouinciæ inducens ciuilitatem. Libet claram & religioſam Magni huius Karoli originem & lineam generis percenſere,à ſancto Nodoaldo Treuerorum archiepiſcopo ſumpto principio. Is magnæ vir nobilitatis princeps ex Palatio rapitur ad Eccleſiam, clareſcens multis per ſanctitatẽ miraculis. Sororem alteram Seueram cõſecrauit Chriſto monialem, aliam Ittam clariſſimo duci Pipino dedit coniugem:ex qua naſcũtur Grimoaldus princeps, Gertrudis diua monialis, & Begga nupta principi Amſigiſo, ſancti Arnulphi ex Maiore domus Metenſis epiſcopi filio.Itta peperit Pipino Karolum magnum cum fratre.Igitur Pipino rege facto de medio,ad filios eius Karolum & Karlomãnum omnis pa terræ ditio peruenit.Karolus Wormaciæ,Karlomãnus Sueſſione regni coronam accepere. Parebat Francis iamdiu Auſtraſia(ea eſt Metenſis prouincia: nam quæ nunc Auſtria dicitur,tunc Norica,diu pòſt ſortita eſt Auſtriæ vocabulum) parebat Suæuia, Baioria,& quæ prima Francis nomen dedit,Francia Germaniæ,nunc per iniuriam appellata Franconia:quum verum illi nomen Galli abſtulerint. Seruant tamen nonnulli ſcriptores illi prouinciæ ſuum nomen & honorem, vt Franciam vocent orientalem. Sed hoc vix patiuntur Galli,pro ſolita genti elatione,indignati(ſi diis placet)quòd Germanos patres & regni ſui fundatores iubeantur agnoſcere.Et quoniam Karlomannus breui conceſſit in fata,relictis paruulis,quos vxor eius vidua ad Deſiderium Longobardorum regem in Italiam deferebat,omne regnum in Karoli ditionem conceſſit.Quem,quia Germaniæ & Galliis pariter regnaſſe comperimus,& Saxoniæ ſcimus iura Chriſtianæ religionis inuexiſſe,iure optimo etiam regem noſtrum Saxones conſalutamus: præcipuè quia Germanis ſupra omnes reges Franciæ deditiſſimum accepimus,lingua eorum crebrius vſum,& moribus vixiſſe.comperimus.Monſtrant hodie in Francia Germaniç locum natiuitatis eius,& celebri memoria conſeruant: maiori niſu præclara eius facinora in hac Saxonum hiſtoria pro viribus attollemus.Prima eius regis gloria,Romanam Eccleſiam tyrannide Longobardorum preſſam in libertatem vendicare,& multis prædiis ex victoria amplificare. Tribuunt nonnulli Conſtantino magnam illam donationem Italiæ & Germaniæ & neſcio quarum prouinciarum,Eccleſiæ Romanæ factam,de qua ipſi viderint. Karolus erat qui ex victoria Longobardorum Romanam Eccleſiam ditauit,quum pridem aliquanta & Gothi per ſua tempora,& deinde Longobardi reges nonnulla contuliſſent: inque multa dominio vacantia Eccleſia introiuit, eius iure præmunita,cuius eſt omnis terra & plenitudo eius.Sed hæc aliàs.Tametſi pater Pipinus geminaIn Italiam expeditione operoſa multa pro Eccleſia fecerit, tamen rerum inſtabilitas humanarum non longæuam fecit pacem ab illo compoſitam: ſimul quòd Longobardi niſi omnibus viribus deſtituti quieſcere non videbantur. Audiuit rex oratores

CAP. I.

Caroli magni genus.

Franconia in Germania, Francia orientalis.

Conſtantini donatio fabuloſa.

ſummi pontificis Hadriani,& cum conſilio ſuorum conſolatione plenos dimiſit,venturum ſe cum expeditione militari in Italiam,viſurúmque pro viribus ſi poſſit hoſtes Eccleſiæ ab illius ceruicibus ſubmouere. Nec ſegnius arma parauit, exercitus conſcripſit, commeatus prouidit, regni ſui negotiis magnæ authoritatis viros præpoſuit. Vbi omnia ex ſententia conſtitere,mouit in Italiam:& magnis conatibus ſubuerſo regno,Longobardorum regem captum in Franciam adduxit. Quam rem quia plenius in Dania (vbi ad Longobardorum geſta deſcēdimus) ſumus exequuti, nunc breuiter attactam relinquimus, eò mittentes lectorem.

CAP. 2. SAXONICVM verò bellum à memoria Karoli Martelli aui ſui nunquam diu fuit intermiſſum: & in eo aliquid per Karoli duces (ipſo aliis implicito) eſt attentatum, dum ille vel in Aquitania Hunoldo rebellanti occurreret, & Lupum Vaſconiæ ducem, ad quem Hunoldus confugerat,deterreret, vt non ſolùm perfugam Hunoldum, ſed ipſum quoque ſe Lupus Karoli permitteret poteſtati. Quandiu etiam ille in Italia bellum ageret Longobardicum,duces eius Saxonibus ſunt colluctati. Illo autem abſoluto, reuerſus in Franciam, totis ſe viribus animi & rerum conuertit ad Saxonicum bellum peragendum:quo neque prolixius neque atrocius vllum vnquam geſſit: quia Saxones (ſicut omnes fere Germaniæ nationes)natura feroces, & idolorum cultui dediti, ab eo quod ſemel apprehenderant, nulla poterant vi dimoueri. Suſceptum eſt igitur aduerſus eos bellum magna vtrinque animoſitate: maiori tamen Saxonum damno, per continuos triginta annos gerebatur.Poterat quidem citius finiri (ait Euardus Karoli ſcriba) ſi in ſententia vna ſemper aut diu permanſiſſent. Dictu difficile eſt quoties ſuperati regi manus dederunt,imperata facturos polliciti,obſides qui imperabantur, abſque dilatione dederunt,legatos qui mittebantur ſuſceperunt. Aliquoties ita edomiti & emolliti,vt etiam cultum dæmonum dimittere,& Chriſti fidem ſuſcipere pollicerentur: ſed ſicut aliquando proni ad ea pollicenda videbantur, ita mutato poſtmodum decreto, ad abiicienda videbantur præcipites. Anno regni ſui ſexto Karolus Saxones aut religioni ſubiicere, aut omnino de terra delere conſtituit. Ingreſſus prouinciam, arcem eiuſdem munitiſſimam Siborch cœpit:Eresborch à Saxonibus euerſum præſidium muniuit,& in eo ſuorum validam manum collocauit: & multa ſtrage peracta, obſides accipiens,eſt in regnum reuerſus. Anno qui proximus erat, ingreſſo iterum rege in prouinciam Saxonum, multos iuſſit baptizari: & iam rebus confirmatioribus in regnum redibat. Poſt duos iterum annos Padeburnam veniens, omnem regionis nobilitatem iuſſit conuenire.Sed Wedekindus omnium primarius dux,egreſſus de terra, ad regem Danorum Sigefridum confugit. Quum autem inde Karolus in Hiſpaniam conuerſus magno inibi bello implicaretur,Saxones duce quem diximus, apud Tuitium Rhenum tranſgreſſi,vſque ad Moſellam omnia igni ferróque peruaſtabant. Rex per literas exciuit duces de prouincia Germaniæ, hoc eſt Suæuos, Francos, Bauaros, Turingos: qui congreſſi magnam in Saxones ſtragem peregerunt. Ipſe verò Hiſpanico bello peracto, iterum copias traiicit in Saxoniam per Rhenum & Lupiam amnes, totam quæ nunc Weſtphalia eſt peruagatus,rebelles ſubegit,fugauitque contumaces: vt Viſurgo (nunc Weſera) tranſmiſſo,ſedes ſibi facerent inter Wandalos, antiquis pulſis habitatoribus. Ex quo tempore cœpta eſt habitari à Saxonibus prouincia trans Viſurgum (quæ nunc eſt terra Brunſwickcenſis cum conterminis) vt fieret exinde diſcrimen Saxonum oriētalium & occiduorum,qui vltra & citra Viſurgum habitant. Vnde eſt etiam nata illa diſtinctio in vna natione,Oſtphalorum,qui vltra, & Weſtphalorum, qui citra Viſurgum incolunt. Nam Saxonum principes pro inſigni armorum in militaribus ſignis pullum equinum habuere:atrum ante baptiſmum,poſt verò candidum.Inde Oſtphali ac Weſtphali.Nam equinum pullum Saxones ſua lingua dixere *Valen.* Hoc autem nomen in orientalibus euanuit, & permanſit appellatio generalis Saxoniæ, quòd terra illa nouis principibus ſæpe paruit. Nam à temporibus Henrici Leonis ducatus eſt ortus Brunſwickcenſis,poſtea & ille ſciſſus in aliquot principatus: quod ſuo tempore commemorabimus.In occidua verò prouincia mãſit appellatio Weſtphalorum, hoc eſt occiduorum,qui equinum pullum prætulerunt.Eò tamen deuentum eſt, vt ea gens iam ſe Saxonicam appellari non patiatur:probro ducens ſi quis ex Weſtphalis hominē appellare cōtendat Saxonē.Hoc autē ſuperbiç genus vnde proceſſerit nō ſatis intelligo,pręſertim quum

Saxones ad religionem armis compellit Carolus.

Saxones è patria exacti, aliam regionē incolunt.

Vveſtphali Saxones ſunt occidentales.

quum rebus geſtis ità claruerint orientales Saxones, vt Imperatoriam dignitatẽ, quam meruerunt, diutiſſimè in ſua domo fouentes habuerint, & fortiſſimis ſemper viris pares (ſi non ſuperiores) extiterint. Sed priuſquam ad alia tranſeamus, operæprecium eſt illuſtriſſ. regis Karoli Magni optimè de nobis meriti præclara facinora ordine intueri.

Cap. 3. An. 769.

Annus erat à Chriſto nato poſt ſeptingenteſimũ ſexageſimus nonus, quum mortuo (vt diximus) Pipino patre, Karolus & Karlomannus eius filij omnium conſenſu procerum, regni gubernacula ſubeunt: non aliter partientes quam pater & patruus. Nam patri Pipino ſucceſſit in ditione ſua maior natu Karolus, Karlomanno autem patruo Karlomannus. Erant qui præter natiuam inter fratres æmulationem, de regni ſocietate excitare contenderent ſimultates: ſed ea fuere modeſtia fratres, vt arma in ſe non ſumerent, etſi haberent qui aſſiduè ſtimularent. Mors autem Karlomanni breui ſequuta, ſatis pandebat vnde eſſent ſtimuli ſimultatum. Nam relicta eius fugiens Karolum, vel quòd malè ſibi eſſet conſcia, vel vt Karolo bellum excitaret, contendit in Italiam ad Deſyderium Longobardorum regem cum filiis & paucis ex proceribus: Karolus autem omne regnum ex illo die ſolus adminiſtrabat. Omnium autem bellorum quæ geſſit, primum fuit Aquitanicum, à patre inchoatum, nõ finitum: quia citò peragi poſſe videbatur, fratre adhuc viuo, & auxilium ferre rogato. Et licet frater malis quibuſdam machinãribus fruſtraſſet auxilio promiſſo, ſuſceptam expeditionem ſtrenuiſſimè exequutus, non prius deſtitit, quàm hoc quod perficere moliebatur, efficeret. Nam & Hunoldum qui poſt mortem Waifredi Aquitaniam occupauit, bellumq́; iam pene peractum reparare tentauit, Aquitaniam relinquere, & in Vaſconiam fugere coegit. Quẽ tamen ne ibi conſiſtere ſuſtinens, tranſmiſſo Garumna amne, Lupo Vaſconiæ duci mandat, vt perfugam reddat: quod ni ſtatim faciat, bello expoſtulaturum. Sed Lupus ſaniori vſus conſilio, non ſolùm Hunoldum reddidit, ſed etiam ſe cum prouincia, cui præerat, eius poteſtati permiſit. Quo bello finito, rogatu & precibus Hadriani pontificis Romani, inſolentiam Deſyderij Longobardorum regis ferre nõ valentis, bellum in eam gentem ſuſcepit: copiaſq́; quas in Italiam duxerat diuidens, vnam partem cum Bernardo patruo per montem Iouis ire præcepit: alteram ipſe ducens per montem Ciniſium venit in prouinciam: nec prius deſtitit, quàm Deſyderium regem longa obſidione in Papia fatigatum, in ditionem acciperet, & perpetuo exilio deportaret: filium verò eius Adalgiſum, in quo omnis ſpes ſtare videbatur, nõ ſolùm regno ſed etiam Italia abire cõpelleret, omnia Romanis ablata reſtitueret, Rodogiſum Foroiulianum ducem noua molientem opprimeret, totamque Italiam ſuæ ditioni ſubiugaret, ſubactæq́; filium ſuum Pipinum regem præponeret.

Fratrum gratia rata.

Caroli Magni bella.

Aquitanic.

Longobardicum.

Cap. 4.

Post cuius belli finem, Saxonicum, quod à patre quoque geſtum, diu erat intermiſſum, repetiuit: quo nullum neque prolixius neque atrocius, Francorumque populo laborioſius ſuſceptum eſt. Dictu difficile eſt quoties ſuperati ac ſupplices ſe dediderunt, imperata facturos polliciti: obſides qui imperabantur, abſque dilatione dederũt, legatos qui mittebantur ſuſceperunt: aliquoties ita edomiti & emolliti, vt etiam cultum dæmonum dimittere, & Chriſtianæ religioni ſe ſubdere pollicerentur. Regis autem magnanimitas, aut per ſe, aut per comites ſuos, miſſo exercitu, perfidiam illorum ſemper vlciſcebatur: donec omnibus qui reſiſtere volebant profligatis, decem hominum millia ex iis qui vtraſque Albis ripas incoluere, cum vxoribus & paruulis ſublatos tranſtulit, & per Galliam atque Germaniam multimoda diuiſione diſtribuit. Eaq́; conditione bellum per tot annos tractum eſſe conſtat finitum, vt abiecto dæmonum cultu, Chriſtianæ religionis ſacramenta ſuſciperent. Hoc autem bellum licet tamdiu protraheretur, ipſe tamen rex non amplius quam bis acie conflixit cum hoſte: ſemel iuxta montem qui Aſneggi dicitur, in loco Thietmelle nominato. Ita ſcribũt Galli, proprietatem linguę noſtræ non tenentes. Ego montem accipio, in quo à memoria Karoli erecta eſt capella Diuini auxilij nominata, hoc referens poſteris, quòd propter cœleſte præſidium in eo loco miſſum, memoria ibi magni miraculi cõſecrata eſt. Laici vocant montem Sancti adiutorij. Altera autem vice iuxta Haſam fluuium, & hoc vno menſe, paucis interpoſitis diebus. Sed his duobus præliis ita confractæ vires Saxonum feruntur, vt vltra regem neque prouocare, neque venienti reſiſtere, niſi aliqua loci munitione defenſi auderent. Plures tamen eo bello & ſummi viri, & maximis functi honoribus,

Saxonicum.

Saxones Christiani facti.

tam ex Francis quàm Saxonibus, perierunt. Monſtrant incolæ locum caſtrorum ad Haſam. Tandem anno XXXIII. finitum eſt bellum. Tempora ſuis locis ſignabimus. Hiſpaniam autem pacatam reliquit poſt edomitos Aquitanos & Vaſcones. Nam Britones imperata facere adegit, quum miſſis oratoribus pacem orarent. Ipſe poſtea cum exercitu Italiam ingreſſus, ac per Romam iter agens, Capuam Campaniæ vrbem petiuit: ibique poſitis caſtris bellum Beneuentanis, ni dederentur, comminatus eſt. Præuenit hoc dux gentis Agariſus, filios ſuos Rimoldum & Grimoldum cum magna pecunia regi placando mittit obuiam, rogans vt illos obſides accipiat, ſeque cum ſua gente facturum imperata: erant autem Longobardi. Permiſit roganti principatum, & minore filio pro obſide retento, maiorem remiſit: legatóſque ad ſacramenta fidelitatis à Beneuentanis exigenda cum Agariſo dimittens, ipſe Romam redit: conſumptiſque ibi in veneratione ſanctorum aliquot diebus, in Galliam reuertitur.

Beneuentanũ bellum.

CAP. 5. BAVARICVM deinde bellum & repente ortum, & celeri fine completum eſt. Baioarios dixere veteres, nos Bauaros. Hoc bellum ſuperbia ſimul & excordia Taſſilonis ducis excitauit: qui hortatu vxoris (quæ filia erat Deſiderij regis, patris exilium per maritum vlciſci poſſe putabat) inito fœdere cum Hunis, qui Bauaris tum erant contermini, bello Karolum pertentabat. Cuius contumaciam, quia nimia videbatur, regis animoſitas ferre nequiuit: ac proinde contractis vndique copiis, Bauariam petiturus, ad Leccam amnem peruenit, qui Bauaros Alemannóſque dirimit: cuius in ripa caſtris collocatis, priuſquam prouinciam intraret, animum ducis ſtatuit pertentare. Sed ille pertinaciter agere nec ſibi nec genti vtile ratus, regi ſe ſupplex permiſit: obſides qui imperabantur dedit, inter quos & filium ſuum Theodonem: data inſuper fide cum iuramento, quòd ab illius poteſtate nemini ſuadenti defectionem conſentiret. Sic bello, quod quaſi maximum videbatur futurum, celerrimus finis eſt impoſitus. Taſſilo tamẽ poſtea euocatus ad regem, neque redire permiſſus eſt, neque prouinciæ quam tenebat vlterius principari: comitibus eſt commiſſa. Nam quum Taſſilo reus læſæ maieſtatis iudicatus, capite damnaretur, regis clementia vita illi conceſſa eſt, tonſoratúſque cum filio in monachum. His motibus ita compoſitis, Wandalis, qui Gallorum conſuetudine Wilſi, ſua verò lingua Weletabi dicuntur, bellum eſt illatum (in quo & Saxones, velut auxiliares, inter cæteras nationes qualicunque deuotione militabant regi) vnáque expeditione iidem Wandali ita ſunt domiti, vt vlterius iuſſis regiis non contradicerent.

Bauaricum.

Monachiſmus deportationis genus.

Wandalicum bellum.

CAP. 6. MAXIMVM omnium quæ à Karolo geſta ſunt bellorum, præter Saxonicum, huic ſucceſſit, quod cõtra Auares ſiue Hunos, geſtum eſt, quod rex & animoſius quàm cætera, & longè maiori apparatu adminiſtrauit. Vnã tamen per ſe in Pannoniam (nam illam prouinciam ea gens incolebat) expeditionem fecit: cætera Pipino filio ac præfectis prouinciarum, comitibus & legatis perficienda commiſit. Quæ quum ab his ſtrenuiſſimè fuiſſent impleta, octauo tandem anno idem bellum conſummatum eſt. Quot prælia in eo geſta ſunt, quantúmque ſanguinis effuſum, teſtatur Pannonia omni tum pene habitatore vacuata, & locus in quo regia Cacani erat, ita deſertus, vt veſtigiũ quidem humanæ habitationis nullum appareat. Tota hoc bello Hunorum nobilitas periit, tota gloria gentis decidit, omnis pecunia, & congeſta per tot annos ſuppellex, & omnes theſauri erepti ſunt. Nec vllum bellum exortum eſt in Francos ab hominum memoria, quo ſint illi magis locupletati, quippe quum in id tempus Franci pene pauperes viderentur. Tantum auri & argenti in regia repertum, tot ſpolia precioſa ex prouinciis congeſta, vt meritò credi poſſit, Francos ſummo iure Hunis abſtuliſſe, quod prouinciarum damno per ſummam iniuriam congeſſerunt. Terra quidem Hunorum (vt antiquorum memoria concelebrat) nouem circulis, quos Theutonici Haga dicunt, cingebatur: quorum ſinguli ita quercinis roboribus, ſiue faginis, ſiue abiegnis, erant extructi, vt de margine ad marginem viginti pedum ſpacium redderetur in latum, & totidem ſubigerentur in altum. Concauitas autem vniuerſa aut duriſſimis lapidibus, aut creta tenaciſſima replebatur. Porro ſuperficies vallorum eorundem integerrimis ceſpitibus tegebatur: inter quorum confinia plantabantur arbuſculæ, quæ (vt cernere ſolemus) abſciſſæ atque proiectæ, comas caudicum foliorumque proferunt. De primo autẽ circulo ad ſecundum viginti millia paſſuum Theutonica protendebantur, & inde ſimiliter ad

Auaricum, ſiue Hunicum.

Hunorum regio munitiſſima.

ter ad tertium, & ita deinceps vſque ad nonum: quanuis ipſi circuli alius alio multo fierent contractiores, in orbem redeuntes. Inter hos igitur aggeres ita vici villæque erant collocati, vt de aliis ad alias humana vox poſſet exaudiri. Contra eadem ædificia inter inexpugnabiles muros, portæ non ſatis latæ, per quas latrocinandi gratia non ſolùm exteriores, ſed etiam interiores ſolebant exire. De circulo quoque ad circulum ſic erant poſſeſſiones & habitacula quaquauerſum ordinata, vt clãgor tubarum inter ſingula cuiuſlibet rei ſignificatiuus poſſet aduerti. Ad has ergo munitiones per ducentos & amplius annos qualeſcunque omnium occidentalium opes congregantes, quum Gothi & Wandali quietem hominum perturbarent, orbem occiduum pene vacuum dimiſerunt. Quos inuictiſſimus rex Karolus ita perdomuit, vt de eis ne minimæ quidem reliquiæ permanerent. A vulgaribus, quibus pepercit, ideo manum retraxit, quia nobilitate extincta, Francorum regno minimè nocituri viderentur. Porro prædam in Pannonia repertam per epiſcopia & monaſteria largiſſimè diſtribuit. Duo tantùm è proceribus Francorum eo bello perierũt: Henricus dux Foroiulianus in Liburnia, iuxta Tarſicam maritimam ciuitatem inſidiis oppidanorum interceptus, & Geroldus Baioariæ præfectus in Pannonia, dum contra Hunos præliaturus aciem inſtrueret (incertum à quo) cum duobus tantùm, qui eum obequitantem ac ſingulos cohortantem comitabantur, interfectus eſt. Cæterùm incruentum pene Francis hoc bellum fuit, & proſperrimum exitum habuit. Bohœmicum quoque & Liburnicum, quæ poſtea exorta ſunt, durare non potuerunt: quorum vtrunque ductu Karoli iunioris celeri fine completum eſt. Vltimum contra Normannos (qui Dani vocantur) primò piraticam exercentes, deinde maiori claſſe littora Galliæ atque Germaniæ vaſtantes, bellum eſt ſuſceptum: quorum rex Gotfridus adeo inflatus vana ſpe erat, vt ſibi totius Germaniæ promitteret poteſtatem: Phriſiam quoque atque Saxoniam haud aliter ac ſuas prouincias æſtimabat. Iam vicinos Obotritos in ſuam ditionem redegerat, iam ſibi vectigales fecerat: iactabat enim ſe breui Aquiſgranum (vbi regis comitatus erat) cum maximis copiis aduenturum. Nec dictis eius, quamuis vaniſſimis, omnino fides aberat: quin potius tale aliquid inchoaturus, niſi feſtinata eſſet morte præuentus, putabatur. Nam dum ea moliretur, à proprio ſatellite, ſiue (vt quidam verius exiſtimant) à proprio filio, cuius matrem repudiauerat, & aliam duxerat, interfectus, finem rebus fecit. Hæc ſunt bella quæ rex potentiſsimus per annos XLVI. (tot enim annis regnauit) in diuerſis orbis partibus ſumma prudentia ac fœlicitate geſsit: quibus Francorum regnum, quod à patre Pipino magnum quidem & forte ſuſcepit, ita inſigniter amplificauit, vt pene duplo maius fecerit.

Eccleſiarum opes ex hoſtiũ præda.

Bohœmicum bellum, Liburnicum & Normannicum.

CAP. 7.

QVI quum tantus in ampliando regno & ſubigendis exteris nationibus eſſet, & in huiuſmodi exercitationibus quotidie verſaretur, opera tamen plurima ad regni decorem diuerſis in locis inchoauit, & in non paucis terminauit. Inter quæ præcipua non immeritò videri poſſunt baſilica Dei genitricis Aquiſgrani, opere mirabili conſtructa: & pons apud Moguntiam in Rheno, quingentorum paſſuum longitudinis: nam tanta eſt ibi fluminis latitudo. Qui tamen vno anno ante regis mortem incendio conflagrauit, nec refici potuit propter feſtinatum eius exceſſum: quanquam in ea meditatione eſſet, vt pro ligneo lapideum reſtitueret. Inchoauit & palatia operis egregij: Vnum haud longè à Moguntia, ad villam Ingelheym: alterum Nouimagio ſuper fluuium Wahalẽ, nunc Walam ſeu Waalim vocant. Pręcipuè tamẽ ædes ſacras vbicunq; in toto regno ſuo vetuſtate collapſas comperit, pontificibus & abbatibus, ad quorum curam pertinebant, vt reſtaurarentur imperauit, adhibita cura per legatos, vt imperata perficerent. Talem eum in ampliando & tuendo & ſimul ornando regno fuiſſe conſtat. Ad domeſticam curam eius veniamus. Matrem ſumma pietate coluit, liberos vtriuſq; ſexus literis erudiri curauit, Pipini filij filium Bernhardum, ac quinque ab eo relictas filias, inter ſuas educauit. Nullam nuptui tradidit quoad viueret, dicens ſe ſuorum domeſtico contubernio carere non poſſe. Vnde factum eſt vt fœliciſſimi Imperatoris Octauiani fortunam æquè fortunatus rex experiretur, fuſcatam eſſe domũ incontinentia quorundam: ſed ille prudenter omnia diſſimulauit. Erat ei filius ex concubina Pipinus, facie liberali, ſed gibbo difformis. Is quum pater Hunico bello teneretur implicitus, coniurationem iniit aduerſus parẽtem cum quibuſdam ex Francia primoribus, qui vanam

Caroli opera publica.

Opera domeſtica.

Nonnullorum in illum coniurationes.

illi ſpem regni fecerant. Sed coniuratione detecta damnantur conſcij, Pipinus volens tonſoratur, & in monaſteriũ Prunna concluditur. Erat & alia in ipſum coniuratio prius in Germania: cuius conſilij participes alij oculis orbati, alij exilio proſcripti, nemo ex his necatus, niſi tres, qui ne caperentur, ſe gladio defenderunt: & occiſis antè aliquot miniſtris, ipſi quoque perempti ſunt. Eas verò conſpirationes quamplurimum peperit Faſtradæ reginæ ſuperbia & impotens dominatio, quæ regem natura manſuetũ eò prouexit, vt aliquando fieret per eam odibilis. Corpore fuit amplo atque robuſto, ſtatura eminenti, quæ tamen non excederet: nam ſeptem ſuorum pedum proceritatem eius cõſtat habuiſſe menſuram. Apice capitis rotundo, oculis prægrandibus & vegetis, naſo paulum mediocritatem excedente, canicie pulchra, facie læta & hilari: vnde formę authoritas ac dignitas tam ſtanti quàm ſedenti plurimum congruebat. Ceruix quamuis obeſa & breuior, venterque videretur proiectior, tamen hoc cæterorum membrorum celabat æqualitas. Inceſſu erat firmo, tantaq; habitudine virili, voce clara (ſed quę minus corporis formæ conueniret) valetudine proſpera, præter quòd antequam decederet, quadriennio crebris febribus corripiebatur: ad extremum etiam vno pede claudicabat. Erat eloquentia copioſus & exuberans, poteratque quidlibet decenter efficere. Nec patrio ſermone contentus, etiam peregrinis linguis ediſcendis ſtudebat: in quibus Latinam ita perdidicit, vt ea ac patria lingua orare ſit ſolitus. Græcam verò melius intelligere quàm pronunciare poterat. Artes liberales ſtudioſiſſimè coluit, earumque doctores plurimum veneratus magnis extulit honoribus. In diſcenda Grammatica Petrum Piſanum diaconum ſenex audiuit, in cæteris diſciplinis Albinum (quem alij Alcuinum) alium diaconum è Britannia, virum vndecunque doctiſſimum, præceptorem habuit, apud quem & Rhetoricæ & Dialecticæ, præcipuè tamen Aſtronomicæ diſcendæ plurimum & temporis & laboris impendit. Diſcebat & artem computandi, & intentione ſagaci ſyderum curſum curioſiſſimè rimabatur.

Eius forma. *Eius eruditio.*

Cap. 8.

Tentabat & ſcribere: tabulas & codicillos ad hoc in lecto ſub ceruicalibus circumferre ſolebat, vt quum vacuum tempus eſſet, manum effigiandis literis conſuefaceret. Sed parum ſucceſſit labor præpoſterus ac ſerò inchoatus. Aſſiduè exercitabatur equitando ac venando: quod illi gentilitium erat: quia vix vlla in terris natio inuenitur, quę in eo labore Francis poſſit æquari. Delectabatur etiam vaporibus aquarum naturaliter calentium, frequenti natatu ſe exercens: cuius adeo peritus fuit, vt nullus illi certaret. Ob hoc etiam Aquiſgrani regiam extruxit, ibique extremos vitæ annos vſq; ad obitum duxit. In cibo & potu temperans, ſed in potu præcipuè, ita vt ſupra cœnam rarò plus quàm ter biberet. Sed cibi nõ adeo moderator, vt ſæpe quereretur noxia ſuo corpori eſſe ieiunia. Conuiuabatur rariſſimè, & hoc præcipuis tantùm feſtiuitatibus, cum magna tamen hominum frequentia. Cœna quotidiana quaternis tantùm ferculis præbebatur, præter carnem aſſam, quam venatores verubus inferre ſolebant: qua ille libentius quam vllo ciborum genere veſcebatur. Inter cœnandum autem admodum frequentiſſimè lectorem audiebat. Legebantur autem ei hiſtoriæ & antiquorum res præclaræ. Delectabatur imprimis libris beati Auguſtini, pręcipuè de Ciuitate Dei. Circa pauperes ſuſtentandos & gratuitam liberalitatem (quam Græci vocant & iam Latini eleemoſynam) erat deuotiſſimus, vt qui in patrio regno non ſolùm id fieri curauit, verùm etiam trans maria, in Syria & Ægypto atque Aphrica, Hieroſolymis, Alexandria, Carthagine: vbi Chriſtianos iam ſub Saracenis paupertate premi compererat, penuriæ eorum compatiens pecuniam mittere ſolebat. Ob hoc maximè tranſmarinorum regum amicitias expetens, vt Chriſtianis ſub eorum dominatu degentibus refrigerium aliquod proueniret. Colebat præ cæteris ſacris locis apud Romam beati Petri apoſtoli eccleſiam, in cuius donaria magnam vim pecuniæ congeſſit: neque vllo ſui regni tempore quicquam duxit antiquius, quàm vt vrbs Roma ſua opera veteri polleret authoritate, & eccleſia ſancti Petri per illum non ſolùm tuta, ſed etiam opibus ſuis præ omnibus orbis eccleſiis eſſet ornata. Quam quum tanti penderet, intra XLVI. annorum (quibus regnauit) ſpacium, quater tantùm votorum ſoluendorum ac ſupplicandi cauſa profectus eſt. Vltimi tamen acceſſus ſui non tantùm hæ fuere cauſæ, verùm etiam quòd Romanum pontificem Leonem multis affectum iniuriis, erutis (vt quidam ſunt authores) oculis, linguaq; præciſa, fidem regis implorare neceſſe fuit. Idcirco Romam tum ve-

Eius exercitatio & victus. *Eius in pauperes benignitas.*

Carolo rec fanti dignit imperialis a tributa.

tum veniens ad reparandum eccleſiæ ſtatum, ibi totum hyemis tempus cõtraxit. Quo tempore Imperatoris & Auguſti nomen accepit: quod primò intantum auerſatus eſt, vt affirmaret ea die, quamuis præcipua feſtiuitas eſſet, eccleſiam ſe non intraturum, ſi præſcire potuiſſet Pontificis conſilium. Inuidiam tamen ſuſcepti nominis Conſtantinopolitanis Imperatoribus non diſſimulantibus, magna ſuperauit pecunia: vicitq; eorum contumaciam magnanimitate, qua Græculis multum præſtabat. Miſit eò crebras legationes, & in epiſtolis fratres eos appellauit. Poſt ſuſceptam Auguſti dignitatem, quum aduerteret legibus multa deeſſe (nam Franci diuiſis locis duplicibus vtuntur legibus) cogitauit quæ deerant addere, & diſcrepantia concordare, praua corrigere: ſed in ea re nihil perfectum eſt ab eo, niſi quòd pauca capitula & ea imperfecta legibus addidit. Omnium nationum quæ illi ſubeſſent, memorabilia geſta, quæ ſcripta non erant, ſcribi & memoriæ mandari iuſſit. Inchoauit & Grammaticam patrij, hoc eſt Germanici ſermonis. Menſibus ad propriam linguam nomina impoſuit, qui ante id tempus apud Germanos partim Latinis partim barbaris nominibus enunciabantur. Et Ianuarium quidem appellauit Wintermaen: Februarium, Horningh: Martium, Lemmaen: Aprilem, Oſtermaen: Maium, Winnemaen: Iunium, Brackmaen: Iulium, Heumaen: Auguſtum, Arnemaen: Septembrem, Wynmaen: Octobrem, Haruestmaen: Nouembrem, Zoremaen: Decembrem, Heiliehmaen. Item ventos duodecim ſuis nominibus inſigniuit, quum non antè plurium quàm quatuor nomina inuenirentur. Et Subſolanum quidem Oſtenwindt: Eurum, Sudoſt: Euroauſtrum, Sudſudoſt: Auſtrum, Suden: Auſtroaphricum, Sudweſt: Aphricum occiduum, Sudſudweſt: Zephirum, Weſt: Corum, Nordweſt: Circium, Nordnordweſt: Septentrionem, Nord: Aquilonem, Nordoſt: Vulturnum, Oſtnordoſt. Hæc idcirco commemoraui, vt agnoſcant nobiſcum Galli, Karolũ & origine extitiſſe Germanum, & ea lingua (tanquam patria) potiſſimè vſum: quod ignorantes ipſi nobis cõteſtantur: quia de illorum iſta ſumpſimus libris teſtimonia.

CAP. 9.

Eius in procurando diuini cultu ſtudiũ.

RELIGIONIS diuinæ plurima illi cura fuit: Pſallendi legendique officia in eccleſia diſcreuit, ipſe ſe choris pſallentium immiſcuit. Coram ſe, vbicunque eſſet, diuinum peragi religioſè curauit officium ac miniſterium. Sermones patrum, homelias ſanctorum, nec minus martyrologia diligenter inquiri atque conſcribi iuſſit. Sed priuſquam præclara huius regis inuictiſſimi facinora ad exitum vertamus, vt grati in optimum principem & bene de nobis meritum animi indicia præferamus, operæprecium eſt numeroſas eius in Saxones expeditiones, in ordinem temporum redigere: vt feruentiſſimum eius in diuinam religionem zelum perſpiciamus. Præter illas autem ſuperioribus annis per Karolum Martellũ auum & Pipinum patrẽ crebriores in Saxoniam detonationes, principium bellorum eius in noſtrã gentem, ab anno LXXII, hoc eſt regni eius tertio. Tunc enim Wormariæ habito ſolenni regni conuentu, decreuit gẽtem Saxonum idololatram armis adoriri. Igitur tranſmiſſo Rheno ducit in Saxones, primaque fertur habuiſſe caſtra ad fontem Lupiæ, nunc Lippiã vocant. Quumq; Saxones & ipſi magna manu coacta regi occurrerent, contulere manus nõ longẽ ab Oſnaburga ad ſyluam Faginam: ibiq; magna ſtrage cæſi terga dederunt, fugeruntq; vltra Viſurgum, & pulſis retrò Wandalis, qui terram tenuerunt, ipſi Saxones ibi ſedes locauerunt: ab illo die appellati Oſtphali, quoniam qui patriis in ſedibus remanſere, Weſtphali. Robur autẽ gentis & omnis ſuperſtes nobilitas emigrauit, vt non remanerent niſi qui colendis agris inſeruiebant, vulgus inerme. Progreſſus autem cum exercitu victore Karolus, venit ad montem Martis: ibique fanum & idolum gentis (quod Irmenſuel appellauere) ſubuertit. Eresberg dictus eſt mons, in quo Mersborg: nam & in eodem Irmenſuel à Saxonibus colebatur. Omnium rationem nominum reddere conantur veteres. Probabiliora attingemus: arbitrium ſit lectoris, quid ſequatur. Eresberg ab Hera Iunone dictum accipiunt (quam etiam hodie volitare ruſtici fabulantur per aera) aut ab honore deorum nomẽ traducunt. Ibi Hera Iuno, ibi Hermes Mercurius, ibi Mars Gradiuus colebantur. Irmenſuel quaſi, Mercurij ſtatuam interpretantur: is enim Hermes dictus eſt. Sed obtinuit Martis honor, vt nunc Mersborg vocitetur. Poterant idolorum ritus & nomina à memoria Romanorum Saxones tenuiſſe, quum Druſus Nero, & deinde filius eius Germanicus, ſub Auguſto prouinciam gubernarent. Repertum eſt diu-

Idololatria domatur.

Saxonũ idola

pôſt in loco Corbeia ſimulachrum cum inſcriptione hac, Dux ego gentis Saxonum: victoriam certam polliceor venerantibus. Sed an vicino quodam loco conſtiterit, qui de eius vocabulo Martis mons diceretur, an in vrbe Mersborg ad Salam fluuium, parum nobis compertum eſt: niſi quòd Gallici ſcriptores omnia perturbantes, & Germanicæ linguæ imperiti, confundunt omnia. Irmenſuel interpretantur nonnulli ſtatuam publicam. Coniici permittitur dictam Idermanſuel, quaſi commune profugium & aſylum omnium, & Martem communem, qui in prælio diu vagatur incertus, diu dubius quò ponat victoriam. Erat armati toto corpore effigies, cuius in dextera ſignum militare (noſtri vexillum vocant) præferens roſam: cuius breue momentum, & facilis ortus & interitus: ita euentus præliorum. In ſiniſtra libram expandit, dubiam pugnantium ſortem, facilè huc aut illuc inclinantem. Pectus inerme vrſum præferebat, interritum bellatorum animum inſinuans. In clypeo leo, qui beſtiis imperitat, inuictum ad fortia facta impetum monſtrat: floribus conſito campo in quo ſtabat, quòd nihil iucundius ſolet videri fortibus, quàm in acie virtutem oſtendere. Karolus autem, quum fugam iniiſſent Saxonum maiores, ex remanentibus accipit obſides duodecim ad Weſeram fluuium, & regreditur in ſua.

[M]artis hiero[gl]yphicum.

CAP. 10.

SED quum anno proximo rex in expeditione Lombardica (quā in Dania deſcripſimus) eſſet occupatus, Saxones iniuriam prioris anni vindicare volentes, mouerunt in Haſſones, qui iam Francis paruerunt: & ad opidum Friſlariam pugnauerunt, magna internecione cædentes qui obuiam prodierunt. Eccleſiam inſignem eius oppidi, quam Bonifacius epiſcopus & martyr prædixit incremabilem, diu fruſtra tentauerunt incendere. Viſi ſunt in albis duo iuuenes, qui incendium reſtinguerent: vnde territi Saxones aufugerunt. Repertus eſt ad oſtium ædis ſacræ genibus nixis Saxo extinctus, faucibus hians, quaſi flammam excitaturus. Rex autem rebus in Italia compoſitis aduolat, quum Saxonum excurſiones audiſſet, perque Haſſiam miſit diuiſis agminibus quatuor copiarum ductores. Tres obuios aut deiecerunt, aut in fugam verterunt: quartus autē quum neminem ſeſe obiectantem haberet, ſpoliis onuſtus (vt cæteri) reuerſus eſt ad regem in Ingelheym. Inde verò maiore apparatu ducens rex in prouinciam, Siborg & Eresborg arces iterum à Saxonibus communitas denuo expugnauit, & in arcem Brunsberg (quæ omnium firmiſſima erat ad Viſurgum fluuium) duxit oppugnandam (iterat autem validum Saxonum præſidium) firmata eſt obſidio. Ferunt remanere in hodiernū villis nomina ex caſtris regis: quæ tum erant tripartita, vt alio loco rex cum robore exercitus, alio etiam auxiliares tenderent, & tertio loco ſuis erant in caſtris qui ſtipendia mererent. Adiiciunt Gallici, regem obſidionis pertæſum, duxiſſe partem copiarum in Weſtphalos Anglarios: qui malis coacti, cum Brunone duce fecere deditionem. Cæterùm copiarum partem vltra Viſurgum miſit, quæ vaſtatione grauiſſima perpulit gentem vt cum Haſſino duce ſuo obſides darent, ſacramenta adiicerent ſe imperata facturos. Sed ipſi Gallici fidem narrationis ſua voce alleuant. Quæ enim ſacramenta præſtarent perfidi Christo?

[Sa]xones belli [re]nouant.

Sacramenti [m]ilitaris ſig[ni]ficatio non [a]nimaduerſa.

CAP. 11.

QVVM per annum LXXVI. rex in Italiam reuocaretur, firmis præſidiis arces Saxoniæ, vt in fide plurimum contineret, antè communiuit. Saxones longè regem abeſſe ſcientes, ad libertatem priſtinam reſpexerunt: arcem Siborg oppugnarunt, miniſque grauiſſimis intentatis terrere cuſtodes Francos inſtiterunt: ſed neque minis neq; vi armorum præualuerunt. Ibi fruſtrati ducunt in arcem Mersborg, quam in ripa Lupiæ ſcribunt Galli extitiſſe. Ibi oppugnatione inſtituta grauiſſima, quum expugnari cuſtodes iam iamque formidarent, apparuere duo ſupra eccleſiam loci, ſcuta ſanguinea magno terrore velut flammantia. Id ſignum conſpicati Saxones, terrore concuſſi vertuntur in fugam, & nemine inſequente, mutuis ſe incurſionibus prementes, magna ex parte cōfoderunt. Sed interim rex in Italia rebus pacatis Wormaciam deſcendit: ibique renouatis viribus tendebat in Saxoniam, magnis vbique motibus obuia ſubuertens. Sed quum ad Lupiam fluuium perueniſſet, fixis ibi caſtris ſubſtitit. Quo in loco oratores illum adeunt ex prouincia, pollicentur quæ imperaret ſe facturos. Nihil ille, niſi quod ſalutis, quod proſperitatis illorum ſit, depoſcere teſtatus, rogat ſi volunt ſacrum ſubire baptiſma. Illi nihil recuſant. Igitur tum magna multitudo virorum ac mulierum cū paruulis ſacro fonte tingitur. Rex firmatis denuo quæ conquaſſatæ erant arcibus, & impo-

[Sa]xones rebel[l]ant.

[Sa]xones tan[tu]m Chriſtia[ni] ſiunt.

ſitis pro

ſitis pro temporum neceſſitate militum præſidiis redit in Franciam. Et quia cordi eius penitus inſederat gentem in religione firmare, proximo anno rediit Padeburnam: ibique conſedit, euocatis ad ſe gentis per Weſtphaliam primoribus. Venere non pauci. Sed Wedekindus omnium primarius quum videret ſuos a facie regis conterritos, nec tamen adhuc animum potuit inclinare religioni, profugit ad regem Danorum Sigefridum, auxilia depoſcens ex illo, quando à ſuis deſertus videretur. Interim rex multos iuſſit baptiſari: & miſſa ſuorum manu, Angriam præcipuam Wedekindi arcem iuſſit in ditionem accipere. Qua iam in poteſtatem redacta, in Oſnaburga primum conſtituit Saxoniæ epiſcopatum: vt haberet gens, ſe abſente, diuinarum rerum præſidem, & ſalutis æternæ curatorem. Adhuc autem rex in Padeburna manebat, quum illum ex Hiſpania Saracenorum adierunt oratores. Quos quum audiſſet, datis ad currentium rerum ordinem reſponſis dimiſit, ipſe proximo anno inſtructis copiis, quum Saxoniam abunde communiſſe videretur, Hiſpaniam petiit, pulſiſque Saracenis, Vaſconiam & Pampiloniam recepit. Dum autem ille longius abiiſſet, Wedekindus Danorum fultus auxilio, ſuos quoque Saxones ad rebellionem concitauit. Itaq; in fines Haſſonum vſq; ad Rhenum vaſtabundi pertenderunt: & quicquid a Tuitio ad Moganum eſt prouinciæ, totum igne ferroque fœdauerunt. Sed rex Alemannos Suæuos per literas excitans, illis immiſit: qui conſerta pugna, magnam in Haſſia ſtragem peregerunt. *Saraceni ... rolo vict...*

PER proxima tempora Karolus in orientali Saxonia vltra Viſurgum cōſtituit genti epiſcopum in loco Salingſtede (nunc Oſterwyck) conſecrari iubens eccleſiam in honorem ſancti Stephani. Qui epiſcopatus longè pòſt in Halberſtadium eſt tranſlatus. In arce Hartesborg idolum coluere Saxones, cui nomen Krodo (Saturnum hunc dixere Latini) ſenem in piſce ſtantem, qui rotam teneret & vrnam: in rota vnionem populi, in vrna rerum ſignificans abundantiam. Sed Karolus ſubuertit. Remanſit autem inter Saxones execrationis vocabulum, vt in deteſtationem rei peſſimæ dicant Krodo. In loco autem vbi Ora & Albis confluunt, euocatis Saxonum & Wandalorum primoribus, fœdera rex inter eos conſtituit, quæ per abſentiam eius obſeruarent. Inde rurſus in Italiam tranſiit: & in ea peregrinatione ille exactus eſt annus qui erat poſt ſeptingentos LXXXI. Reuerſus ex Italia Karolus venit Wormaciam, ibique conſiſtens iuſſit adeſſe Taſſilonem Bauariæ ducem. Qui duodena manu regi fidelitatem iurauit: ſed reuerſus in prouinciam non diu perſtitit in fide. Rex verò in Saxoniam iterauit expeditionem, & ad Albim fluuium in caſtello Megedeborg phanum ſubuertit, quod illi loco nomen dedit. Has ego reliquias crediderim Romanæ olim religionis, verius ſuperſtitionis, quum Druſus Nero, & deinde filius eius Germanicus ſub Auguſto Cæſare præeſſent prouinciæ. Simulachrum tale fuit: Stabat in curru nuda fœmina, myrtea caput cincta corona, ardentem faculam in pectore, in dextera mundi figuram, in ſiniſtra verò mala aurea tria præferebat. Poſt eam tres puellæ (Charites Græci, Latini Gratias dixere) nexis manibus nudæ ſingula poma geſtabant, auerſis inuicem vultibus dona porrigentes. Iugales quadrigæ erant gemini cygni, totidemque columbæ. Venerem hac imagine figurabat gentilitas, quæ in omni mundo dominatur. Gratias illa comites habet, quæ alternis obſequiis iunguntur: hoc vult nexus ille manuum. Vultus auertunt, quia beneficia non improperant. Sed bono myſterio vana ſuberat religio: quam Karolus ſubuertit, inſtaurans in locum eccleſiam S. Stephani. Arcem autem eo loci fuiſſe comperio, cuius dominum poſtea dixere Burgrauium: nam illa ætate incognitum erat hoc nomen. Crebris tamen habitatoribus frequens erat locus: piſcatores potiſſimùm crediderim, qui Albim fluuium ſcrutarentur. Sed auertente ſe Karolo venere Wandali, & odio nouæ religionis omnia ſubuerterunt, & diſperſis cæſiſq; habitatoribus eccleſiam ſubruerunt. Deinde fideles capellam (quæ hodie quoque creditur extare) excitarunt: permanſitque locus in ditione epiſcopatus de Salingſtede, nunc Oſterwyck: quæ eccleſia iam diu tranſlata floret in Halberſtadio.

CAP. *Saturni i...* *Anno 781* *Magdebur... ſe idolum de ipſi op... nomen, q... Parthenop... lis.*

ANNVS erat LXXXII. poſt ſeptingentos, quum Karolus iterum tranſmiſſo Rheno ad fontem Lupiæ conſedit, Saxonum conſtituens prouinciam ordinare. Conuenerunt ad eum frequentes ex vtraque Saxonia proceres. Wedekindus autem male ſibi conſcius non aderat. Quem in locum venere regum oratores Sigefridi Danorum & Cacanni Hunorum, qui & Auares. Dani miſerant Alidem & Aſmundum, quibus pro

CAP. *Anno 782*

tempore dato reſponſo redeunt. Cacannus autem & Bigarus non tam pacata meruere reſponſa, quòd genti bellum inferre rex deſtinaſſet. Sed quum rebus (vt putabat) bene conſtitutis in Franciam rediret, Wedekindus facilè in ſententiam ſuam retraxit congentiles ad rebellionem. Interea rex eius motus ignarus, Adelgiſum, Grilonem & Conradum duces ſuos, miſit cum copiis in Sarabos Wandalos, fiſus Saxonum auxiliaribus armis: facilè illis futurum vt perduelliones ſuperarent. Saxones verò iam aliam mentem induerant, & venientem Francorum legionem ad internecionem deleuerunt. Rex iuſta indignatione permotus magnis iterum copiis redit in Germaniam: populus Wedekindum ſucclamabat malorum caput, in eum refundens quicquid acciderat. Sed atrocitati facinoris parem pœnam cōſtituens, quatuor millia noxiorū gladio feriri iuſſit & quingentos. Magnus profectò numerus, qui legibus pœnam daret: ſed voluit ſceleratiſſimo facinori ſtatuere exemplum, & ſuum non deeſſe ſupplicium. Sequenti anno quum ſe iterum commouerent Saxones toties victi, iterum comprimuntur, & ad Padeburnam iterum agmine congregato miſit filium Karolum in eos: qui aliquot prę-liis fœliciter in illos dimicauit. Et durauit ea rebellio in annum vſque octogeſimum quintum. Quo tempore in Bardewicum deſcendens rex, interpoſita regia fide euocauit Wedekindum & Albionem, qui vltra Albim dominaretur: & manſuetudine ſua rex fregit ambos, vt ceruicē Chriſto inclinarent, exinde iam rebus pacem ſperans. Sed nequid regi intentatum remaneret, miſit naualem exercitum in Britāniam, quā dudum Angli Saxones occupauere. Dux erat nunc Adolphus menſæ regiæ præpoſitus. Is vbi gentem exterruit, acceptis obſidibus, quòd in fide regis eſſent, redit ad dominum ſuum Wormaciam: qui inde Romam iam tertiò ire contendit, quòd ducem Beneuentanum ex Longobardis audiret rebellare. Natale Domini celebrauit apud Florentiam, à ſe renouatam vrbem. Sed tum (quod antè ſignificauimus) venienti cum exercitu dux obuiam miſit obſides filios cum ſacramentis, ſe deinde in poteſtate regis futurum. Exinde verò Saxonia pacato Wedekindo quietiora inuenit tempora.

[S]axones rebel[l]one facta [F]rancos de[lent].

[K]aroli tertius [in] Italiam [de]ſcenſio.

CAP. 14. QVVM iam antè diuiſis locis per Saxoniam rex aliquot conſtituiſſet epiſcopatus, in Oſnaburga, in Salingſtede inque Padeburna, anno tandem LXXXVIII. Bremenſem erexit eccleſiam, vt eſſet ſuffraganea Colonienſi: in quam ordinatur epiſcopus Willehadus, natione Anglus, qui multis iam annis in maritimis eius regionis Chriſti Euangelium diſſeminauit. In perſequutione quam excitauit Wedekindus, vix ipſe elabitur, quum diſcipuli eius diuerſis locis occumberent pro Chriſto. Vnde Dei confeſſor maius ſitiens lucrum animarum, Euangelicum compleuit præceptum, de ciuitate fugiens in ciuitatem: diſperſiſque ad prædicandum ſociis ipſe Romam cum Ludgero adiit, vbi ſanctiſſimi papæ Hadriani conſolatione releuati, Ludgerus ad profeſſionem ordinis ſancti Benedicti in montem Caſſinum, Willehadus in Galliam ad ſepulchrum ſancti repedauit Willebrordi. Itaque biennio vterque concluſi contemplationi inſtiterant & orationi, magni Saxoniæ futuri apoſtoli: orantes interim pro perſequutoribus & gente Saxonum, ne iactum in eos fidei ſemen inimicus homo zizaniis opprimeret. Quo tempore Wedekindus author (vt diximus) rebellionis, ad fidem (vt eſt dictū) venit, baptizatus cum aliis Saxonum magnatibus. Et tum demum ſubacta Saxonia in prouinciam eſt redacta: quæ diuerſis temporibus in octo epiſcopatus diuiſa, Moguntino & Colonienſi archiepiſcopis eſt ſubiecta. Operæpretium iudicaui inſerere priuilegium Karoli, quod tum contulit eccleſiæ Bremenſi, vnde diſcant poſteri quid permo uerit optimum regem epiſcopis, non ducibus ſuis, terram ſupponere: cernantq́; de temporum ratione complurima quæ alibi non legantur. Exemplar ergo eius priuilegij Bremenſi eccleſiæ à Karolo donati.

[B]remenſis Eccleſia an. 788.

[E]cleſia hoſtes [C]hriſtum pro[fi]tentur.

CAP. 15. IN nomine Domini & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Karolus diuina ordinante clementia rex. Si Domino Deo exercituum ſuccurrente in bellis victoria potiti ſumus, in illo & non in nobis gloriamur: & in hoc ſeculo pacem & proſperitatem, & in perpetuo futuro æternæ mercedis retributionem nos promereri confidimus. Quapropter nouerint omnes Chriſti fideles, quòd Saxones, quos à progenitoribus noſtris, ob ſuæ pertinaciæ perfidiam ſemper indomabiles, ipſiq́; Deo & nobis tam diu rebelles, quouſq́; illius, non noſtra virtute, ipſos & bellis vicimus, & ad baptiſmi gratiam Deo annuente perduximus, priſtinæ libertati donatos, & omni nobis debito cenſu ſolutos, pro amore illius

[K]aroli decretum.

re illius qui nobis victoriam contulit, ipſi tributarios & ſubiugales deuotè addiximus: videlicet vt qui noſtræ poteſtatis iugum hactenus ferre detrectarunt, victi iam (Deo gratias) & armis & fide Domino ac ſaluatori noſtro Ieſu Chriſto ac ſacerdotibus eius, omnium ſuorum iumentorum & fructuum totiúſque culturæ decimas ac nutrituræ diuites ac pauperes legaliter conſtricti perſoluant. Proinde omnem terram eorum antiquo Romanorum more in prouincias redigentes, & inter epiſcopos certo limite diſterminantes, ſeptentrionalem illius partem, quę & piſcium vbertate ditiſſima, & pecoribus alendis habetur aptiſſima, pio Chriſto & apoſtolorum ſuorum principi Petro pro gratiarum actione deuotè obtulimus, ſibiq; in Wigmodia, in loco Bremē vocato ſuper flumen Weſeram, eccleſiam & epiſcopalem conſtituimus cathedram. Huic parochiæ pagis LXX. manſos cum ſuis colonis offerentes, totius huius parochiæ incolas, decimas ſuas eccleſiæ ſuoq; prouiſori fideliter perſoluere, hoc noſtræ maieſtatis præcepto iubemus, donamus & cōfirmamus. Ad hoc etiam ſummi pontificis & vniuerſalis papæ Hadriani præcepto, necnon & Moguntinenſis epiſcopi Lullonis omniumque qui affuere principum conſilio, eandē Bremenſem eccleſiam, cum omnibus ſuis appendiciis, Willehado probabilis vitæ viro coram Deo & ſanctis eius commiſimus. Quem etiam primum eiuſdem eccleſiæ III. Id. Iul. cōſecrari fecimus epiſcopum: vt populis diuini ſemina verbi, ſecundum datam ſibi ſapientiam fideliter diſpenſando, & nouellam hãc eccleſiam canonico ordine & monaſteriali competētia inſtruendo, interim plantet & riget, quouſq; precibus ſanctorum ſuorum exoratus incrementū det omnipotens Deus. Innotuit etiam idem venerabilis vir ſerenitati noſtræ, eam quam diximus parochiam, propter barbarorum infeſtantiū pericula, ſeu varios euentus qui in ea ſolent contingere, ad ſuſtentacula ſua ſtipendia Dei ſeruorum inibi militãrium minimè ſufficere poſſe. Quamobrē quia omnipotens Deus in gente Phriſonum (ſicut Saxonum) oſtium ſuum aperuit, partem prænominatæ regionis Phriſiæ quæ contigua huic regioni eſſe dinoſcitur, eidē Bremenſi eccleſiæ ſuoq; prouiſori Willehado epiſcopo, eiuſque ſucceſſoribus perpetuò delegauimus retinendā. Et quia caſus præcedentes nos cautos faciunt in futurum, nequis (quod non optamus) aliquam ſibi in eadem diœceſi vſurpet poteſtatem, certo eam limite facimus terminari: eiq; hos terminos, mare Oceanū, Albim fluuium, Liam, Stenbach, Haſalam, Wimmarcham, Sneielbach, Oſtam, Mulinbach, Motam paludem, quæ dicitur Sigefrideſmoer, Quiſtinam, Chiſemmoer, Aſcbrock, Wiſcbrock, Biuernam, Vternam, iterumq; Oſtam. Ab Oſta verò vſq; dum peruenitur ad paludem quæ dicitur Kaldenbach, deinde ipſam paludē vſq; ad Wemmam fluuium: à Wemma vero Bitinam Farſtinā, vſq; ad Weſeram fluuium: deinde ab orientali parte eiuſdē fluminis viam publicā quæ dicitur Heſſeweg, Sturmegor & Lorgoe, diſterminantē Sechbaſam, Alapam, Caldehorra, iterumq; Weſeram. Ex occidentali autem parte viam publicam quæ dicitur Folckweg (quem incolæ loci Wildoch nominant) Finolam, Waldeſmoer, Berckpol, Eddenri ad paludem, Emiſgoer, & Oſtergoer, diſterminantē, Brudlocho, Biberlach, iterumq; mare: firmos & intranſibiles ſcribi iuſſimus & circumſcribi. Et vt huius donationis ac circumſcriptionis authoritas noſtris futuriſq; tēporibus, Domino protegēte, valeat inconcuſſa manere, manu propria ſubſcripſimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari iuſſimus. Signum domini Karoli regis inuictiſſimi. Hildebaldus archiepiſcopus Colonien. & ſacri palatij capellanus recognoui. Data II. Id. Iul. anno Dominicæ incarnationis DCCLXXXVIII. Indictione XII. Anno autem regni domini Karoli XXI. Actum palatio Nemetenſi fœliciter. Amen. Sedit igitur in eccleſia Bremenſi beatus Willehadus poſt ordinationem ſuam annos duos, mēſes tres, dies XXVI. prædicauitque tam Phriſiis quàm Saxonibus poſt martyrium ſancti Bonifacij omnes annos XXXV. Obiit autem ſenex & plenus dierum in Phriſia, in villa Pleccazze (nunc vocant Plexen) quæ ſita eſt in Ruſtria. Corpus eius Bremā deportatum, in baſilica ſancti Petri, quam ipſe ædificauit, ſepultum eſt. Tranſitus eius celebratur feſtiuis gaudiis, VI. Id. Nouemb. Ordinatio, III. Id. Iul.

Regionis bello victæ Epiſcopi domini conſtituuntur.

Romanus epiſcopus vniuerſalis papa.

Phriſiæ pars Bremenſi epiſcopo attribuitur.

CAP. 16.

Anno 789.

ANNO deinde octogeſimo nono rex bellū intulit Wilſis Wandalis, factis duobus trans Albim pontibus: quod in Wandalia diximus. Bellum autem Auaricum, quod Hunis eſt illatum, cœpit anno nonageſimo primo: quum vnam partem exercitus ad aquilonare latus Danubij ire iuberet, ipſe cum altera per auſtrale latus deſcendit: ve-

nienſque ad Aneſum fluuium (qui eſt limes Pannoniæ & Bauariæ) ibi caſtra poſuit. Huni diuinitus territi fugerunt. Karolus Pannonia ad Rabam fluuium deuaſtata, diſpoſuit per Sabariam remeare. Hoc tempore rex ſolicitus de diuina per Saxoniam religione firmanda, quum iam eccleſias, quas diximus, ordinaſſet, alium fundauit epiſcopatum in loco Kinutude (Bardewicum arbitror) poſtea tranſlatum in Verdam. Padeburnæ præfecit ſanctum virum Liborium. Hi ſunt primi Saxonum apoſtoli, qui verbo Dei ſtrenuè inſtiterant. Per idem tempus in loco Mymyngrode in media Weſtphalia fundauit epiſcopatum alium, cui ſanctum præfecit Ludgerum, virum incomparabili deuotione in Deum & religionem Chriſtianam. Hic eſt Monaſterienſis epiſcopatus: nam ciuitas extructo ibi monaſterio, Monaſterij nomen accepit. Quumq; Wedekindus primarius Saxoniæ dux ad fidem Chriſti perueniſſet, permiſit Imperatori ad fluuium Weſeram (veteres dixere Viſurgum) arcem ſuam, vt in eo firmaret epiſcopo locum (capax enim amborum fuit) ita vt epiſcopo diceret, Tua atque mea erit communi iure arx iſta: vt inde Saxonum lingua Myndyn diceretur. Fundata eſt eccleſia intra muri ſepta, quod hodie quoque conſpici poteſt: nam veteris veſtigia muri etiam nunc extant. Sunt authores qui tradant Karolum hac tempeſtate perueniſſe in Nordalbingiam, poſteaquam Wilſis iugum impoſuit, euertiſſeque in Hamburgo idolum Iouis, quem Hammonem dixere, cuius ea fingitur figura: Sedet rex in ſolio, & ex ore eius altera parte fulmina, altera verò tonitrua conſurgunt: ipſe ſceptrum gladiumque manu præfert. A dextris veterum maſcula numina, Apollo, Mercurius, Neptunus, Mars, Vulcanus, Pluto: à ſiniſtris fœminea, Iuno, Ceres, Venus, Minerua, Diana, Veſta. Sed caret apud me fide fabula huius ſubuerſionis: nec enim crediderim tantum fuiſſe eruditionis ea tempeſtate in ea gente, vt præcipua Romanorum numina haberent comperta in regione Tranſalbina, vbi limes erat Romani Imperij. Hammon quidem arietis ſpecie Iupiter, in arenis Lybiæ colitur: ſed non eſt inde natum Hamburgi vocabulum. Quis enim ex Aphrica in extremas Saxoniæ partes hoc retuliſſet? Si obtendis Wandalos Aphrica pulſos, in patriam attuliſſe, non eſt probabile gentem in peregrinatione longinqua & longæua natam, iterum emigraſſe in antiquas ſedes. Sed capto rege & Conſtantinopolim miſſo, & ipſa nobilitate in acie conſumpta, vulgus ſub Imperatoris præſidibus permanſit in regione quam ſolam habuit natiuam: omnes enim qui tum vixere, ibi nati ſunt: nam (Imperatore teſte) centum quinque annis Wandali Aphricā tenuerunt. Hammaburgi autem vocabulum non ab idolo, ſed à pugile ibi victo dictum eſſe coniicimus quodam ſupra loco, & in Dania noſtra, quòd ſimilitum cauſa locis nomina ſunt attributa. Certum eſt tamen ex noſtris annalibus, Karolum habuiſſe ſingularem reſpectum in locum Hammaburgum, quem deſtinauit facere caput omnium regionum aquilonarium: quod infrà memorabimus.

Monaſterienſis epiſcopatus.

Hamburgenſe idolum.

CAP. 17. NONAGESIMVS erat ſecundus poſt ſeptingentos, quum detegeretur conſpiratio Pipini filij in patrem, per occaſionem Faſtradæ reginæ exorta. Sed Pipinus in monaſterium detruditur, conſcij partim gladio partim proſcriptione damnantur. Perſuaſum erat tum Karolo, poſſe perfacilè ex Danubio in Altimonam, & inde in alterum vicinum fluuios præcipuos coniungi, ſi foſſa duceretur nauium capax: quia horum alter Rheno, alter Danubio miſcetur. In hoc opere laboratum eſt duum millium paſſuum longitudine, & ducentorū pedum in latitudine, ſed fruſtra: quia paluſtribus locis propter iuges pluuias, opus non poterat conſummari. Interim nunciatur Karolo Saxonum iterata defectio (quæ inuito tum fieret Wedekindo) & Francorum ab altera parte à Saracenis plurima cædes. Tum verò duobus interpoſitis annis rem diſtulit, nec magnipendit in Saxonibus, quando Wedekindi integram fidem intellexit. Interea Saracenis opponitur: quibus ad quietem redactis, cum filio Karolo partitis agminibus, Saxoniam iterū inuadit. Sed nemo ſe obuiam tulit: qui autem antè ſe cōmouerant, reddita ratione motuū ſuorum, etiā obſides dederāt ſe in fide regis & Chriſti permanſuros. Sed & proximo anno quū noui motus ex eadē prouincia nunciarētur, immiſit illis rex duces ſuos: & facilè perfecerunt vt cōquieſcerent, datis etiā tunc obſidibus. Tantæ molis erat hanc Chriſto condere gentē. Lata prouincia, & multiplex in ea populus, conciuit varios motus ſine principe. Hadeleri extremi Germanorum ad littus Albiæ extimum ſiti, quòd fiderent inuiis paludibus, detrectauere iugum. Sed rex nullo labore, nullo negocio potuit

Anno 792.

Bellum Saracenicum.

tuit auocari, quo minus in eos duceret. Karlſand hodie vocant locum ad mare in quo rex caſtra fixit, gentemque perdomuit. Ex die autem decedentis Willehadi, vnus ex diſcipulis eius Willericus per annos L. adminiſtrauit epiſcopatum, per omne reliquum Karoli & filij eius Pij Ludouici tempus.

CA. 18.
An. 798.

OCTAVVS erat poſt nonaginta ſeptingentos annus, quum Tranſalbiani Saxones (quos nunc Holſatos, alij Nordalbingos vocant) verſi in ſenſum malignum, Karoli præfectos obtruncant. Rex in eos mouens, omnem intra Albim & Weſeram fluuios prouinciam terruit. Antè tamen quàm ille veniret, iidem Tranſalbiani Obotritis Wandalis regi fœderatis arma inferunt. Sed dux gentis Traſico illis aciem obiecit, collataque manu quatuor ex his millia cecidit. Interim Romani in ipſa vrbe tumultuantur: quæ res iterum regem euocauit. Quum igitur nonageſimus nonus ageretur, Leo papa grandi ab Romanis afficitur iniuria. [*An. 799. Romæ fit tumultus.*] Nam quum maiori litania procederet de Lateranis ad eccleſiam ſancti Laurentij ad craticulam, Romani intra eandem eccleſiam eum equo deturbantes cæcauerunt, & amputata lingua in media platea nudum ac ſemiuiuum dimittunt: cognatis Hadriani papæ eam ſeditionem mouentibus. Papa enim ſuperbiæ Romanorum reſtiterat, dum ea quæ Imperialis erant culminis ſibi vendicarent. Tradunt nõnulli quòd vnum illi eruerint oculum, alij quòd neutrũ, ſed raſorio per medios oculos inciderint, nec tamen viſum abſtulerint. Mittitur in monaſterium ſancti Eraſmi: ſed à Wiligiſo duce Spoletano (qui audito facinore Romam aduolarat) ſuſcipitur, & Spoletum deducitur. Karolus re comperta, iuſſit pontificem ad ſe deferri: Rhenoque tranſmiſſo, in locum qui dicitur Lippenheym ſe contulit, ibique pontificem expectauit. Venit, & diebus aliquot cum eo permanſit: poſt non multum temporis remiſſus Romam, cum honore ſuſcipitur. Anno deinde proximo, qui erat a Chriſto octingenteſimus, Rex Romam petit quarta vice. [*An. 800. Carolus Romam venit.*] Leo illi Pontifex occurrit venienti, eóque ſalutato Romam præceſſit. Poſtera die Pontifex cum epiſcopis, clero & populo, Karolum honorificè excepit, cunctiſque pſallentibus in eccleſiam ſancti Petri introduxit, VIII. Calen. Dec. Poſt ſeptem dies concione aduocata, cauſam aduentus ſui omnibus expoſuit, ad diſcutienda crimina quæ pontifici obiicerentur. Calumniatores pontificis vt ſe monſtrarent innoxios, pontifici mortiferum crimen impegerunt. Sed quum nullas criminum obiectorum probationes afferrent, pontifex ſumpto Euangelio cõſcendit ambonem cunctis aſtantibus, inuocato ſanctæ Trinitatis nomine ſe expurgauit, vt dilueret infamiam quam calumniatores, vt pœnam euaderent, confinxiſſent. Tum verò in die nati ſaluatoris primo poſt octingenteſimum inchoante anno, quum nihil tale Karolus aut cogitaret aut ſperaret, magiſque recuſaret alienum inuadere (vt ſuprà diximus) Imperatoris honorem infra miſſarum ſolennia, dum ante confeſſionem beati Petri apoſtoli ab oratione ſurgeret, Papa ei coronam impoſuit, & Imperatorem Romanum pronunciauit: & ſtatim eſt à cuncto populo acclamatum, Karolo Auguſto, à Deo coronato, magno & pacifico Romanorum Imperatori, vita & victoria. [*Anni initium à die natali Chriſti. Bruma noni prima eſt, &c.*] Et decantatis laudibus, vnctus ab apoſtolico, Imperator & Auguſtus eſt de cætero appellatus (quum in oriente fœmina, prius per contumeliam excæcato filio, & iam mortuo, dominaretur) anno poſt intermiſſum occidentale Imperium per Auguſtulũ poſita purpura, trecenteſimo triceſimo. [*Imperium occidentale 330. annos intermiſſum, Carolo defertur.*] Deinde iuſſit Imperator haberi quæſtionem de ijs qui in pontificem ſunt abuſi atroci violentia, iuſſitque conuictos gladio cædi: ſed Papa pro illis interpoſita prece, obtinuit vt relegarentur. Sunt tamen qui ſcribant vno die trecentos eſſe gladio cæſos. Quo tempore quum rediret in Franciam, excepit oratores Irenes Conſtantinopolitanæ Imperatricis, pacem Græcis & Gallis interponentes: metuebat enim ſibi mulier à proceribus regni ſui. Icta ſunt fœdera, & remiſit Imperator Karolus Ieſſe Ambianenſem epiſcopum oratorem ſuum ad poſtulandum Irenes coniugium. Sed dum adhuc ibi Imperatoris legati manerent, Nicephorus inuaſit Imperium, capta muliere, & in monaſterium detruſa: proſpexere enim proceres Græci quid illæ nuptiæ portenderent. Remiſit tamen Nicephorus etiam ſuos oratores ad Karolum ad confirmanda fœdera: & inuento eo ſuper Salam fluuium, reſponſa cum literis placida retulerunt.

CA. 19.
Anno 804.

ANNVS erat quartus Imperij, itemque poſt octingentos à Chriſto, quum omni iam Saxonia quieſcente, ſoli Tranſalbini (nunc Holſati) motus continuarunt. Quarum

rerum pertæſus Imperator miſit exercitum, qui omnes trans Albim habitantes duxit in Franciam, & pagos Tranſalbinos dedit Obotritis. Hæc eſt illa Germanicæ nationis origo, per rura Galliarum diſſeminata. Inde ſunt Brabātini, inde Flandrenſes, in ſolo Gallico manentes, origine Germana. Sed difficile eſt Gallico ſub cœlo manentes homines agnoſcere vt velint natales ſuos: erubeſcunt enim (ſi diis placet) Germanicā originem, quum inde (teſte Tacito) Treueri ſint vltro ambitioſi, vt euadant Gallicam ſegnitiem. Per quæ tempora Gotfridus rex Danorum venit ad limitem regni ſui in Sleſwicum, promiſit autem ſe Imperatori occurſurum: quod non impleuit. Narrant tamen rem aliter Dani: quod in Dania diximus. Miſit autē dictus rex Imperatori nuncios ſuos in locum Holdenſten ad Albim. Quo etiam tempore nunciatum eſt Imperatori ſanguinem Domini repertum in Mantua: & pro eius rei indagatione miſit ad papam, qui illi in Lombardiam occurrit. Karolus venienti obuiā miſit filium Karolum, qui illum deduceret. Natale Domini vnà peregerunt, contenderuntq́; pariter Aquiſgranum, donatumq́; magnificè pontificem, per Bauariam redire volentem, deduci fecit vſq; Rauennam. Anno proximo filius Karolus magnas res in Bohemos peregit, & ducem terræ Lethonem occidit. Sexto deinde anno Imperator filiis regnum diuiſit, vt ſcirent viuo patre quid eſſet quiſq; habiturus: quod etiam decretum Imperatoris voluntate procerum eſt approbatum. Inclaruit vbiq; vehementer Karoli nomen, etiā vltra mare. Nam anno ſeptimo legati regis Perſarum Imperatori precioſiſſima detulere munera, tria tentoria capaciſſima pulcherrimaq́;, omnia byſſina, tam funes quàm vela, pallia ſerica, vnguenta, balſamum, horologium ex aurichalco, arte mechanica mirificè fabrefactum, in quo duodecim horarum curſus ad clepſydram vertebatur, cum totidem pillulis quæ in completione horarum cadebant, & caſu ſuo ſubiectum cymbalum tinnire faciebant: additis duodecim equitibus, qui per totidem feneſtras completis horis exibant, & impulſu ſuo feneſtras prius apertas claudebant: & alia multa miraculo digna. Per quod tempus anno Imperij octauo, quum Gotfridus Danorum rex Obotritos oppugnaret, miſit Karolum pater cum exercitu, qui regi oppoſitus prælio conflictauit: nec ſine mutuo detrimento ab inuicem diſceſſere. Eam credo eſſe pugnam quam memorant Dani, quum crederent Imperatorem adeſſe, qui erat Karolus Imperatoris filius. Et tamen in eo prælio Franci ſibi, Dani parti ſuæ victoriam inſcribunt.

Germani ſubinde rebellantes in Belgium traducti.

Anno 805.

Perſa ad Carolum munera ampliſsimè mittit.

Cap. 20. Decimo anno Karoli Pipinus filius rex Italiæ Venetias ſibi parere coegit. Tum verò Imperator ſe parat in Danorum regem, qui ducentis diceretur appuliſſe Phriſiam nauibus, iactabundus quòd in terram egreſſus Imperatori occurreret. Expectauit eum Imperator, poſitis caſtris ad Viſurgum fluuium. Interea nuncij diſcurrunt, afferentes occiſum vel à ſatellite vel à filio Gotfridum. Ita ille apparatus concidit. Iam verò dudum Hamburgo conſtituerat ſacerdotem Karolus, quem metropolitam eligere decreuit omnium aquilonarium: ſed bellum à Danis comminatum, & feſtinata mors ſacerdotis, & implicatio rerū ab Imperio & regno plurimarum, Imperatorem ab impletione eius rei auerterūt. Quo tempore Wilſi Wandali idem oppidū Hamburgum ſtirpitus ſubuerterunt, igne & gladio ſæuientes, eiecto inde Imperatoris præfecto Vtone. Sed iuſſit mox Imperator oppidum inſtaurari. Sequenti anno filium Ludouicū, iam mortuo Karolo, declarauit Imperatorem. Quo tempore pons Rheni concremauit. Proximo deinde anno, qui fuit quartuſdecimus Imperij, febre correptus rex, Aquiſgrani finem viuendi fecit. Ante tamen mortem cum beato Ægidio (quem pro ſanctitate venerabatur) agebat, vt pro ſe Dominum deprecaretur. Fertur tenuiſſe peccatū, quod nemini pandebat. Sed ſanctus oratione inſtituta impetrauit vt ſchedā ab Angelo ſuſciperet, in qua deſcriberetur Imperatoris celata culpa, cū abolitione impetrata. Id quale fuerit etſi coiectura aſſequimur, ſilentio tamen tegere modeſtius eſt. Menſe igitur Ianuario febre valida correptus decubuit, ſtatimque (vt in febre ſolebat) cibi abſtinentiam ſibi indixit: arbitratus inedia morbum poſſe depelli, vel (quod proximum erat) mitigari. Sed accedente ad febrem lateris dolore, quem Græci pleureſim dicunt, illoq́; adhuc inediam retinente, neque corpus aliter quam rariſſimo potu ſuſtentante, ſeptimo poſtquā decubuit die, ſacra communione percepta deceſſit, anno ætatis ſuæ LXXI, ſed ex quo regnare cœpit, XLVI, Indictione ſeptima, v. Calend. Febr. hora diei tertia. Cuius corpus more ſolenni lotum & curatum, maximo totius populi luctu eccleſiæ illatum atque humatum eſt.

Anno 810.

Circumfertur verſus, Ægidij merito Caroli peccata remitto.

Caroli mors.

tum eſt. Dubitatum eſt primò vbi deponeretur, eo quòd ipſe viuus nihil de hoc præcepiſſet. Tandem omnium animis ſedet, nuſquam eum honeſtius tumulari, quàm in ea baſilica quam ipſe in honorem Dei, & ob amorem æternę Virginis genitricis eius, proprio ſumptu in eodem loco conſtruxit. In ea tumulatus eſt eadem die qua defunctus, arcuſque ſupra tumulum eius deauratus, cum imagine & titulo extructus eſt talis: Sub hoc conditorio ſitum eſt corpus Karoli Magni & orthodoxi Imperatoris, qui regnum Francorum notabiliter ampliauit, & per annos XLVI. fœliciter rexit. Libuit illuſtriſs. regis præclara facinora vnam velut in ſummam redigere, & honoris (qui eſt illi à nobis debitiſſimus) gratia plenius cuncta percenſere, quanuis illuſtria eius opera Saxoniam pariter in lucem poſuere. Quocirca ſi digreſſi videbimur, cum ſumma ratione illius geſta exequuti putabimur.

CAP. 21.

Speculum, liber legũ à Carolo latarum, ſuſpectæ fidei.

IN commemoratione, autem rerum à Karolo geſtarum præterire non debemus quod gens noſtra de illo inflatis prædicat buccis, dediſſe illum leges Saxonibus, quæ in codice quod Speculum vocant, extent recollectæ: & id quidem refert gloſſator in annum decimum poſt octingenteſimum à Chriſto nato, ſeptimum verò Imperij eius annum (vt memorat) in arce Saſſenborg. Primam commenti ſuſpicionem fecit, quòd annos Chriſti & Karolini imperij Gloſſator ille perturbat. DCCCI. enim factus eſt Imperator Karolus: & ideo decimus Chriſti erat quoque decimus Imperij. Deinde quòd diligentiſſimi ſcriptores illorum temporum, nullam eius rei faciunt mentionem, quum minora multo plurima commemorent. Nec erat illa in populo barbaro ciuilitas, vt leges initio requirerent, præter eas quæ vniuerſo orbi ſatis erant. Occultum tamen iudicium (quod vocant) facilè crediderim eis permiſſum propter ceruicis duritiem: ſed redactas leges nouas in codicem non facilè credo, niſi alia mihi documenta referantur. Nam & nomen prodit eſſe collectitium codicem, de multis obſeruantiis gentis: quomodo & Feudorum vſus non ab Imperatore dati, ſed ab Oberto deſcripti, vſum & obſeruantiam meruerunt. Quum enim per ætatem in gente creuit ciuilitas, creuit etiam legum obſeruãtia. Inde factum eſt vt quæ per tempora ſunt vſu approbata, demum ſunt in codicem redacta: cui ad authoritatem conſciſcendam falſò eſt nomen Karoli aſcriptum. Idque vt credam facit multorum in textu, plurium autem in gloſſa puerilis & indocta narratio: nam temporum fuit vterque, & Speculator & Gloſſator, imperitus. Temerarius calumniator vocer, ſi non luce clarius vtrunque cõuincam. Longum eſt cuncta percurrere: vnum aliquem de textu paſſum ſumamus, vnde de cæteris facilè coniecturam faciemus, & non modò coniecturam, ſed fidem pene oculatam. Originem regnorum & Saxonum antiquitatem volens oſtendere textus lib. iij. ar. xxxxiij. ait: In Babylonia cœpit Imperium, quæ toti mundo imperabat: quam Cyrus expugnauit, & in Perſiam tranſtulit: in qua vſque ad Darium perſeuerauit: quem vicit Alexander, & Imperium Græciæ applicauit: & ibi ſtetit vſque dum Romani Imperium ſibi aſſumpſerũt, & Iulius cœperat imperare. Ex eo adhuc Roma ſecularem, & à beato Petro tenet gladium ſpiritualem: & ideo totius mundi tenet principatum. Quum interim noſtri prædeceſſores ad iſtam venerunt prouinciam, Turingos fugauerunt mortuo Alexandro, cui, vt Aſiam imperio ſubiugaret, erant auxilio. In qua poſt ipſius obitum, propter ſubiugatorum odium, morari non audebant: in trecentis galeidis ſe receperunt: quæ omnes fluctibus maris tumeſcentibus, exceptis quinquagintaquatuor galeidis, necabantur: quarum decem & octo littora Pruſſiæ petierunt, & illa obtinuerunt: & duodecim galeidæ Rugianorum terram occupauerunt, vigintiquatuor in iſtam ſe receperunt. Et quum tantum in numero eſſent breui, vt agros culturæ tradere non poſſent, fugatis & interfectis Turingorum dominis, reliquam gentem, vt operaretur terram, viuere permiſerunt: talia imponentes ei iura, quemadmodum adhuc conſiſtunt Latini. Ab eis ergo origo Latinorum: ex his qui ſuo iuri derogabant, dedititij dedititiorum conditione ſubiiciebantur. Hæc ſunt verba Speculi. Non enim lubet, diſponit, interpretatur (vt ſolet legiſlator) ſed commemorat quid obſeruetur: quod non eſt Imperatoris, ſed doctoris. Et tamen videamus quanta ſint in paucis verbis friuola commenta: vt liquidò cernamus non iſta authorizaſſe Karolum, qui & ipſe doctus erat, & doctiſſimis ſtipabatur. In Babylonia, inquit, cœpit Imperium. Si de turri Babylonis loquitur ex ſacris literis, iam altius aſcendit quàm ſolent vllæ hiſtoriæ, vt de Nemroth ſumat

Illuſtrium virorum nomina libris falsò præfixa.

Speculi autor refutatur.

initium. Et tamen ex illa Babylone non prouenit Imperium, ſed diſſipatio gentium: quam oſtendit Moſes, & plenius exequitur Beroſus Babylonicus. Si autem de regno loquitur Babylonico, non hoc fuit primum, ſed Aſſyriorum in Niniue: cuius ciuitatis author Ninus & Semiramis coniunx primi ſunt in omni hiſtoria antiquiſſima. Nam ibi primum conſtitit Imperium, cui etiam Babylon obediuit. Addit, Quæ toti mundo imperabat. Hoc nullæ habent hiſtoriæ, Chaldæos in Europa vel Aphrica imperaſſe: ſatis erat magnum, ſi magnam Aſiæ tenerent partem. Nam neq; Romani, quorum latius erat imperium, toti mundo dominabantur: aliquid in Europa, aliquid in Aſia, & totam tenuerunt Aphricam. Sequitur, Quam Cyrus expugnauit, & in Perſiam trãſtulit, in qua vſque ad Darium perſeuerauit. Quid tranſtulit? ad quem Darium? Nam Darius erat Cyri auunculus, qui cum Magno Cyro res magnas geſſit: poſt quem Darius Hyſtaſpis in ſuam familiam primus tranſtulit imperium. Sed ſpecificat quum addit, Quem vicit Alexander. Ignorabat illum Arſamidem appellari. Et imperium, inquit, Græciæ applicauit. Friuolum eſt: quia nunquam in Græcia ante Conſtantinum fuit Imperium. Græci tamen poſt Alexandrum in Aſia imperauerunt, in Syria & Ægypto potiſſimum: nam ad Macedones in Græcia ſola pars peruenit, & ea non lata. Deinde ſubnectit noſter legiſlator, Et ibi ſtetit vſque dum Romani ſibi Imperium aſſump ſerunt, & Iulius cœperat imperare. Verum eſt quòd Romani victo Antiocho Syriæ rege, regnum eius redegerũt in prouinciam: & ſuperato in Græcia Perſe nouiſſimo Macedonum rege, imperium occupauerunt, reddita populis libertate: ſed hoc longè ante Iulium. Ægyptus autem facta eſt prouincia tempore Cæſaris. Deinde quod ſequitur de vtraque Romanæ vrbis poteſtate, intactum ire ſinamus: ſcimus tamẽ quot tranſierint ſecula priuſquam ſpiritalis gladius diſtringeretur. Quòd vero ait, Quũ interim noſtri prædeceſſores ad iſtam peruenerunt prouinciã, hoc ſine controuerſia Saxo loquitur, nõ Imperator. Sed ꝙ ait, Quũ, non apparet quæ tempora ſignet. Nam quòd Alexandri & Iulij tempora coniungit, qui annis pene quingentis diſtabant, ineptiſſimum eſt. Contendit autem Saxones in Aſia militaſſe Alexandro. Sed hoc nimis pueriliter deducit, vt eſt inuentum anile & penitus ſomnium. Quis enim credat gentem ex media Aſia in noſtrum mare perueniſſe, quãdo per aquilonarem regionem, propter mare glaciale, poſt Hyperboreos montes non poteſt nauigari? Et Caſpium ſinum longè diſtantem quomodo peterent? & inde quò procederent? Quis autem credat fugiſſe? In qua terra victores Alexandri principes, ſub iugo cuncta tenuerunt, quem timerent victores orbis? Sed hic noſter nobis perſuadebit manere non auſos: ait enim, In qua poſt eius obitum propter ſubiugatorum odium morari non audebant. Inſcitia eſt, vnde ea prodit narratio. Si legiſſet, principes Alexandri ciuilibus bellis in ſe verſos, omnes copias militares in precio habuiſſe, non diceret milites timuiſſe ab orientalibus opprimi: qui tanto iam erant ſub iugo, vt ſibi timerent, non timerentur. Omitto barbariſmos quos plurimos facit fabulator, vt ea vel maximè re prodat non eſſe narrationem Karoli: cuius ſcriniarij non ita titubaſſent. Ipſe loqueretur in capite, quomodo in Pandectis Imperator, ſua faciens quibus authoritatem impartitur, quomodo in Codice & Inſtitutionibus, quomodo in nouiſſimis Authenticis. Sed cætera videamus. Biremes vult trecentas ex Aſia nauigaſſe. Vnde ea copia nauium fugientibus? Quo nauigauit claſſis itinere? Nam per aquilonarem plagam oſtendimus venire non potuiſſe. Si ex Ponto nauigarent aut ex Syria, longum erat iter terreſtre, priuſquam ex Babylone peruenirent in mare, & longiore curſu mare longiſſimum mediterraneum vſque ad Gades Herculis erat enauigandum: inde iam flectendum in aquilonem, vt in mare Germanicum ex Britannico peruenirent. Oro te, quando exibant (vt vis) quærendis ſedibus, non erat mitiore cœlo, breuiore itinere terra quæ ſuſciperet, Pruſſiam vt Rugiamque & Albim peterent? Non pudet vanitatis? Et quam, oro te, Pruſſi, Rugiani, Saxones, eiuſdem (vt vis) originis & congentiles, vnquam habuerunt aut bello aut pace ſocietatem? Cætera videamus, Fugatis Turingorum dominis, &c. Nunquam Turingi noſtram tenuere Saxoniam, vt fugarentur: ſed inuitati Saxones à Francis in Turingos, partẽ Turingiæ (quod ſuo loco oſtendimus) pretium militiæ acceperunt: vnde nata eſt fabula de Turingis. Et ne exors videatur omnium literarum, addit de Latinis & de dedititiis, vt oſtendat Imperiales ſe vidiſſe Conſtitutiones. Ineptiſsimum caput. Quam, oro te, Latini in Saxonia partem habent? Nolo immorari in re quam etiam pueri poſſunt corrigere. Mille

[R]omani pri[u]atus anti[q]uitas.

[K]aroli ſeculũ [r]uditum.

re. Mille talia comperies: vt liquidò comprobemus, non eſſe Karoli editionẽ quod præferunt Speculum. Ad Gloſſatorem veniamus, virum alioqui iuris peritiſſimum, & cui plurimum debent eius conſtitutionis ſeruatores. Sed fabulas narrationi plurimas contemptu dignas inſerit. Non eſt longè euagandum vt tale aliquid oſtendamus. In eius loci explanatione quem diximus, vide quam puerile eſt quòd ait, Pompeium conſulem voluiſſe Imperatorum leges in vnum codicem redigere: cuius temporibus, & antè, nulli erant Imperatores qui leges ferrent. Ciues autem Romani facti conſules aut prætores, quum exercitum deducerent, victoriam aſſequuti, Imperatores ea tempeſtate diceban tur: ſed leges non ferebant. Rogabant conſules in ſenatu, vt ſi probaretur, fierent ſenatuſconſulta: & Tribuni plebem, vt plebiſcita fierent. Mirum quòd vir iuris doctiſſimus, Conſtantino tribuat initium legũ, & non pandectis & iuriſconſultis. Sed miſſa ſint hæc. Quid eſt quòd aſſerit Karolum feciſſe conſtitutionem de eligẽdis Imperatoribus? Quæ res pertinet ad Ottonem III. annis ducentis poſt Karolum. Quid quòd ait per eundem Karolum ſparſos Wandalos per omne regnum? Quum latiſſima natio Bohemiam, Poloniam, Ruſſiam, Dalmatiam & littora Germanici maris impleuerint longè ante Karolum. Quid quòd Sueuos tradit expulſos per eos qui de Anglia redierunt? Quum reuera de Italia redirent qui hoc fecere: quod ſuprà ſuo loco oſtendimus. Infinita ſunt eius generis. De quibus pauca attigi, eo conſilio non vt virum laude digniſſimum reprehendam, ſed vt oſtendam lectori, iuribus ab eo introductis, non narrationibus, fidem adhibendam. Quod idem accidit Accurſio diligentiſſimo gloſſatori. Ad Saxones redeamus.

Speculi interpres refutatur.

Cap. 22.

QVIA Karoli inuictiſsimi regis geſta ſumus exequuti, ad Wedekindum ducem Saxonum, qui regi tam durum creauit laborem, conuertamur. Danis enim conciliatus perpetuis hoſtibus, quum externus veniret, inde auxiliaria arma demorabatur: ſed tamen Karolo aciem opponere non fidebat. Ferunt ante regis aduentum Saxoniæ prouinciam adminiſtrari ſolitam per duodecim proceres alternis vicibus: quem verò gran de bellum in adminiſtratione deprehenderat, eum regem habuere ad finem vſq; belli. Inde factum eſt vt veniente Karolo in prouinciam, Wedekindus dux Anglariæ (Angariam vocant) in adminiſtratione erat, & ideo pro rege illis fuit durante bello, ac perinde in nonnullis codicibus rex Saxonum nominatur. Finito autem bello redibat in ius priſtinum: reddita adminiſtratione comparibus ſuis. Sed id Wedekindo non permittebatur, alternata & in ſpeciem aliam traducta totius prouinciæ gubernatione. Et quanuis pontificibus eſſet à Karolo permiſſa poteſtas gubernandi, non tamen amiſere primores penitus ſuam adminiſtrationem. Vnde factum eſt vt ſecularis poteſtas ab omnibus, bel lo finito, citra Viſurgum illi deferretur. Igitur flagrante bello pertranſiens Weſtphaliam Karolus, inde obſides ſumpſit, præcipuè ab Anglariis: ibi enim erat ſumma tum Saxonum poteſtas. Sed & Oſtphali Saxones, qui tranſito Viſurgo conſederant in ſolo Wandalico, quum rex ad Viſurgum caſtra teneret, miſſis obſidibus pacem ab rege impetrarunt. Erat annus tum LXXXII. poſt ſeptingentos Chriſtianæ ſalutis, quum Karolus ad fontem (vt diximus) Lupiæ amnis legationem audiuit Sigefridi Danorum regis, & Cacanni Hunorum principis: illiſque pro tempore datis reſponſis, diſpoſitiſque in Saxones præſidiis, rediit in Franciam. Quum autem Wedekindus de regis egreſſu certior factus Saxones ſuos ad rebellionem concitaret, interim Sorabi (gens eſt Wandalorum intra Salam & Albim fluuios) indignè ferentes quòd Saxones Viſurgum tranſgreſſi, congentiles ſuos ſolo eiecerint, habitata & occupata eorum regione, armatum exercitum in fines Saxonum & Turingorum duxerunt, vbique vaſtabundi ingredientes. Karolus duces ſuos immiſit, qui gentem illam repellerent, ſumpto ex Saxonibus, qui vaſtabantur, armorum auxilio. Franci autem in Saxonum gentem iam fœderatam, quòd eorum defenſioni bellum ſuſciperetur, eò ſe contulerunt, ad arma deuocantes, vt paribus animis communes hoſtes inſectarentur: non intelligentes quàm iniquo ferrent animo iugum Saxones Francorum, quodque denuo in regem conſpiraſſent. Igitur Saxones Francorum legionem ad ſe miſſam, ad internecionem ceciderunt, Wandalis ſe ſatis occurſuros ſuis viribus arbitrati. Rex vbi audiuit, iuſta indignatione inflammatus, infeſto agmine mouit in Saxoniam. Omnes verò Wedekindum coniurationis & rebellionis principem accuſabant, nec immeritò. Tanta e-

Regia apud Saxones dignitas qualis antiquitus.

Repetitur hiſtoria cap. 13 ſcripta.

nim Wedekindus in legem Chriſti & Gallorum iugum indignatione flammatus erat, vt quicquid vbique per Saxoniam Chriſtianum audierat, perſequeretur, occiſis ſancti Willehadi Anglici diſcipulis aliquot per Saxoniam Phriſiamq́; ſparſis: ipſe verò Willehadus (quod ſuprà diximus) vix ex tanto profugit incendio. Veniente autẽ rege cum magno agmine in prouinciam, Wedekindus declinauit. Rex in omnes conſilij & facinoris participes ſeuerè animaduertit, cæſis gladio quatuor millibus quingentis, vt diximus. Inſuper ex populo Tranſalbiano ad millia decem cum vxoribus & liberis, in Galliarum prouincias iuſsit deportari: quam eſſe ſtirpem Brabantinorum Flandrenſiumq́; ſuprà ſignificauimus. Repoſuit autem in prouinciam Gallici generis nobiles: ex quibus in noſtram vſque ætatem durauit comes de Pirmont, hoc eſt ignito monte. Cumq́; rex per ſuperiores Saxoniæ partes ducens, etiam ibi vindicaret in rebelles, Karolum filium cum expedito agmine reliquit ad præſidium prouinciæ, & vt comprimeret rebellionẽ molientes. Huic acie iuſta confligtare Saxones auſi repelluntur, magnaque cæde peracta coguntur quiſcere.

...iles Galli ...Saxonum ...arolo tra...h.

...AP. 23. ...no 785.

SED quum iam annus Chriſtianæ ſalutis poſt ſeptingentos octogeſimusquintus ageretur, & iam tempus veniſſet ab alto miſerendi, Wedekindus viſitatus à Domino ad lumen reſpexit: & iuncto ſecum Albione viro primario (qui trans Albim dominaretur in ea quæ nunc eſt Holſatia) interueniente ex aulicis quodam ad regem Karolum, qui ad Viſurgum caſtra habebat, perducitur, Chriſti baptiſmum iam ſponte depoſcens. Tradunt nonnulli (quod ſuprà ſignificauimus) regem tum in Bardewico conſediſſe, quum ad eum Wedekindus perueniret. Alij etiam adijciunt in Mynda fuiſſe illi ſalutis initiũ. Tradunt enim ducem ſcrutandi auidum, lembo per pronum flumen deuectum, lacero habitu inter ſtipem poſcentes conſediſſe. Quũq́; ſacratiſſimo die Paſchæ ex more Chriſtiano omnes ſacram communionem ſubirent, vidiſſe Wedekindum ad os regis ludibundi ſpeciem pueri, eoq́; conterritum miraculo Chriſtiana ſacra poſtulaſſe. Rex ſuſceptos in gratiam iuſſit baptizari, ipſe ſuis manibus Wedekindum honoris gratia ſuſtollens. Inde Saxonia iam pacata quieuit, & ſemel ſuſceptam fidem nunquam reiecit. Interea diuinæ rex intentus religioni, Bremenſem (quod diximus) fundauit eccleſiã, prædiisq́; magnificè dotauit, epiſcopum conſecrari faciens virum de his terris optimè meritum ſanctum Willehadum, natione Anglicum: qui poſt mortem ſancti Bonifacij Moguntinenſis epiſcopi, annis XXXV. in Phriſia & Saxonia verbum Dei diſſeminauit, magno labore, incredibili periculo. Extant literæ eiuſdem regis deſuper, terminos donatæ ditionis commonſtrantes, quarum exemplum ſuprà poſuimus. Idem quoque rex antè poſtq́; annis aliis ſeptem ſundauit in ea prouincia eccleſias (donans regalia pontificibus, quòd intelligeret populum infrænem poſſe religione contineri, armis verò placari non poſſe) Verdenſem, Myndenſem, Padeburnenſem, Oſnaburgenſem, & vltra Weſeram Hildeſemenſem & Halberſtadenſem. Erant illis temporibus alia prima eccleſiarũ fundationi loca, & perinde nomina: quæ cum tranſlatis ſedibus ſunt in hanc appellationem commutata. Magdeburgẽſem autem vicinum archiepiſcopatum poſtea Magnus Otto, domita gente Wandalorum, inſtituit. Hoc ordine finitum eſt bellum Saxonicum atrociſſimum & diuturnum, quod pro diuturnitate temporis, & magnitudine laboris, magnum & deſyderabilem habuit exitum: durabat autẽ annos ſupra triginta. Quo tempore multa & magna per duces ſunt facta prælia, & ingentes cædes. Ipſe rex (vt ferunt) non niſi bis intra paucos vnius menſis dies iuſta cum illis acie conflixit in Thietmel, altero ad Haſam fluuium. Monſtrãt hodie incolæ caſtrorum veſtigia. Penetrauit autem rex infatigabilis cum exercitu ad intima paludum Hadeleriæ, quum gens illa rebellionem oſtentaret, animata de imperuiis (vt putabat) paludibus: ſed nihil inuium virtuti. Locum caſtrorum eius vocant etiam hodie incolæ Karlſand (hoc eſt arenam Karoli) in quo caſtra fixit.

...dekindus ...aculo ad ...ſtum ad...itur.

...galia epi...bus cur con...a.

...C A. 24.

Wedekindus autem pacatus in ſua ſedet prouincia, Weſtphaliam ſolam gubernãs: nam vltra Viſurgum prouincia & anguſtiis Wandalorum premebatur, & quod tenuere ditionis pontifices gubernabãt. Armorum inſignia, quæ militaribus (vt fit) ſignis præferebat, pullum equinum habebant atrum: ſed placuit regi, poſtquam de tenebris gentilium errorum peruenit in lucem veritatis, vt candidum acciperet. Ea verò ſunt vetuſtiſſima Saxoniæ arma, ſæpius inde demutata, vel leonibus ex Anglia allatis, per Henricum

...axonum ve...ſtiſſima ...mma.

cum ducem cognomento Leonem: vel ſtratoriis in clypeo lignis, quæ rutæ ſertum ex obliquo condecorat, per Bernhardum prius comitem de Anehold, inde verò ſurrogatum Henrico Leoni in ducatum Saxoniæ, quum ille per Fridericum 1. ſolenni Imperij conuentu per ſententiam deponeretur. Wedekindus autem, quum rex illum Karolus baptizatum in ſua (vt diximus) prouincia gubernare permitteret, ædificato in Anglaria (nunc Angriam vocant) inſigni templo, inſtituto collegio ſine fine Deo ſeruientium (quod nunc in Heruordiam ferunt eſſe tranſlatum, ibiq; dominabus imperitantibus ſeruit) plurimum ipſe in Chriſto deuotus religione profecit. Sed erat illi ex magnis cauſis cum Geroldo Suæuorum duce atrox bellum, quod varia diu fortuna protrahebatur. Mirum quomodo tam longinquum: ex Suæuia in Saxoniam. Sed erant Saxonibus prędia (quod ſuprà oſtendimus) in Hercinia, & Suæuis in Turingia: vnde facilè potuit conflari de terminis bellum. Sed eo conſumptus periit Wedekindus, Chriſtiano ritu ſepultus in eccleſia eius quod fundauerat collegij: ibiq; aliquandiu quieuit, donec in Padeburnam à filiis transferretur.

Wigbertus Wedekindi filius erat ab adoleſcentia Chriſto deuotus, inter Saxones vir primarius: ſed an principatum in gentem egerit, mirum eſt ſilentium: quòd Saxones ea tempeſtate, regnante poſt patrem Pio Ludouico Imperatore, ſub Chriſti religione manſuefacti quieſcerent, & omnis prouincia epiſcopis diſpartita religioni ſeruiret. Tranſalbianam autem regionem (quam Karolus pater Eridago ſacerdoti in vrbe Hamburgo commendauerat, quemq; loci epiſcopum facere diſponebat, ſed interuentus Danici belli, & feſtinata mors Eridagi, votum Karoli ne impleretur, auerterunt) Ludouicus Bremenſi & Verdenſi pontificibus initio regni commendauit. Quo etiam tempore Henningo Danorum rege, qui fœdera iecit cum Ludouico mortuo, Sigefridus & Amilo nepotes Gotfridi, quum inter ſe de regni ſucceſſione digladiarentur, magno prælio manus conſeruerunt, & vtrinque antè multis millibus cæſis, ambo duces ceciderunt. Pars Amilonis cruenta victoria potita, Haraldum & Reginfredum regno præfecerunt. Sed inde tum Haraldus eiectus, ad Imperatorem Ludouicum contendit Moguntiam: ibiq; inito cum Imperatore fœdere paciſcitur cum amicis ſacrum ſubire lauacrum, vt auxiliaria Imperatoris arma mereretur: baptizatusq; mittitur cũ armatura forti in Iutiam, & cum illo Anſgarius Corbeienſis pater, vltroneum ſe tanto pietatis officio (quod omnes horrerent) ingerens. Sed hæc in Dania & Metropoli exequuti, nunc tantùm commonuiſſe ſat habemus. Extruxit autem Ludouicus regalem abbatiam in littore Viſurgi, tranſlatis patribus cum nomine de Corbeia Galliarum, quæ in ripa Summæ fluminis hodie manet. Adoleſcens erat admodum Anſgarius quum de Francia transferretur, & creuit in apoſtolum magnum omnium aquilonarium regionum: prouenitque eccleſiæ Hamburgenſi, quæ tum Metropolis erat: cui etiam poſtea Bremenſis ſuffraganea (quod in Mettopoli oſtendimus) fuit incorporata. Ex hoc Corbeiæ monaſterio multos poſt inuicem habebat epiſcopos: ſedem autem metropoliticam Anſgario Ludouicus Imperator firmauit in Hamburgo. Primus hic erat pontifex Hamburgenſis. Nam Eridagus presbyter etſi epiſcopatui deſtinaretur à Karolo, propter cauſas tamen quas diximus, non attigit. Qua etiam tempeſtate ex maritima Wandalorũ prouincia, quæ Wilſorum erat, venere ad Imperatorem duo regij iuuenes de regno contendentes: & ne armis opus eſſet, Imperatorem cauſę ſuæ fecere arbitrum. Ille collaudatos datis munerib. pacauit, hortatusq; Chriſti religionẽ ſuſcipere dimiſit. Et quanuis Ludouicus religione ac pietate plurimũ polleret, tranquillitati temporum, quod in ſe erat, maximè ſtudens, euadere tamen non potuit atrociſſimã in ſe multorum conſpirationẽ, quos pridem magnis locis honoratos, pro cõperta malignitate deſtituit. Illi verò cõfictis criminib. Imperatorem ſanctiſſimum inſimularunt, ꝙ coniugis ſuę Iudith, ex qua ſuſtulit Karolum Caluum, impuritatẽ improbè diſſimularet, & pollueret cæſareę culmen dignitatis. Traxere cõiurati in partẽ filios Imperatoris, imprimis Lothariũ natu maiorem, Pipinum atq; Ludouicum: Karolus autẽ admodum puer erat. Imperator coniugis purgationẽ ſuper infamia recipiens, ſatisfactum ſibi duxit. Coniurati autem magis atq; magis inualuerunt, archiepiſcopos in ſocietatem calumniæ trahentes. Vnde factũ eſt vt inualeſcẽte nequitia, ſentẽtia depoſitionis in Imperatorem ferretur, & à filio Lothario diu ſeruaretur, quum ille inuaderet Imperiũ. Extant lamẽtationes quas de cella monaſterij in quo ſeruabatur,

Cap. 25.

Anſgarius è Corbeia Picardorum ad Somonã flumen.

Conſpiratio in Ludouicum Pium.

Continentia voto pro ſupplicio imperatum.

miſit ad amicos. Imperatricem cogere detonſa coma continentiã in monaſterio profiteri: puerum quoq; attonſum dimouerunt. Erant fideles multi qui armis pro Imperatore agerent: ſed ille vetuit. Vbi autem feruor indignationis paulatim euanuit, reuerſi ad cor filij, cauſam examinantes, innoxium patrem carcere liberatum ad Imperium reſtituerunt, coniugemq; reddiderunt, & omni deinceps obſequio coluerunt. Ille errori facilè veniam tribuit, mitiſſimus omnium mortalium, & filium Lotharium natu maiorẽ conſortem fecit Imperij. In epiſcopos tamen, qui modeſtius agere debuerant, aliquanto ſeuerius vindicauit. Ex his erat iſte, qui in Palmis, quum ſolennis fieret proceſſio iuxta carcerem, dictatum à ſe hymnum plena voce concinebat,

Gloria laus & honor tibi ſit rex Chriſte redemptor.

Perinde laxatus carcere veniam eſt conſequutus ab Imperatore, locoque ſuo reſtitutus fidelis Imperatori permanſit.

CA. 26. INTERIM Wigbertus dux Angriæ: olim erat Angliæ: quòd imperiti vetuſtatis differentiam ponere volebant ad inſignem maris inſulam, quum ignorarent honori ſuo detractum iri, quòd maiorum ſuorum decus in Britãniam emigrantium obſcurarent. Hic igitur Wigbertus inter Saxones vir primarius, vxore accepta Sindacilda, de genere Rabodi Phriſonum ducis: qui baptizandus, rogauit quonam conceſſiſſent patres eius: vbi audiuit omnes à Chriſto alienos in perditionem abiiſſe, pedem è baptiſterio retraxiſſe fertur, eò ſe profecturum conteſtans, quò maiorum ſuorum cœtus demigraſſet. Ex ea coniuge Wigbertus geminam ſuſtulit prolem, Brunonem atq; Walbertum. Profectũ hunc Wigbertum Romam comperio deuotionis gratia, indeq; ſanctorũ reliquias retuliſſe, quæ in nouum collegium, quod in Wildeshuſen oppidum Bremenſis diœceſis erexit, ſunt collocatæ. Ibiq; vir Chriſtiani nominis amantiſſimus, poſt longã inter ſuos religioſamq; conuerſationem in pace obdormiens requieuit, tumulatus ibidem. Erant ea tempeſtate in Saxonia principes alij, quorum nomina per inopiam ſcriptorum in obſcuro remanſere. Vnus tamen ex his latere nõ potuit, qui tanti habitus eſt, vt filiam eius Ludouicus Karoli filius Imperatoris Imperator, viuente patre coniugem duceret. Cuius ſucceſſio titulum habuit, vt comites dicerentur de Ringelheym. Nam & Karolus pater inter quatuor coniuges, quas temporum ſucceſſione, morientibus per ordinem tribus, accepit, vnam duxit Garſulam orientalis ducis Saxoniæ filiam. Niſi fortè in Angliã reſpiciamus, quam (vt diximus) Saxones de ſuo nomine Angliam vocauerunt ex Britannia: in qua erant Angli Saxones orientales, occidentales & meridionales, teſte Beda eius regionis indigena. Quumq; Karolus Bauariam tonſorato Taſſilone cum filio redegiſſet in prouinciam, remanſit nobilis quidam Ethico, dominus de Rauensberge, tanti æſtimatus apud Imperatorem Ludouicum, vt prima vxore defuncta, filiam Ethiconis Iudith acciperet, quæ peperit ei filium Karolum, poſtea dictum Caluum. Habuit idem Ethico filium Henricum, qui ſuaſu germanæ ſe ſubdidit Imperio. Quod pater deteſtatus, fertur abiiſſe cum duodecim viris primariis in montem abuium, quem nemo comperire poterat: præponens ibi viuere, & mori in libertate, quàm in delitiis agere ſub Imperio. Henricus Imperatori commendatiſsimus per iocum orabat, vt tantum illi terræ permitteret in feudum, quãtum poſſet vna die aurea quadriga circuire. Imperator rem ludicram ratus, per riſum annuit. Ille leui currui impoſitus, & per oportuna loca renouatis iugalibus, magnam Bauariæ partem obibat, in gremio ferens auream quadrigã. Eam terram ab Imperatore in feudum accepit, reddito Bauariæ titulo. Quumq; ad implendam (quod diximus) conditionem ferret in gremio quadrigam ex auro fabrefactam, inde ſibi nomen conſciuit, vt Aurei currus dux diceretur. A quo genus ducum Bauariç in Henricum vſq; Leonem proceſsit. Per quæ etiam tempora Ludouicus Imperator inter alia pietatis opera eccleſiam Auliceñſem (nunc Eltze) in Saxonia orientali à patre inchoatam, ad riuum Salam (qui Leynæ influit) perficere conſtituit. Sed commonitus miraculo rei quæ acciderat, in locum vbi nunc eſt Hildeſemenſis, tranſtulit. Quum enim pridem rem ſacram in venatione fieri iuſſiſſet, & capellanus ſacras reliquias de lacte (vt ferunt) ſanctæ Mariæ aut capillis eius, cum nonnullis aliis in arborem appenſas reliquiſſet per incuriam, reuerſus cum Imperatore ad eccleſiam Aulicenſem, vbi altare iam in conſpectu Imperatoris erat ſtruendum, cœpit reminiſci relictarum nuper reliquiarum. Concitò in eum rediit locum, reperitque relictas: ſed nulla potuit auellere vi de trunco. Miratus,

Stultus patrũ zelus & imitatio.

Henricus magnã regionem callide à Ludouico obtinet.

Miraculum.

Miratus, refert quid acciderit Imperatori: ille comperto miraculo, interpretatur diuinę eſſe voluntatis ibi inſtrui ſacellum. Mox erigitur in honorem Marię. Erat pridem dumis & inuiis paludibus horrens locus: ſed quid non mutat inſtantia peruigilis curæ & laboris? Cœpit perinde Apoſtolorum princeps cedere Virgini matri, tranſlataq́; eſt eccleſia Aulicenſis in Hildeſemenſem, vbi perdurat vſq; hodie. Hoc eſt autem initium Hildeſemenſis inſignis eccleſiæ: quæ (vt diximus) in Aulica eſt à Karolo inchoata: ſed in locum quem tenet, per Ludouicum filium tranſlata.

C A. 27.

WALBERTVS filius erat Wigberti, in gente Saxonum nobiliſſimus, & in Chriſtiana pietate feruentiſſimus: qui Romam deuotionis gratia petens, à ſummo pōtifice Leone corpus beati Alexandri martyris (qui filius erat Fœlicitatis) acceptum dono, in Wildeshuſen perfecto collegio à patre inchoato perduxit, ibiq́; religioſè eſt veneratus. Habuit hic fratrem Brunonem: qui accepta (vt ferunt) coniuge Suſanna ex Suæuia, genuit Ludolphum, qui in principatu ſucceſſit: nam Walbertus prolem maſculam non reliquit. Ad eius tempora pertinet grauis illa incurſatio Danorum & Normannorum, circa obitum Ludouici Imperatoris, hoc eſt circa DCCCXXXX. annum Domini. Nam filiis eius de regni diuiſione digladiantibus, Normanni (ſic enim Danos appellant, & quicquid ab aquilone venit, Gallici ſcriptores) liberam euagandi poteſtatem, & digraſſandi per littora Germaniæ & Galliarum acceperunt. Quo tempore Phriſones ipſos tributo adegerunt, quòd apud illos Haraldus, quem regni hoſtem deputauere, moraretur. Tanta erat hominum inſolentia, vt per Rhenum aſcendentes Coloniam obſiderent, per Albim, Hamburgum incenderint, & (vt verbis vtar annalium) inclyta ciuitas aut præda aut incendio periit. Ibi eccleſia, ibi clauſtrum, ibi bibliotheca ſummo collecta ſtudio conſumpta eſt. S. Anſgarius cum reliquiis pene nudus euaſit. Sed hanc rem in Metropoli ſumus exequuti. Grauiſſimam verò pugnam iuxta Antiſiodorum inuicem fratres Franciæ reges tum habuerunt, in qua vires Francorum vehementer attenuatæ ſunt: vbi Karolus cognomento poſtea Caluus, tum omnium iunior, aduerſus fratres conſanguineos tres (quòd ipſe alia eſſet matre, omnes vno patre Ludouico nati) ſolus præliū iniit. Vrebat hominem matris & ſua ex fratribus accepta iniuria: quod ſuprà diximus. Lotharius de Italia vires habuit, Ludouicus de Germania. Pipinus filius Pipini, horum ex fratre nepos, ex Aquitania vires coniunxerunt: Karolo ex Francis arma acceſſere. Sed in ea pugna etſi cædes eſſet grauiſſima vtrinque, videbatur tamen victoria partibus Karoli inclinare. Tum interueniente per legatos Sergio pontifice, res compoſita eſt in eum modum quem Ludouicus omnium pater antè præfiniiſſet, vt Lothario maiori eſſet Imperium & Italia, cum parte Franciæ inter Rhenum & Scaldim, quæ ex eo dicta eſt Lotharingia. Ludouico proueniret Germania, præſertim Bauaria, Francia, Turingia. Nam Saxonia pontificibus erat diſpartita, ſeruato tamen nobilibus in ea ſuo diſtrictu: ſuperintenderet tamen Ludouicus omnibus prouinciis Germaniæ. Pipino maneret Aquitania, Karolo verò Galliarum Francia. Ebonem Remenſem archiepiſcopum papa omni honore deſtituit, quòd non modò prioris in Ludouicum Imperatorem, ſed etiam huius inter fratres diſſidij author & incentor diceretur. Alij illum inſontem prædicauere. Vtcunque fuerit, S. Anſgarius illum à priſtina familiaritate & charitate non repulit. Quæ res innocentiæ eius plurimum videtur atteſtari: nam ſanguinarium epiſcopum vir ſanctiſſimus ſuo contubernio non dignaretur. Eiectus autem eccleſia ſua Ebo peruenit ad Hildeſemenſem, in qua III. pontifex vitam finiuit. Veriſimile eſt ad Ludouicum confugiſſe exulantem: qui illi de noua ſede (prout tum conſueuere reges) prouiderat.

Bellum inter Ludouici filios.

Pugna Antiſiodorenſis Caroli Calui contra fratres.

Lotaringiæ nomen.

C A P. 28.

SECVLVM iſtud perturbatione fuit pleniſſimum: præter enim Normannorum grauiſſimam incurſionem de littore maris, in ſe (vt diximus) fratres verſi rem atrociſſimè miſcuerunt. Quarum rerum Lotharius Imperator pertæſus, relicto ſeculo monachum ſe fecit, inq́; ea monaſtica vita annis octo perdurat. Filiis partitur regnum: maiori Ludouico permittit Imperium cum Italia, Lotharius capit Auſtraſiam (ea eſt Lotharingia) Karolo Burgūdiæ pars cum Romana prouenit prouincia. Karolus autem cognomento Caluus, horum patruus, Metim peruolat audita morte Lotharij, coronam eius prouinciæ de more accipit, indignante Ludouico rege Germaniæ, quòd eam ditionem ſolus Karolus inuadat. Legati regum rem omnem videbantur ad tolerabiliorem modum

Lotarius monachus factus, Ludouicum filium Imperatorem conſtituit.

redegiſſe, quum Ludouicus Germaniæ rex, accepta recens de Wandalis victoria, animos erexit: quod inuicem legati pacti ſunt, in irritum vocat. Sed tamen ea de re itur ad arbitros: illi partiti ſunt Auſtraſiam æquis portionibus. Sed Ludouicus Lotharij filius, iam Imperator declaratus, & ipſe Auſtraſiæ ſibi regnum depoſcit. Miſſis autem atque remiſſis à pontifice ad reges, à regibus ad pontificem oratoribus, arbitrorũ loco in eam formam conuentum eſt, vt Ludouicus Germaniæ rex quod ab Lotharingia teneret, Ludouico Imperatori permitteret. Dum hic rerum ſtatus eſſet in vicinis regionibus, Saxonia (quantum poterat) conquieuit à vicinis Danis ac Wandalis adhuc infidelibus, & perinde perpetuis Chriſtianorum hoſtibus. Sed metus inuictiſſimi regis Ludouici, tum per omnem Germaniam ſuperintendentis, compreſſit motus eorum. Erant tamen creberrimę illę per Galliarum littora Normannorum incurſiones: de quibus in Norwagia noſtra multa ſcripſimus. Per eadem tempora fuit in Saxonia illa eccleſiarum Hamburgen. ac Bremenſis vnio, per occaſionem quam in Metropoli commemorauimus: ſed per miras rerum gyrationes prouenit vt omnis honor & poteſtas in Bremenſem trãsferretur: quod in eodem tractu Metropolis per cauſas oſtendimus. Interea Walbertus Saxonum vir primarius, tranquilla pace compoſitus in Chriſti religione obdormiuit, ſepultus apud patrem in Wildeshuſen.

CAP. 29. LVDOLPHVS inter Saxones nobilitate præſtans, ex eadem Wedekindi ſtirpe prognatus eſt, filius, an ex fratre Walberti nepos, aut fratruelis, nonnulli relinquunt incertum: ſed compertum eſt, hunc Brunonis, qui frater erat Walberti, filium. Ex eiuſdem (inquiunt annales) Saxonicæ gentis ſtirpe vir nobilis & permagnificus eſt egreſſus, nomine Ludolphus: qui & ipſe Romam religionis gratia profectus, S. Papæ Innocentij reliquias inde adduxit. Crediderim Saxones ea ætate iam ſubditos religioni, paruiſſe pontificibus, nec ducis alicuius tuliſſe imperium, vſq; ad aliquot ſequentes ex hac linea principes. Sed tamen tradunt nonnulli hunc fuiſſe qui dominaretur vltra Viſurgũ in orientali Saxonia: quæ nunc ſola nomen retinens, Saxonia dicitur: nam Weſtphalia citra Viſurgum diuiſum habet vocabulum, ab occiduo ductum. Accepit autem Ludolphus vxorem Odam, filiam principis de orientali Francia, quam nunc vocant Franconiam: ex qua tulit filios, de quibus infrà memorabimus. Circa huius autem prima, vel nouiſſima patris eius tempora, illam eccleſiarum Bremenſis & Hamburgenſis vnionem factam comperimus, agente Ludouico Germanorum rege: qui Anſgarium iam ſede ſua pulſum, & diu in Ramſola exulantem, primum fecit in Bremenſem vacantem aſſumi eccleſiam: deinde etiam apud Nicolaum ſummum pontificem miſſis oratoribus perfecit vt eccleſiæ vnirẽtur: quod plenius in Metropoli ſignauimus. Sed quoniam Saxoniæ res per hæc tempora ſunt obſcuriores, propter incuriam ſcribentium, Ludouici Germanię regis (qui tum etiam Saxoniam etſi principatu non adminiſtraret, quadam tamen ſuperioritate illi ſuperintendit) exequamur. Nam pontifices eius arbitratu per Saxoniam ſumebantur: quod in Ebone Remenſi, & in optimo patre Anſgario declarabat deſyderatus exitus. Inde proueniſſe veriſimile eſt, neminẽ per eam ętatem Saxoniæ principẽ libera poteſtate dominatũ. Quo etiam tempore beatiſſimus pater Anſgarius latiſſimam ſuæ ditionis prouinciam obiens, diſſeminabat ſtrenuè verbum vitæ, inter pericula terra mariq; denſa, nihil aliud quæritans quàm vt martyr Deo cõſecretur. Normanni vero & Dani, ſiue iidem, ſiue natio promiſcua (res enim in obſcuro eſt, ꝙ illa ætate mari plurimum nauigãtes vſi ſunt Dani cum Norwagiis) in littore Galliarum ſedes ſibi per arma quæſierunt. Sed Ludouico Germanorum regi plurimus labor fuit ad nationes in circuitu perdomandas. Conflixit Wandalis ad oceanum demorantibus. Aciem vertit in Bohemos, eiuſdem linguæ & nationis homines, quamuis prouincia diuiſos. Normannos verò, etſi Franciam incurſauerint, ita retudit, vt ætate ſua ab prouinciis Germaniæ manus continerent. Interim verò Ludolphus Saxoniæ princeps, ex coniuge quam tenebat, filia ducis in orientali Francia: quam prouinciam ſcriptores deſignando variant: alij eam Franciam orientalem vocant (quæ omnibus Francis origo eſt, nunc per iniuriam appellata Franconia) alij deſignant Auſtraſiam, hoc eſt Metenſem prouinciam, quæ reliquę Franciæ eſt orientalis. Ex ea autem coniuge filios accepit Ottonem, Brunonem, Tanquardum, & quatuor filias. Quarum primæ tres Chriſto conſecrantur moniales, abbatiſſæ poſt inuicem in Gandersheym, quod pater fundauit monaſterium: quartam duxit Ludoui-

Quæ ſola hodie Saxonia eſt, olim erat Saxonia orientalis.

Normãni Galliæ partem occupant.

Ludouicus rex Franciæ. Vnde facilè datur coniici, non vile fuiſſe nomen his ducibus, quorum affinitates reges quæritabant.

CA. 30.

INTEREA moritur Ludouicus Lotharij filius Imperator. Quo comperto, Karolus Caluus rex Franciæ filium mittit ad eam Lotharingiæ partem tutandam, quam ex Lothario Imperatore accepit: ipſe magno agmine, magnis itineribus contendit in Italiam. Ludouicus autem Germaniæ rex hoc futurum proſpiciens, Karolum filium illi opponit, iter eius impediturum: ſed Karolus Caluus fortior incubuit, quàm vt à Karolo Germanico impediretur. Igitur ille acceſſit partibus victoris, cedēs patruo. Alium illi filium Ludouicum Ludouicus oppoſuit: ſed vbi nihil ſe poſſe facere conſpexit, ad patrem eſt reuerſus. Interea Karolus Caluus Franciæ rex, Imperij coronam accępit de manu pontificis: & diſcedens Italia, Roſimon coniugis ſuæ fratrem Italiæ præfecit, attributo illi quantum voluit præſidio militum, quo prouinciam tutaretur. Cui etiam neptem ſuam, filiam Ludouici fratris Germaniæ regis, deſpōdit vxorem. Ipſe verò iam Romanus Imperator reuerſus eſt in Franciam ſuam, auctior dignitate Imperij. Ludouicus rex Germaniæ per ea tempora fato conceſſit, Ludouicum & Karolum filios relinquens. Ludouicus autem iunior miſſis ad patruum Karolum Imperatorem oratoribus, amicitiam eius poſtulat, & abolitionem earum rerum quæ patri illius cum eo fuere. Auerſatus Karolus reiecit legationem. Ludouicus autem magnam ex Turingis, Saxonibus ac Bauaris manum contrahens, ad Rhenum caſtrametatur, ducturus in patruum. Occurrit illi Imperator, ab altera ripa fixis tentoriis. Tentatur in tranſactionem verti per medios oratores. Dum illi rei intentus Ludouicus paci ſe parat, Karolus Imperator molitur inſidias: nam diuerſo itinere per noctem copias trāſponit, & iubet occultis itineribus hoſtilia caſtra depugnare. Detectis inſidiis Ludouicus ſuos in ordinem collocat, & venientes excipit Francos, fugatq́; multos in itinere proſternens, vt non ſe veniſſe gauderent. Imperator ſuis fugientibus, & ipſe ad pugnam imparatus fugæ fit comes. Prædam multam aſſequuntur inſequentes: ſparſi etiam à ruſticis nudantur rebus. Ita inſidiarum ſuarum ſtatim pœnituit Imperatorem. Quum interim Normanni premerent Franciam, & Saraceni Italiam, vocatus à ſummo pontifice Imperator, cum expeditis copiis Italiā ingreditur, mittens ex ducibus, qui Normannis conflictarentur. Iohannes pontifex obuiā Imperatori proficiſcitur, Papiæ ſe ſalutant, interim iunctis agminibus Romam petunt. Karolus autem Germanici Ludouici filius, cum magnis copiis & ipſe in Italiam contendit, gratiam initurus apud ſummum pontificem. Audiens autem Imperatorem ſe præueniſſe, conuerſo itinere redit in Germaniam. Imperator rebus compoſitis, quum redire parat in Frāciam, febre corripitur. Iudæus, quem medici loco honorabat, potione illum donat (vt putauere) amatoria: ille inde finem viuendi fecit. Ludolphus quoque Saxoniæ princeps, tranquilla pace compoſitus in pace quieuit.

Carolus caluus Franciæ rex Imperator.

Ludouicus cum Imperatore patruo bellum.

Caroli Calui mors.

CAP. 31.

BRVNO, Tanquardus, Otto, liberi fuere Ludolpho. Quorum Bruno inſigne nomē reliquit vico quē ille primus inchoauerat, qui ex illo dictus eſt Brunonis vicus, iam diu Brunſwicum, inſigne oppidum in media Saxonia, ad riuum Onacri, qui influit Viſurgum. Cuius oppidi parua primùm initia, multas per tempora habuere acceſſiones, vt per vices amplificatum, nunc in eas excreuerit vires atque opes, vt facilè principibus ſuis titulum indiderit: qui exinde vocantur duces Brunſwickcenſes. Sed hoc longè poſtea. Sinum excurrentis fluminis, ſtagni aut maris, Saxones ſua lingua Wyck appellant. Inde Bruno excurſum fluminis alterum, alterum Tanquardus non longo interuallo ædificiis honeſtarunt. Inde Brunſwyck & Tanquardeſwyck diu variata appellatione ſecernebantur. Obtinuit autem Bruno vt ſolus oppido nomen relinqueret: frater autem arcem communiuit vicino loco, quæ de eius nomine Tanquerode diceretur. Quo in loco eccleſia S. Blaſio conſecrata, nomen retinuit, vt in vrbe diceretur, extantibus muris prioribus, quæ iam mœnibus ciuitatis ambiuntur. Brunonis autem inſignis viri glorioſus fuit exitus. Nam mortuo Ludouico Germaniæ rege fortiſſimo, qui Germaniæ littoribus Normannos fortiſſimè repulit, cognita regis morte iidem hoſtes magno agmine Saxoniam inuadunt, media omnia ferro igniq́ue vaſtant, Albi tranſmiſſo in vlteriora proficiſcuntur. Fama tanti mali Brunonem iamdudum præuenerat. Ille vocatis omnibus quos ad pietatem tantæ expeditionis paratos inuenerat, duodecim (vt aiunt) comitibus, hoc eſt Saxonum primariis ex nobilitate viris (nam comitum nomen illa æ-

Brunſwicenſis ducatus.

tate in hac prouincia erat incompertum) omnibus vicinis pontificibus Verdenſi, Mindenſi, Hildeſemenſi. Rembertus iam Hamburgenſi præſidens, tum in finibus Bremenſis diœceſis agebat, precibus adiuuans, quos armis carnalibus nō poterat. Tantum agmē Chriſtiani exercitus idololatris Normannis Daniſque ſe obiectabat, in loco qui dicitur Ebbeckeſtorp. Inito certamine pro ſe quiſque fortiter agebat. Chriſtiani enim aut vincere aut mori diffinitum habebant, beatos ſe futuros ſi in cauſa piiſſimæ religionis occumberent, fortunatos verò ſi vincerent: ſed beatos ſe malebant quàm fortunatos. Ita factum eſt vt pertinaci diu pugna extracta, totum agmen Chriſtiani nominis pro Chriſto occumberet, dux ipſe cum epiſcopis & omnibus Chriſtianis militibus. Coniecta omnium in vnum aceruum corpora (quum nemo diu ad ſepulturam peteret, hoſteſque veſtes & arma tuliſſent) iam nudata, poſt moram internoſci non poterant. Vno agmine ceciderunt, vno loco ſunt terræ commendata corpora, vt neque pontifices neque nobiles internoſcerentur. Mindenſes ſuum pontificem Theodericum requirentes, diſcernere non poterant. Idem Hildeſemenſibus contigiſſe reor, & Verdenſibus. Hic fuit exitus glorioſi ducis Brunonis, & hæc ſanctarum reliquiarum in Ebbeckeſtorp conſecratio: quam indocta fabula ab Hamburga, quum ibi pontifex ſummus (vt ſomniant) cæderetur, ferunt huc aduectam. Teſtes rei quam diximus, ſunt eccleſiarum Mindenſis, Hildeſemenſis & Hamburgenſis annales: vt erubeſcant qui ſolitam ſequuntur fabulationē. Nam de Romano pontifice qui Hamburgum venerit, quid ſit factum, in Ottone I. dicemus (cuius tempora contingit) & diximus in Metropoli, fabulam omnem exuffflantes. Incurſiones etiam quàm crebræ à perſequutoribus Chriſtianorum in vrbem Hamburgum factæ ſunt (vnde martyrum multorum reliquiæ) in eadem Metropoli locum inueniet. Per eadem quoque tempora Normanni magis in littoribus Franciæ inualuere, Neuſtriam (quæ inde vſq; in hunc diem dicta eſt Normannia) occupantes: quod ſumus in Norwagia exequuti.

Chriſtiani prælio victi.

Normannia nomen, quæ antea Neuſtria.

CAP. 32.

OTTO dicti Brunonis germanus, poſt fratrum interitum iam iuſtum principatum arripuit, decreſcentibus paulatim viribus Germaniæ regum. Quantum deceſſerat Francis, tantum acceſſit Saxonibus, in quos iam rerum cœperat ſumma inclinare. Nam Ludouico Balbo, Karoli Calui filio, Iohannes pontifex Imperium vſq; ad Franciam deferebat, celebrato concilio Lugduni. Erant autem qui Karolo Craſſo Germaniæ regis filio ſtuderent: qui redeuntem ex Francia pontificem cœpere, coegerunt vt Karolo Imperij donaret infulam. Ita duo pariter ſe Imperatores geſſere. Sed Ludouico vltra triennium non durauit Imperium: quo decedente ſolus in eo Karolus per annos XII. permanebat. Erat iſte (vt diximus) Ludouici Germanorum regis filius, fratrem habens æquè Ludouicum, Germaniæ regem: & item alium Karlomannum, cuius filius Arnulphus poſtea peruenit ad Imperium. Quo tempore fuit illa grauis incurſatio Normannorum in Franciam, quam in Norwagia explicuimus. Iſte verò Karolus Imperator vbi agnouit ſe principibus minus gratum, Imperio volens ceſſit, ne (quod formidabat) inuitus deſtitueretur. Aſſumptus eſt autem à principibus Arnulphus vir magnificus, princeps fortiſſimus, filius Karlomanni, qui frater erat decedentis Karoli. Hic ſuſcepit bellum aduerſus Normannos cœlitus adminiſtratum, in quo Normanni ab eo ad internecionem ſunt deleti. Siquidem centum millibus paganorum proſtratis, vix vnus è Chriſtianis cecidiſſe eſt repertus. Gotfridus & Sigefridus regij proceres ibi ceciderunt. Dominabatur autem iſte Arnulphus Bauaris, Sueuis, Francis orientalibus, & poſt mortem Karoli Calui, Lotharingis audacibusq; Saxonibus. Verba ponere libuit annalium: Qui Saxones etſi ſuum haberent principem, tamen Germanorum regem, & iam Imperatorem, dominum recognouere: quo modo & noſtra tempeſtate duces in Francia, qui regem ſupra ſe adorant. Non erat illa quam nunc cernimus in Germania principum libertas non bona, vt ſuſcipiant quæ volunt Imperatoris mandata. Vnde etiam iſta nolentes cernimus Imperij detrimenta: quæ omnino non fierent, ſi (vt par erat) principes Germaniæ (quomodo Franciæ ſuo regi) parerent. Idem Arnulphus Imperator bellum ſuſcepit aduerſus Zuentebaldum Morauorum regem, tributa negantem. Æneas in Bohemica illum appellat Zuantocopium, qui vnus Poloniam, Bohemiam, Sleſiam, Morauiam teneret imperio, Arnulphum Imperatorem agnoſcere primarium ſuum detrectauit. Magno totius Germaniæ apparatu mouit in illum Imperator:

Carolus Craſſus Imperator.

Arnulphus.

Imperatoris in Germania maior quàm hodie autoritas.

Huno-

Hunorumq́; reliquiis per Pannonias miſſis,& Germanorum viribus occurrentem ſibi regem in acie vicit,& magna ſtrage in eius copias peracta fugauit. Ille iam regni ſpem ponens incognitus conceſſit in eremum: ibiq́; Chriſtiano, ſed eremitico ritu finiuit vitam,propinqua tantùm morte teſtatus præſentibus quis eſſet. Per hoc tempus ſub Formoſo Romano pontifice renouata eſt quæſtio de eccleſia Bremenſi,& decreto concilij quod erat apud Triburiam(nunc vocant Friburgum) cõuictus qualibuſcunq; argumentis Adalgarius,pridem Hamburgenſis archiepiſcopus,coactus iterum fieri ſuffraganeus Colonienſis,conſedit infimo loco. Magna in concilio duorum effertur contentio doctorum,quæ omniũ in ſe oculos conuertit:ſed victus eſt qui pro Adalgario ſtabat. Tum etiam illa ſtupenda Romæ in pontificia ſede perturbatio eſt exorta à Formoſo & ſucceſſoribus eius,quum orto inter eos ſchiſmate ſucceſſor prædeceſſorem malè haberet. Effoditur à ſucceſſore Formoſus,& cadauer in Tyberim proiicitur. Qui hoc procurauit pontifex,à ſucceſſore ſuo Formoſi defenſore,confunditur. Ita grauiſſimo totius Chriſtianiſmi ſcandalo Romani pontifices velut ebrij,imò furioſi,iactabantur. O Petre, Line,Clete,Clemens,ad quid peruenit veſtro ſanguine veſtratumq́;,imò Chriſti cruore partus principatus? Sed hæc alij.

Contentio inter Eccleſias de primatu.

Romani pontifices alij in alios barbarè ſæuiunt.

C A. 33.

OTTO interim dux Saxoniæ,etſi Germaniæ regem ſupra ſe agnoſceret, iuſto tamẽ principatu dominabatur in ſua prouincia,nec contemnendi erat nominis apud Ro. Imperatorem Arnulphum,regem etiam ſuum: qui tanti illum fecit, vt filiam illi ſuam Lucardam coniugem daret. Ex qua ille filium ſuſtulit Henricum,qui primus ex Saxonibus imperabat,filiamq́; Alheidim,quæ in Quedelenborg Chriſto conſecrata eſt abbatiſſa. Vnde apparet Henricum regem materno ſanguine pertinere ad lineam Karoli Magni, cuius mater erat Arnulphi filia, qui patrem habuit Karlomannum, & ille Ludouicum Germaniæ regem,qui Ludouicum Imperatorem I, & ille Karolum Magnum: ſexto gradu atauum ſuum numerat Henricus. Et vt lineam generis à pleriſque turbatam agnoſcamus,videndum qui Imperatores exierint à Karolo Magno: cui primùm ſucceſſit Pius Ludouicus,& illi filius Lotharius,Karoli nepos:illi Ludouicus filius,Karoli pronepos:illi Karolus Caluus,proximi Ludouici patruus,Karoli Magni nepos: illi filius Ludouicus Balbus, Karoli iterum pronepos: & illi Karolus Craſſus, Ludouici regis filius, Magni quoque Karoli pronepos:illi autem Arnulphus,Karlomanni, qui frater erat Ludouici regis Germaniæ filius, Karoli Magni abnepos. Is erat Henrici regis Germaniæ maternus auus:vt trinepos Karoli ille computetur. Arnulpho ſucceſſit filius eius Ludouicus,Henrici auunculus. Erat & alius filius Arnulpho Conradus, dux Lotharingiæ, quem Albertus Francus,comes de Bamberga, prælio oppreſſit, ob hoc proditione archiepiſcopi Moguntini Hattonis, publico gladio cæſus ab Imperatore Ludouico fratre eius. Hic Conradus reliquit filios, Conradum, qui imperauit ante Henricum, & Euerhardum ducem Lotharingiæ. Hæc idcirco vt non alienum ſciamus Henricum regem,de quo ſtatim,à ſanguine Karoli Magni. Hic autem Otto dux Saxoniæ quia ad extremam peruenit ſenectam,multos vidit Romanorum Imperatores. Nam Arnulpho miſerabiliter morienti,infœlicitate Syllæ Romani dictatoris, ſucceſſit filius Ludouicus per annos XII. Hic (vt diximus) fratrem habuit Conradum, cæſum in acie ab Alberto, huius Ottonis ex filio nepote: quæ res effecit vt Ludouicus Imperator proditione(vt ferunt) Hattonis Moguntini præſulis, qui illi gratiam ſponderet Imperatoris, captus gladio Imperatoris periit. Sed paulo ante hæc tempora quum Arnulphus Imperator bellum gereret in Zuendebaldum Morauiæ regem,& clauſtra quibus excludebantur Vngari gens Scythica,laxaſſet,quum illorum tum opera in hoſtem vteretur, malo cæterorum(vt apparuit) Chriſtianorum,feram gentem immiſit prouinciis Chriſtianis. Tendebant ergo Vngari in Pannonias, antiquam ſedem exterarum nationum. Nam vetuſtiſſima memoria eam apprehenderunt Gothi, poſt illos Huni, pulſis Gothis: Longobardi poſt illos,pulſis Hunis. Quum illi tenderent in Italiam,Huni,non iam vt prius imperioſi, ſedes acceperant eaſdem ab Longobardis precariò, vt, ſi qua neceſſitas illis reuertendi ingruiſſet,haberent quò reciperentur. Sed Longobardis in Italia permanentibus, permanſit ſedes Hunis vſque ad tempora Karoli Magni,qui gentem, omni nobilitate in acie cæſa,ſatis extenuauit. Nunc verò aduenæ Vngari conſanguineis ſuis(vt putatur) Hunis ſuperuenere. Mira res, tam numeroſum populum, tam crebris agminibus ex vaſtis

Succeſſorum à Carolo magno ſeries.

Ludouicus Imperator.

Pannonia alias ſubinde aduenis patuit.

ſolitudinibus motum, ſemper eaſdem ſedes in Pannonia petiiſſe, quaſi illa prouincia decreta ſit recipiendis aduenis. Primo ingreſſu fecerant Vngari quod ſolent aduenæ barbari: mira celeritate & prædarum auiditate, ſtimulante natiua ferocia, excurrerunt in Alemaniam, hoc eſt in Suæuiam Bauariamque: ſed ibi fortiter reſiſtentibus incolis, multi perierunt. Ludouicus Imperator, Imperium moriens reliquit. Voluit autem omnis Francorum Saxonumque nobilitas Ottoni ſceptrum & diadema regni tradere: ſed ille cauſatus ſenium recuſauit: & peruenit ad Conradum Conradi, qui frater erat Ludouici, filium, ducem Auſtraſiorum, hoc eſt Metenſium & orientalium Francorum: in quo Conrado etiam finijt linea Karolorum maſculina. Regnauit autem iſte in Alemania ſola, annis ſeptem. Iam enim Itali contempto Imperio erexerunt ſuos in prouincia Imperatores, Berengarium Foroiulienſes, Guidonem Beneuentani. Erāt verò iam principatus Germaniæ partiti in multos, poſteaquam Imperio in reges Germaniæ tranſlato deſierunt eſſe reges Germaniæ, ſumpto iam maiori titulo Romani Imperij. Et in Bauaria Arnoldus, Burchardus in Suæuia (quæ Alemania dicitur à Lemano lacu) duces, Euerhardus potentiſſimus comes in Francia, quam nunc vocant Franconiam (frater hic erat regis Conradi) Giſebertus dux in Auſtraſia, quæ nunc (vt diximus) Lotharingia eſt. Otto verò Saxoniæ dux iam ſenio fractus, ad capulum perueniens, in pace quieuit, Henricum relinquens ſucceſſorem filium.

Imperij occidentalis vaſtatio.

LIBRI SECVNDI FINIS.

ALBERTI KRANTZII
SAXONIÆ LIB. III.

Imperium petit Saxonicā familiam.

Henricvs Ottonis Saxoniæ ducis filius, Arnulphi Imperatoris ex filia nepos, qui regiam dignitatem primus inuexit in domum Saxoniæ, in qua diu permanſit, meritò nobis initium tribuit noui orſus. Erat enim inter omnes regni principes præpotens ac viribus formidabilis, qui primus libera poteſtate principatum Saxoniç adminiſtrabat: nam maiores eius ſub regibus delituerunt. Henricum autem ducem ſibi ſemper aduerſarium Conradus rex ſuſpexit: mouiſſetque in eum, ſi non omnium in ſe principum motum formidaſſet. Nam quos diximus principes, non vnum de Conrado ſentiebant. Hoc veritus rex, aperta vi congredi Henrico non præſumpſit: cæterùm conſilium fertur habuiſſe cum Hattone Moguntino præſule (qui Albertum Henrici ex ſorore nepotem prodiderat) vt Henricum quoque ſubuerteret. Aureum torquem fertur procuraſſe fieri pontifex, quem dono daret Henrico, vt perinde nactus fidem apud illum, pro arbitrio proderet. Conſiderandi operis gratia pontifex diuertit ex itinere ad aurificem, viſoque torque fertur ingemuiſſe. Tum familiaritate fretum opificem, rogaſſe quid ſibi vellent ex alto ducta ſuſpiria. Aliquando, ait, torques ille cruore fortiſſimi viri madidabitur. Iam antea intellexerat opifex aurum Henrico duci deſtinari: & ille quàm potuit ſecretius curauit rem Henrico, quam audiuit, notam fieri. Ille tacitus obſeruat omnia. Mittitur magno munere torques ab archiepiſcopo duci, inuitaturque ad conuiuium. Henricus autem conuerſus in nuncium, Dic (inquit) Hattoni, non eſſe Henrico ceruicem qualem habuit Albertus: donum ſuum illi ſit: melius eſt Henricum domi ſedentem de Hattonis ſeruitute cogitare, quàm domum eius comitatu magno grauare. Ita dolus non proceſſit. Rex autem Conradus miſit fratrem ſuum ad vaſtandam Saxoniam. Qui appropians vrbi Eresburg ſuperbè (vt inquiunt) loquutus eſt, quòd nulla maior ſibi cura eſſet, quàm quòd Saxones ſe pro muris oſtēdere Franciſ non auderent: hoc ſe formidare primùm, ne vllum haberent hoſtem in proſpectu. Adhuc ſermo erat in ore eius, & ecce Saxones occurrunt mille paſſibus ab vrbe: initoq; certamine tanta cæde ſtrati ſunt Franci, vt à mimis declamaretur, Vbi tantus ille infernus, qui eam capere poſſet deſcendentium multitudinē? Ita à timore ſuo Francus liberatus eſt, quòd formidaret Saxones ſe non viſurum: nam ab ipſis turpiter fugatus diſceſſit.

Hatto Moguntinenſis epiſcopus proditionum artifex.

Franci à Saxonibus caſi.

Audiens

Audiens autem rex male pugnatum à fratre, congregata omni Francorum virtute perrexit ad requirendum Henricum. Superuenit autem Henrico imparato in vrbe Gruona, quam obſidione cingere parauit. Præmiſſis tamen oratoribus obtulit Henrico, amicum illi venturũ, ſi ad dedendam arcem deſcẽdat. Interuenit autẽ huic legationi Diethmarus vir callidus ex orientalibus Saxonibus, militaris rei ſcientiſſimus. Qui vbi vidit adeſſe regis nuncios, clara voce ducem ſciſcitatur quanam parte velit caſtra figi legionibus quas adduxiſſet. Nullas autem adduxit: ſed eam ſpeciem prætenderat ob præſentes. Dux callidi conſilij ſatis gnarus, rogat quot adduxerit legiones. Triginta, inquit, millia in armis habeo loco deſignato. Nuncios ſine fructu dimiſit. Illi regem de adductis legionibus terruerunt: itaque dimiſſis copiis rex fruſtratus in Franciam ſuam redit. Nulla te lector perturbet æquiuocatio: Franciam dico Theutoniæ, non Galliæ: illam enim (vbi opus fuerit) ad ſpeciem dicam. Septimo autem anno regni ſui rex Conradus cœpit ægrotare: ſentienſque fati horam propinquare, principes regni præter Henricum euocauit, & eos ita conuenit. Vocationis meæ, inquit, tempus agnoſco, & (vt cernitis) præſto eſt.

Conradus moribundus principes alloquitur.

Proinde pacem atque concordiam ſectari etiam atque etiam vos oro: nulla vos regnandi comprehendat ambitio. Henricum Saxonum Turingorumq; ducem prudentiſſimum, regem vobis eligite, dominum conſtituite: is eſt enim ſapientia pollens, & iuſtæ ſeueritatis cenſura ſubnixus. Quibus non recuſantibus, ſeuocat germanum ſuum Euerhardũ. Vides, inquit, frater quia ad fatum peruenio: tu ibi poſthac conſulito. Sunt copiæ, ſunt arma, ſunt exercitus, ſunt vrbes & mœnia: ſatis inter principes quocunq; loco fulges. Vni te cedere non diſſimules, Henrico duci Saxoniæ propinquo noſtro. Eſt apud illum & virtus & conſilium, fortuna ſe ſociam iungit. Si me audis, accipe regni inſignia, & ad illum perferto, teq; illi, quãtum potes, facito commendatũ. Nam rei noſtræ publicæ gloria ad Saxones commigrauit. Tu te illi, ſi ſapis, contempera. Ceciderũt fratri lachrymæ: & ille obdormiuit. Accepta autem regni inſignia Euerhardus, de his fratris mandata peregit, Henrico ſe ſuaq; omnia, & regni iura cõmendans. Conuocata autem omni Francorum atq; Saxonum nobilitate in Friſlaria, vnanimi cõſenſu Henricum Saxoniæ ducem regno præficiunt, anno Chriſtianę ſalutis DCCCCXX. Necdum enim erat legitima electorum principum conſtitutio, nec ſummus tum pontifex conſulebatur: quamuis magna ſe inſtantia immiſcuerint Romani pontifices ad dandum Imperium, vt ſuam perinde amplificarent poteſtatem.

Romani pontificus non tam vetuſta autoritas quàm prædicant.

CAP. 2.

HENRICVS ergo dux Saxoniæ primus ex ea familia ad Romani regni culmen aſcendit, quod ea domus per aliquot continuata ſecula perſeuerantur ſeruauit: vt in contextu docebimus. Cui, ſi in Italiam prædeceſſorum more venire dignaretur, diadema cum conſecratione ad Imperatoriam dignitatem, Iohannes eius nominis x. ſummus pontifex repromiſit. Henricus autem ſatis ſibi videri reſpondet, quòd primus ad regni culmẽ immeritus perueniſſet: diadema Imperij maioribus debitum, ſe nihil ambire ſupra id quod accepiſſet, etiam ſic maiora quàm obire poſſet, ſuſtollentem onera. Leuauere in cœlum manus viri ſenſati, quòd ea modeſtia principem haberent. Prima illi militaris expeditio in Burchardum Suæuiæ ducem contumacem fuit. Intumuit autem quòd filiam eius vxorem haberet Rodulphus Burgundiæ dux, quem cæſo Rodulpho patre ducis Hugonis, fratre autem regis Vtonis, inimici Karoli regis in Franciæ regnum eleuauerunt. Sed nihil profuit Burchardo magni generi regia fortuna: nam impar viribus Henrici Romanorum regis ad obedientiam rediit, ſe ſuaque omnia permittens regi Romanorum. Arnoldus quoque Bauarorum dux (qui à facie Conradi conceſſit cum omnibus fortunis in Vngariam) Henrico in regnum ſublimato, quòd ſperaret regnum ſibi pro antiqua nobilitate deberi, rediit in prouinciam. Fecerant illi animos quidam ſuorum, quòd regio Francorum ſanguine cretus, ſceptris propior eſſet homine Saxone. Itaque rebelles animos oſtendit Henrico. Rex componendo intentus regno, expeditis copiis duxit in illum in Ratiſponam. Hic variant ſcriptores.

Henrici cum Arnoldo bellũ lenitate ſumma regis compoſitum.

Nam alij dicunt Arnoldum mœnibus egreſſum ſe ad pedes miſiſſe regis, inque amicitiam & perpetuam ſocietatem ab illo ſuſceptum. Alij verò tradunt Arnoldum agmine parato obuiam regi profectum, ad pugnam exiſſe. Vbi caſtra hoſtilia non longè aberant, rex (vt erat modeſtia & prudentia ſingulari) fertur euocaſſe ducem, ſolus cum ſolo loquuturus. Ille ad duellum ſe prouocatum reputans, non cunctanter

occurrit. Henricus rex armis poſitis, familiariter cum illo loquebatur. Quid eſt, inquiens, mi Arnolde, quòd inuicem nos noſtraque in diſcrimen proiicimus? Ego, ſi tu procerum populique conſenſu rex eſſes aſſumptus, primus te venerarer. Crede quod ſcriptum ferunt, non eſſe niſi à Deo principatum, cui quiſquis reſiſtit, Dei ſe opponit ordinationi, quem debet contumax iratum metuere. Conſule tibi tuiſque. Me in vtrunque paratum habes: amicũ an hoſtem malis elige: mallem quid amicus poſſim, quàm quid hoſtis experireris. Hæc ſuaui ſermone, qui regem plurimum ornabat, proloquutus, incertum dimittit. Ille ad ſuos refert regis verba. Vera dixiſſe fatentur, ſuadetque pars ſanior, regi malit vti pacato quàm irato. Ita poſitis armis egreſſus caſtris Arnoldus, regem ſalutat & veneratur, iuſta implens maiori ſuo.

CAP. 3. QVIA in percenſenda Saxonum linea & rerum geſtarum ſerie, legitimo ordine peruentum eſt ad eum principem, qui primus Imperatorum decus & Romani principatus dignitatem ſummam in ſuam traduxit familiam, in qua continuata diu ſucceſſione per aliquot ſecula permanſit: nõ ab re fuerit breui catalogo recenſere omnes principes, qui in ea fulſere maieſtate, ingreſſus & exitus, & (quantum breuitas tanta patitur) illuſtrium rerum ſignificationem, magis quàm explanationem. Sunt enim iſta à maioribus ſatis commemorata, vt noſtram non requirant explanationem.

1. CAIVS Iulius Cæſar victor ciuili bello quod in Pompeium, imò in Romanum ſenatum inſtituerat, oppreſſa republica primus inuexit monarchiam. Et quoniam regium nomen inuiſum Romano populo nõ ignorabat, perpetuus dictator appellari maluit: & enatum eſt inde nomen Imperatoris, quod tranſlatum eſt ab officio in primam dignitatem. Equidem Imperator dici ſolebat, qui quũ præeſſet exercitui, inſignem peperit victoriam. Vnde gloriatur Cicero ſe in prouincia à militibus ſuis Imperatorem appellatum. Tenuit annis quinque: & profligatis partibus in oriente & Hiſpaniis, in ipſo ſenatu XXIII. vulneribus cæſus occubuit ad ſtatuam Pompeij à ſe oppreſſi, reliquitque nomen Cæſaris ſucceſſoribus: vir (inquit Oroſius) quo nullus vnquam bellis magis enituit. Eius ſiquidem ductu vndecies centum nonaginta & duo millia hoſtium cæſa ſunt.

Imperatorum Romanorum catalogus.

Cæſaris nomen.

2. OCTAVIVS, quem (neſcio quo errore) Octauianum vocant, ex ſorore Cæſaris nepos, teſtamento eius ſcriptus hæres, Cæſarianis militibus (& præſertim veteranis) annitentibus arma ſumpſit, & ſpecie vindicandi auunculi, monarchiam ab illo partam defendit. Ciuilia bella quinque geſſit: vbique victor prouincias edomuit, & multo tempore, plurima fœlicitate, Romanam rempublicam auxit prouexitque. Sub illo natus eſt Chriſtus Dominus in terris. Virilem prolem niſi adoptione non habuit. Druſum Neronem priuignum, virum mira virtute illuſtrem, ad Imperium poſt ſe deſtinauit: ſed ille mortuus eſt in Germania. Hic Auguſti nomen recepit, & poſteris omnibus, qui pleno iure imperarunt, reliquit. Mortuus in ſenectute bona Romæ crematur, extructo cuius extant reliquiæ inſigni tumulo.

Auguſti nomen.

3. TIBERIVS Nero, Auguſti priuignus, Druſi frater, inopia meliorum, teſtamento Auguſti peruenit ad Imperium: quod mediocri laude tenuit, modeſtus initio, inde varius. Nequitiam eius memoria recens Auguſti temperabat. Sub illo crucifixus eſt in Iudæa Dominus. Sed neque ille prolem virilem reliquit. Vnde adoptione facta, quum aliquot ante ſe ab Auguſto optati periiſſent, in Germanico, Druſi, fratris ſui filio, omniũ ſpes reſidebat: ſed ille ante Tiberium exceſſit. Filium illius Caium adoptauit, reliquitque ſucceſſorem, mortuus in ſenectute.

4. CAIVS cognomento Caligula, quia in caſtris natus & nutritus, militari vocabulo dignatur, Germanici filius, Druſi Neronis nepos, boni patris, melioris aui degener filius, ſumpſit Imperium: in quo primus libera nequitia graſſabatur, bonos omnes ſine diſcrimine tollens. Quotidianum illi Romanorum deo (ſic enim voluit appellari) ſacrificium ſenatorum ſanguine fiebat. Sed non eſt diu paſſa tantam labem Romana reſpublica, quæ Auguſtum proauum illius modeſtiſſimum principem recordabatur. Cæſus eſt anno IIII. domi ſuæ.

5. CLAVDIVS Nero Caij patruus, filius & ille Druſi, ſucceſſit, vt in Cæſariana adoptione maneret Imperium. Mediocris vir laudis, inter optimos & peſſimos medius, quem vxores, prima Meſſalina, deinde Agrippina, deteriorẽ fecere. Filium habuit Britannicum:

tannicum: ſed illum nouerca Agrippina curauit de medio fieri, vt filio Neroni aulam vacuefaceret. Octauiam Claudij filiam Neroni filio effecit vt deſponderet pater: dos erat Imperium. Mortuus eſt iſte veneno pereſo, machinatione Agrippinæ cõiugis, matris Neronis: quam Meſſalinæ occidi iuſſæ ſuperinduxit coniugem.

NERO patre Domitio natus, priuignus Claudij, Cęſarum lineam materno ſangui- 6. ne contigit: artibus matris peruenit ad Imperium, vltimus de cognatione Cæſarũ, doctus, modeſtus initio: ſed res erat ſimulata: omni nequiria exuberans, vbi liberè imperauit. Vxorem Octauiam, matrem Agrippinam, Senecam præceptorẽ, & multos ſenatores tulit de medio. Pertulit diu tantam nequitiam magnitudo Imperij, vt non facilè ſentiretur ea peſtis. Primus nomini Chriſtiano perſequutionem intulit, qui omnẽ pietatem execratus eſt. Pulſus demum, & cæſus miſerabiliter in prædio quo delituerat.

GALBA nobili genere, ſatis magnis rebus geſtis, quum in Hiſpania rem admini- 7. ſtraret, à ſenatu & militibus Imperator factus, Romam contendit. Sed quum non ſatis placeret militibus, ob nimiam ſordidamque auaritiam (a quo illi donatiua pro tanto munere expectabant) in alium creandum reſpexere, qui Neronianos mores referret. Otto inuentus eſt aulicus, qui idoneus videretur: quo duce milites Galbam Romæ trucidarunt.

OTTO Romana ſtirpe, ſatis antiqua nobilitate, militum voluntate creatus eſt Im- 8. perator, quòd libertatem ſub illo Neronianam expectabant. Mores quos ſub Nerone didicit, mutare non potuit. Nec diuturna quies. Audierat Vitellium in Germania à militibus dictum Imperatorem, magnis agminibus in Italiam contendere. Exercitum pro tempore conſcribit, obuiam illi profectus. In Italia conuenere. Prima pugna inclinauit Ottoni, altera Vitellio. Tertiam Otto non expectauit: nam deſperatione rerum ſibi manus intulit.

VITELLIVS & ipſe Vitelliorum antiqua familia prognatus, militum ſuorum vo- 9. luntate Imperator factus, Ottoni ſucceſſit, non diu manſurus. Homo profunda gula: quem Veſpaſiani fauor perdidit. Nam vbi audiuere milites eius in Iudæa licentiam cæterorum, & ipſi dixerunt Imperatorem. Qui præmittens copias in Italiam, amiciſque in vrbe ſcribens, facilè obtinuit vt à militibus cum contumelia in vrbe Roma Vitellius cæderetur, cadauer etiam abiiceretur cum ignominia.

VESPASIANVS dux bellicarum rerum ſcientiſſimus, apud Ieroſolymam ſaluta 10. tus Imperator, copias præmiſit, ſequutus in Italiam, filium Titum relinquens ad Syriacas & Iudaicas res procurandas. Frater eius Sabinus à tumultuantibus pro Vitellio in vrbe cæſus, filius Domitianus vix eſt ſeruatus. Imperium adeptus, priſtinam ſeruauit modeſtiam. Filium Titum à Ieroſolymis cum victoria redeuntem, poſt triumphum, quem pa *Imperatorio* ter & filius vnà peregerant, conſortem fecit Imperij (quò certior eſſet de ſucceſſione) *primus cõſors* primus partitus Imperium. Anno decimo moritur in pace.

TITVS filius, qui viuenti acceſſit, mortuo patri ſucceſſit in Imperio, ea virtute cun 11. ctis amabilis, vt deliciæ humani generis appellaretur. A patre inchoatum Romæ conſummauit amphitheatrum (opus etiam in reliquiis, quæ viſuntur, ſtupendum) plura facturus, ſi longior illi vita fuiſſet. Inuidit fortuna mortalibus tam bonum principem: nam duobus annis vix poſt patrem èxpletis in Imperio periit morbo, deſyderium ſuum relinquens apud omnes: quem etiam fratris nequitia fecit deſyderabiliorem.

DOMITIANVS Titi frater, moribus Neroni aut Caligulæ quàm patri aut fratri 12. ſimilior, nimis diu Imperium occupauit ad annum vſque quartum decimum. Suſtentauit illum diu modeſtia patris ac virtus fratris: ſed ſuum quod vt amaretur prætenderet, non habebat. Moribus truculentis, tyrannide cruentus odium omnium bonorum in ſe conciuit, & perinde diu ſupereſſe (quem multi oderant) non potuit. Cæſus in palatio ab iis quos proximos habebat. Horum vitas duodecim Cæſarum Suetonius peragit: & Cornelius Tacitus in Auguſta hiſtoria (ſi integra eſſet) magnificè complicuit res geſtas.

NERVA ſenex, ex ſenatorio ordine, à ſenatu dictus eſt Imperator, vir longiori di- 13. gnus Imperio. Sed quia ſui ſimilẽ à natura filiũ nõ habebat, adoptione quæſiuit: Vlpium Traianum Crinitum, Romana propagine in Hiſpania natũ, prudentem, fortem. Vſuq; compertũ eſt, adoptionẽ melius procedere Romanis quàm genituram. Hic ſenex non

longius anno fuit in Imperio, abſumptus ſenio, qui ſatis magnus eſt (iuxta Comicum) morbus, fecitque locum filio quem adoptauit.

14\. TRAIANVS Vlpius Crinitus, vir militaris rei peritiſſimus, fortiter adminiſtrauit Imperium, ad orientem auxit: & ad Danubium primus poſt multos deceſſores, ipſe manu rem geſſit: quod præter Veſpaſianum, Titum & Auguſtum, molliculorum nemo fecit. Quocirca ſub illis auctum Romanum Imperium, ſub delicatioribus mox diminutum eſt. Adoptione & ille quæſiuit ſibi filium, in pace moriens, poſtquam viginti annis fortiter & magnificè Imperium adminiſtraſſet.

15\. HADRIANVS origine Italica, & ipſe in Hiſpania natus (in qua diu quoque vixit & militauit) à Traiano adoptatus peruenit ad Imperium. Circuibat prouincias. Nulla ipſe bella geſſit: vbi opus erat, miſſis ducibus rem peregit. Reliquias Iudæorum rebellantium ſuſtulit. Romanas prouincias à Traiano acceptas, quas diu tenere non poſſe videbatur, dimiſit, reuocatiſque militibus ad antiquos limites reduxit. Filium & ille nõ gignens, adoptione legit. Mortuus in ſenectute pacificè, poſteaquam XXI. annis Imperio præfuit.

16\. ANTONIVS cognomento Pius, vir manſueti animi, ea lege adoptatur ab Hadriano, vt adoleſcentes ſibi deſignatos adoptet, nepotes Hadriano futuros: quod ita factum eſt. Hic Imperator ſatis fœliciter rempublicã adminiſtrauit per annos XX. Nec bella geſſit, niſi pauca per duces, quòd orbis ſub optimo Imperatore ſatis quieſcere videbatur. Iam (quod antea ſignificaui) ex voluntate Hadriani, ſibi filios, illi nepotes legens, in pace requieuit.

17\. MARCVS Antonius, & Lucius Commodus Antoninus, adoptione, non natura fratres, patibus auſpiciis gubernandum ſuſceperunt Imperium. De Marci virtutibus dici ſatis non poteſt: modeſtia, humanitas, prudentia, ſupra mortales. Qua re perfecit vt frater ad vitia procliuior, verecundia eius magis quam ſuo ingenio maneret in officio. Suſcepit Lucius bellum in orientem: vnde victor reuerſus, conceſſit in fata. Marcus deinde ſolus Imperium adminiſtrauit. Bellum Marcomannicum in Germania maximũ fœliciter peregit: abſumptus peſte quæ tum graſſabatur.

Conſortes non impatiens Romana poteſtas

18\. COMMODVS Antonius Marci naturalis filius, nihil paternum præter figuram humani corporis habens, totus nequam, vbi ad Imperium peruenit: nam ſub patre optimo verecundè ſimulauit modeſtiam. Talem ſe in Imperio geſſit, vt nomine ſolo Commodus, moribus & geſtis eſſet incommodus. Nec vllam pater eius vnquam in rempublicam commiſit iniuriam, niſi quòd genuit. Ita ſemper male ſucceſſit Imperio Romano (præter vnum Titum) natiua ſucceſſio. Dignũ vita exitum inuenit Commodus, cæſus à ſuis in palatio.

19\. PERTINAX vir ſenatorius, ſummis par Imperatoribus, ſi licuiſſet per improbos, fuiſſet. Ad eum præfectus & aulici, freti virtute viri, cæſo Commodo Imperium detulerunt. Præfectus illi milites conciliabat: mores & vita ſenatui illum commendabant. Sed non diuturnum fuit Imperium: quippe vbi ad certam normam redigere omnia curauit, milites libertati aſſuetos offendit: illorumque odio periit, cæſus in palatio indigna morte.

20\. IVLIANVS Didius antiqua familia vir locupletiſſimus, inter Iuriſconſultos habitus, emit magis quàm virtute ſibi peperit Imperium. Oſtenderunt tunc milites, illum futurum Imperatorem, qui largitione illos promereretur. Et ideo non erat diuturnum, quòd ſola largitione conſtaret. Statim vbi audiuerant prætoriani Seuerum ſumpſiſſe foris Imperium, Iulianum ea facilitate peremerunt qua aſſumpſerunt. Iam enim eò licentiæ proceſſere milites, vt ſui putarent arbitrij conſtituere & deſtituere Imperatores.

21\. SEPTIMIVS Seuerus natus in Aphrica, Romana origine, Romanis in legionibus diu ordines duxit. Vbi audiuit Iulianum perempto Pertinace ſumpſiſſe Imperium indignante ſenatu, cœpit partes tueri ſenatus. Paſſus ſe à militibus Imperatorem conſalutari, magno labore peruenit, non minore defendit Imperium. Aliquot ciuilia bella geſſit, victor in eos qui purpuram induerunt. Morbo & ſenecta periit in Anglia. Septiſolium in vrbe eius eſt opus: quod Aphricanorum ſuorum primùm voluit oculis opponere.

22\. ANTONINVS Baſſianus Caracalla patri filius ſuccedit, occiſo fratre Geta. Papinianum

nianum perdidit, quòd nollet ſcribere accuſationem Getæ, quam in ſui purgationem
recitaret in ſenatu. Multos prætereà nobiles tulit de medio. Nouercam duxit vxorem.
Quum exercitum deduceret in orientem, in ipſa profectione, quum ex cauſa equo de-
ſcendiſſet, iam paucis præſentibus in iumentum repoſitus, à proximo famulo cæſus eſt
pugione. Mors crudelitati eius imputabatur.

Macrinvs præfectus prætorio (cuius etiam machinationi inſcribebant Anto- 23.
nini cædem) ſumpſit Imperium cum Diadumeno filio, optimæ ſpei iuuene: ſed nō po-
tuit eſſe diuturna ſcelere parta poteſtas. Vbi milites accepere ſupereſſe Antonino filium
(tam erat charum & venerabile Antoninorum nomē in caſtris) Macrinum ſtatim cum
filio occiderunt, Antoninum qualemcunque Imperatorem acclamantes. Interceſſerat
autem auiæ eius ditiſſimæ mulieris largitio.

Heliogabalvs creditus Baſſiani Antonini filius (ſic enim ferebat mater 24.
mulier impuriſsima Antiochiæ, & quæ habebat in area vnde militibus ſuadere pote-
rat) aſſumitur Imperator. Inſaniſsima belua, & quæ digna non ſit humanitatis voca-
bulo. Ita vixit, ita ſe geſsit per quadriennium, vt monſtrum hominis potius quàm ho-
mo diceretur. Vita tamen dignum inuenit exitum, cæſus in palatio: ad hoc ſolùm com-
memorandus, quòd optimus Imperator Alexander per eius occaſionem orbi Roma-
no prouenit moderator.

Alexander, Mammæa matre Chriſtiana fœmina natus, ſorore eius mulie- 25.
ris quæ peperit Heliogabalum: nam per eam Mammæa cum filio inſinuata eſt aulæ re-
gali, traducta Romam. Senatus quo indigniore vſus eſt Imperatore, magis dilexit in- *Cæſar, ſecundaria poteſtas.*
dolem Alexādri, quæ ſummam ſpem bonorum præferebat. Annitente ſenatu ſub He-
liogabalo creatus eſt Cæſar, ſecunda poteſtas ſub Auguſto. Perempta belua, duodecim
annis ſtrenuè regebat Imperium. Cæſus in caſtris, quum matrem amplius quàm militi-
bus par eſſet, adiuuerit.

Maximinvs ex corpore militari peruenit ad Imperiū, quum Alexander eo nō 26.
ignorante (incertum ſi aſtipulante) cæſus eſſet. Vir natione Thrax, patre Gotho geni-
tus, inſigni proceritate, cui robur reſponderet corporis, ſæuiſſimus moribus. Sub quo
ſenatus intremuit, contra illum duos creans Imperatores, Maximum Puppienum &
Albinum, quorū alter vrbem tutaretur, alter educeret exercitum. Sed Maximinus in
obſidione Aquilegiæ cum filio, quem Cæſarem fecit, à ſuis eſt cæſus.

Pvppienvs & Albinus pari poteſtate à ſenatu creati, quum inuiſi eſſent militi- 27.
bus, non diu imperauerunt. Nā diuiſim habitantes in palatio, vbi inter ſe non ſatis con- *Germani Imperatorum ſtipatores.*
cordes vixerunt, vterque in palatio à militibus cæditur, abſentibus Germanis, quos cu-
ſtodes ſui corporis delegerunt. Ea tum fuit exiſtimatio mortalium, quòd ſi vtriq; aut al-
terutri affuiſſent, non illo tempore cæſi fuiſſent. Sed verum eſt quod ille ait,

Nulla fides regni ſocijs, ſummiſq; negatum Stare diu.

Gordianvs puer, iam patre & auo Imperio in Aphrica defunctis ſub Maxi- 28.
mini tempora, & cæſis, creatus eſt Romæ Imperator, vt placarentur milites, duobus in-
fenſi quos præmiſimus. Quibus etiā cæſis, ſolus in Imperio permanſit ſex annis. Quan-
diu ſupererat Miſitheus vir prouidentiſſimus, prętorio præfectus, ſocer eius, res Impe-
rij ſplendidè adminiſtrabantur. Eo per ſenectutem abeunte, ſucceſſerūt qui iuueni in-
uidebant. Facta fames in exercitu, eorum machinatione milites exciuit, vt alium dice-
rent Imperatorem, cæſo Gordiano.

Philippvs Arabs, prætorio præfectus, Gordiano primùm iungitur. Vbi ſolus 29.
adminiſtrare inſtitit, cernens Gordianus, poſtulauit vel æquam poteſtatem, non per-
mittitur: vel ducatum aliquem, non conceditur: vitam ſaltem viuere priuatam, neque
hoc impetrauit, cæſus in agmine. Hic autem Imperator filium cognominem fecit Cæ-
ſarem: Nec aliud in laudibus eius ſcribitur, quam quòd primus fuerit inter Auguſtos *An. vrbis 1000.*
Chriſtianus. Milleſimum vrbis egit annum magno apparatu. Patitur deinde quod fe-
cit: pater Veronæ, filius Romæ cæduntur.

Decivs Cibalienſis dux pridem fortiſſimus, Philippo ſurrogatur in Imperio, in- 30.
ſignis oſor Chriſtiani nominis. Multi ſub eo cæſi Romani pontifices memorantur, quū
tamen amplius biennio non imperauerit. Beati Laurentij hiſtoria nomē eius habet, ſed
non bene quadrat narratio: quia Sixtus eius pontifex cum Decio non concurrit. Mira

talibus in rebus patrum incuria. Cæſus eſt Decius cum filio à Gothis, quum illos Thracia Myſiaque ſummouere conſtituiſſet. Quod in Suedia ſumus exequuti.

31. GALLVS Hoſtilius cum Voluſiano filio, volẽtibus militibus ſumpſere Imperium: nec eſt inſigne aliquid quo memorentur, præter mortalitatem, quæ adeo exhauſit terras, vt vix dimidia pars mortalium remaneret. Quum paraſſent expeditionem in Æmylianum nouis rebus ſtudentem, quia & ille ſumebat Imperium, morbo perierunt. Nec ſatis de loco cõgruit inter ſcriptores, quum alij Interamne, alij etiam alio loco ſcribant illos interiiſſe.

32. VALERIANVS in Rhetia regebat exercitum, quum milites iam ſolita progreſſi licentia Imperatorem illum dixere. Vir erat moribus & ſapientia grauis, qui non indignus etiam apud ſenatum Imperio haberetur. Sed ille infœlici exemplo, quum perſequutionem in Chriſtianos excitaſſet, magis (vt ego arbitror) Decianam continuaſſet, exercitum duxit in orientem: ibi miſerabili ſorte pugnans capitur, & (quod eſt omni morte grauius) in ſeruitute conſenuit, & ibi mortuus eſt: dedecus Romani Imperij grauiſſimum.

33. GALIENVS iam cum patre Auguſtus appellatus, paternos caſus ita diſſimulauit, vt nuſquam de liberatione aut vindicta cogitaret. Perditiſſimè vixit, voluptatibus inſeruiens. Vnde factum eſt vt eius contemptu multi duces in prouinciis ſumerent Imperium, qui mutuis pro magna parte viribus ſunt cæſi. Triginta numerantur tyranni. Tentauit aliquando Galienus educere exercitum, ſed nullo magno prouentu: quum etiam fœminæ in eius ſuggillationem arriperent Imperium. Cæditur à militibus iam pertæſis tantæ ignauiæ.

34. CLAVDIVS Secundus inter duces fortiſſimus, & ſenatus & militum voluntate ad Imperium peruenit: in quo ſi diu permanſiſſet, veteres duces Imperio Romano reddidiſſet, fortiſſimus, prouidentiſſimus, fœliciſſimus: qui magnam ſtragem fecit in Gothorum gentem, aliquot centena millia perimens. Sed morbus illum vix expleto biennio conſumpſit. Quum eius memoriæ ſenatus in vrbe Roma aureum clypeum ſuſpendiſſet, tanquam vrbis defenſori ab gente validiſſima, quæ poſtea ſubuertit Imperium.

35. AVRELIANVS illo non minor (poterat etiam maior videri, ſi à ſæuitia interdum temperaſſet) in Imperio ſucceſſit, vir militaris rei obſeruantiſſimus: cuius tempore vrbs Roma ſuburbiis multum excreuit. Pluribus victoriis inſignis, in oriente, in Germania, victor vbique. Sed non potuit virtus euadere inuidiam: nam à ſuis in itinere confoditur: quum ſcriba, qui ſibi male ab illo timeret, confiicto libello multorum inſeruit nomina, quos diceretur Imperator morti deſtinaſſe: quorum ille opera periit.

36. TACITVS vir ſenatorius, diuturna ſenatus & militum honoris delatione concertationeque, quum iudicium creandi milites ponerent in ſenatum, & ille reiiceret in militem, vtrorumque voluntate creatur Imperator. Sciebat ſenatus non eſſe acceptos militibus, quos crearet: volebat miles modeſtia præſenti vincere priorem memoriam. Hunc alij morbo periiſſe aiunt: alij militaribus inſidiis interceptum, non ſine ſanguine interiiſſe contendunt. Vnum pro certo eſt, vix pauco tempore imperaſſe.

37. FLORIANVS Taciti frater iam in Italia magnum ductabat exercitum, quum accepiſſet de fratris nece nuncium. Paſſus eſt à militibus ſe Imperatorem ſalutari, & rem geſſit pro Imperatore. Quumq́, allatum eſſet alibi Probum, illuſtrem ducem, Auguſtum a militibus appellatum, milites ſcientes qui vir Probus eſſet, ilico cum animo prætulerunt: & ne grauioris motus occaſio fieret, Florianum trucidauerunt tertio menſe.

38. PROBVS de Pannonia, Sirmienſi ortus ciuitate, qui diu ordines duxiſſet in Romanis prouinciis, vir omni virtute conſpicuus, Imperator à militibus conſalutatur. Imperio digniſsimus ob morum grauitatem: qui niſi Probi nomen habuiſſet, debuit habere cognomen, vt à modeſtia Probus appellaretur. Fortis, fœlix, prudens, & (quod in Imperatoriis laudibus præcipuum eſt) æquus ad omnes. Dum apud Sirmium militem ruſtico opere defatigat ad paluſtrem terram reformandam, indignitate motus rei miles, in ducem (imò Imperatorem) inſurgens, illum opprimit, virum paucis comparabilem.

39. CHARVS (vt ferunt) Mediolanenſis, inter duces præcipuus, militum voluntate Auguſtus appellatus, filium Charinum Cæſarem creat: ea fuit ſecunda poteſtas. Sed impro-

improbitate morum promeruit, vt patrem non diu facti pœniteret. Ad orientem duxit
pater exercitum: ibi in caſtris ictu fulminis aiunt interemptum. Filium Numerianum
mox Auguſtum appellant. Sed ille dolo Apri ſoceri ſui, qui pręfectus erat prætorio, oc-
ciditur, diu celata morte, donec fœtor proderet. Non latuit tamen author ſceleris.

DIOCLETIANVS vir fortiſſimus, non magno natus genere, vbi in cõcilio que- 40.
ri audiuit milites mortem Numeriani, exerto gladio, Aprum aſtantem percuſſit, teſta-
tus illum eſſe necis authorem. Statim à militibus Imperator acclamatur. Imperium ſu-
ſceptum ſtrenuè adminiſtrat. Conſurgunt omni parte bella. Herculium Maximia-
num facit conſortem ſuum: duos inde creauit Cæſares. Domitis iam hoſtibus, compo-
ſitaque republica, nouo exemplo purpuram ponit, idem facere cogens Maximianum.
Salonis in Dalmatia annis nouẽ priuatus vixit, & moritur (vt nonnulli teſtes ſunt) ſum-
pto veneno, quòd timeret à Conſtantino.

CONSTANTIVS & Galerius prius Cæſares, vbi præceſſores poſuere purpurã, 41.
ipſi volentibus deceſſoribus aſſumpſerunt: Galerius orientem, Conſtantius tenuit oc- *Bipartitum*
cidentem. Is in Galliis multa componebat: in Britania mortuus, Eboraci tumulatur. *imperium.*
Galerius autem Cæſares creat, quorum Seuerum miſit in Maxentium Maximiani filiũ:
qui deſertus à militibus ad Maxentium transfugis, in fuga cæditur. Hic Galerius Maxi-
miani cognomẽ habebat: quod Pomponius ex marmoribus oſtendit. Maximinum ha-
buit Cæſarem, æquè in Chriſtianos crudelem.

CONSTANTINVS cognomento Magnus, Cõſtantio patri ſuccedit in Imperio 42.
occidentis. Licinium pridem a Galerio lectum Cæſarem fecit Auguſtum, data ei in ma
trimonium ſorore: malignantem poſtea bello oppreſſit. Maxentium, in quem duxit è
Galliis, ad pontem Miluium vicit non longè ab vrbe: nam in Tyberi periit. Liberauit
tyrannide vrbem. Chriſtianis fauens, liberam fecit facultatem eccleſiarum erigenda-
rum, ipſe Chriſtianus animo, nondum tamen baptiſatus (ſiquidem baptiſmum differe- *Silueſtri fabu*
bant ad extremum, ne contaminarent) baptiſatus ad finem vitæ (vt ferunt) ab Arria- *la.*
no: nam de Silueſtro res fabuloſa creditur.

CONSTANS, Conſtantius, Conſtantinus fratres, patri ſucceſſere. Conſtantinus 43.
quum ſe fratribus opponit, bello opprimitur. Conſtans autem cum fratre agens con-
corditer, quum eſſet apud Auguſtam Vindelicorum, à ſuo duce opprimitur, cui om-
nem rerum verborumque fidem habuit. Ita Conſtantius ſolus permanſit in Imperio,
deprauatus ab Arrianis. Nam ſub eo optimus pontifex Athanaſius exulauit, mira per-
ſequutione quæſitus ad mortem. Moritur apoplexia apud Conſtantinopolim: quam
vrbem pater ornauit, & ſuo nomine inſigniuit.

IVLIANVS frater patruelis Auguſtorum præcedentium, à Conſtantio primùm 44.
Cæſar creatur: ſed ingratus rebellauit Auguſto, ſeſe Auguſtum ſcribens. Vir literis, ar-
mis, moribus, lingua præcipuus, ſed religione varius. Chriſtianorum legem à patribus
traditam abiecit, inſectatuſque eſt: cruore tamen abſtinuit. Dum in orientem proce-
dit cum exercitu, apud Cteſiphontem ſtatiua habuit. Victor regrediens, dum ſe pugnæ
incautus inſerit, hoſtili telo percuſſus interiit. Teſtis eſt Eutropius, qui illi interfuit
expeditioni.

IOVINIANVS de Pannonia ortus, quum exercitus Imperatore indigeret, à mi- 45.
litibus Auguſtus appellatur, pacem conſtituens cum Parthis magis neceſſariam quàm
decoram: ſiquidem limitibus ceſſit antiquis. Et dum exercitum reducit, quem Iulia-
nus fecit ex Chriſtiano paganum, iterum vir Chriſtianiſſimus fecit Chriſtianum: ma-
gna in Imperio facturus multorum expectatione, ſi vitam diutius tenere licuiſſet. Nam
octauo menſe accepti Imperij, odore prunarum, aut (vt alij dicunt) calcis nouæ in con-
claui ſuffocatus interiit, anno ætatis ſuæ XXXIII.

VALENTINIANVS à Iuliano propter Chriſtianiſmum exauthoratus, quum eſ- 46.
ſet tribunus ſcutariorum, bona compenſatione recepit Imperium, quod magna cum
gloria geſſit per annos XI. Valentem fratrem primùm Imperij fecit conſortem, deinde
filium Gratianum primùm Cæſarem, deinde creauit Auguſtum. Quum multa fortiter
egiſſet, dignitatemq; Imperij non modò ſeruaſſet, ſed amplificaſſet, ſubita & nimia ſan-
guinis de naribus profuſione interiit: princeps longo æuo digniſſimus.

VALENS in oriente, & Gratianus in occidente Imperium deinde adminiſtrauere. 47.

Valens diſſimulatam ſub fratre perfidiam Arrianam poſt fratrem detexit, epiſcopos catholicos iubens exulare. Gothis fœdera & doctores de religione poſcentibus, immiſit Arrianos: vnde ea gens omnis cum Wandalis ad illam impietatem declinauit. Qua ex re infinita ſunt orta eccleſiis mala, millia multa martyrum coronata. Valens ad extremũ à Gothis opprimitur, quum acie pulſus in caſam confugiſſet, in quam Gothi immiſſo igne Imperatorem concremarunt: quod in Suedia diximus.

Arrianorum potentia.

48. GRATIANVS primùm fratrem adoleſcentiorem Valentinianum creauit Auguſtum: inde quum cerneret Imperium orientis indigere viro, Theodoſium ducem Hiſpanum, virum clariſſimum, Imperij fecit conſortem, attribuitque illi regendum orientem, optimo in ea parte vſus conſilio. Maximus quidam in Galliis per ea tempora ſumpſit purpuram. Is repentino ſuperueniens exercitu, Gratianum Imperatorem Lugduni oppreſſit: & mouens in Italiam Valentinianum expulit, confugientem ad Theodoſium: qui illum reduxit.

49. VALENTINIANVS II. prioris filius, cum fratre aliquandiu, & poſt illũ tenuit Imperium occidentis, quum interim Theodoſius orientem adminiſtraret: iuuenis optimus, & qui dabat ſpem optimæ expectationis. Arbogaſtes comes eius fuit, vir militaris gloriæ appetentiſſimus, & quem tederet iuuenem pati Imperatorem. Igitur in tentorio procurauit iugulari Imperatorem, infamans mortuum, quòd ſibipſi manus intuliſſet: ſed mercedem poſtea accepit.

50. THEODOSIVS I. vir genere Hiſpanus, militaris rei ſcientiſſimus, & (quod cætera exuperat) ad res agendas fœliciſſimus, primò cum Gratiano & Valentiniano fratribus, pòſt cum ſolo Valentiniano, inde etiam (quod oratio Symmachi oſtendit) cum Valentiniano & Archadio filio imperauit. Gothos compeſcuit, ductis agminibus Maximum tyrannum Aquilegiæ oppreſſit, Valentinianum reſtituit: & illo cæſo in Arbogaſtem & Eugenium tyrannos mouit, miraculoſa vſus victoria, quam lachrymis potius quàm armis à Deo impetrauit. Miram diſciplinam religionis ſub Ambroſio epiſcopo monſtrauit: in Chriſti pace quieuit.

51. ARCHADIVS & Honorius filij fuere Theodoſij: quorum primum orienti, alterum occidenti præfecit, dato cuique curatore: nam Ruffinus in oriente, Stilico in occidente præfuit. Ruffinus primus dedit pœnas perfidiæ, quòd in ſua commoda deriuaret omnia. Archadius autem per reliquum adminiſtrans orientis Imperium, ea vſus eſt fortuna, vt in diebus ſuis reſpublica illi commiſſa nihil acciperet detrimenti, & poſt tredecim annos Imperij, in pace quieuit apud Conſtantinopolim.

52. HONORIVS Theodoſij filius occidentis præfuit Imperio, ſub cura Stiliconis viri fortiſſimi: cuius ductu & auſpicio res proſperrimæ ſemper fuerunt. Nam ducenta Gothorum millia, rege Radagaiſo, in montibus Italiæ ſine labore militum oppreſſit, cepitque. Vbi verò ducem fortiſſimum de proditione ab æmulis inſimulatum iuſſit occidi, omnes retrolapſæ ſunt res, Imperium declinauit. Gothi Italiam peruagati vrbem Romam capiunt: prouinciæ cæteræ ab exteris occupantur. Galliæ & Hiſpaniæ amittuntur. Honorius poſt multa detrimenta in pace quieuit.

53. THEODOSIVS minor Archadij filius, primi nepos, Imperium tenuit orientis. Cuius temporibus amiſſa eſt Carthago cum omni Aphrica. Quam Wandali ceperũt, per Gallias & Hiſpanias mouentes, quum veniſſent ad mare Gaditanum, traiecerunt, inuitati à Bonifacio comite: & manſit res in eorum manibus per annos centumquinq;: vt in Wandalia oſtendimus. Theodoſius autem rebus apud Conſtantinopolim florentibus, in pace quieuit.

54. CONSTANTIVS comes Honorij poſt Stiliconem, quum pleraque fortiter pro Imperio feciſſet, eum Honorius exaltatum fecit conſortem Imperij, deditque ſororem illi coniugem: quam Gothi abductam ſuo regi deſponderant. Quo mortuo honorificè remiſere fratri: ex qua ille ſuſtulit filium Valentinianum III. qui poſt patrem regebat occidentale Imperium, donatus filia propinqui ſui Theodoſij minoris, qui regebat orientem. Hic finiuit in pace, conſumptus morbo.

55. VALENTINIANVS III. ex Placidia Honorij ſorore, & Conſtantio (primùm comite, poſtea Auguſto) natus, ab Theodoſio II. primùm Cæſar, inde Auguſtus vocatus, filiã eius promeruit coniugẽ. Huius tẽporibus facta eſt iſta nationũ incurſatio, in bello grauiſſimo,

uiſſimo, quod à parte Romanorum adminiſtrauit Aetius patricius. Aduerſas acies At-
tila rex Hunorum inſtruxit. Hic fuit nouiſſimus in occidente Imperator, vſque ad Ma-
gnum Karolum. Cæſus & ipſe gladio militis, quòd Aetium ducem fortiſſimum iuſſe-
rit occidi.

FVERE poſtea nonnulli qui purpuram ſumebant in Italia: ſed nemini fœliciter res 56.
ceſſit. Et ideo in Imperatorum catalogo non ponuntur, bimeſtres aut trimeſtres Impe-
ratores. Omnium nouiſſimus Auguſtulus, qui ſumptam purpuram proiecit, quum au-
diret Odoacrem regem cum copiis in Italiam veniſſe: & priuatam agens vitam, nuſ-
quam ſe oppoſuit venienti. Ita fatum erat Romanæ reipublicæ, vt Imperium quod Au-
guſtus fecit ampliſſimũ, Auguſtulus ad eam perductum tenuitatem haberet, vt formi-
dabiliter abüceret.

MARTIANVS in oriente primùm cum Valentiniano, inde ſolus imperauit, vir 57.
grandæuus, virtute mirabilis. Quem vnica Theodoſij filia, iam annis nubilis, mari-
tum legit, pacta primùm quòd cum ea in ſanctimonia viueret: erat enim Deo deuo-
tiſſima. Quo factum eſt vt hæredem non relinqueret. Qualiſcunque tamen vir fuerit,
euadere non potuit inuidiam: nam conſpiratione ſuorum opprimitur Conſtantino-
poli, anno Imperij VII.

LEO inuaſit Imperium, filio ſuo facto cõſorte: illud tenuit per annos XVII. Quum 58.
Italia interim laceraretur inter manus tyrannorum. Nam Maioranus quidam inuaſit
Imperium, & inde alij. Apud Rauennam ſedem habuere, quòd opportuna terra ma-
riq́ue vrbs videretur rebus gerendis. Leo autem vtcunque oriente pacato Italiam con-
tempſit, mortuus in Conſtantinopoli.

Roma imperij domicilium contemnitur.

ZENO Leonis gener, vt alij ferunt, minoris Leonis pater, quem primi ex filia nepo- 59.
tem tradunt. Hic videns Italiam ceſſiſſe Odoacri Wandalo, Theodericum Gothum,
rogatus ab illo, miſit in Italiam, malens illam fœderato ſeruire quàm hoſti. Ille verò oc-
ciſo Odoacre prouinciam liberauit, & regno ſuo illuſtrauit: quod in Suedia ſcripſimus.
Zeno autem XIIII. Imperij ſui conceſſit in fata.

ANASTASIVS Imperium inuaſit, tenuitq́ue diuiius quam Chriſtianitati par e- 60.
rat. Nam Eutychianus hæreticus fuit, pertinaciſſimè in ea hæreſi perdurans, & moriens.
Quum interim peſſima fuit Romæ diſſenſio ſuper pontificatu, inter Symmachum &
Laurentium: quam Anaſtaſius contempſit, Theodericus rex Italiæ componere haud
potuit. Imperator autem anno XXXVI. Imperij ſui mortuus defecit.

IVSTINVS illi Chriſtianiſſimus princeps ſucceſſit: qui omnes hæreſes extermi- 61.
nare contendens, deiecit ſedibus epiſcopos Arrianos. Theodericus Italiæ rex, eius ſe-
ctæ propugnator, per legatos minatur Imperatori, niſi reſtituat Arrianos, Italiam ſe om-
nem igne & gladio perditurum. Mitis Imperator diſſimulauit temporaliter, ne grauius
malum immineat, rogatus à Romanis. Anno vndecimo regni quieuit in pace.

IVSTINIANVS Iuſtini ex ſorore nepos, adoptatus ab auunculo, peruenit ad Im- 62.
perium. In quo diu fœlix fuit per patricium Belliſarium: qui vir fortiſſimus, & dux pru-
dentiſſimus, Perſas retudit, Aphricam reſtituit Imperio, ſublatis Wandalis: Italiam red-
didit, victis Gothis. Per quæ tempora legibus reformandis Imperator inſtitit: libros
Pandectarum edidit, Codicem emendauit, Inſtitutiones tradidit, nouiſſima iura addi-
dit. Varia eius fama in hiſtoria. Anno Imperij XXXVIII. quieuit.

IVSTINVS minor ex filia Iuſtiniani nepos, peruenit ad Imperium poſt auum. Vir 63.
auarus, non ſatis catholicus, mulieroſus, qui vxorẽ ſineret iuſto amplius imperare. Quæ
Narſeti fortiſsimo Italiæ rectori contumeliam irrogauit, reuocans eunuchum ad penſa
mulieribus diſtribuenda. Ille ſe orditurum telam reſpondit, quam Italia non reſolueret:
vocauitq́ue in Italiam Longobardos. Anno Imperij XI. Iuſtinus finiuit.

TIBERIVS II. illi ſucceſsit, vir per omnia catholicus, in pauperes piiſsimus, qui 64.
inuentos caſu theſauros inter egenos diſtribuit: quo merito ingentem de Perſis trium-
phum reportauit. Nihil omiſit optimus Imperator, quod ad reparandum Imperij ſta-
tum pertineret. Non tamen dignus fuit mundus diu talem habere principem: nam an-
no Imperij VII. morte defecit.

MAVRITIVS Cappadox, gener Tiberij, pro dote accepit Imperium, reipublicæ 65.
ſatis vtilis: ſummo pontifici Gregorio oneroſus, quum leges ederet non dignas Chri-

ſtiano Imperatore: quibus ſe pontifex obiecit. Hanc verò pertinaciam in illo caſtigauit Deus, quod elegiſſe dicitur temporaliter in hac vita. Nam anno viceſimo Imperij Phocas ex militum corpore creatus Imperator, percuſſit cum filio Mauritium.

66. PHOCAS Imperator factus tumultu militari, tenuit Imperium annis VII. Vnum in eo laudabile prædicatur, quòd Romanæ eccleſiæ honorem ſuum, quem Conſtantinopolitani epiſcopi inuaſerant, reſtituit, edicto declarans eſſe Romanam eccleſiam omnium matrem. Valuit declaratio. Nam conſtitutione opus non erat: Chriſtus enim in Petro conſtituit. Romanarum prouinciarum præſides non tulerunt inuaſorem diu in Imperio: nam Heraclius eum oppreſſit, mouens ex Aphrica.

Romanæ ſedis primatus.

67. HERACLIVS armis patris ſui regentis Aphricam peruenit ad Imperium, occiſo Phoca: quod primùm fortiter, inde ignauiſſimè adminiſtrauit, quum etiam in hæreſim laberetur. Sub eo creuit impuriſſimus legiſlator Mahumet, cuius venena mirabiliter iam per nongentos pene annos magnam terrarum orbis partem infecere. Heraclius autem triginta & vno annis expletis in Imperio, validam relinquens ſectam Saracenorum, quam non ſatis (vt debuit) occurrens oppreſſit.

Mahumetis origo.

68. CONSTANTINVS eius nominis II. Heraclij filius, cum fratre tenuit Imperium poſt patrem. Sed Conſtantinus deiicitur à nouerca Martina, quæ cum filio Heraclione tenuit aliquandiu Imperium, duobus annis. Nō eſt paſſus populus muliebre imperium: deiecta enim Martina cum ignauo filio, ad ſuam lineam reduxere ſucceſſorem, vt iam defuncti Conſtantini filius Heraclij nepos imperaret.

69. CONSTANTIVS Conſtantini II. filius (quem nonnulli faciunt æquiuocum patri, vt Conſtantinum vocent, ſed Conſtantium vocat pars maior) eius nominis III. qui Imperium pro dignitate adminiſtrauit. Catholicus per omnia princeps, & qui plurimum ſtuderet euacuandis hæreſibus, quæ tum eccleſiam infecerunt. Anno autem Imperij ſui XXVII. in pace Chriſti quieuit.

70. CONSTANTINVS huic filius ſuccedit, qui fratres Heraclium & Tiberium in conſortium admiſit Imperij. Vir modeſtus, & qui patrem æquaret pietate. Contendit quidem Longobardos Italia pellere. Sed alia de parte prementes Saraceni, Imperatorem propoſito dimouerunt: vtriſque enim par eſſe non potuit. Igitur anno Imperij ſui XVII. in Chriſti pace quieuit.

71. IVSTINIANVS II. Conſtantini III. filius, legitima ſucceſſione imperauit. Vir fortis, qui Aphricam eruit de manu Saracenorum. Infeſtus tamen fertur fuiſſe Romanis, quoſdam in religione ſectatus errores. Quo demerito pulſus Imperio relegatur in Pontum, quum tamen recuperandi Imperij animum retineret: quod & fecit.

72. LEO II. deiecto Iuſtiniano inuaſit Imperium. Per quæ tempora Zacharias protoſpatarius miſſus eſt à Iuſtiniano Romā, adducere pontificem Romanum Sergium. Sed milites Romani & Rauennates obſtitere impiis iuſſis, remiſſo per contumeliam Zacharia. Leo autem anno tertio patitur quod fecit, deiectus Imperio, vt alteri cederet.

73. TIBERIVS III. ſimili audacia inſurgens Leoni eum cepit, & per ſeptem annos (quibus tenuit Imperium) vinctum ſeruauit in carcere. Interim Iuſtinianus exul vndique ſibi conquirebat recuperandi Imperij auxilia, & apud Bulgaros gentem nouam reperit.

74. IVSTINIANVS II. reſtituitur ad Imperium, per Trebellium Bulgarorū regem: victoriam autem ſuam cruentè exercuit. Nam Leonem expulſorem ſuum extractum carcere, publicè iuſſit occidit: Tiberium deinde ſimili morte perdidit. Ipſe quoq; peremptus à Philippo ſucceſſore.

75. PHILIPPVS eius nominis II. occiſo Iuſtiniano, qui eum relegauerat, inuaſit Imperium. Dictus eſt cognomento Bardanus. Alij vocant Philippicum. Sed ſcelere partum Imperium non potuit eſſe diuturnum: nam Anaſtaſius captum exoculauit, & vitæ permiſit.

76. ANASTASIVS II. aliàs dictus Arthemius, inuaſit Imperium, deceſſore exoculato. Miſit autem exercitum per mare in Saracenos. Sed principes ductoreſque mutato conſilio, quum eſſet Imperator de hæreſi ſuſpectus, relegentes iter, ipſum capientes deſtituenteſque, Theodoſium inuitum imperare coegerunt.

77. THEODOSIVS III. Imperium quod inuitus acceperat, cogitur defendere: nam contra

contra illum Anaſtaſius deiectus, validum comparauit exercitum. Sed ille prælio victũ captumque Anaſtaſium non alia pœna affecit, quàm vt ſacris ordinibus faceret conſecrari. Hic princeps catholicus qui inuitus acceſſit, exacto anno ſponte ceſſit. *Sacerdotii capitis diminutio.*

Leo eius nominis III. ſucceſsit Imperio. Cuius tempore Conſtantinopolis triennio à Saracenis eſt obſeſſa, ſed fortiter defenſa. Hic eſt ille hoſtis imaginum, qui filium ſuum conſortem fecit Imperij. Anno autem XXV. conceſsit in fata. 78. *Imagines.*

Constantinvs IIII. Leonis filius, nihil patre melior, imagines eſt inſectatus, & (vt pater fecit) concremauit. Catholicos acerbè eſt inſequutus: magicis etiam artibus fertur inſeruiiſſe. Sed recuperandis Imperij prouinciis nulla illi cura fuit. Et tamen hac impietate tenuit Imperium annis XXXV. regnante diu hypocrita, propter peccata populi. 79.

Leo IIII. ſucceſsit patri, non melior filius, patri & auo impietate compar. Tempus enim propinquauit, quo Imperij honorem amitterent, ad occidentem transferendum. Præfuit autem iſte ſolus annis V. poſt patrem: & mortuus eſt. 80.

Constantinvs V. cum Hirene matre imperauit, deinde ille deſtituta matre ſolus regnauit annis V. Mater autem prudentiſsima fœmina cernens filium imperio imparem, captum excæcauit, & regnauit ſola annis V. Per quæ tempora occidentale reſtituitur, & cœpit orientale non iam amplius dici regnum Romanorum, ſed Græcorum. Quocirca proſequutionem eius intermittamus. 81. *Imperium occidenti reſtituitur.*

Karolvs Franciæ & Germaniæ rex, quum victis Longobardis liberaſſet Italiam & eccleſiam Romanam, perpenſa à ſummo pontifice Græcorum ignauia, quum accederent conſilio Romani proceres, appellatus eſt Imperator, anno Chriſti DCCCI. & renouatum eſt Imperium occidentale (quod iacuit annis CCCXXX) tranſlatumq́; eſt ad Germanos: teſte Papa in c. *Venerabilem. De electione.* Nam Karolus Germanus Germaniæ pariter & Galliæ regnauit, tenuitque Imperium annis XIIII. & reliquit filiis filiorum ad ſeptimam generationem. Permanſit igitur inter Germanos vſque hodie. 82.

Lvdovicvs cognomento Pius patri ſuccedit in regno & Imperio, ſatiſque egit pro vtroque tutando. A filiis tamen ſuggeſtione coniuratorum deſtitutus, poſtea reſtituitur. Rem magnam à patre partam ſatis ſuſtinuit: non tamen potuit amplificare. Vir pius, mitis, religioſus, & qui nullis potuit exaſperari iniuriis: quæ res fecit audentiores coniuratos. In ſenectute bona mortuus eſt, quum imperaſſet annis XXV. 83.

Lotharivs Imperio ſucceſſit, patri filius: ſed de regno mira fuit fratrum conflictatio. Quæ tamen poſt maximum omnium ſeculorum prælium diſſenſio finita fuit, manifeſtè vindicante Deo impietatem quam in parentem oſtenderunt. Lotharius XV. Imperij anno, diuiſo inter filios regno, monachatur annis VIII. in pace quieſcens. 84.

Lvdovicvs II. Lotharij filius, primùm cum patre, deinde ſolus imperauit annis XXI. Cum patruo Caluo conflixit magno prælio. Cauſſa belli erat Lotharingia, quã Imperator ſibi ſolus vendicauit: ſed Karolus in ea partem ſuam defendit: quum Ludouicus Germaniæ rex, Lotharij & Karoli frater, ſuam quoque in prouincia dicta partem tueretur. Mortuus eſt in Italia, tumulatus Mediolani. 85.

Karolvs cognomento Caluus, Ludouici I. filius iunior, ex poſtrema vxore, peruenit ad Imperium, quum illi reſiſterent Karolus, Karlomannus, Ludouici Germaniæ regis filij. Sed præualuit Karolus, obtinuitque Imperium: in quo non magna peregit. Nam reuerſus in Franciam, prælio victus eſt à Ludouici Germaniæ regis filiis. Deinde reuocatus à pontifice in Italiam contra Saracenos, profectus cum exercitu, impotionatus eſt à Iudæo, quo vtebatur medico. Moritur anno Imperij VI. 86.

Lvdovicvs cognomento Balbus, eius nominis III. filius Karoli Calui, à quibuſdam inter Imperatores non numeratur. Sed tamen Iohannes pontifex quum intelligeret filios Ludouici Germaniæ regis cum exercitu eſſe in Italia, multaque moliri pro Imperij corona, deſcendit in Franciam: & Lugduni celebrato concilio, inter alia Ludouicum coronauit. Sed ille vix triennio ſuperfuit. 87.

Karolvs III. cognomento Craſſus, filius erat Ludouici Germaniæ regis: auũ Ludouicum Pium, proauum Karolum Magnum retulit. Huic bellum erat ad Normannos, littora Galliarum infeſtantes. Rolonem ducem pactis eò perpulit, vt ſuſcepta Chriſti gratia baptizaretur, & accepta parte Galliarum filiam eius teneret coniugem. Hoc ta- 88.

men alij tribuunt Karolo ſimplici Francorum regi, non Imperatori: quod magis probo, nec tempora multum diſcrepant, quum eſſet iſte ſimplex Karoli Calui Imperatoris nepos, ex Ludouico Balbo. Hic autem Karolus Craſſus Imperator ad extremum diſplicuit proceribus regni: vnde deſtituitur Imperio anno XII.

89. ARNVLPHVS vir bello natus, filius erat Karlomanni, auum habens Ludouicum Germaniæ regem. Erat igitur Karoli deceſſoris ſui nepos ex fratre. Hic ſat egit pro amplitudine Imperij. Normannos maximo prælio fudit, regem Morauorum vicit, ſummorum pontificum miris gyrationibus ſe immiſcuit. Nec erat res mediocris bellũ quod ſuſcepit in regem Morauiæ Zuentebaldum, cui tum paruere Bohemi, Poloni, Sleſitæ. Diu ille reſtitit Imperatori: nec facilè ſuperatus eſſet, niſi Imperator laxaſſet clauſtra Vngaris, quæ erant illis obiecta fortiſſima: quibus laxatis, primam in ſubigendis Morauis Vngari Imperatori operam nauabant. Sed ea magno conſtitit Chriſtianitati: nam Chriſtianiſmo deinde grauiſſimi incubuerunt, Suæuis, Bauaris, Francis ſæpe proſtratis, & penetrarunt in vltima Saxoniæ, Bremam vrbem & eccleſias eius incendio perdiderunt: nec quieuere, donec ab Henrico Saxonum duce, poſtea regnante, cæſi ſe in Pannoniis continerent. Vicit (vt diximus) idem Arnulphus Danos, quos Gallici pro ſua conſuetudine vocant Normannos, centum millibus (vt ferunt) proſtratis, quum ex illius agmine vix pauci cecidiſſent. Ad extremum, quum creberrimo allij vſu Imperator corpus diſtemperaſſet, tanta vermium ſcaturiuit multitudine, vt nulla ope medica redimi poſſet: ſic conſumptus.

Vngari Chriſtianorum hoſtes acerbiſſimi.

90. LVDOVICVS IIII. Arnulphi filius, ſucceſſit in Imperio patri: ſed nihil magnum peregit. Nam ſub eo excreuerunt in Italia tyranni Berengarij, de ſtirpe Longobardorum, aut (vt alij putant) Romanorum. Aduerſus primum eius nominis Ludouicus duxit in Italiam, ibíque apud Veronam prælio congreſſus capitur, cæcatúrque, quum imperaſſet annis x. Habuit autem vxorem Ludgardam, filiam Ludolphi ducis Saxoniæ, germanam Ottonis, quem Henricus I. rex habuit patrem: ex qua nullã reliquit prolem. Eius temporibus Vngari ſe ad prædam regionum cœperunt accingere. Proximi Bauari ſe obiectarunt in loco Keruende: ibi magnam ſtragem perpeſſi ſunt Bauari. Vngari autẽ proſperati, inde ſunt facti audentiores. Sed Suæui Bauaris coniuncti, quum etiam ſuppetias ex Imperatore tenerent, denuo congrediuntur. Aliquantis autem proſtratis ex hoſtili agmine, Bauari quum primordia haberent proſpera, fuga tamen abierunt. Quo tempore bellum erat inter Conradum Lotharingiæ ducem, & Albertum marchionem de Bamberga: ſuperatuſque prælio Conradus, Ludouici Imperatoris germanus, ab Alberto opprimitur. Quam rem proditione Hattonis Moguntini archiepiſcopi, Ludouicus vindicauit in eundem, iubens publico gladio perimi Albertum.

91. CONRADVS vltimus de gente Karoli peruenit deinde ad Imperium: quem ideo Alemannum ferunt, quia erat filius Conradi (quem Albertus de genere Saxonum prælio occidit) habuítque auum Arnulphum, ante ſe imperantem. Hunc Italici ſcriptores (ſi diis placet) inter Imperatores non numerant: quia Italiam non tenuit. Ergo tot Conſtantinopolitani Imperatores non erant ex eadem cauſa, nec noſtri temporis Cæſares dicentur Imperatores: quia Italiam non habent. Sed hæc aliàs. Moriente autẽ Ludouico Imperatore, quum omnes principes eò propenderẽt vt deferretur Imperiũ Ottoni Saxonũ duci, ætate, prudentia, opibus, viribus, florenti: ſed ille cauſatus ſenium recuſauit. Et tum itum eſt ad Conradũ Francum, Conradi filiũ, Arnulphi nepotẽ. Adoleſcens erat ſpectabilis, qui necdum ad coniugium perueniſſet: tantiſq; mox implicitus eſt rebus, vt ſine coniuge & prole moreretur. Bella tamen plura tentauit quàm fuerit ex regni cõmodo. Dum enim neminẽ patitur iuſto ordine ſub ſe dominari, aduerſos habuit Bauaros, Suæuos, Saxones. Primùm vertitur in Arnoldum ducem Bauariæ, quem multis præliis ſuperatũ coegit cedere rebus: nã cum omni familia migrauit ad Vngaros. Hac ſublatus victoria, in Henricũ ſe Saxonẽ vertit: cuius virtutẽ ſuſpectã plurimum duxit. Obſedit autem vrbem Mersborg, arbitratus ibi ducẽ incluſum: ſed ille continuit in arce Gronede, quoad auxiliares eius copiæ conuenirent. Burchardus dux Suæuiæ & Giſelbertus comes Lotharingiæ erãt in auxilio Henrici. Rex autem inter ſuppetias habuit Euerhardũ fratrẽ, ducẽ Lotharingiæ, & Hattonẽ Moguntinenſem archiepiſcopũ. Congreſſi ſunt graui prælio. Cadit imprimis Hatto, & inclinauit victoria Henrico: nã & rex

Imperium Romanum abſq; Roma.

Conradus bellicupidus.

rex ipſe & Euerhardus frater vix elabuntur. Arnoldus profugus, dux Bauariæ, audito huius pugnę exitu, vrgendum regem putauit. Nam Vngaris in ſocietatem eductis, omnem ditionem regis peruaſtauit in vtranq; Rheni ripam, tantisq; motibus concuſſa eſt terra regis, vt facilè pœniteret regem, quòd omnes in ſe prouocaſſet. Quo tempore Reginbertus comes de Ringelheym Saxonici germinis, cõgreſſus Danis in Saxonia, magno illos prælio fudit, adeoq; contudit, vt non facilè rediret ad ſolitam excurſionem: ſic vindicans necem Brunonis & multorum ex nobilitate, quos (vt diximus) vno prælio Dani ad internecionem in loco Ebbeckeſtorp ceciderunt, loco nunc ſanctimonialibus conſecrato: quæ adhuc fortè ignorant quas penes ſe ſeruant ſanctorum reliquias tumulatas, tot pontificum, ducũ, comitum, & magnæ nobilitatis. Conradus autem Imperator moriens, Henricum Saxoniæ ducem deſignauit ſucceſſorem.

Reliquiæ nondum reuelatæ.

CAP. 4.

HENRICVS Saxoniæ dux, cognomento Auceps (quòd in adoleſcentia, quum pater rebus præeſſet, plurimum indulgeret aucupiis) primus in domum ſuam & familiã tranſtulit Romani Imperij dignitatem, ibiq; fixit, vt per aliquot ſecula immobiliter in ea permaneret. Sed neque hunc dignantur Italici ſcriptores Imperatoris nomine, quòd benedictionem papalem non haberet: non quia contemneret, ſed pro humilitate (quod ſuprà diximus) princeps modeſtus euitauit. Dicant igitur ſi ideo Imperator non eſt, quia a papa conſecratus non eſt: quis conſecrauit Auguſtum & omnes ab eo Auguſtos, vſque ad Karolum Magnum, niſi ille per quem reges regnant, & potentes iuſta decernũt? Si non eſt Romanorum rex aut Imperator, quia Italiam non tenet, cedant hoc nomine Conſtantinopolitani: ex quibus pauci Italiam habuerunt. Cedant & noſtri temporis Imperatores. Proinde non fraudemus optimos principes honore ſuo. Scimus quo ordine pontifices ad eam ſe conſecrationem ingerebant. Romanorum ſine controuerſia Conradus & Henricus erant reges, etiam (ſi ita vis) non fuerint Imperatores. Mirum tamen hoc, illis denegari nomen regibus, quod ante Cæſares permiſſum eſt ciuibus Romanis. Poſtea verò quàm Conradus in fata conceſſit, fraterq; eius (vt diximus) inſignia regni ex fratris mandato Henrico pertuliſſet, congregati principes Franciæ orientalis, Turingiæ & Saxoniæ in Friſlariam, elegerunt concorditer eundem Henricum. Quanquam diſpoſitio de regno non tam erat in arbitrio eligentiũ, quàm in ordinatione decedentis. Nam abinde Karolo Magno pater filio reliquit Imperium: niſi quòd aliquoties propter ignauiam ſuccedentis ſe interpoſuerint principes ordinationi. Tum verò etſi Conradus deceſſor de Henrico (vt diximus) ſucceſſuro ordinaſſet, ex abundanti tamen hunc fecere conuentum, vt omnium voluntate regnaret. Primam coniugem accepit monialem, quæ ei genuit Tanquardum: quam quia habere non licebat, remiſit monaſterio, & accepit filiam Theoderici comitis de Ringelheym, antiquæ Saxonum nobilitatis: quæ illi genuit Ottonem, Henricum, Brunoldum, Mathildim, Rixam, Hadewigam, Garburgam.

Papalis conſecratio Imperatorem non conſtituit.

Quæ principis autoritas in Imperatore eligendo.

CAP. 5.

PROSEQVAMVR deinde poſt catalogum Imperatorum, quem propter Henricum texuimus, eius res geſtas, ex quo tempore inijt regnum Romanorum: nam ſucceſſores eius in regno ſuis locis & temporibus dignabimur honore ſuo. Giſelbertus dux Lotharingiæ, ex genere Karolino, gener erat Henrici regis Romanorum. Hic ſocerum ſtimulabat, vt regnum Franciæ, quod ad degeneres perueniſſet, occuparet. Nam Ludouicus Balbus, Karoli Calui filius, quum legitimam prolem non haberet, natos ex meretrice filios, Ludouicum (quem Nihil-facientem agnominauere pro deſidia & ignauia) & Karolum fratrem eius ſcripſit hæredes. Ludouicus autem Nihil-faciens quum moreretur, filium reliquit Karolum cognomento Simplicem: ſic enim indito cognomine diſcreuerant reges æquiuocos. Quem quum per faſtidium ſuſtinerent proceres, Giſelbertus inter primos ſategit, vt ſocero ſuo, iam regi, regnum quoque Franciæ proueniret. Recuſabat Henricus regno pellere legitimum poſſeſſorem. Non quieuit Giſelbertus. Eudo (quem alij Vdonem vocant) legitimus tutor Karoli pueri, comes Andegauenſis, tutelam gerens, regium nomen aſſumpſit. Rex erat, qui pro ſuo arbitrio omnia adminiſtraret. Huius fratrem Robertum, Celticæ (hoc eſt Burgundiæ) ducem, adiit Giſelbertus, interpellauitque vt regium nomen aſſumeret: nam fratrem eius Vdonem, etſi conſecratus rex fuerit, ſciebat ſeruare honorem puero. Quod non probauit. Ceſſit poſtulanti & vrgenti Robertus. Quum enim eſſet & Aquitaniæ dux, de fratris regno

Robertus Burgundiæ dux Franciæ regnum affectat.

potiorem partem vbi accepiſſet, aliquor ſibi viciniores vrbes capit, cõſtitutis in eis pro ſuo arbitratu pontificibus, a quibus regis appellationem promeruit. Iam enim frater eius Eudo conceſſit in fata, proceribus commendans Karolum puerum. Ergo Robertus iam factus elatior, magnis copiis in regem puerum mouit. Commiſſo prælio Robertus cadit. Redeunti victori Karolo Hebertus Viromandorum comes fit obuiam per ſpeciẽ gratulandi, orat regem ad ſe diuertat Peronam. Perfido homini rex ſimplex credit. Poterat ſuſpicari dolos, quòd Roberti ſororem teneret coniugem. Intrantem regem mox armati circumſiſtunt, capiunt, in carcerem protrahunt: quæ res multorum per Franciã malorum origo fuit. Tum coniurati proceres qui cum Roberto, Giſelberto cæteriſq; ſentiebant, quaſi regem non haberent, de conſtituendo rege deliberant. Erat ex liberis Richardi Burgundionum ducis ſuperſtes filius Rodulphus, Karoli nepos. Hunc tametſi Karolus ex Eligina Angliæ regis filia prolem ſuſtuliſſet, in regem aſſumunt: qui Sueſſione regio ſumpto diademate (de more) regnum adminiſtrat. Ludouicus autem Karoli Simplicis, vincti regis filius, paternorum amicorum ope deſtitutus, enauigato mari ad Anglos ſe cum matre contulit. Pater in carcere permanſit.

Veromãduorum comitis perfidia.

CAP. 6. HOC in rerum ſtatu quum eſſet, Henrico Ro. regi cauſa petendi cum exercitu Lotharingiam (inuitante, quem diximus, Giſelberto) occurrit nuncius Karoli vincti regis cum mandatis huiuſcemodi. Karolus, inquit, quondam rex Fráciæ, nunc vinctus, quan do illum ſuprema calamitas oppreſſit, nihil habet in vita iucundius quàm audire incolumitatem, proſperitatem & fœlicitatem tuam, in qua plurimum ſpei ſibi filioq; repoſitũ arbitratur: dat tibi pignus amoris non vulgare. Manum protulit precioſi martyris Dionyſij, auro gemmiſq; incluſam: quam regum aliquis, vt ſecum vbique haberet, ſuperioribus annis corpori diuulſit, perpetua tactus deinde (vt ferunt) amentia: Quandoquidẽ, inquit, Franciam deſeruere omnes virtutes cum tranſlatis precioſi martyris reliquiis, hoc apud te perpetui pignus amoris cupit eſſe depoſitum. Pridem enim cum tranſlato beati Viti corpore ſub Pio Ludouico in Corbeiam, omnis Francorum fortuna ad Saxones demigrauit. Nunc quod reliquum fuit Franciæ regibus, apud te noueris collocatum. Henricus rex magnificum munus ſingulari excepit reuerẽtia, regem vinctum per eundem nuncium conſolatus, bono iuſſit eſſe animo, ſibi curam fore honoris & incolumitatis eius. Acceſſit huic dono aliud. Rodulphus Burgundionum rex, qui aliquandiu in Italia regnabat, quum aduerſus Berengarios depugnaſſet, in eadem prouincia donũ accepit à Samſone comite, lanceam miri operis, quæ quondam Conſtantini Magni fuiſſe perhiberetur. Erat autem aſpectu mirabile opus, iuxta mediam ſpinam feneſtellis intercisa, crucibus de Dominico ligno inſignita. Precium erat in ſacris reliquiis, cui ars acceſſit cum auri metallo. Hanc interpoſitis quos putabat idoneos, rex à rege magno precio accipere contendebat, ſi fieri poſſet: ſed non erat Rodulpho vlla rei æſtimatio: nihil illi in omni vita charius. Non deſtitit Henricus promiſſis, nonnunquam minis, vndecunque cauſis quæſitis Deſiderium proſequi, & perfecit vt ei dono à rege mitteretur. Hunc precioſum Imperij theſaurum Imperatores diu in deliciis habuere: nunc (quibus ex cauſis incertum) ad Nurenburgenſes, vt creditur, peruenit. Erat huius muneris prouentus ſemper Henrico acceptiſsimus: tantumq; peperit inter reges vinculum, vt Rodulphum Henricus magna parte Suæuiæ donauerit. Eam arbitror trans Rhenum, quæ nunc Imperialis eſt Burgundia.

Francorum rex Peronæ captiuus.

Franciæ Palladium.

Conſtantini lancea in magno pretio habita.

CAP. 7. OPERÆ PRECIUM eſt diligentius rem Vngaricam ſub hoc rege percenſere. Gens eſt aduena, quæ recens ex Scythia commigrauit, confœderatq; in Pannoniis: & crebras faciens excurſiones, aliquoties à Suæuis & Bauaris retunditur. Conradus quoq; rex in ſuo tempore illam quàm fortiter repreſsit. Quum verò Conradum audiſſent Vngari ſublatum, concepta audacia excurſionem fecere in Saxoniam: multis vrbibus euaſtatis, incẽdia, rapinas miſcebant. Rex Henricus tum erat in præſidio Werlaon, vrbis tum præcipuæ: rudiq; militi quem habebat, non ſatis fidit aduerſus inſolentiſsimam & ferociſsimam gentem. Itaq; impunè graſſabantur ad mare vſq;. Bremenſis ciuitas concremata: & tamẽ ſanctorum qui ibi requieuere meritis, flamma vaſtantibus Vngaris obuiam pergit, multoſq; conſumpſit. Per quæ tempora etiam Wandali in vicinam vrbem Hamburgum ſæuitiam conuerterunt. Hoc enim illud erat tempus, quo multos Chriſtus per ſanguinem ad ſe deuocabat in regnum. Leuibus tum præliis rex vexabat Vngaros peruaſtantes:

Vngari Saxoniam infeſtãt.

uaſtantes: in quibus captus erat vnus ex illorum principibus, quem magno auri pondere ad redemptionem depoſcebant. Rex auro contempto, captum reddere pollicetur, ſi aliquot annorum inducias paciſcantur. Conuenit inter eos de annis nouem: quibus cōſtitutis, rex militem facit inſtrui omni genere neceſſariorum ad bella armorum, exerceri ad pugnam, armari quoque promptè. Conſtituit deinde quotum quiſque in agris ſuſtineat pugnantem in expeditione: octo nonum, & in vrbibus quatuor quintum quenque: & præſidiis firmat vrbes. In agris autem nihil dimittit, quod hoſtibus præda ſit redituris. Conuiuia nuptiarum & alias comeſſationes amicorum iubet in vrbibus ſolis apparari, non in prædiis foris: quæ vocant vrbana, etiam ſi in agris ſint, dum ſint vrbium inſtructa ritu. Sic expeditum, ſic exercitatum militem probat in Wandalis, hoſte (vt putabat) molliore. Ducit in vrbem quam vocant Brandenburgum: qua multis vix laboribus expugnata, prouinciam ſibi ſubiicit. Inde in Dalmatas agmen vertit, eiuſdem gentis & linguæ nationem, quòd paternum illi odium eſſet in gentem: cuius vrbem Grona obſider, & viceſimo die capit, militi permittit diripiendam, vt acuat: omnibusq; puberibus peremptis (quò timorem crearet in gente) victorem reducit exercitum. Pragam quoq; Bohemorum metropolim, ex eiuſdem gentis ſocietate oppugnat, regemq; illius in eam perducit neceſſitatem, vt ſe dedat. Pater hic erat Boleſlai, Henrico fidelis & promptus per omnem reliquam ætatem. Sic primùm facta eſt Bohemia regi Romanorum Saxonumque principi tributaria: quamuis & antea per maternum Henrici auum Imperatorem Arnulphum, victo rege Morauorum (cui tum Bohemia quoq; parebat) iugum acceperat Romanæ ditionis.

Henricus ſuos exercet futuros aduerſus hoſtem ſtrenuos.

Henrici res bello geſta.

CAP. 8.

IAM conſtitutæ Vngaris induciæ finem habebant, quū illi mittentes pro more nuncios, dona ſolita poſtulabant: dederat enim rex per ſingulos annos nōnihil donatiui nomine, quò obæratos haberet ſibi. Id quum ſibi perpetuum Vngari ſperarent, rex pernegauit, iam exercitato milite animis auctior. Indignabundi Vngarorum nuncij, ad ſuos vacui reuertuntur, minitanturq; ſubuertere omnia, & parato iam agmine prorūunt: vicinos Dalmatas admonent vt arma iungant ad vlciſcendos ſe, commeatus importent. Illi vbi in Saxones pugnandum audiuerunt, cum contumelia Vngaros reliquerunt, quòd arma iam breui Saxonum comperiſſent. Profecti igitur Vngari in Turingiam perueniunt. Affertur regi nuncius repentinus de hoſtium inſolenti agmine. Iam pernicioſa ægritudine rex laborabat: & tamen ſupra vires egit, vt arma per quatriduum quanta poterant iungerentur. Acceſſere voluntarij omnes in hoſtes fidei, & pietatis officium non grauatè obibant, ſcientes quid præmij ſit conſtitutum in eo deficictibus, quid etiam periculi, ſi non modò pro libertate depugnent. Iam ad vrbem Mersborg nunciantur hoſtes caſtra fixiſſe. Rex autem expeditum iam habens agmen equitum peditumq;, fidenter mouit in hoſtes. Vbi ſub mutuū aſpectum venere exercitus, clamor exoritur, à Chriſtianis quidem Kyrie eleiſon, ab Vngaris autem perfidis tartareus ſtridor inſonat hui, hui, hui: manus deinde conſeruntur. Ibi apparuit quid ſupernum à Chriſtianis imploratum poſſit auxilium, quid etiam in armis miles fiduciæ ferat. Sternuntur perfidi ſine numero, capiuntur multi: cœleſti munere inſignis ac mirabilis victoria regi prouenit. Vngari qui ſuperfuere, laceræ velut nauis fragmenta colligentes, noctibus ſe ſubducunt. Rex victor in laudes conditoris Dei reſolutus, eius gratiæ deputauit victoriam. Tributa quæ hoſtibus penderet, vertit in vſus pauperum. Iam fama tantæ victoriæ orbem peruaſit, magnum & inæquabile nomen Henricus rex per prouincias habebat. Adierunt illum regnorum proceres, fidem eius implorantes: inter quos Heribertus gener Hugonis ducis in Francia, quum ei Rodulphus rex aduerſaretur, vt apud illum ſibi eſſet præſidio ſupplicauit. Ille verò ſolita ſibi libertate nihil negabat amicis, quod dono dignum iudicabat. Profectus in Galliam rex regem alloquitur: perfecto negotio reuertitur in Saxoniam.

Vngarorum in Saxoniam expeditio.

Vngarorum clades.

CAP. 9.

ERAT Henrico, tum omnes regni fines tuenti, bellum in Danos Holſatiam vaſtantes. Perdomuit, & retro egit gentem. Vrbem Sleſwicum coloniam fecit Saxonum, conſtituto ibi Marchione: quod in Dania diximus. Deinde quum Wandalos quoq; ad iuga cogeret, oppugnata (vt diximus) vrbe illorum præcipua Brandenburgo, per brumam in glacie firmatis caſtris: is erat animorum ardor. Nec enim poterat, propter paluſtria loca & crebras vndas, aliter expugnari. Expugnatæ vrbi præſidem impoſuit

Danos Henricus ſuperat.

cum colonia Saxonum: cui ſimile indidit honoris vocabulum, vt Marchio diceretur: quod itidem in Wandalia ſignauimus. Inoleuerat tum primùm marchionum nomen antè inauditum, & (vt arbitror) ex Saxonica lingua ductũ: nam Veltmarck vocat quodque villagium ſuum agrum: quod alibi latius deduximus. Quumq; in morte ipſius (vt dicemus) marchionatus Danorum Sleſwici interiret, in ſolo Wandalico Brãdenburgi mirum in modum profecit, vt inter maximos Germaniæ principatus numeratus dignitatem iam diu tenuerit electuræ ad Imperium, quotidie per noſtra tempora increſcens, quum in manus peruenerit veterum Francorum: quos nunc per ſummam iniuriã Francones vocant, quum Galli teneant verum illorum nomen, ductum à libertate. Sed hodie (vt diximus) per illos principes magnificè effertur principatus Brandenburgenſis, propter acceſſionem principatuũ, quos pridem habentes, conceſſerunt nouiſſimis temporibus ex Francia & Bauaria ad tenendum hanc electuræ dignitatem, quæ titulo debetur Brandenburgenſi.

Marchionatus Brandenburgenſis initium.

CAP. 10.

SED & Hugo rex per ætatem illam Italiæ, legatos miſit Henrico, amicitiam eius depoſcentes. Poſtquam verò Rodulphus Franciæ rex in fata conceſſiſſet, Karolusq; victus in carcere diem ſuum obiiſſet, & Ludouicus eius filius cum matre ex Anglia vocaretur ad regnum, & ab obuiis proceribus ſalutaretur, inq; patris locum rex conſtitueretur, non durauit affectio procerum: reuixitq; in corde multorum odium ſtirpis ſuæ, ſtatim ſubiit regis faſtidium. Secedentibus ergo à rege Francis, Ludouicus rex Ro. regem per nuncium petit, alicubi conuentum indicere velit ad colloquium, cupere ſe amicitiam ac beneuolentiam eius promereri. Henricus rex reſpondet, non ſe poſſe regi in ea re placere, niſi ſuper eadem Wilhelmi Normanni ſententiam cognoſcat. Ea re cognita, Ludouicus rex Wilhelmum Normãniæ ducem adit, docet qui ſit regni ſui ſtatus, quantum ſit in ipſo rerum momentum: ſi velit, poſſe illum magnæ rei pondus ſubleuare, cuius apud regem perpetua perſeueret memoria, modo Henricum regem inflectat, vt ad colloquium veniatur. Wilhelmus non cunctanter annuit, auratum militem ex ſuis regi mittit Henrico, conuentum poſtulat ſuper Moſam fluuium. Henricus cognita Wilhelmi voluntate nihil moratur, conuentui annuit, ad quem ipſe proficiſcitur. Medio Wilhelmo reges colloquuntur, icta ſunt fœdera. Cuius rei quum fama percrebuiſſet, moti Franciæ proceres regi ſuo ceſſere. Sed ingratus fuit poſtea Ludouicus rex Wilhelmo eam rem procurauti: quod plenius in Norwagia ſcripſimus.

Ludouicus ex Anglicano exilio regnũ accepturus domũ reuocatur.

Ludouicus Henrici regis opera autoritatẽ inter ſuos conſequitur.

CAP. 11.

ERAT autem Henrico regi (vt diximus) coniunx, conſors regni, clara atque nobiliſſima, nomine Mathildis, filia Theoderici comitis de Ringelheym, ex eadem Saxonum gente, cui fratres eſſent Wedekindus, Immotus, atq; Reginbertus: à quibus magnæ nobilitatis propago diſſeminata eſt. Hic eſt Reginbertus qui pugnauit in Danos incurſantes, multoq; tempore Saxoniã vexantes, vicitq; illos, liberans patriam ab illorum incurſionibus. Erãt autem omnes hi, rex cum regina, & qui antè nominati ſunt, ex ſtirpe Wedekindi, magni ducis Saxoniæ, qui bellum geſſit in Karolum Magnum per annos XXX. Genuit autem Henrico Mathildis ante regnum Gerbergam filiam, quam deſpondit Giſelberto Lotharingiæ duci. Filium quoque Ottonem, induſtrium, viuidum, elegantem, & omnibus naturæ donis foris & intus abundantem: qui patri ſucceſſit in regno. Poſt regiam verò ſuſceptam dignitatem genuit Henricum patri cognominem, virum fortem & illuſtrem: quem poſt rebellionem Otto frater exaltauit, ex cuius etiam ſtirpe Imperatores prodierunt. Tertium genuit Brũnonem, põtificia dignitate Coloniæ honoratum, & qui cum pontificatu ducatum Lotharingiæ adminiſtraret: quod ſuo loco memorabimus. Duxit autem Otto filius regis viuente patre, vxorem ex gente nobiliſſima Anglorum, filiam fratris Adelſtani regis, quam alij Otgid, alij Edid appellant. Recordabantur Angli originis ſuæ, quòd ex Saxonibus ante aliquot ſecula egreſsi, Saxonum affinitatem repetebant. Peperit ea Ottoni Ludolphum filium, qui diſtractus patri aliquãdo rebellauit. Sed hæc infrà. Henricus autem rex ea fuit circũſpectione, vt in omni gente ſua rarus aut nullus eſſet, qui de magna re ſe nõ gauderet ab illo muneratum: nemo fuit clarorum in gente virorum, quem non præclaro munere aut officio, pro cuiuſq; virtute donaret. Erat vir omni in loco & opere præcipuus. Etiam in relaxationibus animorũ eam ſeruauit integritatem, vt laxatum, non ſolutum eum, qui attenderet, videret. In cõuiuiis ſatis iucundus: nihil tamen regalis diſciplinæ minuebat. Tantum authoritatis in eo pondus fuit,

Henrici regis filij.

dus fuit,vt etiam ludenti non crederent ad aliquam ſe laſciuiam diſſoluendos.

CAP. 12.

Henricus bello & pace artibus inſignis.

INTER multas autem huius Henrici laudes ea præcipua eſt, quòd in Saxonia prouincia ſua primus verum rebus ordinem dedit. Vrbes immunitas iuſſit muris & foſſatis cingi,propter incurſionem Vngarorum,& ſi poſtea barbari clauſtris Scythiæ erumperent:quod longè pòſt fecere Turci,fecere Tartari. Sed Vngari iam diu pro muro erant reliquæ Chriſtianitati ab illorum incurſionibus. Deinde quòd vrbes legibus & moribus formauit. Iuuentutem ad arma iuſſit exerceri:vnde etiam,vbi opus euenit, in expeditionem ſecum duxit,quos etiam militaribus ſuis coæquauit. Agros diſtinxit, conſtituens quantos quique pedites in arma mitterent ad generalem terræ expeditionem. Ab initio ipſe vrbes aliquot fundauit,Quedelinborg & Goſlariã : quamuis eam vrbem nonnulli inſcribant Henrico III. Sed ille conſummauit quod iſte inchoauit. Miſnam quoque vrbem ad Albis ripam Henricus communiuit,conſtituens in ea primus epiſcopum,vt eſſet incurſioni Vngarorum vel primum repagulum. Vrbem Mersborg hic rex veterem renouauit,& in ſublime extulit. Paruit autem tum Miſna & magna Turingiæ pars Saxonibus:quæ ab illa die diuulſæ ſunt,quum Henricus Leo dimoueretur à ducatu,aut quum I. Otto Saxoniam permitteret Hermanno Biling gubernandam. Superiores verò Saxoniæ,Turingiæ & Miſnæ partes tum aliis creditur commendaſſe, quum interim Henricus Leo vix mediterranea terræ Brunſwickcenſis ſibi ſuiſq; retinuit, quòd ea eſſet peculiaris illi ex matre hæreditas. Quo etiam tempore Henricus rex collegium canonicorum,quod fundauit Wedekindus abauus eius in Angria,ipſe tranſtulit in Vallerſleue,conſtituens ibi epiſcopum nomine Marcum, virum incomparabilis ſanctitatis. Sed neque ibi diu permanſit. Nam Otto Henrici filius,rerum potitus (quod dicemus ſuo tempore) tranſtulit in Magdeburgum, archiepiſcopatum inde erigens. Quedelinborg autem vrbem ſingulari cura reſpexit,monaſterium ibi erigẽs dominarum, in quo primam fecit abbatiſſam filiam ſuam Mathildim, eccleſiam autem in honorem ſancti Seruatij iuſſit conſecrari. Henrico autem moriente,quod deerat & vrbi & monaſterio, impleuit relicta eius:quæ etiam in Northuſen extruxit monaſterium, & deinde in loco qui dicitur Polede. Tertium verò erexit in Angria,vnde maritus eius Henricus tranſtulit collegium in Vallerſleue. Religioſa verò domina non paſſa quid deeſſe rebus diuinis, ſanctum pridem locum, nouo ibi inſtituto collegio, reuocauit in priſtinum honorem. Et ne quid deeſſet religioni ſtirpis ſacratę,filius eius Bruno, Colonienſis archiepiſcopus, intra vrbis ſuæ mœnia fundauit cœnobium ſolenne, quod dicitur S. Pantaleonis. Nec mediocrem operam impendit Normannis baptizandis, qui per prouinciam eius ſparſi vagabantur.

Religionis in Henrico ſtudium.

CAP. 13.

HENRICVS autem compoſitis circunquaq; rebus, perdomitiſq; rebellibus, poſtremò Romam ſtatuit proficiſci:ſed infirmitate correptus iter intermiſit. Decubuit autem in caſtello quod eſt inter Turingorum & Saxonum confinia. Quum ſe iam morbo grauari ſenſiſſet,conuocatis proceribus,deſignauit Ottonem filium regem,cæteris prędia cum theſauris diſtribuens. Sequutus eſt exemplum prædeceſſoris ſui Conradi, qui ſe moriens regem declaraſſet. Nec longè erat ab conſuetudine Karolinorum, vt deſignaret pater quem vellet ex filiis ſibi in Imperio ſurrogari. Nam Karolus Magnus aſſum pſit viuens Ludouicum,& ille Lotharium filium conſortem fecit Imperij. Nondum enim erat legitima electionis forma,quę in Ottonis III. nouiſſimis annis(quod dicemus) eſt inſtituta. Ottonem ergo,qui filiorum maximus erat natu, & fratrum optimus, omni regno præfecit. Iam etiam Franciæ orientalis regio cum Turingia ceſſit regibus Romanorum,poſtquam reges Francorum in id imbecillitatis peruenerant, vt vix quæ in Galliis erant tuerentur,& Germanorum reges iam coaluiſſe viderentur regibus Romanorum. Teſtamento itaque legitimè facto,& rebus ex more Chriſtiano compoſitis,defunctus eſt Henricus anno regni ſui XVII. vitæ autem LX. Tranſlatum eſt autem corpus eius à filiis in vrbem Quedelinborg,& in baſilica ſancti Petri ante altare ſepultum,cum planctu & lachrymis plurimorum.

Succeſſurus regno à decedente deſignabatur.

Henrico mortuo ſuccedit Otto primus.

CA. 14.

OTTO, qui ex rebus geſtis poſtea ſibi nomen Magni aſciuit,Henrici regis filius,approbatur rex, ſucceditque in locum Auguſtorum, octogeſimus primus ab Octauio Cæſare, omni populo Saxonum Francorumque plaudente: regnauitque annis XXXVIII. approbatuſque eſt à principibus apud Aquiſgranum. Vbi mox vnctus eſt rex,

peragente miniſterium Moguntino archiepiſcopo nomine Hildeberto, genere Franco, profeſſione monacho: qui nutritus in Fuldenſi monaſterio, ad hoc ſuo merito prouectus eſt, vt pater primùm eius loci conſtitueretur, deinde ad faſtigium Moguntinæ ſedis proueheretur. Rex autem benedictione percepta, quàm ſapientem in regni mo-

Vngari Saxones cædunt.

deramine, quàm fortem in aduerſantium certamine, quàm ſtrenuũ in religione ſe præberet, facilè enarrari non poteſt. Primùm igitur barbaris ad nouas res exilientibus (vt fieri ſolet) Boliſlaus dux Bohemiæ Wentzelaum fratrem ſuum regno Romano fidelem, Chriſto deuotum, percuſſit. In cuius vltionem quum rex exercitum mitteret aduerſus Boliſlaum, primò Saxones victores viſi ſunt: deinde pro recenti victoria ſecurius & inconſideratius agentes, repentina incurſione omnes ab hoſte ſunt occiſi. Et perſeuerauit deinde aſſiduum bellum vſq; ad decimumquintum regis annum: ex eo regi Ottoni reconciliatus, fidelis in finem vſq; permanſit. Vngari verò antiqui Saxonum hoſtes (imò verò omnium quos non habuere ad tributa pendenda faciles) audita morte Hẽrici, qui illos maxima clade affecerat, volentes pertentare noui regis vires, mouerunt per orientalem Franciam, tentãtes irrumpere Saxoniam in parte occidua. Sed rex Otto illorum comperto aduentu, obuiam proceſſit cum expeditis agminibus: & congreſſus ita repulit, vt laceris viribus reuerſi, diu intra ſepta Pannoniarum permanerent. Et quum exter-

Bauari duces in Ottonem contumaces.

na bella requieſcerent, cœperunt regi naſci inteſtina in ipſis regni viſceribus. Nam Arnoldo duci Baioariorum (quos nunc vocamus Bauaros) mortuo, filij eius in ſuperbiam erecti, nolebant agnoſcere regem, neq; in cœtum regni parere euocationi. Gallicus ille ſanguis faciebat animos, quòd ſe potius quàm Saxones natos ad coronam regni arbitrarentur. Sed rex Otto pro contumacia quam prætenderãt, præteritis Arnoldi liberis, ducatum permiſit eorum patruo Bertoldo, illumq; in ditione defendit. Ita factum eſt, vt quod ſub rege tenere nolebant, ab illo penitus extruderentur. Mortuus eſt etiam illo tempore Sigefridus, vnus ex Saxonũ primoribus, qui proxima ſub rege poteſtate multa in Saxonia adminiſtrabat. Eius ditionem Dancmarus regis cõſanguineus frater, hoc eſt ex ſolo patre, non etiam matre, depoſcit: erat enim ille natus matre moniali, quã Henricus pater amabat, & aliquandiu pro coniuge tenebat: ſed vxorem habere non poterat. Rex autem comitatum illum Geroni conceſſit, viro primario. Inde exaſperatus in fratrem Dancmarus rebellionem molitur.

CAP. 15. EVERHARDVS quoq; comes iratus aduerſus Bruningum quendã ex Saxonum primorib. Erat hic Euerhardus Conradi regis (vt ſuprà ſignificauimus) germanus frater,

Conſpiratio aduerſus Ottonem.

ex ſanguine Karolino, cui etiam Otto per auitam lineam non erat alienus. Hi principes erant conſpirationis in regem. Euerhardus enim collecta manu ſuccendit vrbem Bruningi, quæ vocabatur Eliueri, interfectis qui inerant, ſine diſcrimine ſexus & ætatis omnibus. Quam præſumptionem rex in eum ſeuerè vindicabat. Nam & mulctam illi indixit centum talentorum, auxiliarios quoq; illius quodam dedecore notabat, vt in vrbem

Canes tributi nomine pendere, ignominioſum.

Magdeburgum (poſtea ab Ottone inſignitam) canes deducerent: quod probri genus illa ætate habebatur. Qua ex re vehementer exaſperatus Euerhardus iunxit ſe Dancmaro, ad inſtruendam regi rebellionem. Ergo iunctis armis oppugnant præſidium quod dixere Bardewick, in quo rex germanum fratrem ſuum Henricum adoleſcentiorem fecit educari: & capto præſidio militibus dedere diripiendum, quò in reliquum eos haberent obſequentiores, abducto ſecum regis fratre Henrico. Inde vrbem quæ dicebatur Eresborg, in deditionem acceperant, eamq; firmatam, ſedem ſibi fecere firmiſſimumq; refugium: vnde excurſiones multas facientes, diripiunt vaſtantq; vicina loca. Quumq; finem nullum facerent malorum, ſæpe à rege admonitus frater, magis in ſuperbiam erigitur. Rex contracto valido exercitu, vrbem memoratam obſidione cinxit. Ciues aliquandiu quid facerent deliberantes, quum viderẽt Dancmarum ad reconciliationem fratris regis nihil intendere, ſeq; ad extremum ab ira regis non poſſe vrbem tueri, apertis portis intromiſere regem: ſperantes quòd in germanum pro ſolita clemẽtia nihil ſta-

Eccleſiæ aſylũ violatum.

tueret grauius. Confugerat autem Dancmarus in eccleſiam, apprehenſo cornu altaris. Sepſerant regij eandem baſilicam: quam quum ingredi munitam non poſſent, quidam per feneſtram miſſa ſagitta Dancmarum confixit. Non probauit rex factum: ſed nulla vis potuit infectum reddere. Euerhardus Henricum obſeruabat, male ſibi timens, vbi audiuit caſum conſortis. Prouolutus autem pedibus Henrici captiui, veniam precabatur.

Facilitas

Facilitas aduleſcentię ceſſit precanti,& in familiaritatem admiſit, pridem raptorē ſuum. Ille vbi inſinuauit ſe iuueni,cœpit prætendere quanti in regno principes Ottoni aduerſarentur:imprimis ſororium eius commemorauit Giſelbertum Lotharingiæ ducem.Si in animum ducat Henricus illi adhærere, facile futurum vt ipſe accepta corona regnaret pro fratre.Mouit aduleſcentem promiſſus honor,facileq́; conſenſit ſceleri, cuius tantam ſperabat futuram mercedem.

Cap.16.

Euerhardus regnum affectat.

GISELBERTVS dux eadem expectatione tenebatur, Henricum promiſſis lactans,vt ſi eius auxilio regem ſororium ſuum (hoc eſt,cuius germanam teneret coniugem)vinceret,ſibi coronam vendicaret,debitam generi,quod Francorū ſanguine gloriaretur. Nec alia ſpes fouebat Euerhardum: qui & ipſe rege victo, cogitabat Henrico Giſelbertoq́; contemptis,ſui ſe rationem habiturum: recordabatur enim regem Conradum fratrem.Hoc autem blanditiæ vxoriæ exauditæ prodebant paulo ante mortem eius. Quum enim gremio foueret vxorem, Gratulare, inquit, nunc in ſinu comitis,de proximo gauiſura in amplexu regis. Ita tres conſpiratores pro ſe quenq; vna ſpes fouebat.Rex omnium gnarus,habebat non contemptibiles copias,quibus fidebat,Hermannum Suæuorum ducem,fratremq́; eius Vtonem, Conradumque(quem pro inſigni circunſpectione cognominauere Sapientem)qui etſi proxima affinitate Euerhardo iungeretur,potiorem tamen omni propinquitate duxit fidem. Henricus autem regis germanus ſpe magna ſublatus,in loco qui dicitur Salueldia,procerum ſuorum egit conuentū: is eſt in media Turingia,quæ tum obſequuta eſt Saxonibus. Ibiq; conuiuio & ſingulari comitate pertractans,multos ſibi fecit deuinctiſſimos,muneribusq́ue conciliabat alios, prout mores cuiuſq; & fortunam interpretabatur: magnoq́; agmine perarmato,contendit cum expeditis in Lotharingiam,ibiq́; Euerhardus arma ſua cōiunxit Giſelberto. Viribus vndique comparatis mouerunt in regem. Audiuit rex friuolam trium in ſe conſpirationem. Et initio quidem non credidit fratrem & ſororiū, nulla vnquam à ſe affectos iniuria,in ſe ducere. Vbi autem certior factus eſt,contractis vndiq; copiis obuiam proficiſcitur venientibus. Spem conſtituerat in Deum innocentiæ propugnatorem,vindicemq́; malæ voluntatis. Venerat rex ad vrbem Tretmont,nunc Tremoniam. Ea paruit Henrico:ſed armis regis coacta eſt illi cedere.

Cap.17.

VENTVM erat ad Rheni ripam:& quum de hoſtium vicinitate necdum compertum eſſet,audacius Saxones traiecerunt. Vix ripam alteram tetigere: ecce aſſunt improuiſi hoſtes,vix permittentes armandi ſpacium. Rex conſpicatus ab altera ripa ſuorum periculum,angebatur ſupra modum,quòd ad traiiciendum nauigia nō adeſſent: cauerat enim hoſtis.Igitur quum cerneret quo in loco res ſuorum qui traiecerāt, eſſent,nec armis illos tueri poſſet,aliud quæſiuit præſidium. Nam equo deſiliens, ſacram lanceam (quam diximus patrem illius accepiſſe ex Burgundo) venerabundus flexis genibus adorabat,de cœlo ſuis poſcens auxilium,quando humana defecerunt præſidia. Idem fecerunt qui proximi ſtabant,exemplum regis ſequuti. Saxones in altera ripa laceſſere potius hoſtem quàm pugnare poterant,pauci in multos.Itaque tenues quas habuere equitum copias diuiſere,vt medium hoſtem incertum facerent quò ſe verteret. Conſpecta eſt virtus auxiliatrix deſuper:nam pauorem hoſtibus iniecit vt fugerent,neſciētes quid. Erant inter Saxones qui Gallicè ſonarent, Fuge,fuge.Hoc Lotharingi à ſociis proclamari arbitrati,fugæ præſidium quæſierunt. Henricus regis germanus graui vulnere accepto in brachio,quod anno vix integro poterat integrari,& ipſe in fugam vertitur. Interea erat vir primarius in exercitu regis, qui miſſo celerrimè nuncio in ditionem Henrici,huius victoriæ famam iuſſit diuulgari, cecidiſſe Henricum, & omnia ſua in manibus eſſe regis.Peregitque vt vrbes confeſtim ſe regi permitterent, præter Mersborg & Schidingen.Henricus autem ſolis ſuorum nouem ex fuga recollectis,iterum trāſmiſſo Rheno,in Mersborg munitam vrbem ſe recepit. Quo comperto rex illam obſidione preſſit.Et quum poſt duos menſes cerneret Henricus ſeſe aduerſus fratrem longè eſſe imparem,deditionis verbum fecit,nec detrectauit. Formula fuit cōuentionis,vt triginta dierum induciis acceptis,deliberaret Henricus & omnes milites eius quid mallent, optione propoſita intra tempus ad gratiam confugere (quod liberum rex faciebat) aut Saxonia excedere.Henricus autem tum elegit,vt ſponte emigraret in Lotharingiam, ad Giſelbertum contendens:apud quem per dies aliquot manſit. Rex expeditis copiis ducit

Sacra lancea adoratio.

Ottonis in Lotaringiā expeditio.

trans Rhenum in Lotharingiam,quę Giſelberti eſſent,omnia ferro & igne peruaſtabat. Intelligens Giſelbertum ſe continere in præſidio quod vocant Kiuermont(hoc eſt mōs capræ)concitò illuc ducit vt obſideat:ſed Giſelbertus elabitur. Et quum fruſtrata perin de videretur regis molitio in occupando vel duce vel eius præſidio, vaſtata circum regione,locupletatum reducit exercitum in Saxoniam.

CAP. 18. EVERHARDVS autem in confinibus Alſatiæ oppidum tenebat Briſacum,quod aliquando erat nobilium qui Harelongi dicebantur. Tum autem velut ſuum Euerhardus firmo præſidio communierat,illic conſtituto robore militum qui tuerentur.Hi excurſantes,inde omnem regi parentem è vicino prouinciam peruaſtabant. Eam arcem obſidere conſtituerat,coactis regni proceribus.Venerant alacres,& fixis apud regis tentoriis quiſq; ſuis,obſidioni ſe parauerunt. Erat inter próceres Fridericus Moguntinæ ſedis antiſtes,obliquo (vt ferebant) in regem animo. Is habito cum multis colloquio, neſcio quid cum illis peregerat:multi verò ex iis qui cum antiſtite ſermonem miſcuerunt, laxatis noctu tentoriis clam rege abierunt. Fridericus autem quò conſilij illius expers putaretur,apud regem in obſidione remanſit. Fuere tamen qui ſynceritatem pontificis tuerentur.Exorto die cernentes regis milites quã rara corona cingeret oppidũ, quodq; magna pars auxiliorum abiiſſet,apud regem mentione facta defectionis,ſuadere conabantur vt & ipſe reduceret in Saxoniam, donec auctis viribus numeroſior rediret: ne fortè cum capitum ſuorum periculo etiam hoſti forent ludibrio.Rex verò nulla perturbatione motus,conſilium fugæ non probauit,indecorum & generi & dignitati ſuæ arbitratus,ſi propter quorundam perfidiam hoſti terga daret: fiderent animo & armis, ſeſe magnis hoſtium copiis ſuffecturos.Erat etiam tum inter primos regni proceres comes, qui honeſta cohorte militiam regis condecorabat. Is iam tempus eſſe ratus magnum quid à rege depoſcendi,quando eo in articulo conſtrictus, à ſe comitem alienari nullo (vt putabat)pacto rex pateretur. Poſtulabat ergo ſibi permitti monaſterium & abbatiã Laureſheimenſem.Rex prudenter intelligens quò reſpiceret illius temporis audax poſtulatio,reſpondit,quæ Dei ſunt,ſuæ poteſtatis non eſſe,vt transferat in vſum retũ ſecularium.Arbitrari fortè comitem tam audaci prece, regem ſibi eſſe adeo obſtrictum, vt negare non auſit quicquam. Ponat errorem : non ſe illo eſſe animo,vt vel hoc vel aliud quicquam ob præſentem rerum neceſſitatem permittat poſtulanti. Si inde diſcedendi quærat occaſionem,nihil eſſe opus tergiuerſatione,abeat quamprimum: Romanorum regem etiam ſine illo hoſtibus occurſurum.Comes vbi audiuit regis animo profundius ac putaret petitionem ſuam inſediſſe, prouolutus pedibus eius veniam poſtulauit, non ſe contendere teſtatus contra regis voluntatem.

Rebus afflictis unqua petitio.

CA. 19. HOSTES vbi audiuere regẽ eſſe in obſidione Briſaci,tranſmiſſo cum copiis Rheno,apud Aldernacum in eum ducunt:quæ vero media fuere,omnia peruaſtant: & ſpoliis onuſtum militem iterum traiicere iuſſere Rhenum, vt in tuto loco præda collocata, contenderent ad plura conquirenda.Interim verò Hermanni Suæuorum ducis germanus,& Conradus cognomento Sapiens,qui erant partium regis, & ipſi expeditis copiis tendebant ad regem.Non tamen pares Giſelberto vires habebant in armis, vt aciem illi opponere contenderent:ſed pone legentes iter, ſequebantur euaſtantes, ſi quando occaſionem inuadendi nanciſcerentur. Obuium habuere ſacerdotem triſti vultu: quem ſciſcitati vnde veniret,quidúe mœſtus eſſet,Ab iſtis,inquit, qui præcedunt prædonibus vnicum paupertatis meæ ſolatium ademptum eſt iumentum. Interrogatus ſi ducem Giſelbertum & Euerhardum comitem vidiſſet,reſpondit illos magnam à ſe iam ſuorũ manum cum præda dimiſiſſe,ipſos verò(quòd male ipſis vertat)iam reficiendis corporibus cum paruo comitatu in villa non longinqua conſidere. Re comperta, Vto & Conradus alloquuti milites arma expediunt:improuiſi irruunt in imparatos. Euerhardus occiditur,multiq; cum illo cadunt,capiuntur aliquot. Ipſe Giſelbertus dux equo prouectus,& quò ſe vertat incertus,in profluentem Rhenum equi robore fiſus ſe immittit: ibi raptus vndæ vortice perit.Ita paucorum ſanguine regi Romanorum magna conſtitit victoria. Cuius rei nuntium vt Ottoni perferebatur,iter tenebat de more ſuo ad eccleſiam. Mox audiens equo deſiliit,& genibus prouolutus,ſuſpexit in cœlum , O ſummi,inquit, cœlites, quàm iuſtè noxæ vindices eſtis! Diſcite iuſtitiam moniti mortales. Et iterum iumentum conſcendens , ad eccleſiam properauit . Veruntamen aliquanto diuerſius

Otto à ſuis deſeritur.

Euerhardus interficitur.

Ottoni victoria abſque puluere cõtingit.

Gallici

Gallici ſcriptores rem enarrant,ad eundem tamen exitum. Aiunt regem Franciæ Ludouicum fuiſſe in parte hoſtium:& obniſum regi Ro.quòd Lotharingiam occupare contenderet,quæ ſemper Gallici iuris extitiſſet:Henricum Ottonis patrem Saxoniæ dominatu donatum ab regibus,præcipuè Karolo tum puero,Ludouici patre:nõ eſſe permiſſum Saxonibus aliquid vltra Rhenum:itaq; omnes qui in Lotharingia fauebant Ottoni,pulſos trans Rhenum. Hanc iniuriam Ottonem(vt ferunt illi) vindicaturum,copias in Lotharingiam traduxiſſe,euaſtatamq; prouincia cum magna prędа reuertiſſe. Giſelbertus(vt ferunt) regis ſui auctus viribus,quum vicem Ottoni reddere conſtituiſſet, agmina ſua & ille viciſſim in Saxoniam traiiciebat.Et iam multis rebus in prædam comportatis,quum in eo eſſent occupati Lotharingi,vt in ſuam prouinciam omnia trãs Rhenum traiicerent,Ottonem cum ſuis ſuperueniſſe copiis,& inito certamine, grauiſſimè ferũt præliatum,maiori parte Saxonum occiſa, quum etiam Gallici generis plurimi cecidiſſent. Arbitratum Giſelbertum hoſti proueniſſe victoriam, ſe cum iumento credidiſſe profluenti Rheno,& ita periiſſe. Fauet quiſq; genti ſuæ,& illi ſtudet condecorandę. Verùm hiſtoriarum vera lex eſt,veritatem efferre nudam ſine diſcrimine partium.

CA. 20.

GISELBERTO duce iam rebus humanis ſubtracto, Ludouicus Franciæ rex magnifaciens Romanorum regis affinitatem,relictam Giſelberti coniugem, Ottonis germanam,poſcit vxorem,& accipit. Potuit & reſpectus in Lotharingiam adducere regẽ in illud coniugium. Rex autem Otto tanta potitus victoria, Bertoldum Bauarorum ducem miſſo nuncio de rebus ſibi fœliciter prouenientibus fecit certiorem, vt meritò gratularetur,qui onus regni pro magna parte ſuis viribus ſupportabat:feciтq; illi arbitrium, ſi mallet Giſelberti relictam,an filiam ſibi coniugem. Ignorabat enim regẽ Franciæ iam illam relictam traduxiſſe coniugio. Elegit dux annos adoleſcẽtiores. Fridericus interim archiepiſcopus Moguntinus quum expectaret aduentum belli, iam tamẽ multis rebus inclaruit,quòd hoſtibus regis magis quàm regi inclinaret:profectus in Metim vt ſe conſociaret Giſelberto,in ipſo itinere nuncium accepit de nece ſuorum(quos regi prępone bat)amicorum:& conuerſa profectione,Moguntiam redire cõtendit. Ciues autem certiores facti de pontificis in regem rebellione, quum audirent regis negocia vbiq; proſpe rari,vt indignationem regiam euitarent,quòd ſuſpecti illi ducerentur, redeunti pontifici ſuo vrbem non patefecere. Ille declinans captus eſt à regiis præfectis,& in præſentiã regis adductus. Quum grauiter illum increpaſſet rex, miſit in Saxoniam cuſtodiendum carcere: vnde tamen miſeratione regis non diu pòſt dimittitur. Mira pontificum perplexio,qui vtriſque rebus impliciti,& ſecularibus & eccleſiaſticis,magnam rem peragunt, ſi vtrobiq; integri ex fide omnia implent.

Moguntinus epiſcopus à ſuis excluditur.

Epiſcopi ſparta quam nacti ſunt, non contenti.

CAP. 21.

OTTO interim rex,Francorum regi vocatur occurrere ad colloquium: indicitur de vtriuſque placito locus & dies. Ibi tum conſertæ ſunt nuptiæ inter Ludouicum regem & Ottonis germanam,Giſelberti ducis relictam: vnde ille geminam prolem ſuſtulit virilem,Lotharium atque Karolum. Ibi etiam Ludouicus oſtendit Ottoni perfidiã Normannorum littori ſuo inſidentium. Si iungat Francis rex Romanorum arma illis exterminandis,Lotharingiam illi ceſſuram in præmium. Oblitus erat Ludouicus obſequiorum quæ illi impenderat Wilhelmus Normannus, quum illum Henrico Ottonis patri conciliaret. Magnis tum cõditionibus Ludouicus perpulit Ottonem vt annueret, quãuis Normannorum principum iam à memoria patris eius Henrici (quod ſupra ſignificauimus)bonus eſſet in Saxones reſpectus. Sed tum rex regi ceſſit poſtulanti. Ducunt vna iunctis armis Rotomagum,vaſtant prouinciam:vrbem autem inexpugnabilem cernentes,obſidionem non intentauere. Aliquot leuia prælia commiſſa ſunt, ſed nulla memorabili re peracta, reges in ſua quiſque reducunt exercitus. Henricus autem Ottonis regis frater,quum conſortes belli deperiiſſent, & iam auxiliis omnibus deſtitutus videretur, arcem Lotharingiæ Kiuermont ingredi conſtituens, prohibitus eſt à ſorore, Giſelberti relicta iam tunc vidua. Quid eſt(inquit) frater, quòd contendis iram regis in nos exaſperare? Maritum perdidi, dum coniuratis in fratrem:& nunc prędia noſtra ad rapinam exponis. Ceſſit ergo,& in Franciam conceſſit ad regem Ludouicum, qui prouinciam Lotharingiæ commiſit tutandam cuidam Vtoni, inter proceres Francorum primario, vt educaret Henricum Giſelberti filium. Interim parabatur matrimonium de quo prædiximus,inter Ludouicum regem Francorum & relictam Giſelberti, Ottonis Romano-

Duorum regũ aduerſus Normannos expeditio.

rum regis atq; Henrici fratris ſui germanam. Quam rem præoccupando antea commẽmoratã, huc in ſuum ordinẽ reuocamus: quomodo ſæpe præſtat narrationis contextus.

CAP. 22.

HENRICVS Ottonis regis germanus, quum aliud ſupereſſe nullum cerneret conſilium, acciris quibuſdam epiſcopis, quos ad rem iudicauit idoneos, improuiſus regi fratri ſuperuenit: & prouolutus genubus veniam precatur. Aſtantes epiſcopi verba precantis, quibus poterãt adiuuere modis. Rex primùm ſtupefactus hæſit: deinde, Qua, inquit, iniuria à me exaſperatus, tam in me cruento bello exarſiſti? impacatiſſimum diu animũ fouiſti? ſemel ac iterum admiſſus in gratiam rebellaſti? Crimen hoc tuum etſi veniam non meretur, faciam tamen non quod mereris tu, ſed me & fratrem & regem decet: hoſtem oblitus, germanũ accipio. Eleuanſq; iacentem, permiſit ad oſculum. Tamen quoad deferueſceret ira, iuſſit oculis elongatum deduci in palatium in Ingelheym, quod Magnus Karolus exædificauit: inde aliquot illi permiſit ciuitates in Lotharingia: demum interuentione matris amborum ſuperextantis, omnium criminum abolitione facta plenam recepit in gratiam. Nec longum tempus in medio, quum moriente Bertoldo Bauarorum duce ſine prole, eiuſdem matris precibus rex flexus, ducatum illi donauit cum omni iuris ſolennitate. Habebat enim Henricus coniugem filiam Arnoldi quõdam Bauariæ ducis (vt etiam illa ratione non extraneus videretur) fœminam prudentem, & omni flore pudicitiæ formæq; multis præſtantem. Filij autem Arnoldi memorati, propter perfidiam patris & propriam à ducatu excluſi, comites erant Bauariæ: quamuis alter ex his Rodulphus, coniugem teneret germanam Ottonis & Henrici. Ex hoc autẽ die Henricus dux Bauariæ fratri regi ſemper fidelis permanebat. Hic fuit exitus belli inteſtini, quo in optimi regis interitum tres (vt diximus) ſibi quiſq; regni coronam ſunt polliciti. Sed non ita viſum Deo: vicit enim innocens & melior cauſa. Tum verò reddita pace, alterum diuerſum illi bellum ſurrexit in monachos, aſſerentibus pontificibus melius eſſe paucos Deo ſeruientes paſcere, quàm magnum gregem ocioſorum nulla in re vtilium reipublicæ, qui neque Deo ſatis ſeruiant, ſed monaſtico habitu ſeculi ſequantur voluptates. Poterat zelus eſſe diuinæ religionis qui ſtimularet pontifices: ſed immiſcuit ſe priuata contentio, de æmulatione conſurgens, quòd cernerent pontifices maiori eſſe apud regem abbates loco quàm ſe. Fridericus Mogũtinæ ſedis antiſtes, adhuc captiuus, huic rei inſcribebatur: ſed ei minimum apud regem erat fidei, poſt compertam ab ſe alienationem. Primùm quidem libera cuſtodia habitus. Vbi comperit rex ſcriptas ab illo literas, arctius iuſſit obſeruari vinctum: ad extremum tamen illius miſertus, veniam dabat erratorum. Defuncto autem Vtone Lotharingorum præſide, atque Henrico Giſelberti filio, regis ex ſorore nepote, rex Otto donauit Lotharingiam Conrado primario inter proceres regni, adoleſcenti, cui etiam filiam deſpondit Lutgardam. Quis autem fuerit & qua gente editus Conradus, nemo commemorat hoc loco: niſi quòd nobiliſſimum fuiſſe inde conuincitur, quia regis filius Ludolphus huic erat intimus, maxima familiaritate deuinctus, & quòd gener regis eſſet allectus.

Otto fratri Henrico ſupplici veniam dat, & eum auget.

Epiſcopi monachis nimiã apud principes gratiam inuident.

Otto Lotaringiæ generum præficit.

CAP. 23.

AFFINITATIBVS magnatum rex Otto munitus, iam tantus erat, vt à nemine facilè oppugnaretur. Nam Franciæ rex ſororem, & Lotharingiæ dux filiam eius habebant coniuges. Ludouici autem Franciæ regis fortuna vacillabat. Nam à ducibus ſuis circunuentus prælio excedit, proximamq; vrbem fugiens ingreditur. Ciues illum Haroldo Baiocenſium duci tradunt: ſed dato minore filio obſide dimittitur. Nec finis tamẽ malorum: nam inde egreſſum dux Hugo cognomento Capetus, captum iterum regem mittit ſub cuſtodia publica Lugdunum. Otto rex vbi comperit ſororij ſui fortunam, ſe accingit ad vltionem, conſcribitq; exercitum in Francos validum. Confluxere voluntarij multi vtriuſque regis gratia, vt tantam in dominum ſuum Francorum ſuperbiam vindicantes, ſi fieri poſſet etiam confringerent. Hugo qui iam regnum occupauerat, audito Saxonum in ſe motu, miſit qui per contumeliam regi nunciaret, domi ſedeat, vtatur conſule. Nam per animam patris ſui iurauit, plura ſibi eſſe arma quàm vnquam Otto vidiſſet. Quid enim poſſent Saxones, quorum tria tela hauriet vna (ſi libeat) potione? Hoc ſuperbum & contumelia plenum nuncium Otto rex prudens ridiculo quodam reiecit, iubens eundem qui pertulerat, regi ſuo renunciare, plures ſibi eſſe fœninos pileos quàm vnquam vidiſſet Hugo: eos præſentari Hugoni oportere, vt pileatus fiat pro Capeto. Habebat tum Saxonicus ritus, vt omnes per æſtatem fœninis (hoc eſt

Hugo Capetus Franciæ regnum occupat.

ſtramineis) vterentur pileis. Et quum rex Otto duceret legiones triginta duas, non erat qui non ad ſolem hoc genere vteretur tegminis, præter Fuldenſem abbatem cum paucis ſequacibus, non amplius tribus. Eſt & alia eiuſdem rei interpretatio. Quum per contumeliam Hugo Saxones nominaſſet effœminatos, iuſſiſſe ferunt Ottonem, vt milites in capite geſtarent colos ſubtiliter tornatos cum fuſis, vt irriſioni Gallorum ipſa ſpecie reſpondeant. Quod & noſtri temporis imitantur milites, qui cauda vulpium ornant lanceas ad contemptum hoſtium. Ita tum Otto vt ſuorum contemptum acrius vindicaret in Gallos, colos tornatiles iuſſit in cono præferri: vt legamus fœmineos pileos, pro eo quod eſt fœninos. Vtrunque autem ad irriſionem pertinet Gallorum. Sed tamen hoc tum peregit Ottonis exercitus, vt Hugo oblitus contumeliarum, in verum verſus timorem, regem Ludouicum mox emitteret. Rex ille iunctus regi, procedunt vnà ad obſidendum Lugdunum. Sed quum inexpugnabilis ciuitas videretur, ea relicta Remos adeunt: in qua vrbe, vero deſtituto pontifice, Hugo nepotem ſuum conſtituerat. Sed reges deiecto adulterino pontifice, verum reſtituunt, multis prȩterea locis in deditionem receptis, quæ rex regi attribuit vero domino. Quum nuſquam Hugo magniloquus in aciem prodiret, rex Otto in Germaniam ſuum reduxit exercitum. Hugo verò in annum ſequentem regi ſuo reconciliatur. *Ingenioſum etymon.*

PER quæ tempora Editta regina poſtulauit, & impetrauit ab Ottone rege, vt ad Albim fluuium veterem vrbem, ſed diu deſolatam ab incurſione Wandalorum, Magdeburgum inſtauraret, & ipſi reginæ manſionem ibi permitteret. Erat in eo loci ab olim arx non contemnenda, cui præerat Burgrauius: ſed eo tum mortuo peruenit illud præſidium ad reginam, breuiq; coaluit, vt haberet in donationem ab rege propter nuptias. Deſignatis autem terminis iuſſit regina vallum circumduci. Rex forum indixit, & profecit noua vrbs vehementer, vt fieret non contemnenda ciuitas. Rex monaſterium in ea fundauit ſub regula diui Benedicti, in honorem Petri & Pauli, & Innocentij martyris, cuius ibi reliquias collocauit: beati tamen Mauricij patrocinio præcipuo locum ſubiecit. Sed monaſterium iamdudum tranſlatum eſt in montem iuxta ciuitatem, canonicis occupātibus priorem locum. Extant literæ, quibus teſtatur etiam nunc Imperator quas dederit immunitates nouæ vrbi. Poſtea verò tranſtulit illum epiſcopatum de Vallerſleue, vt eſſet archiepiſcopus metropolitanus omnium terrarū de Wandalia, tum ad Chriſtum conuerſarum, & deinceps conuertendarum: quod ſuis locis atque temporibus recordabimur. Sed quum primum è Francia reuerteretur rex Otto, occurrit illi gratulabundus Hermannus dux Suæuiæ, regemq; interpellauit his verbis, Vides, inquit, ô rex annos meos: noſti fortunam, & propicio Deo multo ſplendore res domi præcipuas, opes & vrbes mihi eſſe plurimas, deeſſe tamen marem hæredem: Vnicam filiam meam, ſi tibi videtur, filio tuo Ludolpho deſpondeo, vt ſit certiſſimus cum filia hæres rerum omnium, & (quod Deus ſecundet) fortunarum dominus ampliſſimarum. Non diſplicuit ſermo regi, collaudatoque duce iubet impleri quod ille conceperat. Deſpondetur puella iuueni: iam enim decimumſextum agebat annum, matre ante paucos dies defuncta, Angliæ regis filia. Hunc quoque filium rex regem creauit, poſt ſe legitimo ordine rebus omnibus dominaturum. Nam ea fuit Otto prudentia, vt nunquam ſe diſcrimini præliorum committeret, niſi prius teſtamēto legitimè facto de rebus omnibus, & de filiorum ſucceſſione antè plenius ordinaſſet. C A. 24. *Magdeburgū inſtauratur.* *Otto Hermāni filiam filio ſuo vxorem accipit.*

QVA etiam tempeſtate, quum annus ageretur poſt natum Chriſtum DCCCCXXXVIII. Otto rex Danorum audiuit rebellionem. Nam pater eius Henricus quum in eam quoque regionem arma contuliſſet, Iutiam (quæ apud veteres cherſoneſus Cimbrica dicebatur) Chriſti religioni adegit, ſibique parere coegit, conſtituto apud Heidebam (quȩ nunc Sleſwicum dicitur) marchione. Sed quum intelligerent Dani Ottonem multis alibi bellis implicitum teneri, præſertim domeſticis & ciuilibus malis implicari, ſumpta audacia, marchionem illum cum omni quod tenebat militum præſidio, contrucidabant. Hanc rebellionem vlturus Otto, per hæc tempora in Daniam arma conuertit. Nam quantis potuit comparatis agminibus, per Saxoniam tranſmiſſo Albi, pertranſitaque Holſatia, duxit in Iutiam. Et vbi primùm hoſticam terram attigit, ferro & igne omnia peruaſtabat, prædabundus incedens vſque ad continentis terræ nouiſſima, ad mare quod modico diſcrimine Iutiam Norwagiamque interſecat: & inde conuerſus in CAP. 25. *Anno 948.* *Otto Danorū rebellionem vlciſci cogitat.*

latus maris Germanici ad orientem, miſſa (vt aiunt Dani) lancea in mare, Ottonis fauces (hoc eſt Ottenſund) mari nomen indidit. Vt ego arbitror, arreptis nauibus quas in portu deprehendit, cum parte copiarum inſulam proximam adiit, quæ hodie quoque ab illo appellatur Ottonia. Vnde enim nomen traheret, ſi non illam rex attigiſſet? Sed quum à nullo ſcriptorum ea res commemoretur, lectori liberum ſit quid velit ſuſpicari. Multa enim ſcripta non ſunt, quæ facta ſunt. Reductis inde copiis præda onuſtis, quum vaſtatam terram impoſito præſidio eſſet relicturus, reperit ad Heidebam (hoc eſt Sleſwicum) Daniæ regem magnis vndequaque collectis copiis, ſeſe ad pugnam expectare. Nec moram facit Otto, impedimentis in vnum locum conuectis, expeditis agminibus procedit ad pugnam. Danos ceſſiſſe poſt acrem pugnam Saxonibus, noſtri ſcribunt. Dani autem mox ſine prælio interueniſſe pacta oſtendunt: in quam rem vtriuſque nationis ſcriptores conſentiunt. Formula conuentionis erat, vt Dani ſuſcepta Chriſti religione epiſcopos ordinari paterentur per regiones. Ad quæ pacta facilè poterant induci, iam rege pridem ſub matre Chriſtiana Tira, filia regis Angliç, baptizato. Statimque regina Gunhilda cum filio Zuenone, & magna parte procerum, Chriſti fidem baptizati recepere. Rex Otto Zuenonem de ſacro fonte leuatum, Zuenotto addito ſuo nomine, iuſſit appellari. Haraldus pater fidelis ad mortem permanſit Chriſtianus. Filius autē abiecto Chriſtianiſmo, patrem ad mortem inſequutus, demum & ipſe reuerſus eſt ad fidem: quam rem in Dania plenius ſumus exequuti. Otto autem rex, compoſitis apud Danos rebus, in proximos Danis Wandalos arma conuertit. Habitabant Wagrij, Winuli, Obotriti, Polabi, per litora maris Germanici, omnes vno nomine, vna lingua Wandali. Hos pater eius vno graui prælio cōtudit. Sed reuerſos in idipſum Otto perdomuit, vt accipere fidem Chriſti & ſoluere regno tributa cogerentur. Baptizatur innumerus populus, eccleſiæ per Wandaliam conſtruuntur: ſed nondum venerat tempus conſiſtendi. Quippe in morte Ottonis III. (quod dicemus) denuo iugum Chriſti cum obedientia regni abiecerunt: quod etiam in Wandalia explicuimus. Ita in aquilone q̃uoque & Chriſti religionem Imperiique iura fœliciter rex Otto ampliauit, & omnia tranquilla reddidit per ſua tempora. Vrbem Virginopolim, (quę dicitur Magdeburgum) ad Albim fluuium, fecit Wandalorū metropolim. Sed hæc poſtea. Interim verò Hermanno Sueuorum duce rebus humanis excedente, Ludolphus regis filius, rex & ipſe à patre conſtitutus, cum vxore Hermanni filia dominatum ſubiit Suæuorum. Ita potentia regis, diſponente Deo, vbiq; eſt adaucta.

[D]ani bello fa[ti]gati tandem [C]hriſtiani [ſ]unt.

[W]andali ar[m]is & vi [C]hriſto lucri[fac]ti.

CA. 26. QVO tempore rex Otto tres epiſcopatus fundauit, vt fidem Chriſti in Danos atq; Wandalos corroboraret: Sleſwici primum, quo in loco pater eius (vt diximus) marchionatum conſtituit, & Saxonum coloniam. Sed eam rem paſſus eſt optimus rex antiquari, ſciens robuſtiſſimam gentem melius manſuetudine quàm ferro ſub iugo contineri. Alterum in Ripa, tum non contemnendo oppido eiuſdem prouinciæ Iutarū: qui etiam in hunc vſque diem in ſuo loco permanſit. Tertium in Wandalis Holſatiæ propinquis, in oppido Aldenburgo. Wandali vocauere Stargard, Dani Branneſiam, quique pro ſuæ linguæ proprietate. Permanſitque (quod in Wandalia diximus) is honor per tempora trium Ottonum, & in morte III. Ottonis diſturbatæ res diu fluctuarunt: vtcunque tamen etiam tum reſtituta. Poſtremò annis LXXX. vacabat eccleſia, & Chriſti fides exulabat. Tum reuocata, permanſit vſque in diem qua inde in Lubicam nouam vrbem transferretur: quę omnia plenius in noſtra diximus Wandalia. Fertur à nonnullis & in Magnopoli oppido Obotritorum Wandalorum epiſcopatum conſtituiſſe: ſed hoc alij probabilius aliis temporibus & principibus attribuunt. Quæ plenius explicuimus in loco memorato.

LIBRI TERTII FINIS.

ALBERTI KRANTZII SAXONIÆ LIB. IIII.

NOVO vtordiamur principio, res nouitate primas rerum ordo largitur. Annus erat poſt mundo terriſque natum Chriſtum DCCCCL. quum rebus in Italia laborantibus ſub Berengario, Otto iam vndique victor in eam prouinciam vocaretur. Non grauatur victorioſus rex laboribus & impenſis illuſtrem quondam prouinciarum dominā ex ſeruitute vendicare. Tentarunt hoc ante illum Burgundi Franciq́ue, & aliquot annis in Italia regnauerunt: ſed ſtirpem hoſtilem excindere non poterant. Quod quo ſit ordine factum, vt res planior fiat, paulo altius repetens expediam. Sub imperio Arnulphi Imperatoris quum Italia hinc Vngaris, inde verò Saracenis laceraretur, Longobardiq́ue Romanum populū (quem Karolus Magnus in ditionem Italiæ aliquantam reſtituerat) contemnerent, Romani cæteriq́; Italiæ maiores Berengarium natu maiorem Foroiulienſem ducem, creauere Imperatorem: præcipuè quia diu nullum illis præſidium in Romanorum Imperatore (vt dixere) fuit, & Arnulphus alioqui Imperator fortiſſimus, Germaniæ rebus magnis implicitus teneretur. Hunc ergo Imperatorem creauere Romani aduerſus ſuperbiam Longobardorū, qui in ea prouincia proteruire videbantur, & ad prohibendas incurſiones barbarorū, quas tum experiebantur à Saracenis & Vngaris. Sed tamen non ea fuit totius Italiæ concordia, vt vno principe cōtenta maneret. Nam alij Guidonem quendam Spoletanum ducem, regem Italiæ declarauerunt. Qui principes in ſe cōuerſis armis diu digladiati ſunt, & vires quas defendendæ Italiæ iuſtius impenderent, mutuis vulneribus abſumpſerūt. Prima quidem congreſſione Guido præualuit: ſed viribus auctus Berengarius ſuperior manſit, ita vt Guido ſuis ſe finibus cōtinere cogeretur. Berengarius cum Arnulpho Imperatore etiam fœdera iunxit, ex quorum formula quum mutuo ſibi præſidio fieri iuberentur, poſcenti Berengario, primus Arnulphus Senebaldum filium cū copiis in Guidonem miſit in Italiam. Ille veniens nihil egit, prudenter diſſimulans principes mutuis ſe viribus lacerare, vt patri (ſi fieri poſſet) reſtitueret Italiam. Quo cōperto, Berengarius actis gratiis Senebaldum remiſit. Ipſe quoq; Arnulphus vocatus à ſummo pontifice Formoſo in Italiam, fertur cum expeditis aſcendiſſe, & capto Bergomo præfectum eius Ambroſium ſuſpendio necauiſſe, Guidonem expuliſſe, vxorem eius obſediſſe, vrbem Romam adiiſſe in conſolationem pontificis. Sed eo redeunte, Guido breui mortuus eſt, relicto filio Lamberto in principatu. Berengarius veniētibus iterum in Italiam Vngaris ſe opponit: ſed omnem pene quindecim millium perdidit exercitum. Græculus Imperator quum pro ſe Italiam obtinere non poſſet, fertur in eam lacerandam inuitaſſe Saracenos. Illi Calabros, Salentinos, Apulos, Campanos peruagati, aduſque vrbem Romam omnia ferro & igne fœdarunt. Albericus erat vir in Hetruria clarus, frater (vt ferunt) Pontificis Iohannis X. Is armata Romana iuuentute, & eductis quot poterat millibus, Saracenis ſe obiecit, & retropreſſit. Orta autem ſimultate inter Albericum & Romanos, quum inuicem in ſe ducerent, Albericus marchio retundendis Romanis Vngaros fertur inuitaſſe. Illi venientes, nō agrum Romanum (quod in pactis erat) ſed Hetruriam, quam ille volebat immunem, abradebant. Ita perfidia verſa eſt in authorem.

Otto in Italiam expeditionem ſuſcipit.

Berengarius in Italia imperator.

Saraceni Italiam ingreſsi vaſtant.

CAP. 2.

NIHIL tum Berengarius, nihil Arnulphi filius Ludouicus Imperator egere. Sed iam primus Berengarius in fata cōceſſit, relicto filio cognomine, qui Ludouicum, Romanæ prouinciæ & Burgundiæ regis Boſonis filium, cum copiis in Italiam venientem occurrens prælio fudit, captumq́ue cogit Italiam abiurare, ne vnquā in illam arma aut duceret aut mitteret. Sed tamen eius iuriſiurandi breui oblitus Burgundio, per Tridentinos reuerſus, Veronam cepit: ſed non diu tenuit. Nam exercitum illò ducens Berengarius II. vrbem recepit. Pacti ante deditionem abitum Burgundi, dimittūtur. Quum ergo Berengarius Vngaris quoq; deliniendis operam impendit, reliquam Italiā pacare contendit: quod male potentes non paſſi, quū arma eius formidarent, Rodulphū Burgundionū regem in Italiam vocauerunt. Ille cū exercitu veniens, pulſo Berengario, re-

Berengarius ſecundus patri ſuccedit.

gnum eius inuadit,& tribus annis tenuit: erat autem prouincia quæ nunc Longobardia nuncupatur. Profuit Berengario fœdus quod recens ieceratcum Vngaris. Nam ad illos confugiens, tranſacto triennio, in Italiam per illos reduci tentatur. Duce Salardo Vngari reuertuntur,omnia vaſtant,Papiam etiā capiunt. Quod cernentes Itali qui Rodulphum vocauere, quam nihil eſſet in eo aduerſus Vngaros præſidij, Hugonem Arelatenſem vocauere. Illi venienti cum exercitu non inuitus ceſſit Rodulphus. Hugo autem ſingulari vir prudentia,ſuſpectam ducens eorum fidem qui ſe vocauerunt, permiſſo exercitu Samſoni cuidam ex ducibus,ipſe ſuſpectos egit in exilium. Illi conſpirantes cum nonnullis ex remanentibus, perſuaſo Arnoldo Bauarorum duce, Hugoni hoſtem immittunt. Dux in Italiam mouens,capta Verona rex ſalutatur. Sed Hugo in eum ducens,facilè repulit,recepitque Veronam. Ille in Bauariam regreditur. Quo tempore quum apud Vngaros Berengarius II. vitam finiiſſet,tertius primi ex filia nepos, incertum quibus viribus,in Italiam reducitur. Sed occurrēti Hugoni ceſſit, reuerſus in Suæuiam: auctis inde viribus regreditur. Hugo autem quum in Franciam redire cogitaret, filiumque Lotharium Italiæ regno, quod iam pulchrè compoſuerat, relinquere meditatus, venienti Berengario obuiam mittit oratores qui de pace agant: regnum Italiæ, quod hactenus in Longobardia ſolus tenuerit Hugo, partiantur inter ſe duo. Ea res quū inter partes placuiſſet, Hugo Lothario filio dedit Alheidam vxorem, Papiamque illi tribuit regni ſedem. Berengarius autem reuerſo in Franciam Hugone, magno vir ingenio, Lotharium ſimpliciorem contempſit. Per quæ tempora Henricus dux Bauariæ in Italiam mouens inuitatus, cognouit per Aquilegiam Vngaros contendere in eandem: quibus ſe obiiciens, illos retroegit. Quum verò Berengarium magno in ſe molimine ducere comperiſſet Henricus, contra ac opinatus erat, retro duxit exercitum. Vngari verò iniuriam ſuam in Bauaros vlturi, quos rerum in Italia potiri credebant, maiori ac prius ferocia reuertebantur. Sed Berengarius miſſo Alberto filio, Vngaros ingenti ære perſoluto placauit vt redirent. Interim Lotharius relictis rebus humanis, exceſſit vita. Relictam eius, nequis ſe per illius coniugium in ditionis eius partem inſinuaret, Berengarius tenuit in vinculis. Hic erat rerum ſtatus, quum Otto Romanorum rex in Italiam vocaretur.

Italiæ varij motus.

[Be]rengarius [te]rtius, primi [ex] filia nepos.

CAP. 3.

BERENGARIVS III. qui apud Ottonem aliquando in Germania ad illum confugeret, bene habitus eſt, eo tempore quo primò ingreſſus Italiam, ab Hugone eſt repulſus. Quo etiam tempore quum idem Hugo magnum æs pro illo deſponderet Ottoni, noluit confugientem dedere. Iam rebus in Italia ad ſua vota fluentibus, ſe appellauit Auguſtum, filium autem Albertum regem fecit Romanorum, & omnes maiores Italiæ graui interim tyrannide premebat. Quum interim Agapetus ſummus pontifex loquutus cum Italiæ proceribus, communi conſilio Ottonem regem victoriis clarum, vocauit in Italiam, tyrannide Berengarij & Alberti liberandam. Ille autem non cunctanter annuit, conſcriptoque exercitu ducit in prouinciam. Habebat fratrem Henricū in Bauaria ducem, & filium Ludolphum in Suæuia, vt magnum facilè contraheret agmen ſub ipſis alpibus. Venit ergo in Italiam, quinquaginta millibus, aut fortè pluribus in agmine ductis militibus: & per Forum-julij, tritam exterorum in Italiam viam, mouit in Berengarium Albertumque. Congreſſos magno prælio fudit, & Italiæ regno deturbauit. Alheidam Lotharij relictam, quam Papiæ (vt diximus) Berengarius tenebat incluſam, eductam ſibi coniugio ſociauit. Erat autem Rodulphi Burgundionum regis, & Bertæ (quæ filia fuit Arnoldi Bauarorum ducis) filia: cuius matrem, quam diximus Bertam, poſt Rodulphi regis mortem, Hugo item rex ſibi coniugio deuinxit, filiamque filio deſpondit Lothario: nunc autem Ottoni prouenit Romanorum regi. Otto autem ita res Italiæ componit, vt excepta Verona atque Aquilegia, reliquarum Longobardiæ vrbiū gubernacula Berengario & Alberto permiſerit, tantùm abſtinerent Imperatorio ac regio nominibus. Vxorem Alheidam ſecum duxit in Germaniam: ex qua anno nondum finito filium ſuſtulit Ottonem, in Imperio ſucceſſorem. Quo etiam tempore audit Boleſlaum Bohemorum ducem (nam regem necdum meruerat ea prouincia) rebellionem parare. Non diu cunctatus rex ducit in illum, obſeſſa Noua ciuitate, in qua acceperat hoſtium ducem commanere cum filio. Sed Boleſlaus vbi perpendit imparem ſe tantis eſſe viribus, interpoſita treugarum pactione, cum rege intendit colloquium. Affert pur-

[O]tto Berenga[ri]um Italiæ [re]gno expellit, [qu]em tamen [n]on prorſus do[mi]nio ſpoliat.

[Bo]hemus re[be]llionis ſuſce[p]t[æ] veniam [impe]trat.

fert purgandi animo cauſas rerum ſuarum,& imperata ſe facturum ſpondet in reliquum tempus. Rex accepta ſatisfactione, quũ hoc ipſum vno colloquio peregiſſet quod multis vix prælijs perfeciſſet alius, compoſitis rebus exercitum reducit in Saxoniam. Filius Ludolphus non æquis oculis aſpexit patris nouam coniugem, & (vt fieri ſolet) grauius tulit fœcundam prolẽ: & in Salueldiam deſcendens, locum coniurationi ſolitum, nonnihil in parentem meditari videbatur. Sed interuertit cogitationẽ eius res quæ magna interuenit. Nam Conradus dux Lotharingiæ, regis gener, Ludolpho familiariſſimus (quem rex Papiæ cum præſidio militum reliquit cuſtodem) Berengario & Alberto res nouas machinantibus ſuaſit vt ſecum in Germaniam deſcenderent, omnia ex ſententia compoſituri apud regem. Audierant ſuadentem, & cum eo deſcẽderãt in Auguſtam, quæ tum regia fuit manſio. Iuſſi manere in hoſpitio per triduum expectabãt: quæ mora Ludolphum filium ac Conradum regis generum vehementer offendit, vt propè fuerit eos cum indignatione abituros. Sed rex occurrit, & auditis perbenignè reſpondit. Rebuſque compoſitis, Berengarius manus filij ſui Alberti manibus ſuis implicans, coram omni exercitu ſubiectionem regis profitetur. Ita dimiſſus cum pace & gratia in Italiam reuertitur. Ex regina autem nati ſunt filij Otto, Henricus, Bruno: nouiſſimam peperit ſui nominis filiam Alheidãm.

TANTAM regis Ottonis fœlicitatem interpolauit pluſquam ciuile bellum, quod ab alijs quoque iuſtis (vt videbatur) cauſis erat conflatum. Ludolphus filius ab initio patris ſecundum matrimonium odio habens, murmura inter milites frequentiora miſcuit: & Conradum ſibi ſemper familiariſſimum, ducem, regis generum, ſuum ſororium, eadem flamma ſuccendit: ad quem, ſicut ad filium, ſucceſſionis plenior ſpes perueniſſet, ſi cælibem rex peregiſſet vitam. Ingraueſcente indignatione, iam filius & gener apertam rebellionem regi oſtenderunt. Diſſimulabat diu rex: ac vbi pertinaciæ nullus eſt finis, ducit in eos expedito agmine, & vrbes illis parentes aut vi aut deditione, in ſuam redegit poteſtatem: coegitque armato quantocunque maximè poterant exercitu intrare Moguntiam. Ibique ſtatuerunt obſidionem perferre, quando aperta cum rege acie decertare non auſi, nullum obſidioni firmiorem locum proſpexere. Paratur lachrymabilis obſidio patris in filium, ſoceri in generum. Ciues vtrunque offendere cauentes, diu ſuſtinuere obſidionem. Crebræ ad portas pugnæ, nunquam iuſta acie eſt decertatum. Ad ſexageſimum diem extrahitur obſidio: tum mentio fiebat a ciuibus de pace. Induciæ proclamantur, vt ſecuri in caſtra veniant qui incluſi tenebantur. Rex conſobrinum ſuum obſidem dat futuræ ſecuritatis. Venit filius cum genero, veſtigiis regis proſternuntur, veniam erratorum precantes. Rex de venia nihil dubitare iuſſos monuit, voluitque dicerent nomina eorum qui hoc belli inſpirauerant conſilium, vt malignantium in ſe odia cognoſceret. Tanta fuit in ea re pertinacia, vt prius infecta pace diſcederent, quàm autores rebellionis nominarent: paratos aiebant omnia ſe quæ rex iuſſiſſet perpeti: tantùm eſſet venia auxiliariis. Quum nihil ageretur, illi in vrbem reuertuntur. Interim Egbertus regis conſobrinus, ab iis qui intus erant perſuaſus, rebellionique conſentiens, quum obſes fuiſſet, exire ad regem recuſabat. Continuandæ obſidioni parantur omnia: quum comites Henrici ducis Bauariæ (qui frater erat regis) ab illo quoque deficientes, inſtinctu Arnulphi & fratrum, filiorum Arnoldi, olim ducis, quòd ſuum eſſe ducatum dicerent, in vrbem contendunt rebellantes. Inde Rheni fluenta tranſeuntes Ludolphus & Arnulphus, clam rege cum expeditis copiis, dum rex obſideret Moguntiam, illi Ratiſponam nihil hoſtile timentem adoriuntur, & capiunt. Quod quum rex audiſſet, ſoluta Moguntiæ obſidione, ad recuperandam pro Henrico fratre Ratiſponam contendunt. Ibi quoque firmant obſidionem. Fortiter vtrinque pugnatur. Egreſſa multitudo ex vrbe machinas oppugnat, nec patitur admoueri: graue prælium inter obnitentes. Et quum vrbs fame cœpiſſet periclitari, Ludolphus regis filius interpoſita publica fide ad patrem egreditur, veniam poſtulans. Illo nõ renitente, tantùm obedientiam polliceatur. Et hoc recuſauit, in vrbem reuerſus. Durabat obſidio diebus quadraginta poſtea.

Cap. 4.

Filij & generi in Ottonem conſpiratio & bellum.

Ludolphus patri imperio ſe ſubiicere non patitur.

QVVM iam fame vrgerentur obſeſſi, conſilium cœpere, vt egreſſi ad pugnam, experirentur fortunam. Ad portam orientalem, vbi comes Geron, tot victoriis quot pugnis clarus tendebat, erumpunt: nam intus ſtructa acie impetu facto, proruunt armati

Cap. 5.

Obſeſſi eruptione facta cum hoſtibus prælium committunt.

equites pediteſque. Grauiter & atrociter præliantur, miſcent vulnera & clades. Inter alios ſublabente iumento cadit Arnulphus, exarmatur & cæditur. Cuius nece turbati ciues (nam pro illo rem gerebant, quòd miſererētur hæreditate deſtitutum) de pace Ludolphum vrgent acrius. Iterum interpoſita fide publica egreditur ad patrem. Conueniunt in hanc formam, vt indicto Friſlariæ per regem conuentu, Ludolphus ibi ſatisfaciens, impleat quæ regni concilium decreuerit facienda. Rex redit in Saxoniam. Henricus nouam vrbem obtinuit. Ratiſpona proxima nocte (incertum vnde) tota conflagrauit. Quum igitur rex in venatione ageret, filius Ludolphus hoc obſeruans, nudatis plantis & capite detecto, miſerabiliter patris veſtigiis proſternitur, veniam quamhumillimè deprecatus. Mouit imprimis regem exinanitio, inde quoque proceribus excuſſit lachrymas. Spondet obſequium, admittitur ad oſculum, ſumitur in gratiam: omnium eſt communis de reuertente filio lætitia. Defuncto interim pontifice Moguntino, ciuitas cum omni adiacente Francia (Germanicam dico) regi traditur. Filius & gener plena regis gratia perfruuntur. Venerant interea Vngarorum legati ad regem, ſpecie quidem ſalutandi, & pro conſuetudine de victoria gratulandi, re autem verà exploraturi quo in ſtatu eſſent apud regem ciuilia, imò domeſtica, quæ audierant bella. Rex magnificè muneratos dimiſit. Illis autem vix in ſua regreſſis, quum rex nihil ab illis formidaret, aduolat nuncius Bauarorum ducis, qui afferat Vngaros iam ingreſſos regni fines, ferro igniq́ue omnia populantes. Otto rex, quaſi hactenus nihil eſſet actum, nouo bello accingitur: auxilia vocat ex Francis (non dico Gallis) ex Bauaris, ex Bohemis, & iubet exercitum conuenire in campis Auguſtanis patentiſſimis. Legiones regis octo fuere: & quò faceret hoſtibus difficiliorem pugnandi rationem (ſagittis enim plurimū vtuntur, aduolantes barbarico impetu, & denuo auolantes) in ſaltus, colles & frutices iubet exercitum traduci. Primam aciem Bauari habuere, aſſueti pugnæ Vngarorum, Henrici ducis præfecti: nam ipſe aberat morbo correptus, ex quo paulo pòſt deceſſit. Venerat Conradus dux Francorum in caſtra, gener regis, vir bello natus, qui eques, pedes æquè fortiter imminebat hoſti, audacis animi, & (quod rarum eſt audacibus) bono conſilio, domi ac militiæ charus ſociis. Huius aduentu alacres omnium tolluntur animi, pugnam de proximo poſtulantes. Ieiunio itaque pro Chriſtiano ritu legitimè indicto, iubet rex in craſtinum eſſe paratos. In Deum nanque rex ipſe firmiſſimam ſpem ponens, orationem habuit ad milites efficacem, per quam eos in Vngaros tum adhuc idolis ſeruientes animauit, & ſpe regni cæleſtis formidinem omnem eorum mentibus excuſſit, propenſioreſque in pugnam proximè imminentem fecit.

Vngarorum impreſsio. (margin)

CAP. 6.

PRIMO diluculo ſurgentes, pace data & accepta, operaq́ue ſua primùm duci, deinde ab vnoquoque alteri cum ſacramento promiſſa, erectis ſignis procedunt è caſtris. Primam, ſecundam & tertiam legionem (vt diximus) duxere Baioarij: quartam ordinauerant Franci Germani, quorum inſtitutor dux Conradus. Quinta (quæ maxima & regia dicebatur) regem habebat, fortibus viris ſeptum, electis ex omni numero millibus, coramq́ue eo Angelus: ſic enim dixere ſignum militare regium, noſtri vocant vexillum. Sextum & ſeptimum impleuere Suæui, quibus præfuit Burchardus, cui nupſit filia Henrici fratris. In octaua erant Bohemi, electi milites, armis inſtructiores quàm fortuna, in qua & ſarcinæ omnes & impedimenta quæque: quaſi eſſet tutiſſima quæ nouiſſima. Sed aliter euenit. Nam Vngari nihil cunctantes, Licum fluuium tranſierunt: circũeuntes exercitum, extremam legionem ſagittis laceſſere cœperunt: & impetu cũ ingenti vociferatione facto, aliis cæſis, captis nonnullis, ſarcinas omnes abſtulerunt, cæteros legionis illius armatos in fugam egerunt. Similiter ſeptimam ac ſextam aggreſſi, de fuga cogitare impulerunt. Rex autem quum quid ageretur animaduertiſſet, miſit ducem Conradum cum quarta legione. Qui ſuperueniens hoſtibus, impetum remoratur, inde exterruit, captiuos extorſit, prædam excuſſit, & (quod illi antè fecere regiis) coegit vt fugerent. Dux victor ad regem alacris reuertitur: victricem legionem cæteræ conſalutant. Mirantur veterani nouam tyronum virtutem. Tum in ſuos conuerſus rex, ait, Videtis hoſtem ex aduerſo concurrere? Nunc viribus opus, nunc coniugis quiſque ſuæ eſte memores. Viri eſtis, hunc hoſtem ſæpe fugaſtis: memineritis nullam vnquam ante vos aciem conſtitiſſe, quæ non vinceretur, nulli vnquam dorſa præbuiſtis. Quid multa? Gens eſt Vngari fugæ fidens: hic aget gladius vt vel cadant vel cedant.

Ludolphus in gratiam cum patre redit. (margin)

Ottonis cum Vngaris prælium. (margin)

Hæc

Hæc loquutus, ſacram apprehendit lanceam, & primus equum vertit in hoſtes, cautiſſimi ducis & fortiſſimi militis vnà implens munia. Aliquandiu conſtitere Vngari fortiter præliantes: ſed peruicit inſtantia regis, vt effuſa fuga hoſti terga obuerterent. Capti multi, plures cæſi proximas villas turmatim petunt: ſequuti regij incenſis domibus cōcremant. Alij fluuium tentātes, aduerſo littore non excepti, mergūtur & pereunt. Conradus dux fortiter ipſe pugnans, dum æſtuaret à labore & ſole: nam inſolito calore dies ferbuerat, cui labor improbus accedens æſtum fecit intolerabilem. Ergo dum ſolutis loricæ nexibus paulum reſpiraret, allapſa ſagitta percuſſit in gutture, & proſtrauit ducem fortiſſimum. Cuius corpus poſt pugnam exceptum Wormaciam deducitur, ibique tumulatur. Ipſa verò die recepta caſtra, laxati captiui, fuſi hoſtes. Qui proximi erāt dies, reliquam multitudinem hoſtium, quæ ſe captis vrbibus incluſerat, conſumpſere: vt pauciſſimi ſupereſſent, qui tantam cladem domi nunciarent. Tres Vngarorum capti principes, ad Henricum pertracti, ſuſpendio conſumuntur. Decretis deinde pro tanta victoria Deo iuſtis honoribus & ſummæ diuinitati dignis laudibus, per ſingulas eccleſias, hoc idem ſanctæ Dei Genitrici, ſanctiſque omnibus: quod rex procurandum matri religioſiſſimę fœminæ per nuncios inſinuauit. Quo facto cum tripudio & ſumma lętitia in Saxoniam rex reuertitur, & à populo ſumma cum veneratione excipitur. Neq; enim tanta victoria quiſquam regum intra multos annos eſt potitus. Magna erat Henrici patris de eiſdem Vngaris victoria, magna etiam materni eius aui, Imperatoris Arnulphi de Danis: ſed iſta exuperabat. *Vvandalorū clades.*

Cap. 7.

Patrata tam inſigni de Vngaris victoria, vt gratior videretur altiſſimo Deo rex, diuinam rem ornare conſtituit. In Magdeburgo nunc inſigniter inſtaurata vrbe, epiſcopatum erigere moliebatur: quam eccleſiam omnium Wandalorum metropolim ordinare decreuit. Tranſtulit autem de Vallerſleue pontificatum in Magdeburgū, illuſtriorem locum: nec putabat in ſua prouincia ſuper eſſe quenquam ſuper conſenſu interpellandum, pauliſper in ea re vir militaris, alioqui circumſpectiſſimus, lapſus: quòd ſecularis poteſtas quæ ſecularia ſunt adminiſtrat, & de prophanis quæ Deo iubet conſecrari, ſacra facit: iam autem diuinis vſibus permiſſa, extra illius ſunt ordinationem. Bernhardus Halberſtadenſis epiſcopus ordinationi regis ſe opponit, quòd in illius parrochia eſſet locus quem nouæ voluit rex dioceſi applicare. Faciebat augebatque regi animos, quòd paterna ditione locus ad ſe pertineret. Erat enam Burgrauius de Magdeburgo, qui regi permiſit vt eam arcem primæ coniugi donaret titulo propter nuptias. Rex non æquè tulit, quòd auderet epiſcopus ſuæ voluntati contraire. Captum ergo perduci iuſſit in Quedelenborg, & recluſit in carcerem. Sedit aliquandiu bonus pontifex in patientia, ſi fortè rex ad cor reuerſus illum iuberet relaxari. Venerat ſacra dies Dominicæ cœnæ: recolit epiſcopus diuinorum, quæ in eccleſia tum erant peragenda miniſteriorum: iubet ſacras ſibi veſtes afferri: paretur. Indutus orat aduocari regem: erat enim tum eo loci. Venit, arbitratus epiſcopum mutaſſe ſententiam, conſenſumque prębiturum ad rem quam inſtituerat. Vbi rex aderat, epiſcopus eleuata manu, execrationem protulit & excōmunicationem in regem, qui manus intuliſſet Chriſto Domini. Nondum erant deſuper conſtitutiones, quæ nunc ſunt. Interdixitque ſacris per omnem dioceſim. Rex amentiam interpretatus, quòd tale aliquid captus moliretur, primùm videbatur rem excepiſſe cachinno. Vbi profundius cogitabat, ſententiam paſtoris putabat non eſſe contemnendam. Itaque iuſſit mox laxatum remitti ad eccleſiam ſuam, & permanſit res infecta per omnes dies quibus ſuperſuerat epiſcopus memoratus. Poſt eius exceſſum (vt dicemus) res eſt conſummata. *De eccleſiæ primatu, grauis inter regem & epiſcopum cōtentio.* *Epiſcopus facilè iniuriam vleiſcitur.*

Cap. 8.

De Vngaris parta victoria ſparſit cum laude famam Ottonis per omnes prouincias, peruenitque ad Italiam, excitauitque illam, vt expertam prius Ottonis virtutem imploraret aduerſus Berengarium & Albertum, à tyrannide non temperantes in Lombardia, & aduerſus peſſimos mores ſummi pontificis Iohannis XII. qui peſſimo ordine pontificatum adeptus, per impreſſionem & patris ſui potentiam, peioribus illum moribus dedecorauit, venationi potius & adulteriis, quàm conſecrationibus aut piis eccleſiæ rebus intentus. Duo præcipui erant cardinales diaconi, qui occultis ad Ottonem datis literis perorabant vt laboranti ſuccurreret eccleſiæ, nunquam fuiſſe iuſtiorem veniendi in Italiā cauſam. Motus rex ire cōſtituit: prius tamen rebus in Germania *Papa non omni iudicio ſolutus.*

ordinatis, nequid turbæ naſceretur per abſentiam. Eam Saxoniæ partem quæ Wandalicis contermina eſt finibus ad Albim fluuium, nullus poſt Wedekindum dux adminiſtrauit: nam pater eius Henricus, & illius item genitor Otto, & rurſus Ludolphus, à regibus Germaniæ (qui tum ex Karolino ſanguine rerum potirentur) cõmendatas accepere partes, potiſſimùm ſuperioris Saxoniæ iuxta Turingiam, in qua magna pars Saxonibus parebat: quæ poſtea cum vicina Francia & Haſſia etiam acceſſit ditioni Henrici & Ottonis regum, cum omni Lotharingia. Interim verò ad Albim decliuiorem conſtituta prouincia, præter vicinos pontifices (quibus Magnus Karolus terram ſubiecerat, quum intelligeret effrenem populum non tam armis quàm religione ſtringendum) nõ habuit gubernatorem. Viſum eſt ex re optimo regi, peropus eſſe viro etiam in ea regione, qui temporali gladio rem gerat, iam manſuefactis Saxonum ceruicibus: præſertim ad continendos in fide vicinos Wandalos, gentem inquietam. Igitur in Italiam profecturus tum rex Otto, quum longæuam proſpiceret futuram expeditionem, ad Albim fluuium prouinciam, quæ erat extra pontificum iura, Hermanno cuidam acris ingenij viro ad tutelam commendauit, cuius antè virtutem & induſtriam in paucis rex erat expertus. Paruis quidem natalibus exierat, ſed erat procero corpore, acri viſu, bonis moribus, fide præcipua in dominos. Quibus rebus innotuit aulicis, & cœpit eſſe ex miniſterialibus aulæ: deinde præpoſitus regiis liberis ad mores componendos. Huic ergo viro præfecti nomine prouinciam rex commendabat Albianam, iam antè de iuſtitia probato.

[margin: ontifices ter-no dominio mando abdi-ndi.]

Cap. 9. Septem initio ſolos habebat manſionarios in totidem prædiis & manſis. Hi de furto apud illum accuſati conuictique, vno omnes ab illo iuſſi necantur ſuſpendio. Mirantur omnes, quòd vir nõ locuples patrimoniolo ſuo nõ pepercerit, cui ademit cultores: quæ ſeueritas in ſuos, antè charum, poſtea fecit eſſe omnibus chariſſimum. Adaldagus erat his temporibus archiepiſcopus Hamburgenſis, cancellarius regius, cum ipſo profecturus in Italiam, qui eccleſiæ ſuæ prædia eidem Hermanno fecit commendata. Crediderim eius viri authoritatem multum ſuffragatam Hermanno apud regem ad maioris gradus dignitatem. Poſtea verò quàm meruit ducalem honorem (quod poſtea dicemus) in iudicio & iuſtitia gubernauit prouinciam, & in defenſione eccleſiarũ ſtudioſus vſque in finem permanſit. Nam & Hamburgẽſi & Bremenſi eccleſiis fuit admodum deditus & fidelis, multa bona faciens in fratres & in omnes Saxoniæ cõgregationes. Tali ergo viro piiſſimus rex Otto, & archiepiſcopus Adaldagus vices ſuas in hac regione cõmendãtes, in Italiam ſunt profecti. Rex Italiam ingreſſus cum magnis copiis militum, Berengarium & Albertum nuſquam in apertum exeuntes, neq; acie obiicientes, vbicunque inuentos obſedit, & pertinaci labore cepit, mittens vtrumque in exilium: Berengarium in Germaniam, Franciæ vrbem Bambergam: Albertum Conſtantinopolim, quò Græcorum etiam Imperatori gratificaretur. Otto autem his conſtitutis protendit in vrbem, vt illi quoque ab pontifice laboranti ſuccurreret. Quum appropinquaret vrbi, inſigni pompa ab Romanis eſt introductus, & Imperij coronã cum conſecratione & Imperatorio honore ſuſcepit: quæ res exinde ſeruatur in hodiernum, initium ſumens à Karolo Magno. Quis verò pontifex eum corona donauerit, variant ſcriptores. Alij ab Iohanne XII. alij verò ab Leone VIII. ferunt coronatum. Primi aiunt Ottonem poſt ſui conſecrationem plurimum apud Iohannem pontificem inſtitiſſe vt frugi eſſet, & pontificia dignitate dignam vitam ageret, & ſanctimoniam vbiq; cum religione præ ſe ferret. Quum ſuadendo minus proficeret, intuliſſe minas: quibus motum Iohãnem, noctu diſceſſiſſe, nec vnquam poſtea viſum in Romana ſede. Alij (quod veriſimilius eſt) à Leone conſecratum regem aiunt: quam ſententiam Gratianus probat. Sciebat Iohannes XII. propter ſe euocatum Ottonem à cardinalibus, quorum alteri, re comperta, manum, alteri naſum abſtulerit. Venire ira plenum, & ideo non putabat expectandum, ſed concitò abierit. Venientem autem regem, vocato concilio acta Iohannis ſubieciſſe diſcuſſioni, & eum re manifeſtata indignum põtificio deieciſſe, inque locum eius ſubſtitutum Leonem VIII. virum omnium iudicio probatiſſimum: qui accepta pontificali benedictione Imperatorẽ coronauerit. Vtcunq; fuerit, omnium bonorum iudicio dignus eo honore, ab omnibus tũ Imperator Auguſtus conſalutatur.

[margin: Otto Berengarium & Albertum ſubigit.]

[margin: Inquiritur in Papæ vitam, qui pontificatu deiicitur.]

Cap. 10. Mirum eſt cernere in literis eiuſdem Leonis papæ, quam gratitudinem rependerit

Leo papa quæ ſunt Cæſaris, Cæſari rectè reddit.

derit Ottoni & ſucceſſoribus, quum redderet Imperio quæ vel Conſtantinus donauit, aut Karolus ex Longobardis accepta dedit eccleſiæ, aut ante illum Iuſtinianus confirmauerit, vel Arithpertus Longobardorum rex tribuerit. Ponendum duximus ad fidem exemplum literarum papalium, quamuis truncatarum. LEO epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ottoni ſpirituali in Chriſto filio noſtro, Imperatori Auguſto, & omnibus ſucceſſoribus eius Imperatoribus, ac Italiæ regibus. Quæ dominus Karolus, rex Francorum & Longobardorum, & patricius Romanus, necnon Pipinus pater eius, de regalibus rebus huius regni Italiæ tribuerunt in ſancta Romana eccleſia beato Petro apoſtolo, ſiue per inſtrumenta fuerunt per Etherium notarium, ſiue per ſacramenta vel donationes, ſeu per alios modos obuenerunt à Iuſtiniano Imperatore, & Arithperto rege: hæc omnia largimur & diffinimus vobis Ottoni Imperatori, & Alheidæ coniugi tuæ regnique conſorti, veſtriſque conſortibus huius regni Italiæ ſucceſſoribus in perpetuum, præſentibus ſacroſanctis Euangeliis, & patrociniis pluribus ſanctorum: videlicet de cruce Domini, & de caligis pedum ſuorum, de veſtimento inconſutili, & ſuper corpus beati Petri. ET INFRA. Vt hæc omnia habeatis & poſſideatis in perpetuum, ad vſus curiæ militiarum veſtrarum, ad bellandum & expugnandum paganos, & contra rebelles Romano Imperio. Ideoque per huius noſtri authoritatem inſtrumenti confirmamus & corroboramus in omnibus progeniebus veſtris à generatione in generationem in perpetuum. Nam ſi quiſquam hanc noſtram authoritatem deſtruxerit, & huius violator repertus fuerit, ſiue contra hoc agens, ſciat ſe in iram beati Petri principis apoſtolorum, & noſtram noſtrorumque prædeceſſorũ caſurum. Inſuper niſi à malo reſipuerit, ſubiaceat legi Iuliæ, reus regiæ maieſtatis, & reipublicæ: vt ij qui contra rempublicam, vel cõtra Imperatoris maieſtatem aliquid moliti fuerint, animæ amiſſionem ſuſtineant, & bona eorũ publicētur. In his actis interfuere archiepiſcopi & epiſcopi de vicinis comitatibus, archiepiſcopus Calaritanus, epiſcopus Ciconatus, Euſtachius Albanenſis epiſcopus, Gratioſus Preneſtinus epiſcopus, Martinus Narnienſis, Benedictus Tiburtinus, Beardus Caſtrenſis, Iohannes Peruſinus, Georgius Ottenenſis, Georgius Tudertinus, Valentinus Merenenſis, Andreas Momentanenſis, Theodoſius Milecenſis, Sanianus Feranenſis, Albertus Lucerinus, Damianus Alanus epiſcopi, Georgius ad Vincula, Benedictus ſanctæ Mariæ de Præſepi, Leo ſanctæ Ieruſalem, Ianuarius ſanctæ Ceciliæ, Andreas patriarcha Lateranenſis, Iulianus item Lateranenſis presbyter, Fauſtinus ſancti Petri, cardinales, omnes presbyteri. Fauſtinus caput ſenatus, exconſul, Probinus exconſul palatio Luciano, Romanus de forma Traiana, Paulus de Templo palatinus, Iohannes de via Claudia, Leo de via Salaria, Remigius de via Aurelia, Stanphus de via Mamertina, Romulus de via Ardeatina, Gardus de via Flaminia, Marcus de via Portuenſi, Gorbus de via Latina, Saninus de via Appia, Mecianus de via Tiburtina, Gardus de macello Lydiæ. Hic actis etiam interfuere de omnibus his regionibus: Regio Vicopatritij, regio Vialata, regio Caput tauri, regio Celiomonte, regio Riui argentarij, regio prima Auentini, regio ad duos montes, regio vrbis Rauennæ, regio Octaua ſub capitolio, regio ad gallinas albas, regio Lybantica, regio Horea, regio Sictim, regio II. Mamertini, regio ſecus portam Metroni. Ianuarius ex Neta Græcorum, Traianus de ponte Molbis, Iohannes conſul de palatio Soſaritano, Amacius cõſul de palatio Vaticano, Iobianus de Mõte aureo, Petrotius de Cirto, Gregorius de Cella noua. Scripta per manũ Gregorij archinotarij noſtri. Datum in patriarchio Lateranenſi. III. Cal. Maij. Anno ſedis noſtræ II. & dicti Ottonis II. fœliciter.

CAP. II.

ADVERSVS ea antiquitatis teſtimonia conſurgent qui affirmabunt præmiſſas non eſſe papales, ſed adulterinas literas, quæ ſtilum Romanæ curiæ non præferunt: quaſi vnus ab initio fuerit ſcribendi pontificibus character, & non ſæpe demutatus, donec ad eum qui nunc ſeruatur deueniretur. Fateor & ipſe nonnulla eſſe in hac formula quæ ineptias præferunt. Sed quæſo te, num meliora ſunt quæ in corpore Decreti ſub nomine Conſtantini pręferunt illam immenſam donationem Siluestro factam, in longa illa Palea, *Conſtantinus*? Quam donationem nulla eſt ſequuta traditio. Nam Imperatores proximorum temporum omnia illa poſſederunt, quæ ibi ſancto Petro donata memorantur. Habet maiorem longè veriſimilitudinem apud habentem temporum rationem, hæc Leonis reſtitutio Ottoni facta, quàm illa Conſtantini donatio. Nam

Conſtantini donatio, quæ profertur, fabuloſa.

Otto Imperator iam tunc depulſo Berengario & Alberto, tenuit omnia in poteſtate, quæ antè fuiſſent ſolo nomine Romanæ eccleſiæ, nullus vſibus, nullis obſequiis obnoxia. Facilè potuit reddere quod non tenebat: iuri reſignauit rerum quas tueri non poterat. Eas quippe & iſte Otto & filij & nepos poſſederunt: quod ſequens narratio manifeſtabit. Habuiſſe hic pontifex cum Ottone ſimilia commercia putabitur illis, quæ Pipinus Karoli pater cum ſui temporis pontificibus. A quibus donatus Franciæ corona, nihil magnum fecit, ſi capta à Longobardis eccleſiæ contribuit. Et Leo horum temporum pontifex, ab Ottone in pontificatu defenſus, grati animi indicia fecit, reddens quæ ſolo nomine poſſideret: vt haberet Imperator, quod pontifex tueri nõ poterat. Sed hæc hactenus. Digreſſi reuertamur ad res Saxonicas proſequendas.

Papa ſuum quæ occupat quamdiu tueri poteſt.

CAP. 12. OTTONE iam Imperatore cum exercitu Roma abeunte Spoletum, pacandæ Italiæ gratia, Romani, præſertim Iohannis cognati, tumultuantes, de illo reducendo egerant cum populo: perfeceruntque vt Leo eiiceretur, & Iohannes reuocaretur. Qui an reuocatus redierit, aut foris mortuus ſit, incertum eſt: hoc conſtat, ſiue reductus, ſiue exulans, in adulterio cæſus moritur. Leo eiectus ad Ottonem confugit. Sequuti ab vrbe legati, orauerunt vt populi in hac re voluntati condeſcendere dignaretur, vt non Leonem, ſed Benedictum v. pontificem haberent. Reſpondit Imperator conſtantiſſimè, prius ſe regnum & Imperium, quam Leonis iuſti pontificis defenſionem intermiſſurum. Ea vocis conſtantia & vultus acrimonia viſus eſt dicere, vt legati irritam cernentes legationem, triſtes redirent in vrbem. Romani vbi audiuere legationis euentum, nihilominus in ſententia perſtitere, vt conſecratum Benedictum pro pontifice venerarentur. Imperator vbi comperit, agrum Romanum vaſtauit, vrbes ſubditas cepit & diripuit, ipſam Romam arcta cinxit obſidione, vſque ad caritatem annonæ in ea. Scribit Sigebertus interuentu Leonis placatum Imperatorem, veniam dediſſe erratis, ſi reſipiſcerent: quamuis Romani tam in Leonem antè fuerint contumelioſi, vt ab illo ordinati, ſuum deſerere ordinem cogerentur, & chirographis datis teſtari, Pater meus nihil ſibi habuit, nihil mihi dare potuit: prætendentes, Imperatoris impreſſione creatum pontificem, nullam à Deo accepiſſe poteſtatem, tanquam non ingreſſus per oſtium. Quum tamen Imperator legitimo epiſcoporum vocato concilio, Iohannem ter vocatum nec comparentem, per concilium curauerit deſtitui, & Leonem, ſe nihil agente, ſurrogari. Placatus Imperator accipit iuſiurandum à Romanis, nullo ſe vnquam tempore de pontificatu intromiſſuros. Non tam citò dorſum illis obuertit, iterum Leo pellitur, Benedictus ſurrogatur. Iam commotior redit Imperator: vrbem ſolo minatur æquare, ni reſtituto in ſedem ſuam Leone Benedictum dedant. Quid facerent? Videbatur quod comminatur poſſe implere. Faciunt imperata, Leonem collocant, Benedictum dedunt. Scribit idem Sigebertus, Benedictum, priuſquam dederetur, à Leone eſſe exarmatum, & omnibus ſacris ordinibus exauthoratum, & (vt verbo illius vtar) exordinatum. Erat, vt diximus, in comitatu Imperatoris Adaldagus Hamburgenſis archiepiſcopus, Imperialis cancellarius, qui iam annum quintum aberat ab eccleſia ſua, reuocatus crebris ſuorum literis & lachrymis, quum immiſcerent minas. Quare inſtitutus ab Imperatore popoſcit miſſionem. Annuit Imperator, Benedictum illi commendans, vt ſecum ductum perpetuò teneret in prouincia. Ita Adaldagus Benedictum quondam ſummum pontificem perduxit Hamburgum: ibique paucis ſuperuiuens idem diebus, dolore animi confectus diem ſuum obiit.

Leonem à Romanis pulſum Otto reſtituit.

Benedictus pontificatu deturbatus in Germaniam abducitur.

CAP. 13. SIC teſtantur conſona voce Italicorum, Gallorum & noſtrorum annales: ita monſtrat inſcriptio ſepulchri. Erubeſcant igitur qui ex hoc die fabulantur martyrio fuiſſe coronatum Benedictũ Hamburgi cum cardinalibus, ducibus, & comitibus: quam anilem delirationem plenius in noſtra Metropoli confodimus. Libet verba inſerere noſtrorum annalium. Reuerſus in patriam Adaldagus, duxit in comitatu ſuo Benedictum papam ordinatum, ſed ab Ottone Imperatore depulſum, quem ille in Hamburgo mancipari præcepit. Archiepiſcopus verò ipſum cum magno honore vſque ad obitum eius detinuit. Nam vir ſanctus literatuſque fuiſſe dicitur: qui & dignus apoſtolicæ ſedis videretur Romano populo, niſi quòd per tumultum eſt electus, eiecto eo quẽ ordinari præceperat Imperator. Igitur in ſancta cõuerſatione viuens, alioſque ſanctè viuere docens,

docens, quum iam Romanis poſcentibus à Cæſare reſtitui debuiſſet, apud Hamburgũ in pace quieuit III. Nonas Iulij. Erat autem ſupputatione annalium, concordante Euſebij continuatore, poſt nongenteſimũ ſexageſimus quartus. Et inde conuincitur error in ſepulchri eius inſcriptione, quæ temporibus non reſpondet. Interea Imperator rebus in Italia pro tempore conſtitutis, deſcendit in Germaniam, & peregit Pentecoſtes ſolennitatem Aquiſgrani. Eò conuenerat omnis nobilitas de Imperatoris genere: ſoror eius Gerberga, regina Franciæ, ſoror Hadnida, vxor Hugonis comitis Pariſiorum, quorum filius Hugo poſtea regnauit in Francia. Mira ſolennitas & rerum pompa, pro Imperatoria magnificentia, ad conuentũ tam magnæ lateq; nobilitatis. Ibi Bruno archiepiſcopus Colonienſis, frater Ottonis, legationem ſuſcipit in Franciam, ad cõponendos nepotes ex ſororibus. Compendij dum eſſet in formula compoſitionis laborans, febre correptus, teſtamento ordinato, cõceſſit è vita. Vir omni virtutũ genere laudatiſſimus, qui & religioſam & ſecularem militiam pariter impleuit. Non enim deerat eccleſiaſtico miniſterio, pariter à fratre conſtitutus gubernator Lotharingiæ: quæ iam diu prouenit per Ottonem Romano Imperio. Wilhelmus quoq; Ottonis Imperatoris filius, archiepiſcopus Moguntinus, per eadem quoque tempora emigrauit. *In vtrunque paratus.*

REMANSIT Imperatori fixa de Magdeburgenſi ſede ſurrigenda ſententia, etſi temporaliter per Bernhardum Halberſtadenſem epiſcopum intercluderetur. Prouiderat iam Otto vt ad eam rem ſummi pontificis decretum haberet, etiam repugnante epiſcopo valiturum. Sed iam Bernhardus in fata conceſſit, ſucceſſorque illius, præſertim accedente Romani pontificis ordinatione, non iam ſe oppoſuit Imperatori. Hildewardus is erat: qui cernens ſummi pontificis & Imperatoris in vnam rem concurrere conſenſum, nec potuit nec debuit nec voluit colluctari. Igitur de latiſſima ſua dioceſi permiſit nouæ Magdeburgenſi quantum ſat erat, conſtitutis limitibus ad vtranque, qui extant hodie. Inde verò eccleſiam de Vallerſleue, quo illam pater eius fundauerat, tranſlatam, in Magdeburgo fecit erigi, omnibus inde prouentibus qui prioris erant eccleſiæ, inde pariter tranſlatis in nouam, & adauctis de Imperatoris munificentia. Tum verò migrare iuſſi fratres, inuiti abierunt, inque montem vicinum vrbi conceſſerunt. Ibi Imperatoris ope monaſterium quod floret hodie, erexerunt, diu tamen eius rei triſtem repetentes memoriam. Per multos annos in vigilia beati Laurentij, qua emigrarunt, nudis pedibus eccleſiam ſuam votis conſtricti repetiuere. Imperator autem nouam eccleſiam metropolitico ſplendore in honorẽ ſancti Mauricij iuſſit dedicari, quòd eius ſancti patrocinio vteretur in præliis. Sunt tamen qui ſcribant, inter crebra quæ geſſit bella, aliquando nolente ipſo ſubuerſam eccleſiam aut monaſterium diui Mauricij honore ſacratum: hanc tutelari ſuo ſancto feciſſe compenſationem. Transferri iuſſit ſanctum Adalbertum de monaſterio ſancti Maximini in Treueri, ad archiepiſcopatum, quem ille ibi geſſit ad annos pene quatuordecim: ſubiecitque illi epiſcopatus ſex ſuffraganeos, Merſburgenſem, Miſnenſem, Citzenſem in Salæ fluminis ripa, Brandenburgenſem, Hauelbergenſem, & Porenenſem: qui an ſit in Lubucenſem tranſlatus, non enuncio. Hoc compertum teneo, Lubucenſem ex Polonia in ditionem Brandenburgenſem ex legitimis cauſis eſſe tranſlatum. De Porena nihil vſque hodie compertum habui. Per quæ etiam tempora Wichmannus quidam ex aulicis, quum haberet nonnihil vnde ſibi male ab Imperatore timeret, profugit in Wandaliam, gentem inquietam incitans vt in Saxoniam faceret excurſiones. Iam Parthenopolim, ſiue Virginopolim malis, aut Magdeburgum vrbem Otto Imperator inſigniuerat, quæ Wandalis caput eſſet. Iam eccleſiam erexit in honorem diui Mauricij: cuius monaſterium in expeditione (quod diximus) euerſum eſt. Epiſcopum Adalbertum inibi fecit conſecrari, vt populum erudiret Wandalorum, & in fide Chriſti pariter & Imperatoris conſeruaret. Sed præualuit peſſima machinatio Wichmanni. Egreſſos ad pugnam Wandalos Imperator excepit, & fortiter repulit verſos in fugam, quum multi corruiſſent. Nec longè pòſt Wichmannus ille deſertor quum inter Wandalos ageret, cœpit tedere populum incentoris. Inuentus eſt qui perfugam auferret de medio in gratiam Imperatoris, & paruerunt in reliquum dictis imperatiſque.

CAP. 14. *Magdeburgenſis eccleſia papæ autoritate fit metropolis.* *Vvandali rebellantes ſuperantur.*

EXTITIT cauſa qua iterum Imperator in Italiam vocaretur. Nam Leone VIII. ſubuerſo, Romani ſtatim poſt Imperatoris abſceſſum, artibus ſolitis quos oderunt de

CAP. 15. *Otto Romam iterũ ottendit.*

medio tollunt. Iohannem XIII. pontificem ſimili odio inſectantur. Captum enim à tyranno quem ad hoc inuitauerant, perduci ſinunt in Campaniam. Id quum reſciſſet Imperator, non literis, non nunciis agendum ratus, ſeipſum accinxit vt exiret cum exercitu. Hermannū antea præfectum inferioris Saxoniæ partium conſtitutum, quum illum probè omnia adminiſtraſſe comprobaret, ducali inſignitum honore prouexit, vt ſedeat
Saxoniæ ducatus. cum principibus. Hic eſt ille ducatus quem vſq; hodie adminiſtrant duces Saxoniæ, ad Albim habitātes deuexiorem. Qui etſi ab olim latioribus terminis tenderetur, ab Henrico duce cognomento Leone ad eas anguſtias eſt perductus: quod ſuo tempore commemorabimus. Nouū autem principem nouis armis inſigniuit, laſurij coloris Leonem in albo donans, interiectis maculis per campū: quæ nunc arma Luneburgenſis ſunt ducatus. Vnde coniectura eſt, eam quoq; ditionem tum extitiſſe in Hermanni principatu. Nam arma quæ nunc præferuntur Saxoniæ, aliam (quod dicemus infrà) præferunt originem. Tū verò Imperator aſſumpto ſecum Ottone filio, quē ſuperiori tempore regem Aquiſgrani Germaniæ iuſſit coronari, ad Italiam peruenit, Romamq; petiit. Effuſi vrbe Romani, Imperatorem quanto poterant honore inuexerant. Blandiores erant in obſequio, quos maior in pontificem culpa conſtrinxit. Diſſimulanter omnia Imperator initio habuit, donec in ſtationes ſuas milites collocarentur. Vbi omnia ex ſententia conſtitere, iubet acciri populum, ventilari quæſtionem de male habito pontifice. Culpati cōſules cum præfecto, inſimulati decarchones, qui ex populo allecti decem numero, ſenatum egerunt. Relegati in Germaniā conſules, à trabe appenſi decarchones: ipſe præfectus ludibrio habitus per vrbem, quum flagris cæderetur, miſſus eſt poſt conſules in Germaniam exulaturus. Saraceni tum in Calabria & Salentinis erant, foti à Græcis, vt
Ottonis in Saracenos expeditio. Imperatorem Ottonem deterrerent, & Italiam pro ſuo tenerent principatu, Ottonem tum variis in locis multiſq; præliis conflixiſſe etiam Italici ſcriptores teſtantur: ſed non vnam omnes aſſerunt cauſam. Alij non aduerſus Saracenos duxiſſe Ottonem contendunt, ſed in Græcos Italiæ incolas, qui deſponſatam Ottonis filio Nicephori Conſtantinopolitani Imperatoris filiam tradi a patre prohibebant. Vtcunque fuerit, prælio illis ex quacunque cauſa Imperator congreſſus, eos fudit, ac pene omni Calabria Apuliaq; expulit. Quin inſuper Conſtantinopolitanus populus amiſſarum de Italia prouinciarum iacturam in Nicephorum referēs, qui ſponſam filiam marito tradere noluerit, arreptis armis illū interfecit, ac Iohanni filio Imperium demandauit. Certum eſt autem omniū teſtimonio, Ottonem II. primi filiū, Theophaniam Iohannis Imperatoris Cōſtantinopolitani germanā accepiſſe coniugem: quam Iohannes XIII. Romanus pontifex ſimul cum marito in Lateranenſi patriarchio coronauit. Nam Otto pater filium Ottonem, re in Saracenos Græcoſq; bene geſta reuerſum, conſortem aſciuit Imperij, voluitq; Imperatorem
Otto ſecundus Imperator. à Romano populo ex priſca conſuetudine acclamari. Quem tū pontifex inunctum, Imperiali diademate inſigniuit. Eaque in Ottonis II. coronati celebritate, Iohannes pontifex Capuanam eccleſiam ad Pandulphi principis merita, metropolitanā conſtituit. Inde in Germaniam Imperatores mouerunt per Gallias.

CAP. 16. HERMANNVS interim Germaniæ nouus dux quum eas teneret partes cōmendatas quæ Wandalis obiacent & Albi flumini, pene omnia poſſedit quæ nunc tenet dux Luneburgenſis, & dux inferioris Saxoniæ. Extruxit autem arcem in montem, appella-
Luneburgum conditur. uitque Luneburg, non (vt fabulantur imperiti) ab idolo Lunæ, quod ibi ſacrauerit Iulius Cæſar aut neſcio quis alius: hoc enim fabuloſum ſuprà conuicimus: ſed à vicino loco Lune ad riuum Elmenow, vbi nunc degunt ſanctimoniales ab aliquot ſeculis. Sic enim accipiunt arces vocabulum vel à loco fundationis ſuæ, vel ex propinquis, qui nominatior eſt. Hunc ego nouum ducem Saxoniam quoq; Tranſalbianam tenuiſſe crediderim; quòd limitaneus eſſet ad vicinas Danorum Wandalorumque nationes arcendas ab incurſionibus, quas Normanni Dani crebras fecerant ſuperiori ætate, quum à Ludouicis, Karolis, Arnulpho, Reginberto, aliiſque quos ſuprà commemorauimus, proceribus retropellerentur. Nunc verò poſtquam permiſit rex Otto Danorum regi
[Q]uas regiones Germaniæ [Im]peratores [..] ſeruarint. Sleſwicum, in quo pater eius marchionē creauerat, opus erat præſide ac duce, qui limites regnorum ſeruaret. Terram verò Brunſwickcenſem, quæ poſtea in ducatū erigitur, & rurſus Gottingenſem, & quæ Tranſſyluana dicitur, cum terra Wittenbergenſi, quæ nunc ſuperior dicitur Saxonia, & omnem Miſnam Turingiamque tum Saxonici iuris,

pro

pro ſe ac poſteris,ſeruauere Imperatores. Alioqui ſtultum fuerit ditare extraneum, & ſuos exhæredes facere. In hac arce noua nouus dux vt religioni inſeruiret,gratus Deo, qui illum prouexerit (vt ſuſceptus de puluere priuatæ familiæ, ſederet cum principibus) monaſterium inſtruxit ad arcem, in honorem ſancti Michaelis archangeli, ſub regula diui Benedicti, transferens abbatem primum Ludericum de cœnobio. S. Panraleonis ex Colonia.

CAP. 17. *Anno 974.*

ERAT poſt natum Chriſtum annus DCCCCLXXIIII. cũ Imperator Otto Paſchæ ſolennitatem in vrbe Quedelenborg cum filio, principum magno conuentu peregit: & multa conſtituens in prouincias, reſpexit in primis Magdeburgenſem vrbem & eccleſiam: quia illam requieti ſuæ prouidit. Inſignem virum Adalbertum primum illi fecit ordinari (vt diximus) archiepiſcopum,illique ſubiecit omnes epiſcopatus per Wandaliam, quam tunc dixere Sclauoniam. Erat tamen epiſcopatus in parte Tranſalbina Wandaliæ, in loco Aldenborg, Hamburgenſi ſubiectus: is autem poſtea tranſlatus eſt (vt in Wandalia diximus) Lubicam. Maritima autem reliqua Wandaliæ necdum ad fidem Chriſti peruenerant,in quibus Zwerinenſis, Ratzeburgenſis, Caminenſis diœceſes terminos ſuos habent longè pòſt limitatos. Tertia autem feria (quam vocant diem Martis) ante Pentecoſten eius anni,venit Imperator ad locũ qui dicitur Mimlewa. Proxima nocte tranſacta, hora conſtituta lætus ad menſam conſedit. Veniente tẽpore veſpertinis laudibus interfuit: ſed peracto Euangelico eius officij cantu, cœpit æſtuare ac ſpiritu fatigari. *Otto primus moritur.* Quod quum intellexiſſent principes circumſtantes, impoſuerunt eũ cubili: inclinantẽ autem caput, quaſi iam defeciſſet, refocillarunt: expentiſq; ſacramentis eccleſiæ,&cũ ſumma veneratione perceptis, ſine gemitu eum magna tranquillitate ſpiritum Domino reddidit, Nonis Maij, quarta feria ante Penrecoſten. Inde tranſportatur in cubiculũ: & quum iam ſero eſſet, tranſitus eius populo enunciatur. Cuius corpus magnis lugentium exequiis à filio rege tranſlatũ eſt in ciuitatem, quã ipſe extruxit, Magdeburgum, ibiq; honorificè tumulatur. Extat hodie ſepulchrũ eius in crypta. Aiunt, qui ætate noſtra viderant, corpus eius poſt annos ſupra quingentos ita balſamo ſtare firmatum, vt velut in ſella conſideat illæſum. Cuius tumulus vt magnificè renouetur, expoſcunt egregia illius principis in Saxoniam, primùm patriam, deinde in omnem Germaniam, demum in omne Imperium & vniuerſam eccleſiam catholicam merita. Romanum enim Imperium ab illo magnificè propagatum, exquiſitum honorem, & perenne memoriale ſuo iure depoſcit, vt eius in terris memoria permaneat diuturna, & (ſi fieri poſſit) ſempiterna: quem ad meliora regna rex tranſtulit immortalis.

CAP. 18.

OTTO II. patri filius ſuccedit in regno & Imperio: imò iam viuenti & regnanti & imperanti (vt voluit) acceſſit: decedenti autem patri ſolus ſuccedit: nam frater Ludolphus natu maior, iamdudum conceſſit in fata. Henricus autem Bauarorum dux, frater patruelis huius Imperatoris, nonnihil rebellionis oſtendit Imperatori, & vſque ad arma diſſenſio proceſſit: ſed edomitus malis ceſſit Ottoni, ac in ius eius nihil repugnans conceſſit. Inde Imperator conuertit arma in Wandalos, qui Ottone I. vita functo cornua erexerunt: vt fieri ſolet ſemper motus initio nouorum vbique regnorum. *Vvandalos Otto ſecundus domat.* Sed didicerunt malo ſuo non temnere diuos. Superueniens enim rebellibus, motus eorum compreſſit, coegitque dicto parere. Hæc fuere initia noui in Germania regis. Deinde ſuper Lotharingiæ regno (quod Gallici ſcriptores vocant Auſtraſiam, ex Germania mendicato vocabulo, quòd in orientem vergit à Galliis: ducatus quoque Metenſis nonnunquam inſcribitur: ſed iam præualuit conſuetudo, & obtinuit, vt Lotharingia appelletur) Imperatori cum rege Franciæ Lothario fuit contentio. Erat Lotharius Gerbergæ filius, ea fuit germana Ottonis I. Igitur conſobrini Otto Imperator & Lotharius rex Franciæ, de Lotharingia arma ſumpſerunt. *Bellum Imperatoris cum Francorum rege.* Prior Lotharius, quum Otto necdum quicquam moliretur, pacato agmine venit Aquiſgranum, quum Imperator nihil hoſtile proſpiciens, ibi cum coniuge moraretur. Capitur de repente vrbs tota. Imperator cum familia vix elabitur. Ad prædam ſparguntur milites Franci, aceruatiſque omnibus, quæ vel de apparatu Imperatoris aut vniuerſa vrbe poſſent corradere, exaturati redeunt in Franciam: quem non longo interpoſito tempore Imperator Otto cum magnis copiis inſequitur. Caſtra è conſpectu Lutetiæ Pariſiorum ponit. Fit eruptio à ciuibus, conſerunt manus, cadunt vtrinque nonnulli, inter alios nepos Imperatoris. Suburbia ciui-

tatis exaſperatus Otto incendit. Nec moratur Lotharius cum Hugone Magno & Henrico duce Burgundiæ hoſtem aduſque Iſaram fluuium inſequi, vbi atrociſſima inſtituta pugna, tam multis vtrinque occiſorum cadaueribus riuus oppletur, vt à conſueto fluxu Iſara impeditus in agros ſeſe effunderet. Hoc tam cruentum bellum inter ſanguine coniunctiſſimos, mirum quomodo tam acerbum contigerit. Erant enim Lotharius & Hugo ex geminis Ottonis I. ſororibus nati, huius ſecundi conſobrini. Sed quid non cogit habendi amor, qui chariſſimos inuicem ſæpe fratres commiſit? Pacatis demum regibus, Auſtraſiam, cuius cauſa bellum gerebatur, Ottoni Lotharius, reclamantibus multis regni proceribus de Francia, permiſit, repugnante etiam Hugone Abbate: qui inde accepta occaſione, regnum quæſiuit & occupauit. Nam Lotharius non inde diu conceſſit in fata. Appellatus eſt autem Hugo per contumeliam cognomento Abbas, quòd ſe rebus monaſteriorum (quas plures illis eſſe quàm opus videri dixit) implicuit: ſeipſum Abbatem appellans.

Hugo contumelioſe abbas dictus.

CAP. 19. SVSTVLIT autem Otto ex coniuge filium Ottonem, & tres filias: quarum vna in Gandershem, altera in Quedelenborg præſidatum accepere, malentes in virginea puritate ſeruire Deo, quàm tyrannidi ſeruire maritorum. Frequentes autem ſententiæ ſuæ, & quas imitarentur ſui generis authores, plurimas, & quæ illarum ſequutæ ſunt exemplum, habuere crebriores. Tertia quum eſſet inter ſacras virgines in Ratiſpona, incertum habens quid ſequeretur, rapta eſt ab Vdalrico Bohemiæ duce, qui illam coniugem depoſcebat. Pater exempli perniciem deteſtatus, ſimul iniuriam reputans atrociſſimã, quòd auderet vir barbarus in Imperatorem Romanum hoc quod priuati in priuatũ ſine ſummo ſcelere non committerent, armauit ingentes copias, & ſequutus raptorem in prouinciam eius, igne & ferro cuncta vaſtabat fœdabatque. Occurrerunt Bohemi vim prohibituri: cæduntur miſerè. Ipſe Vdalricus ad interiora prouinciæ perueniens, raptam orabat vt ſe interponeret, patrem exorans vt generum non degenerem dignaretur agnoſcere, non indecorem futurũ regno, modò primæ piacula culpę remittat. Puella ad patrẽ progreſſa exorabat, iram poneret, ſe, quando ita viſum ſuperis, Vdalrico permitteret vxorẽ. Venit ſub aſpectum dux ipſe, & genibus prouolutus, veniamq́; precatus impetrauit. Hoc tempore idẽ Otto reliquias diui Stephani ex Italia productas, in eccleſiam Halberſtadenſem ad honorem beati martyris ibi patroni, decenter iuſſit collocari. Interea oritur grauis inter fratrueles ſimultas, Ottonem Imperatorem & Henricum ducem Bauariæ. Imperator, ſubmiſſis qui rem per inſidias agerent, capi iuſſit Henricũ, & aliquandiu captum tenuit. Wandali quoque (ne quid deeſſet turbationis) quos pater Otto imperata facere coegit per ſua tempora, nunc rebellarunt: in quos Cæſar armauit Saxones ſuos, & ad internecionem obuios cecidit. Ingens multitudo proſtrata memoratur, triginta millia ſeptingenti. Qua victoria exhilaratus Imperator, veniam dabat fratrueli, laxans vincula eius, vt in reliquum tempus illum haberet obſequẽtiorem. Ferunt nonnulli (quod apud me fidem tenuẽ habet) hunc Ottonem tributo adegiſſe Lombardos, vt quotannis perſoluerent Imperatori tributi nomine libras auri ducentas. Id aurum fertur collegiſſe Wilhelmus archiepiſcopus Mogũtinus, Imperatoris huius germanus frater, annis tribus continuatis. Inde conflatam crucem auream, qua condecorauerit vſque hodie eccleſiam Padeburnenſ. Primùm quis credat auri talenta pontifici permiſſa? deinde in crucem conflata? Demum, quod eſt omnium alieniſſimum, in longinquam eccleſiam, & ſua minorem eſſe ea dona collata quis feret?

Otto ob filiã raptam Bohemis bellum infert.

Vvandali rebelles opprimuntur.

CAP. 20. INTEREA Imperatores Conſtantinopolitani, nullo affinitatis ad Ottonem habito reſpectu, quum intelligerent Ottonem grauiſſimo in Francia bello implicari, vnde ſe non facilè explicaret, conſtituerunt prouincias, quas de Italia Nicephorianis temporibus amiſerunt, recuperare. Otto verò, poſteaquam Lotharingiam receptam iniuriaſque apud Aquiſgranum acceptas vltus eſſet, pacemq́; cum Lothario rege firmauiſſet, veniens in Italiam, & vxorem ſecum ducens Theophaniam, Tauriſienſes attigit, quando de leuirorum ſuorum impetu certior eſt factus. Tradunt nonnulli ſcriptores, Ottonem, priuſquam in Græcos duceret, copiis Hadriatico traductis, Sclauoniam ac Dalmatiam inuaſiſſe, magnaque in illis regionibus, Græcorum præſidio deſtitutis, rerum præda & mortalium cæde commiſſa, Romam ſe contuliſſe. Eò quũ perueniſſet, repentino tumultuarioq́; delectu per omnes Italiæ regiones, ingẽtes copias coactas ad diem conue-

Ottonis in Græcos expeditio.

conuenire iuſſit,& cum Germanorum,Gallorum,Lombardorum,& aliorum Italiæ populorum immenſo exercitu Roma profectus, prima ad Beneuētum cepit ſtatiua. Quò quum Romanorum copiæ perueniſſent,datas quoq; à Beneuentanis,Capuanis,Neapolitanis & Salernitanis turmas,in ordinem præmitti curauit regionum gnaros. Facto poſtea agmine profectus,non prius quadrato exercitu cœpit incedere, quàm Apuliam eſt ingreſſus. Apud Baſentellum exercitus hoſtiles ſunt obuiam facti. Ibi inſtituta pugna, Græci Imperatores Saracenos multos habuere conductos: & quum pugna conſereretur,primi Romani,& deinde Beneuentani,ſigna deſeruere,nulla vi hoſtiles vultus ferre potentes. O viuidam illam quondam priſcorum Romanorum virtutem! O nomen ſpecioſum in vmbra! Horum fuga conſpecta cæterorum fregit animos. Saraceni Græciq; grauiores inde incubuerunt,donec fuſæ diſſipatæque ſunt omnes Imperatoris Ottonis copiæ.

Græci prælio aduerſus Ottonem victores.

Quo in prælio occiſis penè ad internecionem legionibus, & Romanus Imperator & omnis Italia neruos omnes ita amiſit, vt facile Græcis & barbaris fuerit, ſi victoria vti ſciuiſſent, Roma omnique Italia potiri. Hæc eſt illa colluuio molliſſimarum gentiū. Quòd ſi longè paucioribus ex Germania copiis fretus fuiſſet Imperator, non hoc Imperij detrimentum cum dedecore incurriſſet:indubitatam victoriam, vt ſemper aliàs maiores ſui,ipſeq; reportaſſet. Emolliuit iam Italos clementia cœli, poſtquā ille ab alto prominens fauor numinum ſubtractus abceſſit. Otto Imperator fugiens, quum repentè ad littus ſcaphæ ſe commiſiſſet,à piratis quis eſſet ignorantibus interceptus eſt, inque Siciliam perductus:ſed ibi agnitus,ſeſe Siculis,ingenti promiſſa pecunia,liberari Romamque perduci optauit,obtinuitq;:& de piratis ſumptum eſt à Siculis ſupplicium.

Otto captus Romam reducitur.

Quum Romam perueniſſet Otto, perquirendis contrahendisque fracti exercitus ſui reliquiis diligenter operam impendit. Et quia copiarum præſidio deſtitutus, in deſertores ſignorum Romanos animaduertere non audebat, iram in Beneuentanos exercuit. Etenim integris,qui turpi fuga prolapſi in vrbem redierant,cæteros addens Romanos qui arma ferre potuerunt,tanquam hoſti aliquo in loco ſe oppoſiturus, ſimul cum reducibus ex conflictu eduxit: & Beneuentanos adortus imparatos & nihil tale timentes, vrbem cepit,ſpoliauit,incendit:perque eam occaſionem aſportatas diui Bartholomæi reliquias Romam in inſula Iouis primò dicta,& poſtea Licaonia,locatas ferunt. Ottonem Beneuento deleta,in vrbem Romam reuerſum,nihil præterea rerum nonnulli tradunt peregiſſe. Inque decimum vſq; annum poſt patrem tenuit Imperiū: & morbo ex labore contracto,accedente graui ignominia(quam etiam Imperatrix fertur auxiſſe, quum victo illuderet)diem ſuum obiit Romæ,honorato conditus ſepulchro apud ſanctum Petrum, anno poſt natum Chriſtum nongenteſimo octogeſimo quarto.

Beneuentanos propter fugā cædit.

Moritur Romæ.

CAP. 21.

SVNT authores qui hunc Ottonem,quum in Italia eſſet,Saracenisq; in mari digraſſarentur populantes omnem Chriſtianam ditionem,armaſſe non contemnendam claſſem,& obuium hoſtibus profectum,manus conſeruiſſe cum illis,tantumque ſanguinis eſſe fuſum,vt decoloratum inde magna parte mare cerneretur: ſed ipſum cum toxico venenatoque telo percuſſum,ſemper vulnus ad mortem vſque habuiſſe: nec enim multo pòſt tempore in fata conceſſiſſe. Fine autem Ottonis II. ex more celebrato, Germani proceres,qui tum Romę frequentes aderant,de ſucceſſoris electione agere cœperūt. Variantibusque inter eos ſententiis,alij Henricum Bauariæ ducem,itidem de ſanguine Saxonum,fratre Ottonis Henrico natum (cuius etiam filius inſequutus eſt Ottonem III.) imperio præficere voluerunt:quòd tempora maligna virum depoſcerent,inſolentia Saracenorum & ſuperbia Græcorum vehemēter de nouiſſima victoria in Ottonem adaucta. Alij verò non diſcedendum putauerunt ab recta Ottonum linea, merito ac recordatione I. Ottonis Imperatoris optimi. Non defuerunt Romani ciues,qui reſumendum à Romanis Imperium, nec diutius exteris regibus permittendum cenſuerunt. Si non habeat vrbs Roma qui ſine inuidia poſſideat,petendum aliquē ex Italiæ principib. Inter huius autē ſententiæ authores vehementiſſimus incūbebat Creſcētius Numentanus. Quū verò ea primùm ſecretis in conuentib. ſunt dici cœpta,deinde per vicos & cōpita palā ſunt elata,perterriti,pceres Germani,in Ottonē III. ſecundi filiū conſenſerūt.

Variæ de eligendo Imperatore ſententiæ.

CAP. 22.

OTTO III. ſecundi filius,primi nepos,procerum qui tum Romæ erant, conſenſu Imperator creatur. Henricus Bauariæ dux intellecta Imperatoris morte, puerum Ottonem in Germania agentem, qualicunque occaſione in ſuam accepit poteſtatem, quò

Otto III. Imperator.

paratior illi via maneret ad Imperium perueniendi. Sed principes de manu illius puerũ extraxere. Interea Lotharius rex Francorum etſi antè Lotharingiam abnuiſſet, eamq́; perpetuò Ottoni & ſucceſſoribus permiſiſſet, audita tamen Ottonis II. morte, ad eam recuperandam contendit, quò fratri Karolo dignum ſe principatum conferret. Virdunum cepit, & eius vrbis comitem in ſuam redegit poteſtatem, vltrà etiam proceſſurus. Quum tamen videret totius Imperij vires ſibi intentari, facilè reddidit quæ cepit. De regno autem Francorum per ea tempora magna contentio fuit, quum Karolus Lotharij defuncti frater illud peteret, & Hugo Pariſiorum comes cognomento Magnus, & item Abbas, illud ſibi vendicaret. Erãt ambo (vt diximus) ſororibus Ottonis I. progeniti. Sed tum Hugoni regnum ceſſit, & poſt illum filio eius Roberto: ſic primùm egrediens lineã Karoli Magni, in qua ſupra ducentos annos permanſit. Otto autem puer cum proceribus, rebus Germaniæ componendis annis vndecim intenderat, vt interim robuſtiore ætate accedente, par magnis in Italia rebus gerendis poſſet videri. Quo tempore Creſcentius Numentanus conſulem ſe titulo præferens, vrbis dominium in ſuam traducere curauit poteſtatem. Qui obſequentem ſibi minus quàm voluiſſet pontificem Iohãnem XV, in eam dignitatis ſalunsq́; deſperationem adduxit, vt vrbe ſecedens in Hetruriam ſe reciperet. Eò pontifex quum veniſſet, animis per vitæ ſecuritatem reſumptis, Ottonem III. Imperatorem per nuncios literasq́; orare cœperat, vt ſedi apoſtolicæ & oppreſſæ vrbi Romæ opem debitam afferret. Id verò quum reſciſſet Creſcentius, pontificis agnatos conſanguineosq́;, & quoſque amicos mittens oratores, apud illum peruicit vt Romam rediret: impleuitq́; factas pollicitationes pontifici Creſcentius, quòd illi Romæ appropinquanti, cum ſenatu magiſtratibusq́; & honoratis quibuſq́; obuius in faciem cernuus pedes oſculatus eſt, introductũ poſitumq́; in ſedem ſemper veneratione debita eſt proſequutus. Eius Iohannis anno pontificatus nono Ottonem III. in Italiam primùm veniſſe, & à Creſcentio Numentano cæteriſq́; Romanis ſumma cum obediẽtia admiſſum in vrbem fuiſſe, tradunt Italici ſcriptores: eratq́; is regni ipſius vndecimus.

Francorum regnum Caroli Magni poſteris ademptum.

Romanus pontifex pulſus deinde reuocatus.

CAP. 23.

QVO tempore in inferiori Saxonia Hermannus dux ab Ottone I. ad Albim conſtitutus, diem ſuum obijt, annis & virtutibus plenus: qui nobilitatem primus in ſuam intulit familiam, relicto filio Bennone virtutum ſuarum imitatore, & ditionis promeritæ iuſto ſucceſſore. Qui accepta vxore principis (vt ferunt) Stetinenſis filia, bonõ patre nõ degener filius dignus habebatur. Mirum verò, quum per id tempus omnis illa Wandalorum prouincia idolis ſeruierit, Chriſtianum principem ex gentilitate iniſſe cõnubium. Potuit hoc ſuggerere pietas, vt ad Chriſtianiſmum flecteret affinem ſuum. Potuit etiam tum ad tempus Chriſti iugum gens illa ab Ottone perdomita perferre, quod poſtea reiecerit. Verùm ex illa qualicunq́; coniuge ſuſtulit filios Brunonem, Bernhardũ, Thietmarum. Bruno in teneris deceſſit, Bernhardus ducatum poſt patrẽ adminiſtrauit, Thietmarus comitatum, illum arbitror Tranſalbinum, quem vocant Stormariæ: cui contermina eſt Holſatia cum Thietmarſis. Quæ tres ditiones ſine controuerſia ab omni retro memoria ſemper Saxonibus paruerunt. Nam cum Wedekindo duce concurrerat in ea ditione (vt diximus) Albion: & poſt illum Karolus Magnus præfecit quendam Ottonem: poſt quem non alium legimus præſidem, prçter hunc Thietmarum comitẽ, Bernhardi ducis fratrem. Adaldagus quoq́; Hamburgenſis pontifex ad hæc vſque tempora peruenit, vir grandæuus, & qui per annos quinquaginta, trium Ottonum Imperatorum curias ſequeretur, cancellariam adminiſtraret, & multa quæ extant Imperatorũ nominibus decreta & conſtitutiones conceperit. Florebant res plurimum Saxoniç: nam Imperatores latè dominantes, & frequentius in Italia diuerſati, nullis eam impenſis grauioribus onerabant. Sedit tamen aliquandiu Otto III. priuſquam in Italiam aſcenderet, in Wildeshuſen: ibiq́ue prçcepta fecit, conſtituta edidit: vt intelligerent qui in extremo eſſent imperij limite, ſe quoq́; Imperatoribus ſuis curæ eſſe. Tribuit hoc memoriæ primorum in Chriſtianiſmo principum Saxoniæ memoriæ, qui (vt ſuprà oſtendimus) ibi vixerant & mortui ſunt. Effecit quoque hoc grandæui ſenis domini Adaldagi archiepiſcopi inſtantia, vt viſendum aliquando ſubditis præberet Imperatorem, quò magis eos in fide & obedientia contineret.

Chriſtianus impiam vxorem ducit.

CA. 24.

QVAMPRIMVM verò Imperator Otto Italiam pertranſiens Romam attigit, duces Capuanos Beneuentanosq́; Romanis obluctãtes, armis coegit imperata facere. Sed

tum

Papa & Imperator ſeſe mutuò conſtituunt.

tum Iohannes, qui Ottonem vocauerat, viuendi finem fecit: nec vlla accidit (ſicut fieri ſemper ferè aſſolet) cleri populiq́; diſſenſio in deligendo pontifice: quòd Otto Imperator Gregorium V. ſibi ex Saxonum gente propinquum, iuſſit obtinuitq́; pontificem declarari: à quo breui pòſt imperij benedictionem diademaq́; accepit. Eiusq́; facti celebritate finita, Otto Imperator archangeli Michaelis ædem, quæ eſt in Gargano monte (votis ſe exoluturus, quæ pridem emiſerat) inuiſit. Inde Romam reuerſus, breui ſe contulit in Germaniam. Tulerant iniquo animo Romani pontificis per metum factam creationem, nec id diſſimulare poterat ferox ſed ad bella mollis populus. Quare vix dum Italia exceſſerat Otto, per Gallias in Germaniam acceſſurus, quum pontifex Gregorius minis & maledictis exterritus, ac magis (vt putant Italici) quàm debuit animo conſternatus, vt beclam exceſſit. Et quum Iohannis prædeceſſoris ſui exemplo aliquandiu in Hetruria conſediſſet, nec illum populus Romanus ſupplex reuocaret, Ottonem III. adiit in Germania ſedentem. Intellexerunt verò tunc Romani quòd ea concitus indignitate Imperator Romam furens rediret: quamobrem rei ſuæ viribus multo minus quàm oportuerit perpenſis, temerarium cepere conſilium. Etenim Creſcentium curantè & (vt alij volunt) recuſantem, inconditis clamoribus conſulem creauerunt: permiſſa illi poteſtate, vt nequid res Romana pateretur detrimenti, prouideret. Isq́; Iohannem quendam Græcum, epiſcopum Placentinum, literis ornatiſſimum, & (vt alij ſcribunt) pecuniis affluentem, Romanum pontificem declarauit. Eſtq́; hic Iohannes, quem alij non legitimè electum ſupprimunt, alij XVI. aut XVII. inſcribunt. Creſcentius inde futuris proſpiciens quæ timerentur ab Imperatore periculis, muros vrbis portasq́; inſtaurauit: & moli Hadriani, caſtello ſancti Angeli appellato, tot tantasq́; addidit munitiones, vt poſtea ſemper & vſq; ad hæc tempora arx Creſcentij, & crebrius quàm ſancti Angeli appellaretur. Venit interim Otto Imperator, & magnis fretus quas adduxerat copiis, vrbem penè in circuitu obſedit. Tum verò populus furoris, quem creando conſuli oſtenderat, oblitus, pacem miſericordiamq́; Imperatoris ſupplex orauit. Et quum impetraſſet, patentibus etiam Creſcentij iuſſu portis, Germani admiſſi ſunt. Tunc & Iohannes pontifex præſidij ſimul & conſilij inops, cum Creſcentio ſe in munitiſſimam ſancti Angeli arcem abdiderunt: de qua aliquandiu ab oppugnationibus paruo negotio ſunt tutati. Quumque obſidionem oppugnationemq́; longo duraturam tempore non magis Germani quam æmuli ſimul & perfidi ciues oſtenderent, dolo victus ſequitur Creſcentius, quem nulla vis ſuperatura videbatur. Spe enim ſalutis data, ambo vt ad Imperatorem irent, exeuntes medio itinere intercipiuntur. Et Creſcentius quidem captus, Iohannes oculis eſt orbatus. Creſcentius iumento auerſus imponitur, & vrbe circumuehitur: poſtea eum, ludibrio eius exaturati, confodiunt.

Romanus pontifex vrbe pulſus.

Creſcentius papa alio conſtituto, ab Imperatore ſupplicio afficitur.

CAP. 25.

Gregorius papa imperij electores & imperatoriam dignitatem inſtituit.

GREGORIVS ad vndecimum, quo abfuerat, menſem reſtitutus, acerrimam de accepta à Romanis iniuria vltionem ſumpſit. Paulo enim poſtquam redierat, eam fecit de Imperatoris electione ſanctionem, quam hucuſq; per annos iam quingentos ſeruatam videmus, ſolis licere Germanis, qui inde electores ſint dicti, principem deligere: qui Cæſar tunc & Romanorum rex dictus, ſi à Romano pontifice coronabitur, Imperator Auguſtus appelletur. Sintq́; hi electores, Moguntinus, Treuerenſis, Colonienſis archiepiſcopi: Palatinus Rheni comes, Dux Saxoniæ, Marchio Brandenburgenſis, Rex Bohemiæ. Diſtincta ſunt autem inter eos officia, vt tres archiepiſcopi ſint ipſius Imperij cancellarij: primus per Germaniam, ſecundus per Galliam, tertius per Italiam: Marchio camerarius, Comes dapifer, Dux portitor enſis, Rex Bohemiæ pincerna. Sed iſta magis diſcreuit Karolus IIII. quàm ſint initio conſtituta, adiecitq́; regem Bohemiæ. Otto autem Imperator Romę agens, quum de ſtatu regni diſponeret, in contemptum venit Romanorum: obſederunt enim illum in palatio, milites quoſdam illius occiderunt: vix aſtu & ingenio Henrici ducis Bauariæ educitur pactionibus ſimulatis. Romani per ætatem illam, inualidus ad arma populus, & tamen ingenio varius & inconſtantiſſimus, ſemper res nouas moliebantur, faciles ad inchoata, impotentes ad exequendum. Ottonem verò tunc in Germaniam rediiſſe multi tradunt, Gregorium verò ſtatim poſt Imperatoris abitum diem ſuum clauſiſſe. Poterat hoc non dubiis argumentis antè cognoſcere, Papam Saxonem non diu victurum inter oſores Italos, qui non tam vitæ reddendæ quàm adimendæ ſunt magiſtri. Interim Saxonia & ei contermina

Wandalia pace tranquilla gaudebant: per Wandaliam eccleſiæ inſtauratæ, conſtructa monaſteria, & fides Chriſti excreuit.

CA. 26.

Imperatoris uxor impudica.

HIC Otto III. coniugem habuit Mariam, filiam regis Arragonum, fœminam ſibi non ſatis (vt ferunt) temperantem. Iniecit oculos cuidam nobili, quem vocauit in amplexus. Horruit ille crimen, & quibus potuit verbis ſe de manu fœminæ excuſſit. Contempta vertitur in furorem: & crimen quod conceperat, vertit in innoxium, accuſans illum apud Cęſarem de pertentata ab illo ſua pudicitia. Facilè Cæſar credidit (vt ſunt mariti in zelotypiam procliui) iuſſit mox vinciri accuſatum, & gladio cædi. Ille moriturus innocentiam ſuam Deo commendabat: vxoriq; queſtus, cum lachrymis ibat ad mortẽ. Caput viri coniunx rapit & amplectitur, nemine obluctante, quòd iuſto dolore torqueretur. Obſeruabat deinde Cæſarem pro tribunali ſedentem, & accurrens acclamabat, fœmineo vlulatu poſtulans de iniuſta & iniquiſſima oppreſſione iudicium. Quumq; miſerabiliter eiularet, verſus in eam Cæſar ait, Quis te mulier tantopere læſit? quis oppreſſit? Tu, inquit illa, ô Cæſar: & proiecto in medium capite, Hunc, inquit, mihi virũ per ſummam iniuſtitiam abſtuliſti: & in promptu tenens ferrum ignitum, in conſpectu omniũ pertulit illæſa: Quàm, inquiens, ego immunis ſum ab igne, tam erat maritus à crimine quod imputabatur. Stupuere qui aderant: nam & in memoriam reduxere qui viderant, lac pro cruore profluere, quum miles ille gladio cæderetur. Cæſar miratus, vbi rem diligentius perquirit, reperit ab Imperatrice per calumniam accuſatum innoxium virum: & zelans pro iuſtitia, reginam iuſſit concremari, ſeque, qui præcipitaſſet ſententiam, magno ære mulctauit, rependens mulieri pro morte viri aliquot arces. Nec poterat diu occiſor conſolationem accipere, quòd ſeipſum de præcipitato iudicio ſeueriſſimè damnaret. Nec multo pòſt tempore iterum Romam, incertum quibus ex cauſis, proficiſcitur. Romani verò ab illo à ſententia ſua per vim deiecti, imperata facere adigebantur. Igitur quem armis ſuperare non poterant, alio genere perditionis intentato, ſubuertere contẽdebant. Vxor quondam Creſcentij, mulier procax, Imperatoris in ſe animum pellexit: & perinde miſſo poculo, neſcio in quos vſus (vt prætenderat) confecto, Imperatorem veneno extinxit. Mortuus eſt ergo Imperator Romæ: ſed cadauer exectis viſceribus, vt imputribile maneret, reductum eſt in Germaniam. Mirum hîc ſilentium de milleſimo Chriſti anno, nulla ſolennitate (quod ſit ſcriptum) peracto, vt ad exemplum ſaltem veterum Romanorum ſeculares ludi, qui in centeſimo quoque vrbis anno exhibebantur, tum ſolenniter leguntur peracti. Nam milleſimus vrbis annus ſub Philippis Imperatoribus multiplici pompa eſt celebratus. Milleſimus autem Chriſtianæ ſalutis annus toto ſilentio dilabitur, ſub pontificio Silueſtri II. & Imperio Ottonis III. Iubileus autem annus necdum venerat in mentem pontificibus, vt eo inſtituto (quo præſens quingenteſimus poſt mille peragitur) celebraretur. Bonifacius VIII. anno treceteſimo poſt milleſimum primus illum inſtituit, vtinam ſolius pietatis gratia. Sed hic fuit exitus Ottonũ trium, ex quibus tertium Italici nonnulli magnæ tyrãnidi inſcribunt, quòd Romanis rebellantibus non ceſſerit, neq; pepercerit.

Cæſar præcipitatum iudicium miraculo monitus agnoſcit.

Annus Chriſti milleſimus nullis ludis celebratus.

Iubilei anni initium.

CA. 27.

Henricus ſecundus Imperator.

HENRICVS Bauarus, Ottonis I. ex fratre Henrico nepos, origine Saxo, etſi principatum teneat Bauariæ, primus ab Electoribus in vim nouæ conſtitutionis electus & aſſumptus eſt Imperator, anno poſt mille ſecundo. Nam Henricus frater Magni Ottonis genuit Henricum & Brunonem filios. Henricus patri ſuccedit in Bauaria. Bruno rediit in Saxoniam, & ibi parte ditionis illi permiſſa, tenuit Meluerode & Hogeworde. titulumq; ſumpſit vt marchio Saxoniæ diceretur, quando titulum ducatus Saxoniæ teneret Hermannus & filij eius. Hic Bruno genuit filium Brunonem: qui ex relicta Lupoldi ducis Suæuiæ, quæ erat filia principis de Werle, & peruenit poſtea ad nuptias Conradi Imperatoris: Bruno, inquam, ſecundus ex hac coniuge genuit Ludolphum marchionẽ Saxoniæ. Erat per idem tempus & alius marchio Saxoniæ Egbertus, qui magno ſtudio contendit poſt III. Ottonem ad Imperium, ſed fruſtratur diligentia Bennonis ducis Saxoniæ, & Luderi comitis fratris eius. Inter iurgia dixiſſe ferunt Egbertum Ludero, quid ſibi tam acriter in prouectione reſtitiſſet: illumque reſpondiſſe, ex quatuor rotis ad currum, vix illi fuiſſe vnam. Proceſſit ea res in id diſcordiæ, vt ab illis fratribus Egbertus opprimeretur. Qui quum ſine hærede decederet, trãſiit marchionatus eius ad primũ Brunonem Henrici Imperatoris patruum. Creuit autem poſterorum huius Brunonis potentia,

tentia,quòd Otto III.nullo relicto filio deceſſit.Succeſſere autem & deſumpſere perinde ijdem marchiones vetera Saxoniæ arma,candidũ equi pullum:nam Egbertus præferebat geminos in ſe erectos leones.Hic ergo Henricus Henrici filius, & Henrici primi nepos(qui frater germanus primi Ottonis) primus per electionem eorum principum, quos cum Gregorio V. decreuit deſignauitq́; Otto tertius,peruenit ad Imperium,quod fœliciter geſſit.

CAP. 28.

SED electio illius controuerſia non caruit. Nam quum ab Heriberto Colonienſi archiepiſcopo(ex cuius ore cæteri pendere viderentur) inſignia Imperialia, quæ initio pauca fuere,adaucta per tempus, nonniſi magno labore aſſequeretur, à Willegiſo Moguntino archiepiſcopo eſt conſequutus,vir ſingularis prudentiæ,fortitudinis & religionis.Et quamuis Imperio digniſſimus haberetur, contradictores tamen habuit ex regni proceribus:quibus bello congreſſus, illos ad obedientiam reduxit. Inter primos quos diximus rebellantes erat Egbertus Saxoniæ marchio: ſed ille cecidit ſub duce Saxoniæ Bennone & fratre eius Ludero.Henricus autem XII. annis præerat regno, priuſquam pontificiam benedictionem poſtularet.Bohemia etiam tum tumultuari viſa eſt, & ideo in eam Henricus rex duxit,armis illam redigens in obedientiam.Dux tum præerat genti,& hoc titulo ad electionem orditur admiſſus,ſi tamen initio inter electores fuit.Nam ſunt qui arbitrantur illum regem adiectum denuo electoribus per Karolum IIII. in aurea bulla. Qui ab initio ducem aiũt inter alios nominatum, inter electores nouiſſimum dicũt conſtitutum. Inde verò quum principatus erigeretur in regnum, priorem electuræ dignitatem non amiſit,ſed locum ſuum ſeruauit:alioqui inter ſeculares electores locum haberet primum,quem nunc tribuunt ei nouiſſimum. In Wandalia tamen noſtra oſtendimus,ducem Bohemiæ per vnum ex Ottonibus regem ſublimatum. Quæ res teſtificatur,initio Bohemiæ principem inter electores non fuiſſe: alioqui primus numeraretur. Sed quiſquis illa ætate fuit, vel rex vel dux Bohemiæ, factæ electioni de Henrico tum ſe obiecit,& rebellionem oſtendit. Mira temporum incuria,quòd res præclaras non miſerint in literas. Wandaliam quoq; in principio ſui regni Henricus oppugnauit, eam credo quæ nunc Polonia eſt:nam & illa genti & linguæ annumeratur. Quibus in prouinciis,& vicina Pruſſia,tum ſancti pontifices operam prædicationis impenderunt, Sanctus Adalbertus Pragenſis,quem paulo ante hanc ætatem Pruſi,gens effera, trucidarunt:& nunc Bruno epiſcopus multis ſuppliciis afficitur,ita vt truncatus manibus pedibuſq́;,precioſus domino martyr conſecratur. Per quæ etiam tempora Henricus rex, quum prolem nec haberet, nec habere contenderet (qui cum Cunnigunda regina in ſanctimonia & thori munditia victitaret) Chriſtum ſibi conſtituit hæredem relinquere. Nam Bambergenſium primus erexit & dotauit epiſcopatum, in quo constructa ſolenni eccleſia,nunc ipſe cum coniuge quieſcit.Euerhardum autem virum præcipuum, eo loci ordinari curauit epiſcopum.

Bohemus in electorum numero aſcitus.

Euangelium Polonis nunciatur.

CAP. 29.

ET vt Chriſti religionem propagaret, Giſlam ſororem ſuam Vngarorum principi dedit coniugem,hoc auguratus,hoc præuidens,hoc etiam curans quod euenit, vt optima fœmina Chriſto virum ſuum lucraretur,& vt omne perinde regnum ſequeretur regem ſuum. Itaque baptizato principe (qui in ſacro fonte nomen Stephani induit) adeo in religione profecit gens illa, vt regem illum inter ſanctos eccleſia aſſumptum denumeret,clareſcentibus miraculis,& prodentibus vitæ ſanctitatem. Quo etiam tempore Benno dux inferioris Saxoniæ,filius Hermanni,in ea ditione ſecundus,migrauit è vita:& frater eius Luderus comes, breui ſequutus eſt illum: cuius vxor Emma locupleti in patrimonio conſiſtens,multa bona contulit in eccleſiam Bremenſem. Et extat vſque hodie inſignis illius fœminæ de multis bonis inextinguibilis memoria, inter alia quæ donauit auri & argenti & lapidum precioſorum donaria. Fertur ciuibus permiſiſſe pratum non longè ab vrbe feraciſsimum:cuius vſque hodie illa præcipua eſt indulgentia, vt nullis ibi pecora muſcis, nullis crabronibus aut veſpis vexentur. Id referunt in merita eiuſdem venerabilis Emmæ. Quæ res argumento eſt,ſi mulier ibi patrimonium haberet ad vrbem, fuiſſe principatus & comitatus in ditione Bremenſis diſtrictus, vt non omnis tunc (vt modò) pagus ſeruiret eccleſiæ. Luderum verò maritum eius, Hermanni ducis filium,Bennonis fratrem (quem comitem annales referunt, ſed diſtrictum eius non ſignant) Tranſalbinam tenuiſſe prouinciam conijcio, quæ nunc Stormaria, Holſatia,

Christiana viro adhuc idololatra nubit.

Pietatis pars potiſſima in locupletandis Eccleſiis.

Thietmarſia eſt. Cui etiam ſi tum Stadenſis comitatus (vt poſtea) fuerit coniunctus, non enuncio: ſed ex rebus coniecto, quòd in ampliſſima ditione fratres non tam iniquam fecerint partitionem, quin fratri Ludero comiti plurima ditio prouenerit. Quæ ſi tum erat Tranſalbina, non magnum debet haberi, ſi illi (vt poſtea) comitatus Stadenſis iungeretur. Quod idcirco dixerim, vt aliquam illorum temporum memoriam è tenebris in lucem vendicarem.

CA. 30. BERNHARDVS inferioris Saxoniæ dux, nepos Hermāni, auſus Imperatori Henrico rebellare, turbauit vicinas eccleſias Saxoniæ. Ex illo enim tempore quo ille poſt patrem Bennonem gubernacula ſuſcepit, nunquam pax inter archiepiſcopum Vnwanū (qui tum præerat) & ducem extitit, illo pro rege & eccleſia partes interponēte, duce autem pro ſuarum amplificatione rerum agente. Hæc emulatio dum prius occulta eſſet, ex hoc tempore vires accepit, & creuit in immēſum. Bernhardus dux tam auitæ humilitatis quam paternæ religionis oblitus, primò quidem gentem Winulorum (Wandalorum ea pars fuit) per auaritiam opprimens, ad neceſſitatem reſumendi paganiſmi coegit. Deinde per ſuperbiam beneficiorum immemor, totam ſecum ad rebellandum Cæſari mouit Saxoniam. Nouiſſimè inſurgens in Chriſtum eccleſias oppugnauit, præcipuè Bremenſem, quæ & ditior erat eo tempore cæteris, & Hamburgenſem, quæ remotior videbatur à manu Imperatoris. Huius autem impetū viri Vnwanus taliter ſua magnitudine animi fregit, vt præ pudore ſapientiæ & libertatis epiſcopi, dux, cui antè aduerſatus eſt, deinceps cogeretur beneuolus eſſe ad omnia. Ergo audito Vnwani pōtificis conſilio, rebellis tandem eſt flexus princeps. Scaldinborg ſupplex Henrico Cæſari dedit manus, Vnwano interueniente: Wandalis tributo ſubactis, pacem reddidit Tranſalbinis & eccleſiæ Hamburgenſi. Ad cuius inſtaurationem Vnwanus poſt Wandalicam cladem, ciuitatem & eccleſiam fecit nouam, ſimul ex ſingulis congregationibus ſuis, quæ virorum eſſent, tres eligens fratres: vt ſimul duodecim fierent, qui in Hamburgo canonica degerent conuerſatione, populum ab idololatriæ reuocantes errore. Ordinauit etiam in Wandaliam, mortuo Reginberto, ex fratribus Hamburgenſis eccleſiæ Bennonem, virum prudentem, qui in Aldenburgo multum attulit prędicationis in populo fructum. Per idem tempus Henricus rex Bambergenſem eccleſiam illuſtrauit, duo addens monaſteria. In monte quidem ſancti Michaelis, & ab altero latere eccleſiæ, in honorem diui Stephani iuſsit conſecrari cœnobium: conuertens ad honorem immortalis Dei, quod alius in ſuperbiam filiorum erigendam conuertiſſet. Cunnegundis regina ad hæc mirabili zelo cooperatur, præparās ſibi in terra amicos pauperes, qui ſe recipiant in æterna dei tabernacula. Eccleſiæ & monaſterijs abunde in prædijs eſt prouiſum. Erat Theodericus Metenſium epiſcopus Cunnegundis frater, filij Sifridi comitis Palatini de Rheno, qui largitatem ſororis liuentibus oculis perſpiceret: regemq́; aliquando deſuper conuenit, quòd patrimonium coniugis ita in eccleſiam pateretur abalienari. Sed obſurduit rex ad eas obiurgationes, miratus quòd vir eccleſiaſticus eccleſiæ incrementis inuideret. Tanta autem incenſus eſt epiſcopus ob eam rem indignatione, vt hoſtiles animos oſtenderet in regem, & ad hoſtilia peruenit agenda. Duxit in eum rex, & damna (vt fieri ſolet) damnis compenſans, eò perduxit epiſcopum vt facilè conquieſceret.

Bernhardus rebellionem facit.

frater Cunegundis.

Epiſcopus eccleſiæ detreſcentiam videns.

CAP. 31. QVVM autem teneret Ottonum prędeceſſorum ſuorum opere Lotharingiam rex Henricus, Flandrenſis comes Balduinus IIII. cognomento Pulchra-barba, qui filiam teneret Giſelberti ducis Lotharingiæ, arcem Valentianas præcipuam in eo regno inuaſerat. Henricus autem rex in eum duxit copias, & eam, vt recuperaret, obſedit: & diu caſſo labore deſudans, quum arcem munitiſſimam non caperet, ab ea flexus, arcem Gandaui in Flandria circumſedit: & populata terra, aliquot primores in Flandria cepit, intraq́ue Tornacum recondit. Vnde territus Balduinus, Henrico regi ſatisfecit, & Valentianas reddidit, datisq́ue obſidibus cum ſacramento fidelitatis manus illi dedit. Imperator ſuorum ſuaſione inductus, Valentianas ipſi Balduino in feudum reddidit, vt inde ſeruiret Imperio, & ad omnia bella vocatus, cum certo militum præſidio adeſſet. Poſt etiam illi Walacras ſimili pacto tradidit. Sic pace compoſita, comes rediit in gratiam Imperatoris. Quibus rebus ita comparatis, audit rex in Italia grauius quàm Imperio par eſſet ſe commouere Græcos, adhibitis ſtipendio dato Saracenis. Mouit verò in illos Imperator exercitu validiſſimo, & in Campania iam graſſantes prouincia expulit: ſequutusq́; vſque

Balduinus Flādriæ comes bellum Henrico infert.

ad

Troiā in Campania à Græcis ædificatam Henricus in deditionem accipit.

ad nouum quod firmauere in Italia præſidium, Troiamque dixere. Caſtra Hanibalis eo loco olim fuiſſe compertum eſt: idque nomen remanſit loco vſque ad illa tempora. Eius autem condendæ vrbis in illo loco potiſſima fuit ratio, quòd habitatoribus Græcis, eò velut in coloniam ductis, ad præſidium terræ ferendum, & ad inuadendos fines Romanos, locus videretur opportuniſſimus. Quod quum Henricus rex intellexiſſet, necdum bene firmatæ munitionibus vrbi nouæ caſtra admouit. Qua in expeditione ſunt authores, Benedictum pontificem, quòd rem illam cordi haberet, interfuiſſe. Seſſum tamen eſt ad eam vrbem menſibus quatuor, & machinæ omnis generis admotæ: æſtatis autem aduentu, quòd caumata regio habet intolerabilia exteris, Henricus rex deditionem ab oppidanis oblatam acceptans, cum datis obſidibus Romam reuertitur: ibique de more pontificalem benedictionem accepit, Imperatórque eſt conſalutatus á populo & proceribus.

CAP. 32.

SVNT qui ſcribunt Henricum regem ante acceptam benedictionem, in ea Italica expeditione captum ab hoſtibus: ſed illuſiſſe capientibus, vt ex arce qua teneretur, deſiliens coxam læſerit: vnde per reliquum tempus claudicarit. Certum eſt quòd in Papia expertus grauiſſimum à ciuibus tumultum, quem armis magno ſuo periculo ſedauit, ibi poterat includi palatio aliquandiu obſeſſus, ibi potuit in crure lędi. Nam quòd captus in carcere teneretur & elaberetur, difficile eſt creditu. Comitatus inde Marſerborg vacabat Imperio. Huius magnam partem Imperator attribuit eccleſiæ Marſeburgenſi: ſed quatuor arces in ripa fluminis Fuldę dedit in feudum cuidam Burchardo, quem comitem creauit. Fertur idem Henricus, alioqui rex optimus & Chriſtianiſſimus, aliquando zelotypiæ malo in caſtiſſimam cōiugem laboraſſe, quum illam ex delatoribus quiſpiam militi putaret propenſiorem, quàm Imperatori par eſſet. Id quum compertum eſſet pudiciſſimæ fœminæ, quòd apud regem ea ſuſpicione non careret, iuſſit igniri ferrum, & in conſpectu regis candens deportauit, oſtenditq; viro manus intactas. Vt à te mi, inquit, vir intacta permanſi, ſic ab omni mare: pone ſuſpicionem. Ille ſanctiſſimæ fœminæ ad pedes prouolui incipiens, ab ea non ſinitur, veniam humillimè deprecatus. Interea Phriſones ab Theoderico Flandrenſi, Arnulphi Gandauenſis filio, oppugnantur, ad necem patris (quem oppreſſerant) vindicandam. Imperator illi adiungit Gotfridum quendam, quem nuper creauerat Lotharingiæ & Brabantiæ ducem. Quumq; congreſſi manus conſeruiſſent, vox inſonuit (incertum vnde) fugite, fugite. Non poterant non terreri duces, qui ſe diuinitus admoneri ſunt arbitrati. Ilico in fugam conuerſi, multi à paucis Phriſonibus cæduntur. Dux capitur, & in redemptionem ſuam Imperatorem illis reconciliari inſtitit & perfecit: qua conditione relaxatur. Rodulphus autem rex Burgundiæ, inſolentiis ſuorum Burgundionum fatigatus, deliberauit regnum Henrico Imperatori ſubmittere. Quod quum proceres intelligerent, ſimulata illum ſatisfactione placantes, ab ea intentione tum reuocauerunt. Inde Imperator natalem diem Coloniæ celebrans, Heribertum archiepiſcopum, olim à ſe male habitum, ſatisfactione placauit. Cui reconciliatus archiepiſcopus prædixit ſe propediem moriturum, quod & factum eſt: clarui tq; mortuus miraculis.

Imperatoris uxor pudicitiam miraculo probat.

Phriſonum bellum.

CAP. 33.

Bellum aduerſus Polonum.

ERAT inter alia Henrico Imperatori bellum in regem Poloniæ Boleſlaum, quem ſecundus & (vt alij ſcribunt) tertius Otto corona donauit. Is iugi bello tonabat in proximos Saxones, aliquando excurſionem producens ad confinia Magdeburgi. Imperator aſſumpto rege Vngariæ Stephano ſororio ſuo, mouit in Polonum, & commiſſo prælio altera poſt Bartolomæi die, perpulit regem imperata facere. Inde Verbenam conuerſus, Wandalis congreditur, qui ad mare Germanicum accolunt. Arcem Arnsborg extruens, & duos gentis principes captos, in pœnam perfidiæ, in Wolmerſtede ſublimi fecit appendi. Sed Boleſlao rege Poloniæ in fata concedente, filius eius Miſtiwoi rebellionem renouauit, tributa pernegabat, nec vlla curauit facere imperata. Duxit in illum quoque Henricus Imperator, & armis perdomitum docuit nō temnere maiorum conſtituta. Renouabat ille Imperatori ſacramenta, & iam reconciliatus, orabat auxilium in Ruſſos. Imperator illi Saxones permiſit. Quibus in ſocietatem armorum aſſumptis, longa expeditione gentem aggreditur: & victor legem imponit, vt eſſent Chriſtiani: Eccleſiæ tamen orientali ſe potius quàm Romanæ occidentali conformarunt. Memoranda plurima vidit hæc ætas. Chorizantes in Colbeke villa Halberſtadenſi inſolenter ſacra

Ruſſia orientali Eccleſiæ, nō Romanæ adhæret.

noċte Dominicæ Natiuitatis, in cœmeterio ſancti Magni, iuuenes, & viri cum fœminis, inconcinnis clamoribus ebrij duxere choreas. Rogati à ſacerdote ſacra facturo, ne diuinum officium interrumperent, nihil fecere minus. Ille ad impatientiam verſus, correptusque zelo & indignatione diuinæ iniuriæ & contemptus in religionem, Quando, inquit, mecum diuina religio contemnitur, ſit vobis circuitus ille annalis. Exinde vltio diuina contumaces inſequitur: ſine ceſſatione, ſine vlla quiete, per dies & noctes, abſque cibo girabantur. Miſerum ſpectaculum, dum rotarentur girantes. Stupuere qui viderant. Aliquot ſancti viri interpoſita prece orabant pro illis: nihil minus girabant. Sororem ſuam quidam extracturus de circulo girantum, brachium fertur euulſiſſe; illa perſeuerabat girans. Impreſſere alta terræ veſtigia: quod neceſſe fuit. Anno demum euoluto quieuere. Maior pars ſpiritum efflauit: pauci qui ſuperfuere, recreati, inſigni ſe pœnitentia macerarunt.

Choreas ducentes diuinitus puniuntur.

CAP. 34. QVO tempore Sophia tertij Ottonis ſoror, in Gandersheim abbatiſſa, benedictionem accepit ab Moguntino archiepiſcopo, contemnens Hildeſemenſem ſuum pontificem. Qui non diſſimulans iniuriam, perfecit vt Henrico Imperatore interueniēte, Hildeſemēſem ſuum agnoſceret. Per eadem tempora Bernhardus dux Saxoniæ, quum ad multa ſibi obſecundantem haberet principem Wandalorum Miſtiwoi (qui & in rebellione in Cæſarem, & in expeditione Italica cum Cæſare forti agmine ſequutus eſt ducem, vt copiis illius ad prima ſemper ſigna pugnantibus paratiſſimis vbique vteretur) adeo ſe duci fecit Wandalus commendatum, vt illi cognatam ſuam, & (vt alij aſſerunt) germanam ſuam deſponderet. Vbi verò expectabat iam propinquas nuptias, Tiadericus marchio rem interturbat, indignum aſſerens nobilem puellam cani permittere coniugem. Vbi cognouit Miſtiwoi, Ergo, inquit, canes ſumus? ea præmia laborum retulimus? Si ergo canes ſumus, rabiem exercebimus. Igitur excitata perſequutione, à fide Chriſti pariter & ducis Wandali receſſerunt, magnam ſtragem in Chriſtianum populum peregerunt. LX. tum presbyteri in Aldenburgo ludibrio ſunt habiti: quod in Wandalia plenius diximus. Hamburgum cum incolis exciſum, Benno pontifex vix elabitur. Marchio Brandenburgenſis omni prouincia exturbatur: ad præbendam in Magdeburgo inde victitabat. Dux Bernhardus arma contrahit in gentem rebellem: Imperator mittit ſuppetias. Congreſſi magno prælio decertant: cadit Miſtiwoi, & ad priſtinam rediguntur Wandali tributorum perſolutionem. Chriſti tamen religionem ex illo die in annos LXXX. non ſincerè coluerunt, magis ac magis quotidie defluentes. Nec longum tempus in medio, quum Henricus Imperator & Robertus rex Francorum, ambo religione & multiplici virtute inſignes, & omnium ſeculorum magnis principibus ſi non anteferendi, tamen comparandi, apud Enoſium ſuper Karum fluuium ad colloquium conuenerunt, de ſtatu eccleſiæ, regni & Imperij tractaturi, & condicto ſuper iis quæ inter illos conuenerant confirmandis, etiam papam ambo Papiæ præfinito loco deſuper alloquerentur: idq; placitum impletur. Imperator regem, & ex illius comitatu plurimos, qui tantum ad demirandam vtriuſq; principis curiam aduenerant, tanta liberalitate donat, vt opibus Perſicis aut Arabicis poſſit comparari.

Palenorum in Chriſtianos atrox ſæuitia.

Principum de reformanda Eccleſia ſolicitudo.

CAP. 35. CELEBREM deinde Henricus Imperator in Germania conuentum egit principum & epiſcoporum, in quo multa ſalubriter ſunt conſtituta: indicta principibus ſolenni eleemoſyna, ſacerdotibus miſſę, populo ieiunia, vt Deus illi ſeculo miſericordiam impenderet. Tum ſanctorum Iohannis Baptiſtæ & Laurentij per Chriſtianiſmum ſunt ſuſcepta ieiunia. Aderat huic cœtui cum multis aliis religione præcipuis viris, ſanctus Bernhardus Hildeſemenſis epiſcopus. Hunc ergo Henricum Imperatorem ſcriptores multis efferunt laudibus, quòd optimus Chriſtianiſſimusq; princeps cum Cunnegunda vxore virginitatem ſeruauerit: traduntq; Henricum & coniugem poſt obitum miraculis coruſcaſſe. Ab ipſis principibus eccleſiam ſanctæ Trinitatis, quæ nunc iuxta vrbis Florentiæ mœnia arduo in colle ſpecioſiſſima viſitur, ædificatam fuiſſe prædicant. Vetuſta vrbs Feſulana hoc tempore à Florentinis capta, magnū Florentiæ ſplendoris dedit incrementum. Nam ex eius vrbis populo & ruinis aucta eſt Florētia, & inde primùm cœpit tollere caput. Quod nunc magnis principib. coæquauit, vt ſe nonnunquā Imperatorib. auſit opponere. Quumq; Henricus iam corpore fractus paulatim virib. deſtitueretur, cōſultus à ſuis de ſucceſſore, Conradum virum regij ſanguinis & egregiæ liberalitatis & libertatis:

Coniugum cælibatus.

Florentiæ incrementum.

(quippe

(quippe qui nunquam ſe cuiuſquã ſubiecerat ſeruituti, & qui ſub ipſo Imperatore rem diu præclareque geſſerat, ordines duxerat, & omni virtute cum laude floreret) deſignat. Peragrata ergo Saxonia, quum de Halberſtadio Goſlariam peteret, inde Gronden, cœpit viribus deficere: & animo compoſito, ſacriſque pro Chriſtiano ritu munitus, tranſiuit è ſeculo ad meliora. Mersburgi ſeruant calicem, quem libræ ferunt inieciſſe diuum Laurentium, quum Imperatoris iam mortui trutinarentur bona cum malis. Anſam ferunt tum indignantem humani generis inimicum defregiſſe, quando nihil ſuum reperit in moriente. Cunnegundis deinde poſt aliquot annos tumulata eſt cum marito, virgo cum virgine. Cuius rei ferunt tum auditum in aere teſtimonium, quum vox (incertum vnde) inſtreperet, Cede virgini virgo locum. Res digna miraculo, in maritali thoro aſſeruatam in finem vſque vitæ virginitatem. Sepultus Imperator Bambergæ, in eccleſia quam fundauerat, cum conſorte, quam viuens, moriens, triumphans in regno conſortem meruit.

Opera mortuorum in libra appenduntur.

CONRADVS II. natione Francus, vir regij ſanguinis, ab Henrico prædeceſſore deſignatus, à principibus electoribus Henrico ſubſtituitur. Quem verò patrem habuerit, annales non præferunt. Crediderim Conradi illius filium, qui gener erat Ottonis I. vt ſit ex filia Ottonis I. nepos: vt ſibi ratio conſtet eorum qui de ſanguine Saxonũ hunc quoque cum poſteritate numerant. Frater illi Henricus rebellabat: ſed quum à facie eius conſiſtere diffideret, profugit ad regem Vngariæ. Is venientem Chriſtiana pietate ſuſcepit, & in die Paraſceues carnes illi propoſuit edẽdas. Horrebat ille piaculum. Tum rex in illum conuerſus, Maioris, inquit, piaculi eſt bono fratri repugnare. Ille admonitus rediit in gratiam fratris, & Nurembergam ſponte reliquit imperio. Principio regni Conradus à Brunone Auguſtenſi epiſcopo Henrici Imperatoris fratre ſtimulatur, epiſcopatum Bambergenſem in irritum reuocare, quòd eccleſiaſticis rebus non neceſſarius, & imperio præiudicialis haberetur. Mira res, ab epiſcopis oppugnari quod in fauorem eccleſiarum princeps laicus conſtituiſſet. Fecit hoc ipſum Bruno apud viuentem fratrẽ: ſed nihil profecit. Fecit & Theodericus (quod diximus) Metenſium epiſcopus. Sed quę ſemel Deo conſecrata ſunt, ad prophanos vſus neq; Henricus neque Conradus voluerunt reuocare. Bruno tamen per viſionem fratris in ſomnis territus cœpto deſtitit. Conradus autem iam rex cõiugem duxit Giſlam filiam principis Wandaliæ de Warle. Qua in re penſandum cuius tum nominis & ſplendoris fuerint Wandalici principes, quorũ filias dignarentur Imperatores habere coniuges. Quanquam tertium hoc fuerit Giſlæ coniugium: primò enim nupta eſt Ludolpho Suæuiæ duci; quo ſine liberis moriente, nupſit Brunoni Saxoniæ marchioni, cui peperit filium Ludolphum. Tertio loco peruenit ad nuptias Conradi regis, deinde Imperatoris, qui ex ea genuit filium Henricũ poſt ſe Imperatorem. Conradus autem plurimum affectus priuigno Ludolpho, bona multa fecit, vt obtineret prædia & poſſeſſiones quæ illi obuenerãt ex morientibus Ottonibus iuſta ſucceſſione, quæq; prouenerant ex Henrico nouiſſimo Cæſare ſine prole decedente, qui cum Bauaria bonam tenuit Saxoniæ partem, eam quam Ottones Cæſares ſibi retinuiſſent. Sic enim colligimus, Ottonem I. quum conſtitueret Hermannum Saxoniæ ducem, eiq; permitteret contermina Albis fluminis, ſibi ac poſteris ſeruaſſe Turingiam, Miſnam & quæ vicina ſunt Herciniæ. Marchionibus autem à primo Brunone ad nouiſſimum proueniſſe mediterranea Saxoniæ, quæ nunc ſunt ditionis Brunſwickcẽſis. Sed tum non facilè poterat tueri Ludolphus marchio quæ illi ab Cæſaribus proueniſſent, à fratre Bernhardi ducis Saxoniæ (qui eius eſſet arrogantiæ, vt Imperatori etiam Henrico, quod diximus, rebellaret) niſi illi Imperator Conradus ſuus vitricus aſtitiſſet. Iſte aũt Conradus ad Goſlariam fundauit Iurgenborg, & multa prædia cõtulit in monaſterium quod erat in Hartesborg. Ad initium autem regni eius, Meſtiwoi dux Poloniæ rebellauit, fidem Chriſti & regis pariter abiecit, profectuſq; cum expedito agmine ſuorum, inter Salam & Albim magnas edidit vaſtitates: ſubuertit eccleſias & monaſteria, ſacraſq; virgines polluit, multa hominum millia oppreſſit. Theodericus marchio illi, ne Saxoniã intraret, obſtitit. Sed quum intelligeret Conradum ſe ad expeditionem parare, reſedit. Sub hoc autem Ludolpho marchione creuit oppidum Brunſwicũ. Ibi tum eccleſia S. Magni exædificata, & diui Vdalrici. Idem Ludolphus primus fundauit eccleſiam in arce Dancquerode iuxta Brunſwicũ, quæ nunc eſt incluſa mœnibus: inſtituit canonicos, di-

CAP. 36.

Conradus ſecundus Imperator.

Colantes culicem, camelum deuorant.

Conradus Ludolphum priuignum amplificat.

Polonus apoſtata & rebellis.

tauit prædiis,& ſanctis apoſtolis Petro & Paulo fecit conſecrari: quæ nunc S. Blaſij præfert parrocinium,intra vrbis mœnia,& hodie vocant eccleſiam in Burgo.

CAP. 37. PER quod tempus multi Italiæ magnates & populi,coniuratione inita, ſeſe in libertatem aſſerere,& declaratum Cæſarem,quum veniret, armis repellere conſtituerunt. Id quum intellexiſſet Conradus(neque enim in Italia obſcurum fuit) veniens in Italiam copioſiſſimum duxit exercitum. Conſtitutum erat,vt qui coronandus in vrbem Imperator adueniret,duas in medio itinere coronas acciperet: ex palea primam Modoeciæ, ex ferro autem alteram Mediolani ab archiepiſcopo imponendam. Quod ad tempora vſq; noſtra ſeruatum videmus: niſi quòd primam accipit Aquiſgrani Romanorum ibi rex conſalutatus. De altera Modoecenſes cum Mediolanenſibus diſceptauere: ſed præualuit amplitudo Mediolani. Poſteaquam verò ſe Imperatoris iuri is ducatus ſubtraxit, quid fiet incertum eſt. Igitur Conradus rex Italiam ingreſſus, Modoeciámne adierit non inuenio: Mediolanum verò quum veniſſet,armis eſt repulſus. Quamobrem agro vaſtato Mediolanum obſedit. Quumque Mediolanenſes ipſi obſtinatis animis repellendo,obſtinatiores cerneret in toleranda obſidione,ſuburbia incendit, non prius inde ſe moturum minatus,quàm pariter incenſam vrbem æquaret ſolo. Sed dum in die Pentecoſtes(quod multi tradunt ſcriptores) archiepiſcopus Colonienſis miſſarum ſolennia in vicina eccleſia celebraret,per ſpiritum vidit, Conradoque regi aperuit, beatum Ambroſium Germanis excidium,niſi abcederent,comminari. Itaque Conradus motis Mediolano caſtris, Romam veniens, aurea à Iohanne XIX. corona & Imperij titulis eſt ornatus. Italici proceres, quos aduerſus Conradum diximus coniuraſſe, quum potenti Germanorum in ſe exercitu(vt nouerant) ducturo, propriis reſiſtere viribus diffiderent, Wandalorum,quos in Dalmaria commorantes Sclauos vocant, Vngarorumq; præſidia implorauere. Sed dum illi tardant, Conradus (qui omnia reſciſſet) Roma profectus, pacatam poſt ſe linquens Italiam, in Wandalos primò, pòſt Vngaros duxit: compreſſiſque eorum motibus, exercitum apud Treuiros Metenſéſque reductum, diſtribuit in hyberna. Tum verò Imperator apud Treuiros conſtitutus, glorioſi facinoris occaſionem eſt nactus. Rodulphus Burgundionum rex, qui plurimas ſuorum ſeditiones pertulerat, quod apud Henricum Imperatorem facere voluit, & ſimulatione ſuorum illuſus intermiſit, quum nihil res emendarentur, apud Conradum perfecit: eius fidei regnũ ſubmittens, in illius ditionem & obedientiam conceſſit. Quod regnum ab Imperatore in prouinciam redactum, Burgundia Imperialis ex hoc nomen ſeruauit, licet potior illius pars ad Franciæ ditionem ſit reuerſa. Paruit tamen regi Burgundiæ omnis Sabaudia,& quicquid eſt citra Rhodanum, in quo & Delphinatus & Valentinenſis eſt comitatus: quæ vſq; hodie ſunt iuris Imperialis.

Tres coronæ ab imperatoribus accipiendæ.

Conradus Romæ coronatur.

Burgũdia Imperio ſubiecta.

CAP. 38. PER quæ tempora Kanutus rex Danorum Anglorúmque, deuotione ductus, Romam & ſancta eius loca inuiſit. Scribunt tamen probabilius alij, quòd in expeditione militari cum Conrado tranſierit in Italiam, reuerſúſque in Angliam, filiam ſuam Henrico Conradi Imperatoris filio in matrimonium collocauit. Conradus autem Imperator paulo poſt celebratas filio nuptias Romam iterum venit, & vltionem de Italis rebellibus ſumpſit. Erneſtus autem Suæuorum (quos dicunt Alemannos propter Lemanum lacum, à quo tamen ſatis longè diſtant) dux, & Welpo comes, diu rebelles in Imperatorem animos obtenderunt: ſed nouiſſimè ad cor reuerſi, eidem ſe ſubmiſerunt. Robertus quoq; Franciæ rex, quum videret vndiq; Romani Imperij vires creſcere, Lotharingiam nõ æquis oculis aſpicere potuit à ſuo regno (cui diu paruerat) diuelli: & Gotilo dux, qui Godfrido ſucceſſerat in ea ditione, priuatam diu ſimultatem cum Conrado etiam ante Imperium fouebat: vnde maximum conflari poſſe videbatur incendium. Sed ea fuit Conradi Imperatoris moderatio, vt omnia ea prudenter proſpiciens, in ipſo germine ſurgentia bella compreſſit, pacémque reddidit terris & optatam tranquillitatem. Per ea quoq; tempora Bernhardus dux inferioris Saxoniæ, renouandis oppidis cum archiepiſcopo, poſt cladem Wandalicam, pariter & muniendis inſtiterunt. Epiſcopus Hamburgi apud eccleſiam quatuor firmiſſimis turribus præſidium ab incurſione communiuit, cúmq; duce ſæpe per dimidium annum eam vrbẽ inhabitauit, cum illo multa ſuper ſtatu prouinciæ colloquutus. Ibiq; regi Danorum & Anglorum clariſſimo Kanuto obuiã profecti, de communi gentium ſalute plurima diſſerebant. Quæ res indicio eſt, eam

Cõradus bellũ [illegible] ſua prouincia auertit.

vrbem

vrbem non tum comitibus(vt poſtea)eſſe permiſſam, ſed ab ipſo duce, qui ibi cum epiſcopo ſæpe diuq; ſit verſatus, eſſe gubernatam. Ergo virtute regis Danorum Kanuti & Bernhardi ducis Saxoniæ pax ſolida trans Albim erat: & Libentius ſecundus per ea tempora archiepiſcopus Hamburgenſis, matricem eccleſiam crebrius viſitabat, & in primis honorabat. Cæſar autem dum in Polonos arma conuertit, vicinos quoq; congentiles eorum Wandalos ad iuga compulit: quorum tamen Gneus & Anatrog principes, adhuc impietate gentili ſorduerant. Otto autem tertius filius Meſtiwoi male erat Chriſtianus, & ideo à quodam Saxonum transfuga interfectus eſt. Quæ res multorum occaſio fuit malorum, quum is filium haberet inter Saxones, qui in monaſterio Luneborg literis inſtaret perdiſcendis. Sed audita patris morte, & literas & religionem abiiciens, peſſimam fecit in omni Wandalia Chriſtianiſmi ſubuerſionem. Quā rem quia in Wandalia explicuimus, inde requirat qui noſſe volet.

CAP. 39.

PER eadem quoq; tempora Hermannus de choro Halberſtadenſi ad archiepiſcopatum Hamburgenſem peruenit. Is autem non tam ſuo quàm ſuorum curialium nomine inclaruit: habuit enim optimos & deinde ſummos viros capellanos: Sindagerū, qui poſtea ex Bambergenſi epiſcopatu peruenit in vrbe ad ſummum pontificatum: & Albertum, qui in hac ipſa Hamburgenſi metropolica cum magna gloria ſucceſſit Hermāno. Sed ſub eodem iſto Conrado Imperatore, ante Albertum, peruenit ad archiepiſcopatum Hamburgenſem Alebrandus, qui & Bezelinus, vir inſigni prudentia & religione ſingulari, & qui forenſes res omnino non negligeret. Eius enim opera & Brema & Hamburgum vrbes communitæ ſunt: quod in noſtra Metropoli diximus. Conradus autem Imperator, quum Werbenam oppidum ad Albim fluuium, in ſolo Wandalico, iam Saxoniæ coloniam, Luitici Wandali vaſtaſſent, in eos duxit & repreſſit. Sed necdum venerat tempus vt oſtium ſalutis & fidei introirent. Imperator autem iam omnia habens & in circuitu pacata, Henricum filium, quò legitimæ ſucceſſionis certus haberetur, regem creat: & in pace Chriſti requieſcit, omnibus antè pro dignitate in Imperio conſtitutis: ſepeliturq; in Spira, quam ipſe eccleſiam illuſtrauit. Libet intueri ſtatum Imperij per ea tempora. Conradus filium declarauit regem. Vbi erat interim poteſtas electorū? Num illi in concilium erant aduocandi? Poterant affuiſſe: ſed nō omnia ſcripta ſunt quæ facta. Poterat electorum non tum (vt modò) eximia eſſe poteſtas. Marchio enim Brandenburgenſis illa tempeſtate pulſus à Wandalis omni ditione, apud Magdeburgam de præbenda victitabat. Vigebat apud Imperatores memoria Karolinorum & Ottonum, qui arbitratu ſuo ſibi delegerant ſucceſſores. In Romano autem Imperio à veteri memoria, ſemper fœlicior fuit adoptio filiorum quàm generatio. Quocirca ad electiuam dignitatem res aliquando peruenit, in qua perſiſtit hodie, vt digniſſimus quiſque Imperio & rebus gerendis maximè idoneus aſſumatur.

Henricus III. à patre Imperator deſignatur.

CA. 40.

HENRICVS eius nominis III. Conradi filius, patri ſuccedit in omni ſua ditione. Miror plurimos eius ætatis ſcriptores, Henricum, non Conradi filium, ſed generum contendere fuiſſe: ordiunturque longam fabulam de Lupoldo quodam duce, quem Conradus Imperator proſcripſerit, iſque in nemore abuius ſibi habitationem cum coniuge delegerit profundis ſaltibus. Poſt multa tempora eò venantem Conradum Imperatorē, quum aberraſſet, perueniſſe, & filium tum Lupoldo genitum, quum ibi Conradus pernoctaret(de quo, quòd magnus futurus eſſet, quum a vatibus & futurorum coniectoribus audiſſet) quum Lupoldum non agnoſceret, exponi iuſſiſſe. Perueniſſe tamen iuuenem, mira ſeruatum fortuna, quum adoleuiſſet, in regiam: & miranda perplexitate eò prouectum, vt regis filiam mereretur coniugem, & in omni ditione ſuccederet Imperatori. Sed hanc fabellam conuellit magnorum authoritas virorum, teſtantium Henricū hunc fuiſſe Gonradi filium, non generum, cui pater acceperit coniugem filiam Kanuti regis Danorum & Anglorum. Ergo plurimorum & veriſimiliora dicentium ſentētiam ſequentes, Henricum III. Conradi Franci de ſanguine Saxonum filium accipimus, Imperio poſt patrem potitum. Odo autem Campanenſis comes, dum regnum Burgundię per hæc tempora à Rodulpho rege ſuo auunculo dimiſſum, quòd à rege Francię ipſe inſtanter petitum non acciperet, Romanorum regi rebellat, armis recuperaturus Burgundiam, quam ſibi iuſta ſucceſſione deberi contenderat. Lotharingiam igitur incurſat, caſtella impugnat, vrbem Leucorum, quæ Tullus dicitur, fortiſſime oppugnat,

Campania in Gallia comes Burgundiam occupare conatur.

nec temperat furori. Gotelo dux Lotharingiæ, Romano parens Imperio, aduerſus illum exit in prælium. Odo cæditur in acie cum multis, Franci vix pauci ſuperſunt cædi. Ita domita Campanenſium inſolentia conquieſcit.

CAP. 41.

Henricus cum Bohemus bello gerit.

VRATISLAVS Bohemiæ dux regi parere recuſat, fiſus & fretus auxiliis Petri regis Vngarorum. Duxit in eum rex Henricus, & inexploratò montes & nemora ingrediens, multa ab inſidiantibus ibi hoſtibus pertulit incommoda. Excurrerant pro arbitrio Bohemi & recurrerant: Henrici autem milites, ſaltuum & nemorum inſueti, cædebantur. Ita fuit expeditio prima nedum damnoſa, ſed etiam pernicioſa regi. Reuerſus anno qui ſequebatur proximo, iam cautior, præmiſſis qui itinera ſeruarent, occuparent, hoſtem fudit, & ad obedientiam reduxit. Coegit enim obſides dare, ipſumq́; poſt ſe Ratiſponam venire iuſſit, ibique deditionem facere. Vngari deinde regem ſuum Petrum expulerunt, Ononem quendam ſurrigẽtes. Petrus expulſus ad Henricum regem, quem paulo antè cum Bohemis oppugnauit, ſupplex confugit. Ille confugientem non repulit. Ono minatur Henrico, quòd hoſtem ſuum refugientem exceperit, perinde ſe hoſtem illi futurum. Nec minus egit, concitò ducens in Bauariam. Albero autem marchio quũ exercitum haberet expeditum, hoſtibus occurrens, viriliter illos repulit, & exeuntẽ obuiam Ononem prælio fudit, Petrumq́; reſtituit, adiuuante bona parte regni, quæ Petro regi non aduerſaretur. Tumultuabantur ea tempeſtate apud ſedem apoſtolicam plurimi, quum tres vno tempore de pontificatu ambigerent. Benedictum IX. (incertum qua cauſa) Romani ſua ſede expulerunt, Iohannemque Baſnenſem repoſuere, Syluestrum appellantes III. Is iniuſtè occupanim honorem vix diebus tenuit quinquaginta. Benedictusque reſtitutus, ſedem illam Iohanni Lateranenſi canonico, patruo ſuo, vel vendidit, vel alia ratione permiſit: quem Gregorium dixere VI. Ea Henricus Cæſar, quum illi eſſent nunciata, iniquo (vt par erat) animo tulit, copiasque in Italiam ducendas ad diem iuſſit conuenire, quum Flandrenſium comes Balduinus inimicos in eum animos primùm cœpit oſtendere. Venit tamen Romam Henricus, turbatamque rem eccleſiaſticam componere eſt anniſus. Patribus quoq; non ſolùm Romanis, ſed vicinarum quoq; eccleſiarum & ordinum de ſuis locis ad edictum conuenientibus, ſynodus eſt celebrata: in qua Benedictus IX. Syluester III. Gregorius VI. ſunt damnati: ſolus tamen Gregorius in Germaniam eſt relegatus. Creatus eſt autem ea in ſynodo Sindigerus Bambergenſis epiſcopus, cui Clementi II. nomen imponitur: ab eoque Henricus III. Auguſti Imperiiq́ue titulis præſente ſynodo eſt inſignitus. Tradunt verò multi, hunc Clementẽ Romanos (ne in errores ſuperioribus ſimiles inciderent) iureiurando adactos habuiſſe, vt à pontificum electionibus in poſterum abſtinerent. Interim Henricus Capuam vſq; profectus, poſtquam ſatis prouinciam compoſuerat, Romam & inde in Germaniam eſt reuerſus. Vix dum Germaniam Henricus Imperator attigerat, quum Clemens pontificatus ſui anno ſecundo diem ſuum obiit, prouidentibus magiſtris Romanis, ne Germanus pontifex diu illorum ceruicibus immineret. Veneno, quod indubitatum eſt, periit.

Schiſma ob Romanum pontificatum.

Concilio ſchiſma componitur.

CA. 42.

Wilhelmi comitis filia Imperatori nubit.

PRIVSQVAM tamen Henricus rex iret in Italiam, Conſtantienſi ſynodo affuit: vbi cunctis in ſe delinquentibus debita dimiſit, omnibus inimicitiis ſublatis, inauditam hactenus pacem tam in Suæuia quàm in aliis regni ſui prouinciis per edictum regiæ cenſuræ confirmauit. Deinde Agnetem Wilhelmi Pictauenſis principis filiam, apud Moguntiam vngi faciens in reginam, regalibusque nuptiis apud Ingelheim ſibi copulauit. Godfridus poſt Gotilonem dux erat Lotharingiæ. Is Henrico Imperatori rebellauit. Captus autem ab illo, in caſtello Gebekenſtein vſq; ad condignam ſatisfactionem cuſtodiæ mancipatur. Interim Romanus pontifex Clemens II. renouauit in ſynodo eccleſiæ Hamburgenſis priuilegia, præſente & inſtante Alberto eius archiepiſcopo. Imperatrix ex Italia deſcendens, apud Rauennam genuit filiam. Albertus autem archiepiſcopus Imperatorem Italia deſcendentem vocauit Bremam, occaſione data, quaſi Liſmonam inuiſurus veniret, vel regem Danorum ad colloquium inuitaret: ſed reuera vt ducũ Saxoniæ ſuſpectam ſibi fidem exploraret. Imperator autem Brema regali (vt oportuit) apparatu exceptus, curtem quæ Balga dicitur, fratrib. obtulit: Eccleſiæ verò comitatum Phriſiæ conceſſit. Inde Liſmonam veniens, per inſidias a Thietmaro comite, Bernhardi ducis fratre, circumuẽtus eſt, ſed archiepiſcopi ſtudio defenſus. Quare idem comes à

Cæſare

Cæſare in ius vocatus, quū ſe duello expurgare mallet, à ſatellite ſuo eſt interfectus. Cuius mortem germanus eius dux filiiq́ue eius referentes in archiepiſcopū, ex illo tempore ipſum & eccleſiam eccleſiæq́ue familiam lætali ſunt odio inſequuti. Quumq́; pax facta vtraſque interdum partes conciliaſſe videretur, nihilominus tamen qui ducem ſequebantur, veteris memores odij, quod patres eorum in eccleſiam exercebant, ipſam inquietare & impugnare non ceſſabant. Sed hæc in Metropoli digeſta ſunt plenius. Interim apoſtolica ſede vacante, Romani, priuſquam de noui pontificis creatione quicquam intentaretur, Henricum Imperatorem in Saxonia agentem adierunt, pontificem malo exemplo ab ipſo petituri. Quumq́; rex illis ſatisfacere cupiens, nullū Theutonicæ gentis prælatum ad ſuæ voluntatis aſſenſum poſſet adducere, ad Gallicos ſe vertit: peruicitque precibus Brunonem epiſcopū Tullenſem, virum ſimplicem, vt per ipſius inueſtituram ad Romanum papatum promoueri pateretur. Cui per Veſontium in pontificali habitu Romam petenti, abbas Cluniacenſis, & Hildebrādus monachus, Soana Hetruſca vrbe ortus, fortè obuiauerunt. Vſque adeo autem dictorum religioſorū ſuaſio valuit, vt epiſcopus periculū apoſtaſiæ (in quod inciderat) euitare cupiens, papalia depoſuerit ornamenta: deduxeruntque illum Romam abbas & monachus peregrini habitu incedentem. Qui ad cardinalium, cleri & populi conſpectum perductus, multa in eam ſententiam loquutus eſt, vt tam Henricum, qui iuſſerat, quam ſe, qui minus cautè præbuerat aſſenſum, à commiſſo errore purgaret, quum maximè hortatus ſit, & excitauerit illos, ne ſedem Petri diutius vacare ſinerent. A quibus adnitente Hildebrando, poſtero die ſexti menſis ab inchoata vacatione iam vltima, in Leonem IX. Romanum pontificem canonicè eſt aſſumptus. Is accepto ab Hildebrando beneficio gratus, Romanæ eccleſiæ ſubdiaconum & œconomum conſtituit, eiuſdemq́; vſus conſilio ſimoniacos & adulteros clericos duabus in ſynodis Romæ habitis acerrimè eſt perſequutus, ſeque præbuit frugi pontificem.

Romanus pontifex vitio creatus.

CAP. 43.

DESCENDERAT deinde ſummus pont. Leo IX. ab Vrbe in Germaniam. Non ſatis apud authores manifeſta cauſa, niſi quòd præſumptio habet, pontificem de voluntate Imperatoris conſtitutum non bene habitum inter Romanos. Erat autem annus quinquageſimus primus poſt mille. Ea autem ſynodus apud Moguntiā eſt habita, præſidente apoſtolico Leone, Henrico pariter Imperatore cum epiſcopis aſſiſtente, Bardone Moguntino, Euerhardo Treuerenſi, Hermanno Colonienſi, Alberto Bremenſi, Engelhardo Magdeburgenſi archiepiſcopis, cæteriſque prouinciarum præſidibus & prælatis. In qua ſynodo Spirenſis epiſcopus Sibico, cui adulterij crimen imponebatur, examinatione ſacrificij purgatus eſt. Multa præterea ibidem ſancita ſunt ad vtilitatem eccleſiæ, in quibus ſimoniaca hæreſis & ſacerdotalia coniugia ſynodi manu perpetuò ſunt damnata. Albertus Hamburgenſis archiepiſcopus eo tempore, quo tam clara in eccleſia lumina fulſerunt, ſapientiæ & virtutum merito inter omnes emicuit. Tantus apud papam, talis apud Cæſarem habebatur, vt in rebus publicis abſque eius conſilio nihil ageretur. Quapropter nec in præcinctu belli Imperator ſibi illum deeſſe voluit, cuius inexpugnabile conſilium ſæpe fuiſſet expertus, efficax ad expugnandos inimicos. Eodem tempore Imperator Henricus ingentibus regni floreſcens opibus, Goſlariam in Saxonia vrbem mirificè ornauit, quam de paruo (vt dicitur) molendino, vel tugurio venatorio, duo priores Henrici & iſte nunc tertius in tam magnam (ſicut hodie cerni poteſt) vrbem bono prouexerunt auſpicio. In qua regale palatium hic Imperator magnificè extruxit. Duas omnipotenti Deo congregationes inſtituit, vnam ex his donans regendam pontifici Alberto, eo quòd illi indiuiduus comes & cooperator eſſet ad omnia. Tunc etiam data eſt illi ſpes accipiendi comitatus & abbatias, quæ magno deinde periculo mercata eſt Bremenſis eccleſia, vtpote cœnobia Laureſſæ & Corbeiæ. Deinde Imperator Pannoniam petit, habuitque in comitatu ſuo Leonem pontificem Romanum, qui lætius duxit Imperatorem in Germania videre, quàm in ſua ſede inter aſpides & baſiliſcos viuere. Tum autem veniens papa Ratiſponam reliquias beati Dionyſij martyris (de quibus diu dubitatum eſt an ibi haberentur) præſentibus Pariſiorum legatis perſpexit, ibiq́; teneri probauit. Sanctū quoq́; Wulfgangū, eiuſdem vrbis quondam epiſcopū, de tumulo leuauit. Indeq́; Bambergam cum Imperatore tranſiens, priuilegia eiuſdem loci à cancellario ſuo Friderico (qui illi in pontificatu ſucceſſit) perſpici, &

Synodus Moguntiæ habita.

Papa ſponte ſua abeſt Roma.

Papa veras reliquias diſcernit.

coram Imperatore populoq; pronunciari mandauit, ſuaq; interpoſita autoritate confirmauit.

CAP. 44. PER quæ tempora Bruno & Egbertus marchiones Saxoniæ, Ludolphi filij, à patruo ſuo Henrico Imperatore tertio (erat enim Ludolphus eorum pater, & iſte Henricus fratres vterini) ibant in orientalem Franciam inuitati, obuij fuere illis eorum hoſtes Landgrauij Turingiæ, Wilhelmus & Otto. Commiſſo prælio cadit Bruno. Egbertus hoſtium victor ambos capit, reducitq; in Bruſwicum, in arcem Dancquerode, & inſigni pecunia emunctos, quum iuraſſent Imperatori, dimiſit. Hic genuit reliquitq; Egbertum filium, & Gertrudim filiam, quæ nupſit Henrico comiti de Northem, perduxitq; reliquias ſancti Autoris in Brunſwicum. Egbertus filius eccleſiam ſancti Cyriaci in monte à patre inchoatam ipſe perfecit. Multis tamen bellis anguſtatus eſt ab Henrico IIII. Imperatore fratruele ſuo. Sed hic erat exitus, vt vir fortis, qui per arma difficulter vinci potuit, per inſidias opprimeretur. Nam ferunt Henricum in illum conduxiſſe ſicarios, qui ſe in illius inſinuarent familiam: acceptoque tempore, quum in molendino Eiſenbuttel quieſceret, ab illis obtruncatur. Henricus Imperator eius occupauit ditionem, tanquam & ipſe ex ſanguine Saxonum iuſtè hæreditaret, quæ nouiſsimi eſſent principis: accedente feudi, vt prætēderat, reditu ad Imperium. Arcem præcipuè quæ iuxta Brunſwicū oppidum eſſet, Dancquerode, in ſuam accepit poteſtatem, propulſa ſorore Gertrude virgine: tradiditq; cuſtodiendam Bauaris. Sed illi dum abutuntur in ciues permiſſa poteſtate, odioſi fiunt. Erat qui balnea in vico publica inſtrueret, homo iniuriæ impatiens: qui ab illis prouocatus, noctu ignem iniecit arci, quo perierūt cuſtodes. Ciues accurrerant, reſtincto ut poterant incendio, arcem ſuæ fecere poteſtatis, & reuocatæ Gertrudi reſtituerunt. Illa tam inſigni dote promeruit virum Henricū (vt diximus) comitem de Northem. Erat tum vir nobilis in Wulfenbuttel Widekindus, cuius ope & fœdere freti ciues, magna intentarunt pro Gertrude. Et hæc quidem longè poſt hæc quæ nunc tenemus tempora, nunc verò per anticipationem cōmemorata, propter ſeriem marchionum Saxoniæ, in quam incidimus.

[E]gbertus inſi[d]iis circum[u]entus inter[f]icitur.

CAP. 45. QVVM Romanus pontifex Leo apud Imperatorem Henricum III. manens, natale Domini peragerer Wormaciæ miſſarum celebratione in ſancta die peracta (vt oportuit) apoſtolico ritu: in ſequenti Luitpoldum Moguntinæ ſedis archiepiſcopum, vtpote in ſua prouincia potiſsimum, ſurrogauit officio. Quumque peracta proceſsione & dicta oratione pontifex in ſua ſede de more conſiſteret, ſubdiaconus lectionem ſacram peregit. Quam quum non ex ritu apoſtolico, ſed ſuæ pro conſuetudine eccleſiæ pronunciaret, admonitus à ſuis Romanus pontifex, lectorem curauit admoneri, vt Romano ritu præſente ſummo pontifice pronunciaret. Quod quum ille contemneret, & iterum admonitus perſtaret, papa expleta lectione vocatum ab omni officio degradauit. Archiepiſcopus miſſo ad papam nuncio, orabat, vt ſuum ſibi redderet miniſtrum: Papa recuſabat. Archiepiſcopus vt erat eccleſiaſticæ diſciplinæ non ignarus, diſſimulauit: & lecto euangelio, quum ſacra peractio inſtaret, archiepiſcopus in ſua ſede conſedit, conteſtatus, non ſe poſſe peragere officium niſi reddito miniſtro. Papa conſtantiam archiepiſcopi perpendens, & maioribus occurrens motibus, clericum reſtitutū remiſit. Laudanda in vtroque virtus: impleuit enim vterque ſuam dignitatem. Seueritatem diſtrictionis oſtendit papa in contumace, & lenitatem in epiſcopi condeſcēſione. Ille quoque de ſuæ eccleſiæ honore perſeueranter egit, & quod voluit conſtanter impetrauit. Fames deinde multas afflixit prouincias: multi principes perierunt. Gotfridus Lotharingiæ, quum ducatum Moſellanorum obtinere ab Imperatore nō poſſet, rebellionem ei oſtendit: ſed miſſis in eum ducibus capitur, & vt liberetur, filium dat obſidem imperata ſe facturum. Filio autem in obſidatu mortuo iterum rebellat, impellens Balduinum Flandrenſem comitem ad belli ſocietatem. Palatium Imperatoris, quod erat Nouimagij, incendit Gotfridus. Albertus autem, qui ducatum Moſellanorum Gotfrido negatū accepit, à Gotfrido opprimitur. Ducatum eius Gerhardus de Elſatia, alterum Fridericus quidam obtinet: nunc mutatis titulis, de Limburgo deque Lutzenburgo appellantur. Adhuc Leo papa apud Imperatorem agebat. Is in Gallias deſcendens, vocato ad ſe Gotfrido, ceruices Imperatori inflexit, peregitque reconciliationem. Sed Balduinus Flandrenſis in duritia permanſit. Imperator in illum miſit exercitum. Quo viſo flexus Impera-

[P]apa & ar[c]hiepiſcopi gra[tia]e ob ritum [c]ertamen.

[L]otharingus [a]ſſumpto Bal[d]uino rebel[la]t.

Imperatorem adiit Aquiſgranum, & de iniuriis ſatisfecit. Sed tamen in ſententia permanſit paucis diebus. Nam nō diu pòſt Lothariam incurſionibus vexabat, Hoium oppidum incendit. Extitit interim cauſa, qua Gotfridus de integro ſe Imperatori opponeret. Duxerat ille coniugem relictam Bonifacij marchionis in Italia: ſed illi Henricus Imperator ingreſſum in Italiam pernegauit. Imperator autem cōtra Balduinum Flandrenſium comitem duxit. Scaldim fluuium Balduinum fugientem inſequēs tranſiuit, vaſtabundus incedit, multam prædam, plurimos captiuos, & inter alios Lambertū comitem, Balduini comitis ſatellitem, multos etiam Flandrenſium primores intra vrbem Tornacum includit & capit. Idem poſtea Balduinus cū Gotfrido Fridericum auunculū ſuum obſidet in Antwerpia: ſed cōcurrentibus Lotharingis, ab oppugnatione deſiſtit. Interea Romæ mortuo Leone, Victor, antea Fridericus, homo Bauarus, ſurrogatur: qui Henricum Imperatorem, ne aliqua à ſe peteret iniqua, demulcere cupiens, Hildebrandum ſubdiaconum illi mittit oratorem. Opportuneq; accidit vt Imperator graui laborans morbo (quo etiam periit) Henricum filium puerum octennem, Hildebrandi cardinalis authoritate fretus, Romanorum regem ac Cęſarem dixit. Quod quidem Hildebrandus, poſtea pontifex factus, in epiſtola ad Rodulphum Suæuiæ ducem indicat in hæc verba, Vnde nobilitatem tuam ſcire volumus, quia non ſolùm circa regem Henricum, cui debitores ſumus, eo quòd ipſum in regē elegimus, & pater eius laudandæ memoriæ Henricus Imperator, inter omnes Italicos in curia ſua ſpeciali me honore tractauit, quódque etiam moriens, Romanæ eccleſiæ per venerandæ memoriæ papā Victorem prædictum, filium ſuum commendauit, aliquam maleuolentiā non ſeruamus. Sed Henricus III. tunc moritur, & in pace Spiræ ſepelitur, quum annis præfuiſſet ſeptem atque decem. Hic ſit modus huius voluminis, ne excurrat in immenſum. *Henricus Imperator moritur.*

LIBRI QVARTI FINIS.

ALBERTI KRANTZII
SAXONIÆ LIB. V.

HENRICVS IIII. admodū puer patri ſuccedit in regno: qui, quòd ſanguine Saxonum ex patre prodierit, inde ſciri poteſt, quòd pater in Saxonia vrbem Goſlariam tantopere decorauerit: in qua etiam frequenter commanebat, inſtructo palatio & venerabiliter ornato. Sed mater Agnes prudentiſſima fœmina regni gubernacula aliquandiu tenuit: erat autem filia ducis Aquitaniæ Wilhelmi, qui ordinē poſt ſe reliquit Wilhelmitarū. Nihil erat quo viri prudentia deſyderaretur: omnia vbiq; pacata, nihil perturbationis. Erant tamē ex primoribus regni principibus, quibus muliebre imperiū non ſatis ex dignitate videretur Romanæ reipublicæ: in quibus Anno archiepiſcopus Colonienſis, vir grauitate, prudentia & virtute ſingulari, qui per ingenium curauit puerum regem matri auferendum, quò regni gubernacula pariter adimerentur. Imperatrix autem pueri mater in Italiam ſe conferens, religioſam vitam duxit apud monaſterium, quod dicitur Fruteria. Inde ſe Romam transferens, in ſancta conuerſatione vitam ibi finiuit, ſepultaque eſt in eccleſia ſanctæ Petronellæ. Saxones interim, congregato exercitu inuadunt gentem Luticiorum. Luſatios nunc eſſe crediderim. Wandali enim fuere in ea prouincia, quæ nunc eſt Brandeburgenſis marchia. Non poterant conſiſtere Wandali in acie contra Saxones. Fugati, cæſi, capti ex his plurimi, obſides dederunt imperata ſe facturos. Deinde, quia puer rex in manibus erat principū, contempta matre, principes in ſolenni conuentu, duos per Imperium creauerunt ordinarios conſules, Colonienſem & Bremenſem archiepiſcopos. Qua occaſione implicitus Albertus Hamburgenſis & Bremenſis archiepiſcopus regni negotiis, eccleſiam ſuam videbatur habere in poſtremis. Ducum autem temeritas per eius abſentiā increuit: iura eius imminuta ſunt. Sed quæ ad eccleſiam pertinent, in Metropoli ſuum habent locum: hìc verò Saxoniæ geſtas res proſequimur. *Imperator puer à materna adminiſtratione abducitur.*

Cap. 2. Bernhardus inferioris dux Saxoniæ (nam ſuperiorẽ tenuere marchiones, & qui Turingiam habuere, Miſnamq́; ac partes Herciniæ, per Imperatorum vel cõceſſionem, vel deceſſionẽ) iam in vltimis vitæ annis ſenex agebat: nam per annos quadraginta variè rem adminiſtrauit. Filij tamen eius reuerentia modeſtiam præ ſe ferebant: vbi verò ſenex conceſſit in fata, iam fræna laxauerunt. Ordulphus ducatum, comitatum frater eius Hermannus adminiſtrauere. Sed quæro quem comitatum? Annales non expreſſere. Poſſumus autem illum antiquiſſimum Phriſiæ de Aldenborg, vel illum Stadenſem, de quo plurima fuit poſteris controuerſia, vel illum Tranſalbinum Holſatiæ accipere. Sed plurima in eam partem dicta inclinant, vt ſit comitatus Phriſiæ, quem nunc Aldenborgenſem vocamus. Hi principes pro adoleſcentia tumeſcentes, diu in eccleſiam & miniſteriales eius, conceptum odium diſſimulare non poterant. Aberat paſtor, liberum videbatur ſæuire in ouiculas, ſublata videbantur omnia quæ pudorem poſſent ingerere. Sed initio regni huius Henrici, quum adhuc Agnes mater Imperatrix gubernacula teneret, ducatus Suæuiæ variè iactabatur. Obierat Otto de Swinfurde Suæuorum dux, & Rodulphus de Rynfelde, qui poſtea ad Imperium aſpirauit, ducatum accepit: quod erat multorum in regno malorum ſeminarium. Eundem namque ducatum Suæuiæ Henricus Imperator III. viuente adhuc (quem diximus) Ottone, Bertoldo comiti, qui poſtea ducatum Carinthiæ eſt conſequutus, tradito ei anulo ſuo conceſſit. Hunc anulum Henrico moriente, Agneti Imperatrici pro documento veritatis exhibuit: & illa recognito, non habuit quod opponeret, ſatis propenſa ad ducatũ illi permittendum. Sed præuenerat Rodulphus memoratus, qui filiam Bertoldi apud Conſtantienſem epiſcopum nutritam, raptam (an volentem, incertum) coniugem accepit. Cuius rei contemplatione, quum iam Rodulphus in gratiam reginæ rediſſet, ducatum illi Suæuiæ permiſit. Quæ res Bertoldi animum vehementer exaſperauit: ſed vt eum leniret Imperatrix, illi permiſit ducatum Carinthiæ: quem etiam filius æquiuoeus, Henrici IIII. conceſſione tenuit, quum pater pro filio interueniret. Mutato non diu pòſt conſilio, Henricus rex Carinthiæ ducatum Ludolpho cuidam conſanguineo dedit. Tum verò Bertoldus iuſta indignatione commotus, tam in regem, quòd donatum abſtuliſſet, quam in Ludolphum, quòd ſibi debitum ducatum poſtulaſſet occupaſſetque, cogitauit vltionem. Interea (quod fieri ſolet ſub nouo rege, præſertim adoleſcente) multæ ficbant in regno tumultuationes. Otto Bauarorum dux detruditur ducatu: Conradus genere Suæuus, inter nobiles de primoribus, à militibus regis occiditur: & hæc omnia in regem, quaſi ille mandaſſet, referuntur.

Rodulphus Sueuiæ dux.

Cap. 3. Otto ducatu Bauariæ deſtitutus, ad Saxones ſe conferens ſuos conſanguineos, rebellionem molitur: Bertoldus in Suæuia res turbat. Fiunt motus & conuentus vtròbique, & in regem odia excitãtur. Quæ res tam diu ſerpſit, vt Rodulphus quoque de regis deiectione ſuaque ſurrogatione cogitaret & ſatageret: quam rem poſtea explicabimus. Henricus autem rex adoleſcentiæ vtens libertate, Saxoniam ſolam ex omni regno cœpit incolere, principes deſpicere, nobiles opprimere, infimos ſuſtollere, venatui, luſibus, & leuitatibus plusquam iuſtitiæ faciendæ. Accuſatus eſt à multis operam impendere, filias illuſtrium quibuſdam obſcurè natis coniugio deuincire, priuata præſidia primoribus regni non ſatis fidens inſtituere: quam ego tot comitum in Hercinia originem eſſe coniecto. His diſcordiæ ſeminariis contigit regi plures de regno & de vita inſidiatores excreſcere: qui tamen quum maturitatis plenæ necdum attigiſſet annos, erãt qui non tam ipſum quam Albertum Hamburgenſem archiepiſcopum culpandum putarent, quòd ex eius ſententia plurimum pendere videretur. Per quæ tempora Detherus marchio, non ſuo, ſed principum Saxoniæ (vt putabatur) conſilio, tyrannidem in partes regis orditur: quæ tamen mox terreſtri ſimul & cœleſti maieſtate compeſcitur, caſtellis ſuis Bichilmgo & Schidingen à rege deſtructis, filio eius, æquè militari viro, à proprio ſeruo interempto, ipſo quoque communi ſorte breui per mortem abſumpto. Otto erat Bauarorum dux, vir & conſilio & manu valens, genere Saxo, qui quando & quibus meritis ad ducatum Bauariæ peruenerit, miro ſilentio tranſeunt annales. Sed eſt coniectura, quòd moriente Henrico II. Imperatore ſine prole, illius fauore peruenerit ad ducatum. Sed magis arbitror, idque coniecturæ propius defendo, fuiſſe natum ex Henrico Magni Ottonis fratre, duce Bauariæ, vnde per alium filium deſcenderat Henricus

[H]enricus re-[g]ni negotia [pa]rù pruden-[te]r admini-[st]rat.

ricus quoque Imperator ſine prole decedens: & in hoc Ottone propagatam accipio lineam Ottonum ad Henricum Leonem, interueniente fœmina. Nam Leonis mater, filia Lotharij Imperatoris, matrem habuit Rixam ex matre Gertrude, filia Egberti marchionis Saxoniæ natam, & patre Henrico Craſſo, qui patrem habuit Ottonem memoratum. Nunc verò accuſatus apud Henricum IIII. quum recuſaret purgationẽ ex duello, propter imparitatem prouocãtis (qui genere & nobilitate nimium illi eſſet impar) creditum eſt Albertum archiepiſcopum Hamburgẽſem plurimum ad eius deſtitutionem cooperatũ, vt frater eiuſdem Alberti Welpus, comes in Bauaria, recuperaret ducatum. Erant autem filij Cuntzonis, quem Latini Conradũ appellamus. Pulſus autẽ Otto Bauaria, conceſſit in Saxoniã, & ditionem tenuit ad Weſeram, olim Viſurgum, cũ comitatu de Northẽ: & ex illo multa nobilitas proceſſit: quod ſuo tempore oſtẽdemus. Hic eſt ille Otto qui omnem Saxoniã ſecum traxit ad rebellionẽ aduerſus IIII. Henricum.

OPERÆ PRECIUM eſt intueri, qui tum fuerint principes Saxoniæ. Certè inferiorem Saxoniam ad Albim adminiſtrauit Ordulphus Bernhardi filius, qui iam filium habuit in armis pugnantem Magnum: deinde Egbertus Egberti filius marchio, Saxoniæ meditullia tenebat prouinciæ iuxta Brunſwicum. Otto de Bauaria ad Viſurgũ dominabatur. Aderant quoque inter primos principes archiepiſcopus Magdeburgenſis, & Halberſtadenſis epiſcopus, non minus tum etiam in armis quàm principes ſeculares verſari. Sed tum Otto de Bauaria cunctis erat clarior: cuius tanta fuit apud omnes autoritas, vt ſi quid regi humanitus contigiſſet, aut ſi principum in illum coniuratio procederet, ad regni faſtigiũ peruenturus videretur. Id metuens rex libenter audiuit quendam Egmonem mediocri nobilitate virum, fortuna tenuem, qui Ottonem ducem apud regem inſimulaſſet, quòd de nece ſecum regis tractauiſſet. Otto pernegans, hominem de mendacio & regis aſſentatione coarguebat. Ille verò monomachiam duci obtulit, ſeipſum regi vadem conſtituens, vt eo duello purgaretur crimẽ victoris. Otto imparem (vt diximus) hominem non reſpicit: quòd dux cum latrone, primarius cum ſicario congrederetur, duxit iniquum. Et vbi detrectauit pugnam, iam quaſi cõuictus de læſa maieſtate ducatu deſtituitur: quem rex Welpo illuſtri viro, Alberti archiepiſcopi (quod diximus) germano donauit. Inde incẽdia, neces, deprædationes, & infinita mala prouenerunt. Rex Ottonem vſquequaq; perſequutus, quamplures eius munitiones deſtruit, prædia vaſtat, & vt verum reipublicæ hoſtem omnino delere cõſtituit. Ille militibus electis inſtructus, ipſe quoq; manu fortiſſimus, & animo nimis efferatus (vtpote qui de omnibus fortunis & exiſtimatione dimicaret) quia iuſta acie decernere aduerſus regem non poterat, nunc præda, nunc flammis, nunc etiam ferro, quacunque ſe ſors obtulit, ſuas iniurias vlciſci ſatagebat. Ipſo denique mediante, non ceſſat gens Saxonũ (vt eſt acris animo) coniurationem aduerſus regem vnanimi conſpiratione inire atque firmare, accuſationes blaſphemiaſque inauditas ad ſedem apoſtolicam de illo inferre, ſocioſque belli ſibi ex omni regno Theutonico nunciis & literis aſciſcere. Nam primò Sigefridum Moguntinæ ſedis metropolitanum, Adalbertum Wormacienſem, Adalberonem Herbipolenſem epiſcopos, Gebehardum Saltzburgenſem archiepiſcopum, alioſque quamplures præſules, & per ipſos papam etiam Alexandrum ſibi fautores efficiunt. Quidam quoque Annonem ſummæ ſanctitatis virũ Colonienſem archiepiſcopum coniurationis conſcium faciunt. Quorum conſpiratione rex territus Saxonia ceſſit, & in aliis regni partibus rebus inſtitit agendis.

CAP. 4.

Epiſcopi armorum non minus quàm togæ periti.

Saxones Ottone autore aduerſus Imperatorem conſpirant.

ANNUS erat poſt mille LXXIII. quum Anno Colonienſis & Hermannus Bambergenſis pontifices Romam miſſi ſunt, pecuniæ inde regi debitæ colligendæ gratia: qui legatione peracta, literas Alexandri papæ detulerunt, regemq; vocarunt ad ſatisfaciendum de ſimoniaca hæreſi, cæteriſque nonnullis magna emendatione purgandis, ſuper quibus Romæ rex erat delatus. Saxones tũ inſtant præſidia multa firmare: arces vocãt: necdum enim plurimas habebat Saxonia munitiones. Inſuper caſtella quæ rex dudum erexerat, funditus illi conantur euertere: & in pleriſque proficiunt. Inter quæ præcipuũ illud quòd Hartesburg dicitur, præſidium deiiciunt: monaſterium & clauſtrũ canonicorum, quod ibi erat, multa furentes audacia funditus euertunt: & (quod dictu nefas eſt) innocentis paruuli filij regis ibi tumulata oſſa eruta ſpargunt. Interim Hildebrandus (quem diximus) ad papatum peruenit, Gregorius VII. appellatus, nullo regis cõſen-

CAP. 5.

Hildebrandus papa regem ad cauſam dicendam vocat.

ſu accedente: quod pro illa ætate nefas ſunt arbitrati. Hic regem ad ſynodalia reſponſa deuocauit, nunciis & literis viciſſim miſſis. Sed rex armis implicitus, illis ſynodalibus contentionibus vacare non poterat. Nam magna manu vndecunque contracta ex Sueuia, Bauaria, Bohemia ducit in Saxones. Ad fluuium Miſtrow exercitus concurrunt: & primò quidem quum ſtarent in conſpectu acies, per communes amicos res intercepta eſt ante prælium. Quumque Saxones quieti conſiſterent, fiſi tractatibus, erant inter regios qui prælij erant cupidiores quàm pacis, renunciantque falſò regi Saxones ad prælium parari. Rex vera putans quæ dicerentur, iuſſit ad arma conclamari, & tranſito vado in loco Nagelſtede, imparatus ſuperueniens Saxonibus, multos ſtrauit. Diremptumque eſt iterum prælium interuentu Rodulphi Sueui, qui principibus Saxonum perſuaſit vt regi cederent, omnia ex ſententia eorum ventura, quodque nihil mali paterentur. Epiſcopi Magdeburgenſis & Halberſtadenſis, dux Otto Bauariæ, & Magnus Saxoniæ, audiunt Sueuum: & vbi ſe regi præſentant, in vincula coniiciuntur. Doluit Rodulphus violari fidem. Vtcunque tamen factum eſt, nolente volente rege laxantur Saxones, nec iterum ſe fidei regis permittunt. Romæ interim Hermannus Bambergenſis epiſcopus de ſimonia conuictus deponitur. Rex audiens, Ropertum ſurrogauit. Ea res in eam cōtentionem peruenit, vt Imperator Wormaciæ congregato concilio, præſens annitere-tur, vt ab vniuerſis Germaniæ epiſcopis (præter Saxones) Hildebrandus quoque papa abſens deſtitueretur. Oues paſtorem iudicant, cōtemnunt, abiiciunt. Mittunt epiſtolam, quam ſic concludunt, Quia ergo introitus tuus tantis iniuriis eſt initiatus, & eccleſia Dei tam graui tempeſtate per abuſionem nouitatum tuarum periclitatur, & vitam conuerſationemque tuam tam multiplici infamia dehoneſtari, ſcandalumque grauiſſimum imminere conſpicimus, obedientiam, quam tibi nullam promiſimus, nec de cætero vllam ſeruaturos renunciamus. Et quia tibi nemo noſtrum, vt tu publicè proclamabas, hactenus fuit epiſcopus: tu quoque nemini noſtrum amplius eris apoſtolicus. Faciebat animos permiſſo olim Henrico huius patri poteſtas creandorum pontificum.

Papam Hildebrandum Germaniæ epiſcopi dignitate abdicant.

Cap. 6.

Papa regem & rex papam deſtituit.

EODEM anno circa decimum octauum calendas Octobris colloquium maximum apud Oppenheim factum eſt, vbi pene totius regni principes, ſed maximè Saxonum & Alemannorum regis ſubiectioni renunciabant: cauſam prætendentes, quòd à duobus iam apoſtolicis vocatus ad ſatisfactionem non veniſſet, & pro hoc contemptu ſententiam excommunicationis à papa in vrbe retuliſſet. Henricus curauit ex ſynodo Wormaciæ mitti nuncium ad pontificem. Is erat Rolandus clericus Parmenſis. Qui in conſpectum Gregorij & cardinalium perductus, Henrici regis verbis, Gregorio, ne pontificalia exerceret, aut ſe pontificem nominaret, inhibere dixit: iuſſitque cardinalibus, vt alium à rege pontificem habituri in Alemaniam ſe conferant. Et tamen eo nuncio cum ignominia expulſo, multorum Germaniæ epiſcoporum literæ pontifici Gregorio ſuam operam & fidei conſtantiam pollicentium ſunt allatæ. Qua impulſus cauſa pontifex Gregorius, ea in ſynodo Sigefridum Moguntinum archiepiſcopum, & eius impietati aſſentientes & ſubſcribentes epiſcopos & Abbates, commiſſis priuauit eccleſiis. Henrico autem gubernationem, dignitatem & titulum regni Theutonicorum & Italię interdixit, omnibus principibus & populis vtriuſque regni, quo illi obſtringebantur iuramento, authoritate apoſtolica abſolutis. Ferunt initio Henricum nuncios miſiſſe per prouincias, qui dicerent, Ieſum Chriſtum, quando ter oues Petro paſcendas commiſerit, reges excepiſſe. Pontifexq; econtrà per literas, quæ extant, notum populis fecit, Deum in terris agentem, quando ligandi & ſoluendi in cœlo & terra poteſtatem Petro dedit, neminem excepiſſe: eúmque qui ligare ſe poſſe negat, quòd abſolui neque at confiteri, ſic quoque ab omni eccleſiæ corpore ſequeſtrari. Quibus papæ verbis prælati, principes, & populi, pars regni Theutonicorum maxima, animis ab Henrico cœperunt alienari, primique Saxones exarſerunt in bellum. Poſt illos Metenſis epiſcopus Henricum cenſuit in vim anathematis deponendum. Vnde quum fatiſceret, & iam magnum ortum videret in regno diſſidium, Rodulphus, Welpo, & Theodericus primores Alemannorum duces cum cæteris in regno præſtantibus viris in id conſilij peruenerunt, vt ſi vocatus in Alemaniam Gregorius pontifex deſcenderet, Henricus illi ſupplex, petita (vt illi confidebant) impetrataque venia erratorum, proſterneretur: alioqui ſucceſſorem illi daturos, concordi conuentus ſententia ſunt proteſtati. Iurauitque illo in cōuentu prin-

Aduerſus principes rebellare, quo papa concedit, licet.

Nempe tum peccata tum regna.

tu principum Henricus rex, ſe pontifici, quum acceſſiſſet, integrè pariturum. Quod quidem primatibus illis adeo gratum fuit, vt ſponte ſua reſponderint, illum Romam ad Imperij ex more ſuſcipiendam coronam cum copiis deducerent: quibus tum Imperator declaratus, Normannos Apulia Calabriaque & omni terra eccleſiæ deturbaret. Acceſſitque regis & conuentus ad pontificem ea de cauſa orator archiepiſcopus Treuerenſis. Quo inſtante pontifex Gregorius, vt Auguſtam prætoriam vrbem alpinam accederet, cum cardinalibus vrbe mouit. Quum verò ſe Vercellas vſque contuliſſet, à Vercellenſi epiſcopo Italiæ cancellario clam reſciit, Henricum regem hoſtili in ſe animo cum exercitu venientem, alpes tranſcendiſſe. Quamobrem ſuæ conſulens ſaluti pontifex, in Cannoſſum vſque receſſit, oppidum in Regienſi agro, quod erat Mathildæ comitiſſæ: apud quod nullam ab Henrico violentiam vereretur. Rex verò dolum intelligens patefactum, relicto Vercellis exercitu, Cannoſſum nihilominus venit. Acta autem eſt res ſumma pontificis grauitate, ſumma (ſed ficta) potentiſſimi regis humilitate. Quo enim die Henricus Cannoſſi ſuburbium attigit, omni depoſito regali ornatu nudiſq; pedibus ad oppidi portam, introduci ſperans, cum paucis comitibus eſt delatus: denegatumque primo die ingreſſum æquanimiter tolerans, loco per noctem nō mouit: & glacie ferunt conculcataque diu niue, per aſperrimum hyemis ſydus, ſolum in quo rex ſtetit vel iacuit, obriguiſſe: expectauitque tacitus ſcire quid ſecum pontifex duceret agendum. Pontifice verò omnia differente, vt à cunctis cerneretur verane an conficta eſſet pœnitentia, quam præ ſe rex ferebat, ad tertiam peruentum eſt diem: quum Henrico ſe miſerum infœlicemque clamante, cui ſoli non vacarent veniam imploraturo Romani pontificis aures, vicerunt Mathildis comitiſſæ, Adelai Sabaudienſis comitis & abbatis Cluniacenſis preces: & introductum regem abſolutumque pontifex in ſinū matris eccleſiæ recepit. Fecit verò pontifici rex ſcripto promiſſionem ſacramenti religione firmatam, cui Mathildis comitiſſa & Adelaus comes abbaſque Cluniacenſis ſubſcripſerunt. Poſtea tamen ſubſtitit rex in Cannoſſi finibus, abituro (vt putabatur) pontifici ſtructurus inſidias: & pontifice id verito ſubſiſtente, fatigatus expectatione rex Papiam ſe contulit. Viſum eſt iſta ex Italorum narratione inſerere. In qua vide prudens lector quàm ſint inconcinna multa & à veri ſimilitudine aliena. Ego iudicium meum volens ſubtraho, tibi cuncta permittens.

Rex papæ ſe ſubmittit.

Regis abiectus ornatus & habitus.

CAP. 7.

NONNVLLA hîc inſeruntur à noſtris, quæ & ipſa apud me fidem non merentur, Regem pontificis iniuncto per annum integrum Romæ iuſſum ſe continere, memorias martyrum in Vrbe frequentare, equum non aſcendere. Quod quum ille religioſè cœpiſſet implere, videntes cardines orbis, quia præ timore ſedis apoſtolicę contremiſcunt poteſtates, & ſub eo curuentur qui portant orbem, ſuggeſſiſſe ſummo pontifici, vt deiecto degenere, qui publicam peregiſſet pœnitentiam, alium curaret in regno ſublimari. Percunctante autem pontifice quis dignus videretur, Rodulphum Suæuum eſſe prætenſum: cui ilico papa miſerit coronam, cum elogio,

Petra dedit Romam Petro, tibi papa coronam.

Mandaueritque Moguntino & Colonienſi archiepiſcopis vt illum eligerent, conſecrarent, tuerentur, omnium ignaro Henrico, donec Argentinus epiſcopus, aduolans Romam, iſta regi nunciaret. Qui accepta (vt putabat decorum) à ſummo pontifice licentia abire conſtituit: epiſcopus, ne papam alloqueretur, deterruit: nam à pontifice omnia contra eum eſſe prouiſa. Ita clam furtimque magnis itineribus per Italiam digreſſum in Gallias, inde ad fideles ſuos perueniſſe, collectiſque viribus ſe Rodulpho ad prçlium obieciſſe. Sed hæc (vt dixi) apud me fidem habent tenuem. Primùm quia pontifices non amant reges in Vrbe diuerſari, nec regium erat inter altaria diſcurrere. Sed & pontificis epiſtolæ teſtantur ſe ad Rodulphi electionem neminem commouiſſe, idque veriſimile eſt. Certum eſt tamen non inuitum iſta audiſſe pontificem, de Henrici deſtitutione, Rodulphique prouectione. Ait enim in epiſtola, Henricum pœnitentem eccleſiæ gremio reſtituiſſe, non tamen ad regnū, à quo deſtitutus fuerit in ſynodo, repoſuiſſe. Quod certum eſt, Henricus armis contractis, Rodulpho, quem regis æmuli regem dixerunt, in prælio ſe obiecit, pugnatúmque acriter cæſis captiſque plurimis: ſed victoria neutro inclinante, placuit vtrinq;, vt eius rei diſcutiendæ cauſa, vtriuſq; partis oratores adirent pontificem. Poſtulauit iam antè Henricus rex ab Gregorio pontifice, vt propter

Rodulphus Imperium papæ permiſſu occupat.

Henrici & Rodulphi acre prælium.

inuaſionem regni Rodulpho ſacris interdiceret. Ad quæ pontifex non ſe poſſe inauditum condemnare reſpondit. Venerunt ad ſummum pontificem regum oratores: quibus benignè à pontifice reſponſum, vt efficerent reges ab armis diſcedere, donec cauſa tractaretur, ſe confeſtim vocaturum concilium. Sed priuſquam ea renunciarentur, reges reparatis viribus iterum concurrerunt. Cecidit Wizilo archiepiſcopus Magdeburgenſis, Saxones terga verterunt. Dux Bohemiæ lanceam Rodulphi nactus, eam inſigni munere præferri omnibus Bohemiæ regibus inſtituit. Spoliatus hoc prælio dux Magnus, comes frater eius captus, & epiſcopus Wormacienſis Poppo ex primoribus Henrici principibus cecidit. Ita pene æquata ſunt vulnera & damna partium. Nouiſſimo inter reges prælio Rodulphus ita vulneratus eſt in dextera, vt inde mortem ſumpſerit. Iam enim reductus in Herbipolim magnates & epiſcopos ſuæ partis ad ſe iuſſit conuenire, & elata dextera in aſtantes, Hæc eſt, inquit, manus qua ego ſacramenta præſtiti Henrico domino meo, vobis tamen vrgentibus toties in eum infœliciter pugnaui. Ite & implete primam regi veſtro fidem: nam ego vadam in viam patrum. Sic moritur.

Rodulphus moribūdus rebellionis crimē fatetur, quorū autores epiſcopos papa non iniuste habebat.

CAP. 8.

IAM profligato Rodulpho rex Henricus acriores animos intendit in Romanum pontificem. Vrebat animum pronunciata in ſynodo regis deſtitutio, diu dilata in eius contumeliam reconciliatio, æmuli in regnum fauor. Igitur apud Noricæ Brixiam, conuocato pontificum cœtu de Lombardia, Italia & Germania, crimina multa intentantur pontifici Gregorio, quòd inuaſor ſit Romanæ ſedis, ſacrilegus monachus, ſomniorum & præſtigiorum obſeruator, necromanticus, & qui malis artibus fidem Chriſti contaminarit. Ob quæ omnia Romana illum ſede deſtituunt, & niſi ſponte locum vacuaret, perpetua maledictione ferire minantur. Wigbertum Rauennatum epiſcopum ſurrogant, quem Clementem III. appellant. Reliquerat autem Henricus Italia decedens Henricum filium cum copiis in prouincia, vt illam in fide contineret. Cui cõgreſſa per ſuos Mathilda nobilis matrona, & quæ multa in Romanam eccleſiam feciſſet bona, ab illo ſuperatur. Acceſſit aliud incommodum nobili matronæ (erat enim de genere Saxonum: quod oſtendemus) quod propter religionem memoria dignum eſt. Obierat Bonifacius maritus eius, & Azonem Eſtenſem recipit iterato matrimonio. Reſciuit poſtea Bonifacium atque Azonem tertio ſibi inuicem gradu ad matrimonium interdicto cohærere. Qua de re conſulens ſummum pontificem, iuſſa eſt ab Azone diſcedere, & pœnitentiam agere de tam graui inceſtu. Ad quam obſeruantiam ſi noſtra tempora referimus, ethnici videbimur. Quid enim hodie per diſpenſationem apoſtolicam non obtinetur? Tum nobilem matronam, & quæ Romanæ eccleſiæ multa præſtitiſſet obſequia, iuſſit pontifex à ſecundo diſcedere marito, & pœnitentiam inceſtus agere, nulla diſpenſationis hinc aut inde facta mentione. Ducens igitur Romam Henricus, per Bauaros eſt ingreſſus Italiam. Mathilda autem, quicquid ex ſubiectis ſibi populis copiarum ſibi colligere potuit, miſit ſummo pontifici, à quo tam probè in ſuo caſu fuit conſolata. Iuſſit Henricus Clementem ſuum pontificali apparatu præcedentem ad pontem vſque Miluium procedere. Inde in prata Neronis tum dicta quum iretur, ſtructa in prælium acies præceſſit. Prior Clemens cum pompa, inde rex in ſubſidiis eſt ſequutus. Appulſos Leoninæ ciuitatis portæ (quam Saxonum tunc aut Poſterulam vocabant) regios milites Romani ſagittis, iactiſque ſuperne lapidibus repulerunt. Quod quum vidiſſet Henricus, caſtris loco firmatis, exercitum incendiis ædificiorumque demolitioni curauit intendere. Nullam vincendi ſpem offerri videns, poſt paucos quibus aduenerat dies cum ſuo antipapa Rauennam rediit. Ibiq; anno pene toto peracto, renouatis viribus, per Spoletinos ad Vrbem iterum duxit, & Leonina per totam quadrageſimam obſeſſa, ea poſt Paſcha eſt potitus. Eſt autem Leonina Vaticanũ, Romæ ſuburbium, in quo papæ nunc ſplendet palatiũ: quod quidem ſuburbium, portis communitum Leo IIII. de ſuo nomine appellauit Vrbem Leoninam. Inquinata per aliquot dies ab antipapa ſancti Petri baſilica, ad alteram pariter beati Pauli inquinandam acceſſit: ad quam binas porticus diruit: vnam à caſtello ſancti Angeli ad Petri ædem, alteram à Tergemina porta, ad ſancti Pauli baſilicam. Dumque rex Vrbem circumſedit, multum per ſingulos dies ſanguinis eſt effuſum. Caumatibus autem ad initiũ æſtatis in vrbis regione (vt aſſolet) incipientibus, Henricus ſibi timens, per propinquas Romæ ciuitates,

Epiſcopi conuocati papam dignitate abdicant.

Papa laxiſſima in omnibus diſpenſatio.

Henricus Romam obſidet.

quæ

quæ omnes ei parebant, diuiſit exercitum: & Wigbertus antipapa adulterinam Petri ſedem in Tybure tenuit. Rebus ita comparatis, Henricus Clementi ſuo, attributo in omnes copias per hyberna diſpoſitas Imperio, ipſe cum paucis in Lombardiam cõceſſit: Wigbertuſque ſacerdotalis officij immemor, circum vrbem vineis ſuccîſis, multa, à quibus ipſe Henricus temperaſſet, per eam æſtatem hoſtilia commiſit.

CAP. 9.

ALIO qui ſequutus eſt anno Henricus ad exercitum reuerſus, ciuitatem Leoninam iterum per vim ingreſſus, & apud beati Petri baſilicam deſidens, omnia eius vrbis ædificia demolitus eſt. Per quod tempus, nullo propinquo ab vrbibus & caſtellis Romam adeunte, nullo etiam exeunte, Romani ad maximam calamitatem ſunt perducti, & fames (quod neceſſe fuit) aſperrima ſuperuenit. Quibus malis euenit, vt multi emigrantes nunquam ſunt poſtea reducti. Quæ quum Robertus Guiſcardus Normannus a pontifice intellexiſſet, præfecit rebus Dalmatiæ Boemundum filium, & vxorem ducens, ſe contulit in Italiam. Interim Henricus, ſiue quia Roberti Normanni reditum in Italiam habuerit exploratum, ſiue quia dolos viribus efficaciores exiſtimauerit, per Cluniacenſem abbatem, virum celebris ſanctimoniæ, pontificem Gregorium (cui ille eſſet deditiſſimus) orauit, vt ſe ad Lateranenſem baſilicam admiſſum coronaret: fore pollicitus, vt Imperator ex ſolenni more declaratus, in Alemaniam cum omnibus copiis reuerteretur. Eodemque die, fide publica per patentes literas data, omnibus qui vrbem accedere, aut inde exire & in agro obuerſari vellent, mirabilem voluntatis conuerſionem oſtendit. Cuius facti fama omnem per Italiam vulgata, effecit vt Guiſcardi in colligendo ad Vrbem ducendi exercitu refrixerit diligentia. Romanus verò populus, malis quæ tribus annis continuis tulerit, pontificem, vt patriæ compateretur miſerereturque, fatigatus orauit: Gregorio quod petebatur ſpondente, dummodo Henricus errata corrigeret, & debitam Romano pontifici obedientiã promitteret. Prohibita eſt Henrico, quam per ſimulationẽ illam quærebat malignandi occaſio. Largitione enim multa vſus, corruptos ciuitatis primores in ſuam aduerſus pontificem amicitiam pellexit. Ventumque eſt a multis Romanæ vrbis primariis in id impudentiæ, vt pontifici in faciem dicerent, non eſſe Henrico regi, etiamſi prius eccleſiæ non ſatisfaceret, coronam & declarationem Imperij denegandam. Quod quum vidiſſet pontifex, de Romani populi conſtantia diffiſus, in caſtellum Creſcentij cum domeſticis ſe recepit. Ruſticus verò eius ex fratre nepos ſe contulit ad Septemſolia, arcem tunc caſtello Sancti Angeli nulla in re munitionibus inferiorem. Vixque pontifex imminens (vt eſt ratus, & quod eſt poſtea factum notorium) euaſerat periculum, quando Henricus à coniuratis introductus, Wigbertum Tybure accerſitum in Lateranenſe patriarchium intruſit. Quumque nullus vel cardinalis vel epiſcopus ex gente eccleſiaque Romana, vt illum ex more benediceret, adduci poſſet, Bononienſis, Treuerenſis & Murinenſis pſeudoepiſcopi cærimoniis in eum Romanis pontificibus adhiberi ſolitis ſunt abuſi. Per ſolennia poſtmodum paſchalia, quæ proximis ſequuta ſunt diebus, adulterinum Imperatorem antipapa coronauit. Populus verò omnis vt regi ſatisfaceret, ad obſidionem arcis Creſcentij eſt conuerſus. Cepit verò Henricus ſedem ſibi & ſtatiua militibus apud Capitolium, non parua parte tunc in integrum reſtitutum. Et Romani rebellionis principes, quum pontificem caſtello deturbandi munitiſſimo nullã cernerent ſpem præberi, clauſerunt muris ad viarum exitus in repagula excitatis. Henricus interim familiæ Corſorũ, tunc Romæ potentis (quæ Gregorio fauebat) ædium partem Capitolio ſubiectarum euertit, expugnandaq; Septemſolij arce maximos adhibuit conatus. Id verò Lucij Septimij Seueri Imperatoris opus (reliquiæ cuius contra monaſterium beati Gregorij cernuntur) trinos habuit ſubinuicem ſupra poſitos columnarum ordines: quarum inferiores ſolo inhærentes, ea erant ſublimitate, vt nullis ſcalis poſſent ſuperari, nec pro ſua craſſitudine, ferro ignéve corrumpi. Admouit tamen propius Henricus machinas, & quaſdam columnas vetuſtate debiliores mouit, vt ſibi timens Ruſticus deditionem facere cogeretur. Erat verò adhuc opus viſu ſpecioſum, quum cõtignationes marmoreis trabibus factæ cubicula & triclinia haberent ornatiſſima. Sed quid non poteſt æui longæua vetuſtas, & perpetuus cœlorum curſus?

Romani fame laborant.

Romanus pontifex Imperatoris violentia fuga cedit.

Antipapa ſuũ Imperatorem coronat.

CAP. 10.

ROBERTVS interea Guiſcardus Normannus, harum rerum factus certior ingentes copias, quas liberando pontifici comparauit, via Latina deduxit ad Vrbem. Hic vo-

Romanus pontifex à Guiſcardo liberatur.

rò quis fuerit, & vnde venerit, in Norwagia ſumus exequuti. Henricus quum id reſciſſet, ignorantibus tamen Romanis Vrbem ciuibus permiſit tutandam, ipſe cum antipapa conceſſit in Vaticanum: nec diu moratus, via Caſſia magnis itineribus contendit Senas. Nec citius Guiſcardus Romana mœnia quàm ille dictam vrbem contigit. Ciues Guiſcardo portas clauſerunt, magnifica verba præferentes, ſe cum ſuo pontifice facilè conuenturos, copiis illius opus non eſſe, rediret in ſua: non ingratos ſe futuros illius obſequiis. Ille autem verbis verba rependit, & quum ab amicis pontificis porta Flumentana (inde dicta Flaminia, nunc de Populo) panderetur, per eam ingreſſus incendia fecit à campo Martio, vſque ad ſanctum Silueſtrum & Laurentium in Lucina: quæ hodie vaſtata cernuntur. Ciues armati ſe obiecerant: ſed non poterant eſſe pares copiis illius. Ille per Eſquilias duxit ad Lateranum, ibi aliquandiu deſidens, ſi fortè à ciuibus liberandi pontificis mentio fieret. Conſederant illi armati ad Capitolium, quam etiam regionem Henrici milites, dum adeſſent, tenebant ſtatione: abeuntes autem, de more ſuo incenſam relinquebant Vrbem. Quotidie prælia ad Amphitheatrum. Quum autem ciues nullam pacis facerent mentionem, Guiſcardus armatis copiis per mediam Vrbem contendit ad Hadriani molem, demolitoque muro quem fecerant ciues, eductum pontificem ſecum perduxit in Campaniam, ibique breui pòſt finiit. Hæc eſt illa vrbis Romæ vaſtitas, quam non ante a Gothi, non Wandali, non Saraceni, ſed partes pontificis fecere Normanni: vt non iam vlla ſit ſpecies veteris Romæ, ſed vmbra quædam non magnæ partis. Niſi quantum ætate noſtra cardinales, excitatis magnificis ædibus eam renouant: quod magis atque magis per ſingulos dies crebreſcit. Per quæ tempora Saxones & Suæui (quos Alemannos vocant) colloquiū habuere in orientali Francia de rebus regni, quum & Imperator diu abeſſet, & male meritus de ſummo pontifice dudum regno deſtitutus haberetur. Initoque conſilio, Hermannum quendam Lotharingiæ ducem, cui nemo ætate illa, bellicis in rebus aut magnitudine opum potuit comparari, regem Romanorum declarauere, dederantque illi Saxones arcem ad oppidum Iſleue. Ibi quoniam allium abundat, Imperatorij illum per contumeliam appellauere regem Alliorum. Multa interim prælia inter Conradum ducis Bohemiæ fratrem & Lupoldum marchionem in ſuperiori Bauaria, deinde inter Bauaros & Suæuos iuxta Danubium: vbi Palatini comitis Cunonis filius in acie cecidit.

Roma ab ipſis pontificis liberatoribus vaſtata.

Hermannus Imperator aduerſus Henricum conſtituitur.

CAP. II.

ANNVS erat poſt Chriſtum milleſimus octuageſimus quintus, quum Henricus ex Italia deſcendit, ſynodum indixit Moguntiæ: ibiq; epiſcopi rebelles Imperatori & ſuo antipapæ deponendi iudicantur, aliique in eorum locum ſurrogantur. Aderant legati adulterini pontificis, vt res legitimum ordinem habere videretur. Nonnulli pontificatu digniſſimi, illo tamen ordine male ingreſſi perueniunt in ſedes ſuas. Imperator deſcendens per prouincias, quæ per abſentiam eius longæuam fuerant innouata, ſuum in ordinem reſtituit. Saxonum principes non reluctantur. Pacata videbantur omnia: quum marchio Saxoniæ Egbertus, Imperatoris propinquus, rebellionem reſuſcitauit: ſed nō latè illa manauit. Æquus iam videbatur in ea parte Imperator, qui conſenſit conuenire ex prouinciis doctiſſimos, qui de iure duorum, qui ſe pro ſummis pontificibus gerebāt, diſquirerent: vnde omne Imperatoris factum pendere videbatur. Conuenere pontifices, & ſecum vndecunq; viros traxere doctiſſimos. Cœpit ventilari cauſa, iure an iniuria Henricus rex ab Hildebrando (tunc Gregorio VII.) excōmunicatus & regno deſtitutus videretur. Erant qui in vtranque partem ſentirent. Capita ſentētiarum deſederant apud Weſſillonē Moguntinum & Gebehardū Saltzeburgenſem archiepiſcopos: quum ſentiret Saltzeburgenſis, Imperatori ſicut omni Chriſtiano, parendum Romanæ ſynodo & eius euocationi: quam quum contempſiſſet, non poſſe videri per iniuriam in regem prolatam excommunicationis, & (creſcente contumacia) etiā deſtitutionis ſententiam. Moguntino verò contrà aſſerente, regem magna ſuarū rerum parte ſpoliatū, magnis prouinciis deſtitutum, non oportere illo in tempore iudicari, priuſquam ad ſua reſtitueretur. Quæ contradictio tam diu valuit, vt Weſſillo in ſua ſententia perdurans, à legatis Roman. pontificis, qui aliquando acceſſerant, de hæreſi notaretur. Et excreuit ſerpendo diuerſitas, vſque ad Henrici ab Imperio deſtitutionem: quam ſuo loco commemorabimus. Interim Henricus rex, cognito quòd Saxones & Suæui regem ſibi Hermannum Lotharingum acciuerint, infeſto exercitu petit Saxoniam. Obiecere Imperatori

Contentio de Hildebrandi aduerſus Henricum iudicio.

Henricus Saxones bello aggreditur.

peratori Saxones quas poterant vires: ſed iuſta acie congredi vitarunt. Et rege declinante, vocatis Suæuis, exercitum conſcribunt, Wirtzeburg (quæ nunc Herbipolis collato ex Græcis & Latinis vocabulo dicitur) in orientali Francia vrbem obſident. Imperator cum copiis aduolat, vrbem obſidione ſoluturus. Illi cōuerſi, regem acie excipiunt. Graue quidem prelium: ſed neutro inclinante victoria digreſſi ſunt. Saxones & Suæui potiuntur vrbe, Imperatoris epiſcopum reiiciunt, Alberonem reponunt ab ipſo deſtitutum. Sed quum rediſſent in ſua, Imperator vrbe eiecto Alberone, rurſus Meinardum ſuum reſtituit. Hermannus autem, quem regem creauerant, cernens Henricum inualeſcere, depoſito regis nomine Henrico reconciliatur, & breui pôſt in obſidione caſtelli, ictus lapide interiit. Hic eſt ille Hermannus, quem per contumeliam Henrici milites Allium ex memorata cauſa cognominauerunt. *Hermannus imperio ſe abdicat.*

MORTVA deinde non longum Imperatrice Berta, quæ filia erat Ottonis Italici, non diu moratus Henricus Imperator nuptias ſecundas Coloniæ iniit celebrauitque, & duxit relictam Vthonis marchionis, filiam regis Ruſſorum, pudiciſſimam fœminam: ſed de qua Henricus poſtea male ſentiret & loqueretur. Nec mirum debet videri Ruſſorum regna ad Theutonas mittere nuptam. Nam Sigebertus, memorabilis ſcriptor Gallicus, teſtis eſt, hoc Henrico imperante, duos Ruſſi regis filios de regno contendentes eouſque proceſſiſſe, vt pulſus alter Henricum adierit, ſe regnumque ſubiiciens Imperio, ſi armis illius reduceretur. Sed tanta erant in viſceribus Romani Imperij bella, vt externis Henricus vacare non poſſet, & erat via per Polonos fœderatos (ſi non ſubditos) in Ruſſiam perueniendi. Erat tum in regno Egbertus marchio Saxoniæ, qui Imperatori male pareret. Sed ille ſe muro continens defendit. Obſidione firmata, multi milites ad vicinum Natalis Chriſti diem abierunt ex caſtris. Erumpens Egbertus, quum hoc non ignoraret, ſtragem peregit: in qua epiſcopus Lauſanus, qui lanceam Imperatori prætulit, fertur cecidiſſe. Captus hic quoque Liemarus Bremenſis archiepiſcopus, qui tum Imperatori (vtpote vir Bauarus) militaret. Cepit autem illum Luderus (qui poſtea dux Saxoniæ, deinde etiam Imperator eſt factus) adoleſcens tum egregiæ fortitudinis: qui poſtea duxit cōiugem Rixam, Gertrudis (quæ ſoror erat memorati Egberti) filiam, cum qua magnam Saxoniæ partem accepit in dotem. Captus autem archiepiſcopus Bremenſis, pro ſua redemptione dedit Ludero aduocatiam Bremēſem, cum trecentis argenti marchis. Inde arbitror enatum ius, quod poſteri huius Luderi ducis in vrbem Bremenſem vendicare ſolebant. Egbertus autem comes non longè pôſt in molendino quieſcens, à ſuperuenientibus Imperatoris militibus opprimitur, ſiue, vt ab aliis traditur (quod ſuprà ſignificauimus) à ſicariis, qui ſe in illius familiam contulerunt, ab Imperatore ad eam rem conductis. Quo etiam tempore, iunior dux Bauariæ fertur ſe in peregrini habitu in Italiam contuliſſe, motus virtute inſignis fœminæ Mathildis: cuius viduatum eſſe thorum audiens, aſpirauit in eas nuptias, & (vt ferunt) aſſequutus, ad eas peruenit. Mira fœminæ virtus, quam ſummi pontifices venerabantur, principes de longinquo admirabantur, cuius etiam deſyderio hic ex Bauaria in Lombardiam tranſierit, vt coniugem mereretur. *Egbertū Henricus rebellem delet.* CAP. 12.

OPERÆ PRECIVM eſt agnoſcere, quæ & vnde fuerit illa Mathildis, quā Italici ſcriptores multa laude efferunt, quod rarò præſtant exteris: originem tamen eius illi non attingunt. Multa obſequia impenderat illa Romanæ ſedi, multas pro ſua fortuna operas & impenſas fecerat conſcribendis & alendis pro ſummo pontifice exercitibus. Sed non potuit tum in vicem gratitudinis tertio affinitatis gradu ad matrimonium (vt diximus) diſpenſationem impetrare. Ea tum erat temporum obſeruantia, vt ne vllus ſermo de diſpenſatione fieret. Noſtra ſunt tempora liberaliora, neſcio ſi meliora, quando vna puella tertium (vt dicitur) experitur maritum, primis duobus ſuperextantibus: quando ſummorum pontificum ſanguis ex archiepiſcopatu in cardinalatum, & ex illo gradu in ſecularem ducatum perducitur. Ad Mathildam reuertamur. Ea fuit Egberti marchionis Saxoniæ filia, nouiſſimi Egberti (quem in molendino cæſum diximus) germana, incomparabilis prudentiæ, religionis & pudicitiæ fœmina: quam pater eius Bonifacio in Lombardia comiti tradidit virginem. Quo mortuo, quum Azonem Eſtenſem, tertio gradu conſanguinitatis priori cohærentem acciperet, quamuis ignorans id iniret coniugium, volente pontifice ab illo declinauit, & in ſanctimonia per- CAP. 13. *Mathildis genus & facta.* *Nimia relaxationum indulgentia.*

manſit, donec à Bauaro (de quo quidam ſunt authores) peteretur, non aliena à cognatione Henrici Imperatoris. Nam Henrici huius pater Henricus III. & Ludolphus Mathildæ auus vterini erant fratres, ex Giſla Conradi Imperatoris coniuge, quæ pridem ex Brunone habuit filium Ludolphum Saxoniæ marchionem. Hæc ergo fœmina & generi ſuo præſtitit & religioni, vt Henrico graſſanti ſe quàm frequenter opponeret. Hac quoque vice quum Italiam peteret, ab ea Mathilda exercitum illi obiiciente remoratur, ne ex Longobardia in reliquam Italiam proficiſceretur. Mutinam tamen cepit Henricus. Prodigium tum viſum in aere interpretantur. Vermes muſcis deductiores tanta multitudine volitabant in aere, eaque craſſitudine ſpatium occupabát, vt manu vel virga tangerentur, vt etiam mille paſſus in latitudine, & duo vel tria in longitudine implerent. Portendi putabant expeditionem in terram ſanctam. Interea Conradus Henrici Imperatoris maior filius, iuuenis modeſtiſſimus (& qui regno, etiam Imperio digniſſimus videretur) patris mores & vitia deteſtatus, abiit à curia indignabundus, fœdam patris conuerſationem magis ſecum quàm apud vllum accuſans. Cótendit in Italiam, & ibi Mathildæ optimæ fœminæ & amicorum honeſtam gubernandi rationem iniit, ſub nomine regis Italiæ. Paruit enim magna Italiæ, & præſertim Lombardiæ pars Imperatoribus à memoria I. Ottonis. Dudum enim illum pater creauerat regem, ſed nunc à moribus eius abhorrentem contempſit, coronamq́; dedit iuniori Henrico, qui poſtea patrē deſtituit Imperio. Conradus autē in Italia vixit annis nouem, ea modeſtia, vt rex haberetur & eſſet: nulli tamen grauis imminebat. Venientes à patre milites honorificè excepit, nullum ſe corā male de patre loqui ſinebat, ſemper illum patrem dominum Imperatorem appellans. Per quæ tempora Ladiſlaus Pannoniæ (hoc eſt Vngarorum) rex vita exceſſit, adeo moribus & vita probatus, vt inter ſanctos referri mereretur. Welpus deinde dux aliquandiu extra gratiam regis Noricorum ſiue Bauarorum ducatum amiſſum, reconciliatus Imperatori denuo recepit.

Conradus à patre Henrico diſcedit, & in Italia regnat.

CAP. 14.

IMMINEBAT per ea tempora glorioſa illa in terram ſanctam expeditio, quam Vrbanus pontifex in Franciam deſcendens Claromontano concilio excitauit. Armata ſunt multa Chriſtianorum millia, principes nonnulli; in quibus præcipuus ductor Gotfridus dux, materno genere Lotharingiæ: nam pater eius comes erat Boloniæ. Appellant verò ducem Bulioni, qui nunquam erat ducatus. Sed quum locum illū Gotfridus teneret, & materno (vt diximus) ſanguine Lotharingiæ ducatum tangeret, dux Bulioni appellatus eſt. Erat enim eius mater ſoror Gotfridi Gibboſi ducis Lotharingiæ: quamuis Sigibertus Gallus contendat illi ducatum Lotharingiæ eſſe datum ab Henrico IIII. Imperatore. Erat enim vir ad arma egregiè inſtructus, & auxilio venit cum copiis Henrico, quum ille repetito aliquot vicibus prælio aduerſum Rodulphum Suæuum pugnaret. Sed (quod in laudibus Gotfridi præcipuum eſt) quum concionante ſummo pontifice expeditio ſancta à multis principibus & infinito eſſet populo ſuſcepta, Gotfridus cum fratribus Balduino & Euſtachio, omni patrimonio diuendito, in eam ſe contulit expeditionem, militibus (quantos poterat) ex ære perarmatis, & in longinquam & diuturnam expeditionem ſumptis viaticis. Quo autem ordine in terram ſanctam peruenerit, quæ & quanta ibi geſſerit, in ipſo itinere & in Palæſtina, quomodo Ieroſolymam receperit, firmauerit, reliquerit, quia multipliciter in literas miſſum eſt, & iam nouiſſimè à Sebaſtiano Brant diſertiſſimè in opere quod Romanorum regi Maximiliano dedicauit, commemoratum eſt, & noſtro longè alienum eſt inſtituto, relinquamus, ad Imperatoris Henrici IIII. acta reuertentes. Is quum diu abfuiſſet, anno tandem ſeptimo ex Italia regreſſus Ratiſponam ſe contulit, ibíque Iudæos, qui inuiti baptizati erant, permiſit ad Iudaiſmum redire, quando nullo Chriſtianitatis charactere erant inſigniti. Corde enim creditur ad iuſtitiam. Circa Calendas autem Decembris colloquium habuit cum principibus Moguntiæ de pace & vnione. Et proximo anno eodem in loco, quum pulſi eſſent Iudæi, & rebus exuti, quum quæſtio de facultatibus eorum, quæ multæ fuiſſent, ageretur: archiepiſcopus, quum cognationem ſuam inde culpatam tutari vellet, nec ſatis poſſet, cum eis profugit in Turingiam: nam dicebatur & ipſe guſtaſſe de præda. Vnde Imperatori rebellionem quandam oſtendere voluit ex proxima Saxonia: ſed pacatis vtcunque rebus, qui cæſi erant Iudæi, ſuſcitari de morte non poterant, prædam viui partiuntur. Interim inualeſcit indignatio inter regem & reginam,

Chriſtianorū in terram ſanctam expeditio, Gotfrido Bulionenſi duce.

Iudæi inuiti baptizati.

reginam, quam ille cœpit exhorrere. Illa autem peſſimo relicto marito Romam contendit, ibiq́; conuocato cōcilio, de crimine peſſimo Imperatorem accuſauit. Vrbanus pontifex excommunicationem in eum renouauit. Illa verò dimiſſo rege reuerſa eſt in Ruſſiam: ibiq́; in ſancta conuerſatione honeſtarum quas aggregauit perſonarum, Domino ſeruiens, mater effecta multarum in Chriſto filiarum, fœliciter conſummauit. Wigbertus infauſtus Henrici pontifex, ad hunc vſque annum (hoc eſt centeſimum poſt mille) durauit, ſæpe deplorans ſecum inter amicos, quòd infœlicis loci ſubierit fortunam: vir vtiq́; ingenio, vita & nobilitate, facundia & omni virtute ſatis præditus: ſed qui non legitimè ad pontificatum ſe paſſus eſt impelli.

Pontifex illegitimus moritur

CAP. 15.

QVO etiam anno interiit Conradus rex Henrici filius in Italia, Mathildi conſanguineæ grauiſſimæq́; fœminę adhærens: cuius conſilio & auxilio honeſtiſſimè vitam traduxit: vxorem penè inuitus ducens ducis Siciliæ filiam, quacum continentiſſimè vixit, monacho ſimilior quàm regi. Teſtati ſunt qui defuncto aderant, quum veneni ſumpti eſſet ſuſpicio, crucem ſe in eius brachio vidiſſe. Eo tempore Henricus Craſſus, Ottonis Bauari filius, in Phriſia cæditur cum aliis multis, volens infrenem populum ad iuga perducere. Sed non eſt datum equeſtribus in paluſtri terra ſuperare. Fama receptæ Ieroſolymæ miro modo affecit homines, præſertim per Gallias. Alij ſe ſomnio admonitos, alij viſione, præferebant terram ſanctam petere. Ruſticanus populus facilè inuitatur, quòd ciuilibus in regno diu malis attritus, nuſquam melius quam extra patriam habiturus ſibi videretur: ita fame, peſte, incendiis vexati ſunt. Circa Niueruam illo tempore mirabile genus morbi innotuit. Tacti homines igne inuiſibili ardebant, qui facilè penetrabat præcordia. Alij pedes, alij manus ea occaſione præciderant. Franci, Saxones, Bauari, Suæui, admirantes cuneos tranſeuntium in terram ſanctam Gallorum, partim irridebant, partim etiam indignabantur, ipſi domeſticis diuiſionibus afflicti, propter ſacerdotij & regni diuiſionem. Multa in ſole ſigna, plurima in cœlis, multoties in aere conſpecta terruere mortales. Tum multi ſignum crucis ſibi cœlitus impreſſum oſtendere: cui non diſſimilem rem noſtra vidimus ætate. Sed fabulæ ſe multę veris rebus immiſcuerunt. Interea ſummus pontifex Paſchalis, omnium orthodoxorum pontificum Romæ congregato concilio, hæreſim illorum temporū, quam fouebant qui Henrico adhærebant, damnauit: ipſum Henricum anathematizauit, prædeceſſorum ſuorum confirmans ſententias. Cuno Ottonis Bauari filius, de magnis principibus vnus, dum iter agit, per inſidias interimitur. Frater ei fuit Henricus Craſſus, nuper (vt diximus) in Phriſia cæſus. Otto enim inter primos in Saxonia principes dux erat, qui ſub rege primas in prouincia partes habuerat. Erat hic Otto (vt diximus) origine Saxo: ſed dux factus Bauariæ, ab Henrico IIII. eſt depulſus, quòd duellum detrectaret. Filij eius Henricus Craſſus, qui occiſus eſt in Norden in Phriſia, pater Rixæ Imperatricis: Cuno comes de Bichiling, nuper in itinere cæſus: & Sifridus de Bomeneborg pater iunioris Sifridi. Quatuor deinde filias idem Otto habuit. Vna fuit mater Conradi de Witin marchionis: ſecunda mater Friderici de Arnsberg, cuius vnam filiam duxit Gotfridus de Arne, pater comitum Henrici & Friderici de Arnsberg: Secundam duxit Otto de Cappenberg: cuius filia Heilica, vxor Eilmari, mater fuit Henrici & Chriſtiani comitum de Aldenborg, & Ottonis præpoſiti Bremenſis. Tertia fuit vxor Hermanni de Caluele, quæ genuit Ottonem & Henricum comites de Rauensberg. Quartam deduxit quidam ſeruus. Quilibet autem fratrum filiorum Ottonis ducis in comitatu vnam curiam habuit. Henricus Craſſus curiam de Alerſtede: Cuno quæ dicitur Koninghoue, in villa Herſeuelde. Hic fundauit Katelenborg, & eandem illi dedit clauſtro. Sifridus habuit curiam Heruelde, quam filius Sifridus dedit monaſterio Amelsborne. Hæc idcirco, vt cognationem veterum de Saxonia principum agnoſcamus. Qua in re videri poteſt, neminem totius ducatus Saxoniæ tum titulum habuiſſe: ſed quiſque ſuæ partis, quam tenebat, iura defendit. Nam ſucceſſores Hermanni inferius iuxta Albim fluuium tenuere ditionem: quorum nouiſſimus Magnus ſtatim commemorabitur.

Morbi nouum genus & inſolita prodigia.

Papa anathematis fulmen in Henricum vibrat.

CAP. 16.

HENRICVS marchio in Saxonia magni nominis, vir potentiſſimus, incertum an de Brandenburgo (quæ tum ditio in ſolo licet Wandalico, annumerabatur Saxoniæ) per hæc tempora vitam finiuit. Anno deinde proximo, qui fuit quartus poſt mille atque centum, quum eſſet Imperator in Ratiſpona, ibi natale Domini peragens, murmur

Anno 1104.

graue excitatur in Bauaris, quòd Saxones & Franci apud regem primi haberentur, Bauari nullo admiſſi loco contemnerentur. Sigeberdus regi ſuſpectus erat, quòd magna militum manu acceſſiſſet ad regem: quos milites per aliquot dies ſecum habitos dimittit, paucis retentis. Inde circunſiſtunt eum Bauari, mortem homini intentãtes. Ille quando moriendum ſibi vidit, orat vt Chriſtiano ritu confeſſionem reatuum ſinatur peragere, & viaticum ſumere permittatur. Non recuſant: ſed ſub arcta vallatum tenent cuſtodia: inde opprimunt hominem. Quæ res multorum initia malorum excitauit. Imperator iam antè perpalam iuſſit enunciari, Henrico filio ſe rem omnem Imperij permiſſurum, & Ieroſolymam pietatis cauſa petiturum. Quæ res omnium qui audiuere animis fuit gratiſſima, conciliauitq; eidem Imperatori multorum antè auerſas aures: qui vera quæ enunciabantur putantes, ſummis ſenem regem laudibus extulerunt. Sed ea res vento ſimillima euanuit: indeq; ortum eſt ſeminarium nouæ rei, quæ ſine exemplo tum parabatur. Nam ex illo tempore principes, in memoriam reuocantes omnem Henrici in regno & Imperio varietatem, iam pertæſi perfidiæ & infinitæ vanitatis, de illo deſtituendo ſurrogandoq́ue filio eius cœperunt cogitare. Sed huius rei nouitas ſtuporem ingerat neceſſe eſt lecturis. Quis enim patri rebellantem filium tanto ardore audiuit? Quis iura naturæ intercidiſſe tam penitus commeminit, vt omni exiſtimatione, omni honore, omni regno pater exuatur à filio? Bellarunt in ſe germani aliquando fratres, pugnarunt in aduerſos coniunctiſsimi: ſed filium inſurgere patri, res eſt ſine exemplo. Planè magnæ erant cauſæ: multis perſuaſit filius ſola ſe pietate in Deum, terreni patris ad tempus eſſe oblitum.

Henricus à filio de imperio deturbatur.

CAP. 17. ANNVS erat quintus poſt centum atque mille, quum Henricus Imperator natale Domini Moguntiæ celebraret, filius in Bauaria parat rebellionem, conſilio procerum quorundam, a patris latere ante paucos dies diſcedens. Anathematizat publicè patris impietatem in eccleſiam matrem. Serpſerat eius diſputationis memoria latius, quam ſuprà commemorauimus habitam inter primores regni eccleſiaſticos, quum oſtenderetur Imperatorem nulla ratione, nulla tergiuerſatione defendi, quo minus eccleſiæ filius eidem parere teneretur. Vocauit illum Alexander papa ad reſpondendum quærimoniis: contempſit. Vocauit Gregorius: non venit. Excommunicationis gladio cęſus, etiam deſtitutus eſt regno. Tot interceſſerunt anni: non eſt emendatus, in contumacia ſemper permanſit, antipapam fouit. Nuper à Paſchali pontifice omnia renouata, anathema, depoſitionem: quid ſupereſſe niſi extremam perfidiam & paganiſmum? Igitur Noricos principes, & qui ſuprà habitant in ea quæ nunc eſt Auſtria, filius ſibi conciliat: Suæuos quoq; conſociat, & magnam ex Francia orientali nobilitatem. Inde conuerſus in Saxones, illos quoq; reperit voluntarios, quòd nunquam patri ex animo iungerentur. Paſcha Domini in Quedelenborg filius ipſe concelebrat magno nobilium conuentu: conſilio deinde & miniſterio Rotardi archiepiſcopi Moguntini totam Saxoniam in Romanæ eccleſiæ reduxit communionem. Erant autem ad hoc conſtituti à ſede apoſtolica commiſſarij idem Moguntinus & Conſtantienſis epiſcopi. Populo verò & nobilibus cõuentus indicitur in Northuſen Saxoniæ oppido, Francis non longinquo: vbi etiam epiſcopis & clericis ſynodus habenda denuntiabatur. Quo in loco quum rex Henricus iunior adeſſet, magnam præ ſe ferebat modeſtiam. Nam epiſcopis & prælatis de eccleſiaſticæ ſanctimoniæ reparatione agentibus, rex ſe nunquam niſi rogatus immiſcuit, expectans quid inter eos conſtitueretur. Execrata ibi & exploſa eſt ſimoniaca labes, damnata cleri incontinentia, adulteria punita, reconciliatio omnium prætenta iis qui ab pſeudoepiſcopis videbantur conſecrati. Quibus multa cum grauitate expletis, procedit rex in publicum non ſplendido habitu, deiecto in terram vultu: principibus atq; omnibus regni ſubditis ſua cuique iura renouauit: poſcentibus hæc & illa, multa ſupra ętatem grauitate reſpondit. Si qui iniuſta viderentur in prece prętendere, ita reſpondit, vt verecundia repercuterentur. Poſtremò cõuerſus velut in concione ad vniuerſos, oculos lachrymis plenos ſuſtollit in cœlum, Deum & cœlites omnes teſtatus, ſe nullo regnandi amore, ſed ſola Dei & iuſti contemplatione in patrem & dominum ſuum, alioqui inemendabilem ferri. Qui ſi Deo, & vicario eius Petro, & illius ſucceſſoribus ſummis pontificibus (hoc eſt eccleſiæ catholicæ ſynceritati) ſe coaptet, paratum eſſe patri per omnia ſubiici, regno, ſi iubeat, decedere: modò Romanæ eccleſiæ & fidei orthodoxæ integritas reparetur.

Anno 1105.

Schiſma Henrici patris à filio tollitur.

Filij in patrem pia rebellio.

retur. Excuſſit omnibus lachrymas vultus & oratio & humilitas regis. Omnes in commune precabantur paternum Imperatoris animum emolliri, in filio pietatem conſeruari: tum ſalua omnia futura. Ilico Vdo Hildeſemenſis, Henricus Padeburnenſis, & Fridericus Halberſtadenſis præſules, pedibus metropolitani Moguntini proſtrati, reconciliationem rogabant, quòd Imperatoris pertinaciæ viderentur ſubſcripſiſſe, & de illius manu eccleſias accepiſſe.

Cap.18.

His ritè peractis, ſacram Pentecoſtes ſolennitatem Merſburgi peragit. Ibi Henricus dudum Magdeburgenſis archipræſul deſignatus, ſed Imperatore, quo minus aſſequeretur impeditus, iuſſus eſt conſecrari, & in locum ſuum deduci. Nec multo pòſt expeditionem contra Moguntiam, quæ patrem foueret, parat, eius loci archiepiſcopum inuecturus, patre eius intra muros rei euentum cum non contemnenda militum manu expectante. Sed quum ad Rheni fluenta Henricus iunior deueniſſet, deerant quæ exercitum tranſponerent naues, prouidēte antè Imperatore ne adeſſent. Multa tamē tranſibant inuicem nauigia, quæ altrinſecus per proceres pacis amatores alternabant, quum de pace agerent, patre pollicente regni diuiſionem & certiſſimam de omnibus ſucceſſionem: quum filius non aliud depoſceret quàm Romanæ ſedis à patre ſubiectionem, vt ceſſent in eccleſia Dei ſchiſmata. Derinebant vtrunq; neceſſariæ cauſæ vt non conuenirent, filium quidem nauigiorum ſubtractio, patrem verò fidelium vacillans fides. Filius prior copias reduxit in Herbipolim, vt pſeudoepiſcopum eiiceret, & præpoſitum loci eo deiecto reſtitueret: quod & factum eſt. Sic eccleſia reconciliata, dimiſſis in ſua Saxonibus, rex cum Bauaris & Suæuis arcem Nuremberg ibat, vt obſideret: illamque poſt non multos dies capiens, diuiſo exercitu, contendit Ratiſponam. Pater e veſtigio ſequutus in vrbem Herbipolim, ſuum reſtituit Erlongum, eiecto quem capitulum canonicè elegerat, quem etiam rex iuſſerat conſecrari. Inde duxit in Ratiſponam, qua filius commanebat. Ciuium autem proditione intromittitur pater, filius vix elabitur: ibi quoq; Imperator eiecto ponrifice adoleſcentem repoſuit. Inde tendens in vicina Bohemiæ ducem eius euocauit, qui cum expeditis egreditur ad Imperatorem. Henricus interea filius ſuas quoque copias contraxit, & ad fluenta Danubij conſederat vterq; exercitus. Volitabant vtraq; ripa mirè fulgentia ſigna, hinc Imperatoris, inde regis, patris ac filij. Miſerū erat aſpicere hoſtiles apparatus inter coniunctiſſima pectora. Multa in fluento leuia committuntur prælia. Cadit de Imperatoris parte vir nobilis, comes: & quū iam totis agminibus pugna inſtitueretur appararetúrq;, proceres exercituum rem impiam execrati, ibant & redibant, ſi interciperetur tam cruentum negocium. Iam verò traiecerat filius, & ad conſerendas manus res proximè ſpectabat, quum conuerſus in ſuos Henricus iunior, Quid eſt, inquit, quod agimus? quò tāto feruore ducimur? Pater eſt, dominus eſt, Imperator eſt, qui tendit ex aduerſo. Impietate plena eſt ſi venit victoria, tanto miſerabilior exitus, ſi vincamur. Nolim parricida eſſe, ſi de totius mundi dominio quis paciſceretur. Ego vobis commilitones pro fide, conſtantia, perſeuerantia, meipſum debeo: vertamus gladios in vaginam, conſilio pugnemus, non armis. Ingruebat nox, quæ & ipſa diſſuadebat prælium. Imperator inter ſuos comperit, ſi ad pugnam educerentur, maiorem copiarum partem ad filium tranſituram. Exterritus fugit cum paucis quò poterat, non audens ea nocte in caſtris conſiſtere. Vbi illuxit, iam ſermo de Imperatoris fuga percrebuit: tum verò diſſipati in ſua quiſq; ſe contulerunt.

Filius aduerſus patrem exercitum ducit.

Horrenda inter patrem & filium pugna, à qua filius abſtinet.

Cap.19.

Poterat rex ſparſas patris copias facilè opprimere: ſed cogitauit eſſe patrē cui militaſſent, nec ignorabat quòd pugnam inſtruentem eſſent deſtituturi parentem. Rex ergo vicinam Ratiſponam ingreſſus, exturbato pontifice, quem pater præfecerat, virū catholicum & qui Deum timeret, Hartwicum introducit. Idem in Herbipoli peregit. Ibi verò qui deſtitutus eſt, relicto Imperatore regem deinde eſt ſequutus, & in eius fide permanſit. Pater interim in latibulo ſuo manens, miſit ad filium, qui publica fide interpoſita, ſaluum illi vſq; ad Rhenū & incolume iter impetraret. Nec grauatè indulſit, præcipiens miniſterialibus ſuis vt ſaluum & incolumem deducerent, miniſtrarentq; parenti. Quò verò ſecurior iret, ipſe rex copias ſuas remouit vſq; ad Rhenum contra Spiram. Ibi traiiciens, patris theſauros in ea vrbe repoſitos inuaſit, eccleſiæque præfecit epiſcopum religioſum abbatem. Inde Rothardus venerabilis pater, iam octo annis abſens, eccleſiæ ſuæ Moguntinæ redditur. Commiſſarius apoſtolicus, qui reconciliaret in

viam redeuntes, excipitur à ciuibus non iam quaſi reuerſus ex peregrinatione, ſed quaſi ex inferis emergens rediuiuus. Tum compoſitis cis Rhenum rebus, in Burgundiam rex contendit: ſed ex itinere retractus a ſuis, quòd intelligeret patris molitiones ad diſturbandum conuentum principum, qui indictus erat Moguntiæ in diem Natalis Chriſti. Patrem filius Bingæ reperit: eumq́; ore ad os interpellans, ſuper anathemate quo premeretur, & omni regni compoſitione, cum ſumma modeſtia conuenit: ea ſi pater ſatageret, vt eccleſiæ reconciliaretur, & turbationem regno adimeret, ſe in eius futurum poteſtate ad omnia pariturum. Imperator omnia reiecit ad principum conuentum, facturum ſe quod ex Imperij dignitate & ſeniorum conſilio agendum duceretur. Vterq; Moguntiam contendit. Quum ergo compertum haberet filius, patrem clam machinari apud eos quos ſibi putaret conſentaneos, ea quæ paci & inſtituto non congruerent, orauit patrem (idq́; ſi reniteretur, cogere poterat) vt propter pontifices qui eius euitarent communionem, ſecederet in locum vicinum conuentui arcis ſecretæ, vbi diligentiſſimè aſſeruaretur, curante filio ne quis præter ſolitos miniſtros eum interpellaret.

Henrici cum filio colloquiũ.

Henricum filium arce inclu ſum continet.

CA. 20.

HENRICVS ergo eius nominis V. iam patre velut capto, & in arce conſeruato, libera poteſtate regnum adminiſtrat ad annum Chriſti ſextum poſt mille centum. Moguntiæ tum tantus erat principum cõuentus, quantus ab vlla vnquam memoria. Quinquagintaduo numerabantur illuſtres: nec quiſquam ex omni regno defuiſſe putabatur, præter vnum Magnum Saxoniæ ducem, qui ſolus ætate graui adeſſe nõ poterat. Superuenientes apoſtolicæ ſedis legati, Albanus & Conſtantienſis epiſcopi, anathematis execrationem, quod in ſeniorem Henricum à tot ſibi ſuccedentibus Romanis pontificibus promulgatum erat, teſtificati renouarunt, communionem eius interdicentes vniuerſis catholicis viris, & omni regno Romano: hortantes & deprecantes, vt omnes eccleſię filij matris incolumitati conſulerent aduerſus tantum hoſtem, vnius capitis contumacis ſuperbiam frangerent. Hic iam variant ſcriptores. Quidam contendunt abſentem omni Imperij honore deſtitutum, mandatumque Moguntino, Colonienſi & Wormacienſi epiſcopis, vt eum adeuntes, Imperialia inſignia auferrent inuito. Quumque in ſenioris veniſſent conſpectum Ingelheim, quo loco palatium inſtruxit Magnus Karolus, mandata concilij exponebant pontifices, poſcentes vt inſignia volens traderet. Illo autẽ cauſam requirente tam ſeuerę in ſe inauditum à concilio ſententiæ, obieciſſe ei feruntur in conferendis epiſcopatibus & abbatiis ſimoniam. Tunc Imperator, Dic Moguntine, dic Colonienſis, per nomen æterni Dei, quid à vobis acceperim. Dixerunt, Nihil. Et Imperator, Gloria Deo in excelſis: quia vel in hac parte fideles inuenti ſumus. Certè maximę veſtræ dignitates potuiſſent magnum cameræ noſtræ, ſi ita quæreretur, quæſtum præſtitiſſe. Dominus Wormacienſis nouit, & nos non ignoramus, quæſtu an gratia interueniente illum receperimus. Nolite patres temerare fidem veſtram. Ecce iam ſenio laboramus: ſuſtinete modicum, & nolite in confuſione gloriam noſtram terminare. Generalem curiam expetimus. Si cedendum eſt, propriis manibus filio coronam trademus. Illis renitentibus, & vim oſtendentibus, parumper ſecedens Imperialibus ſe veſtiuit inſigniis: & reuerſus, Hæc, inquit, Imperialis honoris ſunt inſignia: hæc mihi præſtitit æterni regis pietas & principum electio. Potens eſt Deus nos in his conſeruare, & manus veſtras ab opere cœpto cohibere: quamuis ſimus armis & militia noſtra deſtituti. Securi enim de tali violentia nobis non proſpeximus. Sed timor Dei vos coerceat, quos pietas non reuocat. Quòd ſi neutrum reueremini, ecce præſentes ſumus, non poſſumus viribus refragari. Hæſitant pontifices: ſed inuicem cohortantes, accepto conamine Imperatorem adeunt, coronam capiti detrahunt, & ſede detractum omnib. Imperialibus exuunt. Imperator ab alto ductis ſuſpiriis, ſic eos alloquitur, Deus vltionũ dominus videat, & vindicet iniquitatem quam facitis. Ignominiam ſuſtineo antè inauditam. Sed delicta iuuentutis apud iuſtum iudicem Deum luo. Vos tamen immunes à crimine non eritis: quia iuſiurandum præuaricati, iuſti vindicis vitionem non effugietis. Non proſperetur honor veſter: ſit portio veſtra cum eo qui tradidit Chriſtum. Illi obturantes aures retro cedunt, filio eius Imperialia deferentes. Fugit autem inde pater in Limborg. Inuenit venantem ibi quendam ex principibus, quem dudum illo priuauerat ducatu. Hic vt audiuit rem geſtam, miſertus illius, fertur collegiſſe octingentos loricatos, & reduxit Imperatorem in Coloniam. Hæc eſt narratio noſtrorum annalium. Alij breuius rem ſcribunt.

Imperator cõcilij autoritate anathemate feritur.

Imperatoris cum legatis colloquium.

Epiſcopi Imperatori veſtem & inſignia omnia detrahunt.

Quum

Quum depoſceret Imperator prodire in conſpectum concilij Moguntiæ congregati, veriti principes, ne ſenis commiſeratio (quem ſciebant incorrigibilem) populum in tumultum verteret, omnes qui de concilio regni fuere cum legatis apoſtolicæ ſedis, Ingelheim ſe conferunt, ſenem concilio circumſiſtunt, eum vſq; ad reatus ſui confeſſionem pertrahunt. Satiſfactionem pollicetur ex eorum conſilio. Legati apoſtolici abſque generalis ſynodi decreto nihil facere ſe poſſe teſtantur. Imperator tamen legatis & principibus, vbi conſenſerunt, annuens, Imperialia inſignia, crucem, lanceam, ſceptrum, globū atque coronam, filio permittit, proſpera illi imprecans: illū primatibus multo fletu commendat: & extunc iuxta ſummi ſacerdotis totiusque eccleſiæ decreta ſuæ ſe conſulturum animæ promiſit.

CAP. 21.

Henricus V. patre abdicato regnat.

HOC ordine Henricus eius nominis V. primùm à patre, deinde ab vniuerſis Germaniæ principibus in regem iam ſecundò electus, ab apoſtolicis quoque legatis per manus impoſitionem catholicè confirmatus, acceptis tam ab epiſcopis quàm à laicis principibus (iuxta morem regni) ſacramentis, cœpit anno Chriſti ſexto poſt centum atq; mille regnare. Relatis ergo coram rege cunctiſque Germaniæ principibus & præſulibus omnique clero & populo legationibus Roman. ſedis, ſuper eccleſiarum regni commendatione diuerſa, & erratorum emendatione ab vniuerſis æquanimiter promiſſa: placuit tam regi quàm primoribus ad ſanctam matrem Romanam eccleſiam tantos ac tales ex Germania mitti legatos, qui & de obiectis ritè rationem reddere, & de incertis ſagaciter inueſtigare, ac per omnia eccleſiaſticis vtilitatibus poſſent cõſulere. Separantur in hoc opus viri ſapientia pleni, ſpiritu, dignitate, natalibus & eloquentia præcipui, nullaq; ſecundum Deum ſiue ſeculum veneratione indigni: à Lotharingia Bruno Treuerenſis, à Saxonia Henricus Magdeburgenſis, à Francia Otto Bambergenſis, à Bauaria Eberhardus Eyſtetenſis, ab Alemannia Gebehardus Conſtantienſis, à Burgundia Curienſis epiſcopi: nonnulli etiam nobiles de latere regis laici. Idque inter cætera ſuſcipiunt in mandatis, vt ſi fieri poſſit, domini apoſtolici præſentiam ciſalpinis regionibus ſolicitent exhiberi. Sic nimirum poſt tot annos obnubilata lux denuo cœpit oriri orthodoxa. Depublicatur & ventilatur, diiudicatur & conuincitur, fœtet & reſpuitur, condemnatur & anathematizatur hæreſis Wigbertina & Henriciana, fugatis & deſtitutis eius defenſoribus ſectatoribúſque. Catholici præficiuntur ſedibus: è quibus etiam aliqui inter ipſa feſta conſecrantur. Cadauera ſchiſmaticorum, in primis Wigberti, iam annis ſex tumulati, proiiciuntur de ſepulchris, & ab ipſis ordinati, vſque ad concilij generalis ſatiſfactionem & ordinationem ſuſpenduntur. Erat tamen in Italiæ marchionatu ad Aquinum quidam partium Imperatoris præfectus, qui abbatem de Ferraria aſſumptum papam Cæſaris appellaret. Sed quum nemo ſequeretur abſurdam nouitatem, pœnituit ſtatim vtrunque facti, & in confuſione ſua vterque vſque ad plenam concilio ſatiſfactionem præſtitam permanſit. Dum autem miſſi quos diximus oratores Romam contenderent, perueniſſentque ad vallem Tridentinam eiusque oppidum, Albertus illarum partium nobilis adoleſcens cum armata cohorte irruit ſuper inermes: cecidit, cepit, vinxit. Sic enim Henricus ſenior per epiſtolas, quas queruloſas iuſſit circunferri, agebat apud conſentaneos: circumuentum ſe ac vi coactum dimiſiſſe Imperium, non ſua ſponte: proinde qui ſacramentorum eſſent memores, iniuriam eius vindicaturi adeſſent. Conſtantienſis epiſcopus cum ſuo comitatu diuerſo itinere ingrediens, auxilio Mathildis comitiſſæ peruenit ad Vrbem. Omnia penè itinera Henricus ſenior curauit aſſeruari. Otto Bambergenſis epiſcopus, quòd idem Albertus victor eius eſſet miles, retro dimittitur, cuius etiam interuentu Bruno Treuerenſis & Wigbertus comes, cum mandatis conueniendi ſeniorem Henricum, eiq; ſatisfaciendi, relaxantur. Sed Welpus dux Bauariæ hæc veritus, magna ſuorum manu contendit Tridentum, epiſcopū loci, quem ciues reprobarant, inuehens, & violentos illos ita comprimens, vt laxatis quos tenebant captiuis, nudis pedibus veniam factorum precarentur. Cometes qui tum ab initio quadrageſimæ in Dominicam luxit paſſionē, mala multa præſagiebat. In Elſatia tum ſe commouere nonnulli, qui iuniori Henrico male vellent.

Qua ratione in damnatos sit animaduerſum.

CAP. 22.

HENRICVS ſenior denuo ſibi partes conciliabat, epiſcopum Leodiēſem, ducem Lotharingiæ Henricum, Coloniam, Iuliacum, Bonnā (quæ & Verona) vrbes. Sed inter hęc intrepidus filius Paſcha Leodij celebrare cōſtituit, vt patris molitiones rūperet: ibiq;

conuentum principibus indicit Coloniæ demorantibus, qui hoſtilia ſenſere. Ipſe rex iam Aquiſgrani agens in die Dominicæ cœnæ præmiſit trecentos equites, qui occupato ponte tranſitum præberent ſuper Moſam. Idq; præſentiens Henricus dux Lotharingiæ, præmiſit & ille validiorem manum. Congrediuntur, de occupando ponte contendentes, & inſtituta dimicatione regij repelluntur: aditus regi præcluditur. Cadunt multi dum pugnant pertinaciter: alij in profluentem impelluntur. Hac re permotus rex cũriam transfert in Bonnam, ibiq́ue Henricum Lotharingum maieſtatis reum ducatu priuat, bellumq́ue parat Lotharingiæ. Henricus autem pater Coloniam communiuit, archiepiſcopo propulſo: valla & propugnacula firmauit. Quibus ex ſententia conſtitutis Leodium ſe transfert, idem ibi quoque moliturus. Interim rex Coloniam medio ieiunio obſidet: ſed caſſo labore teritur. Fiunt ſub muris leuia prælia: ſed ciuitas obfirmata non capitur. Senior autem Henricus literas cum nuntiis mittit principibus regni in caſtris apud Coloniam, ſub hac forma, Henricus Romanorum Imperator Auguſtus, epiſcopis, ducibus, marchionibus, comitibus, cæteriſque regni principibus, Gratiam & dilectionem dignantibus eam recipere. Conquerimur Deo omnipotenti, & dominæ ſanctæ Mariæ, & beato Petro apoſtolorum principi patrono noſtro, & vobis principibus omnibus, quòd iniuſtè, crudeliter, inhumanè, in illa fide de qua dubitare non debueramus, tractati ſumus: & tam honore regni quam prædiis & omnib. quæ habebamus, contra diuinum & humanum ius, ad infamiam & improperium regni, ita expoliati ſumus, vt nihil nobis præter ſolam vitam ſit relictum. Vbi quũ ferme omnes eſſetis, magna pars veſtri viſa eſt dolere & triſtari: ſed (proh dolor!) nihil nobis contulit veſtra triſtitia, quin de nobis ſibi ſatisfaceret voluntas inimicorum noſtrorum odioſa. Et quia quum conſilio & rogatu filij noſtri, fide & ſecuritate vitæ & honoris noſtri ab eo accepta, primùm fiducialiter & deſideranter in præſentiam legati Romani & principum tenderemus (vt eorum ordinatione ageremus tam de ſtatu eccleſiæ & honore regni, quàm de ſalute animæ noſtræ) ipſe non eſt veritus in hac voluntate & obedientia nos cõtra datam fidem capere, & vſque ad articulum fermè mortis ducere: non auſi ſumus illi nos ita credere, vt iniuriis & contumeliis nos pro voluntate ſua (ſicut prius) afficiat. Quapropter multum rogamus vos & obnixè precamur, vt pro timore Dei, & honore regni, & honeſtate veſtra dignemini ſtudere, quomodo de iniuria in oculis veſtris nobis illata, per vos poſſimus recuperare iuſtitiam. Nos quoq; pro conſilio veſtro, & aliorum qui nos odio non habent religioſorum virorum, parati ſumus tam filio noſtro (ſi in aliquo eum offendimus) quàm alicui in regno libenter emendare. Præterea ſicut Domino papæ, in præſentia legati ſui & veſtra obedire parati fuimus, ita & nunc parati ſumus ei omnem debitam reuerentiam & obedientiam ſincero corde & deuotione præſentialiter exhibere, & tam conſilio veſtro quàm ſpiritualis patris noſtri Hugonis abbatis Cluniacenſis, aliorumq́ue religioſorum virorum, de ſtatu eccleſiæ & honore regni, quantum in nobis eſt, diſponere. Quum ergo ad hæc omnia parati ſimus, rogamus vos, & obnixè precamur, quatinus pro Deo, & honore regni & veſtro, inſtanter moneatis filium noſtrum, vt ſecundum præfatam ſententiam nulla ei aduerſum nos reſidua ſit occaſio: amodo deſiſtat nos & fideles noſtros perſequi, & quietè pacificeq́ue viuere permittat, vt ſupradicta integrè cum tranquillitate perficiantur. Quod ſi noluerit, rogamus vos per authoritatẽ Romanæ eccleſiæ (cui nos committimus) & per honorem regni, ne ſuper nos & fideles noſtros veniatis: quia manifeſtum eſt eum non diuinæ legis zelo, vel Romanæ eccleſiæ dilectione, ſed concupiſcentia regni, patre iniuſtè priuato, hoc incepiſſe. Apud quem ſi interpellatio veſtra nullaq́ue alia interuentio ad præſens prodeſſe poterit, appellamus Roman. pontificem & ſanctam Romanam ſedem & eccleſiam. Ponendum fuit in ſua forma literarum exemplar ad fidem.

Henrici patris epiſtola expoſtulatoria.

Hæreticis non eſt ſeruanda fides, quam potentia non iſmetur.

CAP. 23.

POST lectas coram multitudine tam has quàm alias literas, parum verbis, nihil autem intentione à prioribus diſcrepantes (quas ad filium Henricum regem dedit) rex ex primatum conſilio legationem vicariam patri remiſit: quam tamen prius promulgari per Magdeburgenſem archiepiſcopum Henricum iuſſit: & hoc facto, ſuorum in ſe animos valde confirmauit. Erant autem mandata huiuſcemodi, Poſt inueteratam circiter annos quadraginta diſcuſſionem Imperij Romani, quæ tam diuinas quàm humanas iam penè leges aboleuit, & (exceptis mortibus omnimodis, ſacrilegiis, periuriis, rapinis & incen-

...ilij ad patrẽ ...concilij ſen...ntia reſpon...m.

incendiis)ipſum regem noſtrum non tantùm in ſolitudinem, ſed etiam ad apoſtaſiam à catholica fide,ſiue in ipſum paganiſmum,propemodum redegit: reſpiciente tandem eccleſiam ſuam diuina clementia,nos eiuſdem Chriſti ſponſæ filij, per Spiritum ſanctũ in vnitatem fidei æquanimes, reſpuimus ipſum incorrigibile ſchiſmatum illorũ caput, Henricum ſcilicet quondam Imperatorem,zelo Dei & apoſtolicæ fidei obedientia abdicauimus,catholicum nobis(licet ipſius de ſemine natũ) regem elegimus: cuius regni principium,ſui finem eſſe conſpiciens,etiam ipſe tanquam voluntarius,ſed (vt eius iam fatentur literæ)nimis inuitus collaudauit, regalia reddidit, curam cum regno noſtræ fidei lachrymando commiſit,de reliquo nullam ſe regni pompam,ſed animæ ſuæ medelam quæſiturum ſpopondit. At nunc ecce priſtinis ſe reddens tergiuerſationibus, præiudicium ſe paſſum per terrarum orbem conqueritur: Gallorum, Anglorum, Danorum cæterarumq; finitimarum gentiũ,gladios cordibus noſtris infigere meditatur. Super illatis iniuriis recuperare ſibi iuſtitiam precatur, conſiliis quoq; noſtris ſe promptum de cætero obedire pollicetur:re autem vera ſolitis argumentis caſtra hæc Domini diſpergere,Chriſti exercitum exarmare conatur,&(vt in propatulo eſt)vineam Domini, quæ iam floreſcere cœpit,tam per ſe,ſingularem vtique feram, denuo depaſcere, quàm per vulpes,homines doloſos,demoliri,ac per ſacrilegia ſacerdotum Belial anathemati recidiuo reddere,imò(quod dictu quoque nephas eſt) Chriſtum iam in eccleſia ſua reſurgentem,in omnium cordibus iterum crucifigere cõtendit. Quapropter placet tam regi quàm vniuerſis regni principibus,imò cuncto exercitui orthodoxo, quòd ſenior ille (ne vlla pateat illi aduerſum nos iuſta querela)quacunq; elegerit ſecuritate, quacunque maluerit ſtatione,coram præſente ſenatu ſimul & populo cauſam ſuam agat, iuſtitiam ſuſcipiat,eamque reddat: quatenus ab ortu ſchiſmatis,omnibus ſeditionum cauſis, acſi nil iam inde fuerit diffinitum, vndiq; diſcuſſis:tam filio quàm patri ſua cuiq; iuſtitia reſpondeat:eccleſiæ vero ſtatus non(vt ipſe more ſuo proponit) poſt longas inducias,ſed in præſentiarum his controuerſiis diremptis deſinat vacillare.

QVAM legationem probatæ ſingularisq; prudentiæ perſonæ, abbates videlicet & presbyteri, vnà cum quibuſdam laicali ſub habitu viris religioſis, tam à rege quàm vniuerſis principibus(imò toto exercitu)ſuſceptam,ex Imperatore ſæpedicto vix eius præſentiam fandique licentiam aſſequuti,quum retuliſſent, horribile eſt memoratu quàm ingenti vitæ ſuæ periculo per dies ſex (eo quòd nullo modo conuentui malignantium communicare voluerint) indignè tractarentur: tandemque ab irruente ſibi in eadem qua manebat cuſtodia vulgo liberati,abſque omni ducatus præſidio,caſtris circa Coloniam poſitis redduntur,id tamen præcipuũ inter ſeniores reſponſum referentes: Quantum ad præſens,regij ab armis decedant,& in futurum ſuper huiuſcemodi ſimultatibus inter patrem & filium,& vtrique cohærentes cœtus principum inſtituatur. Interea Henricus ſenior & adiutores partis ſuæ exercitum conflant ingentem,iterumq; tentare prælio fortunam conſtituit. Quapropter vniuerſa militia regis iunioris, quando aliter fieri non potuit,ferro rebus finem facere deliberans,ne fortè(quod erat futurum) Colonienſes ciues eruptione facta,vbi audirent adeſſe cum exercitu ſeniorem ſuum Henricum, regi incurrerent:ſoluit obſidionem,mouens in Lotharingiam,& munitionem quam firmauit hoſtis,regius exercitus deiicit:præmittentes ad Henricum ſeniorẽ ſecundos nuncios,qui illi optionem proponerent, aut cauſa pacis pacto præſcripto componendæ filio Aquiſgrani occurreret,aut imminens prælium expectaret exciperetque. Quibus legatis cuſtodiæ traditis, ad occurrendum occultè omnia præparat. Iterum variant hoc in loco ſcriptores. Nam alij tradunt ad pugnam eſſe peruentum, victumque patrem atque captum,quum teneretur,rogaſſe illum Spirenſem epiſcopum aliàs illi familiariſſimum,vt præbendam ſibi in eccleſia Spirenſi permitteret, vbi ipſe Henricus glorioſum monaſterium beatiſſimæ virgini dudum antè fundauerat. Sed epiſcopo renuente Cæſar ſuſpirans cum lachrymis fertur exclamaſſe, Miſeremini mei ſaltem vos amici, quia manus Domini tetigit me. Mortuumq; hi ferunt Leodij, ſtetiſſeq; cadauer inhumatum in deſerta capella annis quinque: deinde apud Spiram ſepultum. Alij tradunt ad pugnã hac vice non eſſe peruentum:ſed dum in cuſtodia nuncij tenerẽtur Leodij, Henricum ſeniorem eſſe vita functum,tum dimiſſos nuncios,mortis eius famam ad filium retuliſſe. Dictu mirum quanta cunctorum exultatio, quòd frenum de maxillis omnium de-

C A. 24.

Hẽricus ſenior vim parat.

Varia de tetius negotij exitu ſententia.

tractum videretur. Miſerabile in tanto regni conuentu, non eſſe inuentum vel vnum qui ſuſpiraret: ſed cuncti velut reddita vita ex mortuis tripudiarunt. Otbertus Leodienſis epiſcopus cæteriq; ad fidem regis confugiunt: grauiter increpiti recipiũtur. Cadauer iam Chriſtianæ ſepulturæ traditum in monaſterio, iubetur extrahi, & in locum poni nõ conſecratum: vbi poſt quinq; annos reconciliatum Spiram perducitur. Mirum & incomparabile rerum humanarum ſpectaculum, & exemplum non vulgare, in quo contemplari poſſunt ima atq; ſumma. Si laudes requiris, nobilis, doctus, fortis, procerus & rege dignus vultus, qui ſummam reipublicæ tenuerit annis quinquaginta. Cæterùm ſi in alteram partem reſpicis, incredibilia dictu flagitia & pertinax ſuperbia adeo ſibi hominem dimidiarunt, vt potiores ſibi partes in vno vendicarent. Habeant reges ſpeculum vtriuſque fortunæ in homine. Qui vbi tolerabiliter ſe geſſit, in ſummo rerum mortalium faſtigio effloruit: vbi verò verſus eſt in reprobos mores, extremam incidit calamitatem, non in morte luctum, non ſepulturam accipiens. Eodem anno iam rebus omnibus componendis papa Paſchalis II. rogatus in Germaniam deſcendere, ad Padum fluuium vſque perueniens, eodem in loco concilium celebrauit, reformans confracta, concilians abiecta, epiſcopos conſecrans, archiepiſcopis ſua pallia mutans, quæcunq; ab antipapa acceperant. Et ſuper his omnibus decretum tale promulgauit, Per multos iam annos regni Theutonici latitudo ab apoſtolicæ ſedis vnitate diuiſa eſt. In quo nimirum ſchiſmate tantum eſt factum periculum, vt (quod cum dolore dicimus) vix pauci ſacerdotes & clerici catholici in tanta terrarum latitudine reperirentur. Tot igitur filiis in hac ſtrage iacentibus, Chriſtianæ pacis egit neceſſitas, vt ſuper hos materna eccleſiæ viſcera panderentur. Itaq; patrum exemplis & ſcriptis inſtructi, qui diuerſis temporibus Nouatianos, Donatiſtas & alios hæreticos in ſuis ordinibus ſuſceperunt, præfati regni epiſcopos in ſchiſmate ordinatos, niſi aut inuaſores aut ſimoniaci aut crimino ſi ſint probati, in officio epiſcopali ſuſcipimus: idipſũ de clericis cuiuſcunq; ordinis conſtituimus, quos vita ſententiaq; commendat. His atq; huiuſcemodi ſuper eccleſiis diuini luminis orientis auroræ diffuſis ſplendoribus (quia nimirum tandem venit tempus miſerendi) pariterque apoſtolicis dignati benedictionibus ad ſua læti alacreſq; quique reuertuntur.

[Margin notes: …cadaueris reconciliatio, vt … Chriſtianæ ſepulturæ tradatur. / Papæ de reconciliata Eccleſia decretum.]

CAP. 25. HOC anno, qui fuit ſextus poſt mille centenos, Magnus dux inferioris Saxoniæ exceſſit rebus, pro quo ſurrexit Luderus dono Henrici Cæſaris, eo quòd Magnus maſculam prolem non reliquit: filias autem duas habuit: quarum vna Heilike nupſit Ottoni comiti de Balenſtede, genuitq; illi Albertum marchionem, cognomento Vrſum: altera filiarum Wulfildis nomine, data eſt duci Bauariæ Welpo (Latini dixere Catulum) quæ peperit ei filium Henricum, Henrici Leonis patrem. Luderus autem (quem Galli & Itali, poſtquam peruenit ad Imperium dixere Lotharium, quòd hoc illis Imperatorium nomen videretur) obtinuit, vt diximus, concedente Henrico V. ducatum Saxoniæ, gubernauitque cum modeſtia Saxones cum vicinis Wandalis: cuius maiores à proauo erant comites de Queruorde, qui titulus cum dominio vſq; hodie manet. Sed nobiles per ſucceſſionem materni generis, aut per initam affinitatem nõnunquam mutant titulos. Vnde factum eſt, vt pater Luderi Gebehardus comes eſſet de Suppelenborg, & comes de Arnsberge. Luderus autem coniugem promeruit Rixã, filiam Henrici comitis de Northem, & Gertrudis matris, quæ fuit ſoror Egberti nouiſſimi marchionis de Saxonia. Ceſſo Henrico comite in Norden Phriſiæ, Gertrudis vidua manens, rediit in Brunſwicum, & propinquam arcem Dancquerode, quæ tum ſita erat ad mœnia, nunc eſt incluſa vrbi. Rixa eius filia ad maritum attulit dotem Brunſwicum oppidum cum attinentiis, ex materno ſanguine. Sed & paterno genere non fuit Saxoniæ aliena, quòd auus eius paternus Otto fugatus (vt diximus) ab Henrico Imperatore IIII. Bauaria, ad Viſurgum ſedit, & ibi vſque ad Northem & contermina omnem gubernabat ditionem, princeps Saxonici generis. Quam omnem ditionem quum hæreditariam Rixa accepiſſet, marito Ludero in dotem afferebat. Vnde apparet, quòd mortuo (vt diximus) per ea tempora Magno, de genere Hermanni nouiſſimo Saxoniæ duce, non ſine cauſa Henricus V. dedit Ludero ducatum Saxoniæ, cuius iam magnam teneret partem ex coniuge in dotem. Magni autem filias alteram Otto comes, alteram (vt diximus) Welpus (ſiue Latinè Catulus) dux accepit Bauariæ. Operæprecium eſt intelligere quis fuerit ille Otto, cui primam filiam deſponderit Magnus dux Saxoniæ. Erat is comes

de Balenſtede, pater comitum de Anehold, tenuitq́; Soltwedel ſuo tempore. Qui quũ locum tituli ſui conſecraret in monaſterium diui Benedicti (quod hodie ſeruat nomen, parum, vt fieri ſolet, detorto vocabulo, nam hodie vocant Balingſtede) conceſſiſſetque ipſe cum familia & omni domo in arcem Anehold: inde detrito & abolito priore, titulũ mutuabat, quem vſque hodie tenent eius poſteri. Reliquit is ex Magni filia filium Albertum cognomine Vrſum, qui meruit marchionatum de Brandenburgo, contenditq́; cum Hérico Catulo Leonis patre de ducatu Saxoniæ, quum illi faueret Imperator Conradus. Sed is Albertus plures reliquit filios, Ottonem poſt ſe marchionem, Sifridum archiepiſcopum Bremẽſem, Bernhardum, quem Fridericus I. Imperator, deſtituto Leone, ſurrogauit ducem Saxoniæ, quòd ſanguinem trahetet Magni, ſicut Henricus Leo. De armis autem Saxoniæ hoc ferunt. Otto pater Alberti ſtratoria ligna in clypeo tranſuerſa, atro giluoq́ue colore variata ferebat. Bernhardus ad pedes Imperatoris Friderici iam de ducatu Saxoniæ inueſtitus, orabat vt aliquo à fratribus diſcrimine arma ducatus ſui inſignirentur. Tum Imperator, vt erat coronatus per æſtum, ruteam coronam inie-cit ex obliquo ſupplicantis clypeo. Hoc eſt ergo ſertum quod paternis inſigniis Bernhardus iam Imperatoris dono adiecerat: nam vetera Saxoniæ ſigna candidum præferebant pullum equinum. Hæc per anticipationem dicta ſint, forſan in ſuo tempore breui perſtringenda: vt originem oſtendamus & ducatus & ſignorum.

Coronas per æſtum gerendi mos.

CAP. 26.

QVO tempore comes Holſatorum Godfridus, occiſus per latrunculos ex Wandalis, locum fecit comiti de Scowenburg in Holſatia. Quum enim prædas egiſſent Wandali pro ſua conſuetudine ex Stormaria, Godfridus eius ditionis comes, audita hoſtium incurſione, expediuit celertimè quos poterat, ſequutus hoſtes: obuium habuit lamentantem, quem de hoſtibus percontatur ſi vidiſſet. Ille mœſtus (vtpote rebus omnibus deſtitutus) comiti ait, Si tibi vt mihi hæreret iniuria, acrius inſectareris: nunc lentus incedis. Expectabat autem maiorem ſuorum manum, qui (vt fit) non eadem celeritate arma expediunt: nec enim plures viginti equitibus tum habebat. Ruſtico tamen conuitio vir militaris motus properabat ad hoſtes non expectans ſequuturos. Illi vbi viderant ſequentem, perpenſa paucitate, contempſerant: & declinante in inſidias parte, ſinebãt præterire. Inde vbi medium habuere, à tergo & fronte adorti, facilè tam paucos oppreſſere. Hic fuit exitus comitis de Stormaria & Holſatia. Luderus autem dux Saxoniæ comitatum illum dedit nobili Adolpho comiti de Scowenborg: fuitque pax inter Adolphum comitem & Henricum principem Wandalorum, cuius nomen celebre eſt in noſtra Wandalia. Hoc autem in loco breuiter repetẽdi ſunt huius inferioris Saxoniæ principes in ſuum catalogum. Hermannus teſtimonio virtutis ſuæ eam ſibi vendicat gloriã, quòd infimo militiæ genere natus ducalem honorem primus inueheret in domum ac familiam ſuam: qui genuit reliquitq́ue filium Bennonem æquè virtutis & religionis fama illuſtrem, qui patrem poſcentibus exhibuit, & vſque in finem Imperatoribus ſuis fidus permanſit. Hic reliquit filium Bernhardum iam paulo paternę humilitatis oblitum, qui auum potuit principem numerare: & ideo auſus eſt rebellionem oſtendere Henrico Imperatori II. cuius etiam frater duello periit quod expetiit. Bernhardus autem Ordolphum & Hermannum filios habuit, quorum prior ducatum, alter adminiſtrauit comitatum, ſiue ille Phriſiæ, ſiue Stadenſis, ſiue Holſatiæ fuerit. Res enim in incerto remanſit: ſunt autem indicia in omnem partem. Nam quòd Phriſiæ fuerit ſuprà indicauimus: nunc quòd Holſatiæ comitatus is fuerit, inde præſumitur, quòd Luderus dux in eo fecit ſucceſſorem. Ordulphus dux genuit Magnum, qui vſq; in ſenectam vltimam perueniẽs hæc tempora tetigit: de quo tradunt nonnulli, quòd Henricus V. inuẽta occaſione, Magnum ducem & Ottonem comitem eius generum captos tenuerit: Ottoni ferunt permiſiſſe veniam abeundi, facta ſponſione de more militari. Sed ducem ætate grauem in ea captiuitate finem tradunt feciſſe viuendi. Id qualecunque fuerit, relinquimus in medio: hoc certum habentes, quòd Magnus dux nullam maſculam prolem reliquerit: ſed ex filiabus multa proceſſit nobilitas. Habuit autem Magnus fratrem Ottonem, qui duos ex vxore ſuſtulit filios: ſed ambo ante patrem bello, & ipſe pater ante Magnum morte conſumpti ſunt.

Godfridus ab hoſtib. circũuentus deletur

Saxoniæ principum catalogus.

CA. 27

AD Holſatiam aliquando commemorandam, ipſe nos legitimus rerum ordo perducit: quòd illi comitem præfeciſſe diximus Luderum ducem Saxonię, quum eam vacua-

tam donaret Adolpho comiti de Scowenborg. Semper autem Saxoniæ connumeratã accepimus eam Tranſalbinam vſque ad Eydoram & Aldenburgi regionem: quod multis rebus & oſtendimus, & quum tempus admonebit, non obliuiſcemur oſtendere. Holſatia nomen ſuum habet mutuatum de lingua vernacula, quia terra nemoroſa & ſaltib. occupata, ad differentiam vicinarum partium, quæ paluſtres & paſcuæ ſunt. Incolæ eius dicti ſunt inter Saxones Holtſaten, hoc eſt inter nemora ſiti: quum e diuerſo paluſtres dicantur Merſlude. Inde Holtſati, Holſatia, Latina nomina facta ſunt: vt ſolent Galli & Itali de ſuis quoq; vernaculis vocabulis locupletare linguam Latinam. Terminos autem habet hæc terra ab oriente Bilenam fluuium, ab occidente Storam, à meridie Albim, ab aquiſone verò Eydoram, qui limes eſt ab olim Danicæ nationis. A quo flumine orientẽ verſus genus habitabat olim Wandalorum, qui Wagrij dicebantur: vnde terra illa olim dicta eſt Wagria, ab vrbe veteri olim populoſa: nunc raris habitatoribus vicus eſt, ſine clauſura, ſine muro & vallis, ædibus paluſtri iunco ruſticis, in ortum porrecta ad Trauenam fluuium. Ea tamen huius regionis portio quę à Bilena ad Albim tenditur in Storam fluuium, Stormaria olim dicta ab eo flumine, parum loci reliquit veteri Holſatiæ, à Stora in Eydoram. Nam Thietmarſi populus paluſtribus locis habitans, liberum ſe aſſerit, nulli vnquam principi paruiſſe: niſi quòd Bremenſem eccleſiam breui ac tenui cenſu recognoſcit: cæterùm imperata non facit. Hoc tamẽ ex annalibus compertum eſt, eam terram cum vicinis Holſatis & Stormaris olim paruiſſe principibus Saxoniæ. Nam Magnus dux terræ huius, filio Godſcalci Wandali, quem Buthue dixerunt, auxilia attribuit ex Bardis, Stormaris, Holſatis, Thietmarſis: quod vtique imperare non poterat, niſi eos ditione tenuiſſet. Sed & Henricus dux Leo (quod dicemus) in eos duxit, & ad iuga coegit. Vrbem verò Hamburgum in Stormaria ſitam, in iure fuiſſe ducum Saxoniæ non eſt ambiguum: quòd Bernhardus dux, illo tempore quo Bezelinus archiepiſcopus Hamburgenſis præſidium ſibi faceret ad meridiem ab eccleſia (cuius fundamenta nuper fodientibus nobis comperta) Bernhardus dux ad aquilonem eiuſdem eccleſiæ ſibi ſuiſq; prætorium erexit: cuius reliquiæ cernuntur hodie in ſublimi colle ad Alſtriam poſt molas inibi iactas atq; firmatas. Et (quod lõgiſſima habet memoria) Karolus Magnus quum omnem Saxoniam fidei Chriſtianæ adieciſſet, Tranſalbianos quoq; ſubdidit: & quum rebellarent, populum fertur inde in Gallias tranſtuliſſe, hoc eſt vltra Rhenum in Brabantiam & Flandriam, agroſq; dediſſe vicinis Obotritis, qui eſſent Karolo fœderati. Hoc enim in Wandalia commemorauimus, quum ad annum Chriſti poſt octingentos decimũ, imperante iam Romanis Karolo, Wilſi (genus hoc quoque Wandalorum) facto agmine Hamburgum incurrebant, Karoli pręfectum Vtonem fugauerunt, necatis Chriſtianis prædas egerunt, & incenſo oppido in ſua redierunt. Ab illo aũt tempore, à quonã regeretur prouincia Tranſalbina non tenemus, præſertim quia indomitus populus non vnum ſequebatur principem, ſed in ſuo quiſq; angulo viribus & opibus potentior pro principe erat: donec redacta terra in prouinciam epiſcopis diuideretur: & deinde reges Germaniæ à Karolo deſcendentes, ducatum Saxoniæ libera poteſtate permiſere primũ Ludolpho, deinde Ottoni, demum Henrico, qui poſtea regnabat, Magni Ottonis patri. Cum Wedekindo tamen, qui rebellionis erat author & præſes, quiq; per annos triginta Gallos fatigarat, trans Albim præfuiſſe traditur quidam Albion, qui poſt multos labores iam rerum pertæſus, cum eodem Wedekindo venit ad Karolum, ſacrum depoſcẽs baptiſma & accipiens. Hic ergo primus Tranſalbianorum præſes Albion, cui ſecundũ iungemus Vtonem à Karolo præfectum. Ex illo autem tempore vſq; ad Hermanni ætatem omnino neminem legimus qui in hac terrarum parte dominaretur.

Holſatia cur ſic dicta.

Holſatia limites.

CAP. 28.

Holſatiæ qui præfuerint.

PER quinque autem ducum tempora Hermanni, Bennonis, Bernhardi, Ordulphi, Magni, hoc eſt ab Ottone I. vſque ad Henricum V. per annos circiter centum quinquaginta, ipſi duces per comites, qui aliquando ipſorum eſſent fratres, Holſatiam cum vicina regione gubernauerunt, vſque ad Magnum: qui diſtrictum illum commendauerat cuidam Godfrido (incertum an de illius ſanguine) à Wandalis, vt diximus, per inſidias intercepto. Quo tempore Luderus (vt diximus) dux ditionem permiſit nobili Adolpho de Scowenborg, ex quo in tempora noſtra per annos CCCC. durauit ſucceſſio: quod ſuo loco commemorabimus. Habitaſſe tamen ea in regione viros fortes nemini dubium ſit, qui proximis Danis & Iutis crebrius conflictati ſunt. Tametſi quoties à

Danicis

Danicis ſcriptoribus hæ res commemorantur, cum ſuorum laude & Saxonum detrimento res finiat. Sed erat is tum rerum ſtatus in Holſatia, quum eam Adolphus acciperet regendam, vt pacatis vicinis prouinciis ſatis ageret tempora tranquilla. Nam ducatū Sleſwickcenſem tum adminiſtrabat vir ſingularis induſtriæ, præcipuæ fidei & integræ religionis dux Kanutus, qui pro ſua virtute & nominis ſanctimonia miraculis clareſcēs meruit referri inter ſanctos. Ab oriente verò inter Wandalos Henricus Godſcalci Chriſtiani principis Chriſtianus filius, iam cæſo Critone Chriſtiani nominis ſæuiſſimo oſore & perſequutore, qui etiam vxorem cæſi principis ſibi deuinxit, quò populo fieret commendatior. Adminiſtrabat tum archiepiſcopatum Hamburgenſem, iam verò Bremenſem (perierat enim iam tunc titulus Hamburgēſis, omiſſus ab archiepiſcopis, poſtquam in Dania & Suædia conſtitutis à ſummo pontifice metropolitanis, legationis honor, qui titulo Hamburgenſi inhæſerat, finem habuit) Adelbero, inquam, tum archiepiſcopus erat Bremenſis, qui prouinciam ſuam Tranſalbianā viſitans, peruenit in Meldorpe Thietmarſię, ibiq́; aditus & interpellatus ab Holſatis, quam ſanctè rogatur, vt diuini verbi prędicatorem illis immittat, locum idoneum commanendi præferentes in Wippendorpe, deinde Faldera, demum Nouum monaſterium vocitatum. *Holſati Euangelii ſibi prædicari poſtulant.*

VICELINUS erat vir Deo deuotus, natus de Quernhamelen Saxoniæ: manſit aliquandiu in Euerſteen cum matre Conradi comitis, ad inſtituendos & erudiendos filios. Inuiderat illi ſacerdos, quòd apud dominā pro humilitate & virtute videretur multis acceptior, & ab illo interpellatur, propoſito verſu ex Achilleide Statij: illoq́; obmuteſcente ſequutus ſacerdos increpauit, quid præſumeret docere, qui ipſe nihil didiciſſet. Vicelinus pudore correptus, vertit illum in occaſionem acrioris ſtudij: nam profectus Padeburnam, ſub magiſtro qui ibi literas profiteretur, vigilanter impendit operam vt erudiretur. Equidem pro illa ætate, necdum crebreſcentibus per Chriſtianum orbem vniuerſalibus illis literarum gymnaſiis, apud eccleſias cathedrales magiſtri habebantur, qui ſingulari diligentia non modò rudimentis, ſed etiam altioribus doctrinis incumberent. Profecit autem Vicelinus non tam lectione quàm oratione. Quantū enim incumbebat literis, tantum alternantibus horis in religione per deuotionem creſcebat. Sanctorum exempla ſibi vitæque præſidio ſemper inuocabat, præcipuè deuotus diuo patri Nicolao: in cuius feſtiuitate dum ſocios ad eccleſiam inuitaſſet, audita eſt vox concinentium angelorum, Beatus Nicolaus iam triumpho potitus. Vocatus autem ad eccleſiam Bremenſem, ibi quod didicit docere cœpit, vt magiſtri ſuî coadiutor in erudiendis ſe minoribus fieret. Deinde in Franciam peregrinatus, ibi quoq;, vt doctior eſſet, doctiores audiuit. Inde verò regreſſus Magdeburgum ſe contulit, ad Northertum archiepiſcopū: à quo ad Alberonem rediit Bremenſem. Non eſt viſum ſatis ardentiſſimo homini docere Chriſtianos: altius miniſterium cogitauit in obſequio Chriſti. Nam Rodulphum Hildeſemenſem & Ludolphum Verdenſem canonicos, aſcitos ſocios deſumpſit in peregrinationem pro Chriſto, contuleruntque ſe in gentem Wandalorum, quæ vicina Saxoniæ ſæpe quidem recepit verbum Dei, ſed ſtatim reiecit. Adierunt verò in veteri Lubica Henricum eius gentis principem, virum Chriſtianum (ſed qui nouo principatu populum noua religione noluit exaſperare) rogantes vt eius permiſſu verbum Dei prædicarent. Nō negabat ille, quod ſua ſponte fieri ſemper optabat. Habuit igitur eos magno & honorato apud ſe loco, permittens illis eccleſiam ſuam, quam frequentabat. Illi ergo inſtituto operi quàm diligenter ſeruierunt: & vbi miſerante Deo rem in ſuis manibus creſcere cernebant, petita ad tempus venia, de rebus ſuis acturi reuertuntur in Saxoniā, vt inde liberius officio & ſacro inſtarent miniſterio. Redeuntes autem in idipſum repererunt Henricum emigraſſe, filios autem illius adoleſcētiores minus intendere religioni, magis autem tutando inuigilare principatui. Sed (vt dicere cœpimus) quūm Adalbero archiepiſcopus in Meldorp prouinciam ſuam deſcenderet, & cum eo Vicelinus, homines de Faldera diuini verbi prædicatorem ſibi ab epiſcopo donari rogabant. Sciens archiepiſcopus feruens in opere Dei Vicelini propoſitum, illis ipſum aſſignauit, & attentius hominem commendauit: cuidam autem Marcrado viro primario archiepiſcopus impoſuit præcipuam curam prædicatoris. Illi profecti alacres in ſua redierunt. Prædicauit autem inſtanter, & ad frugem vitæ melioris iam quidem Chriſtianos, ſed frigeſcentes perduxit. Audientes autem profectum eius prioris legationis ſocij, adiunctis

CA. 29

Ante conſtitutas academias vbi literæ docebantur.

Vicelinus Chriſtu Vvandalis nunciat.

ſibi aliis, Vicelinum denuo adierunt, vt eidem lucro animarum vigilantius intenderent.

[V]vădalia ſede [...]onis laborat.

Reſpexere autem in Wandaliam prioris operis prouinciam ſuam, vt iactum ſemẽ Deo fructificaret: ſed ita turbida fuere tempora, vt nihil inde ſperaretur. Nam Kanutus vnus ex Henrici principis filiis in Lutkenborg tum cæſus ferebatur: vnde omnis prouincia in motum excitata ad arma concurrit. Zuenteploch frater eius cædis conſcios perſequutus, vocatis ad arma vicinis cum Adolpho Holſatis, contendit in Obotritos, obſeditque vrbem quæ Werle dicebatur: qua in poteſtatem redacta auſus eſt progredi. Animos faciebat maiorum in populo fauor auitæ recordationis memoria, ſed & fortium virorum qui ſecum erant, fida pectora: Adolphus enim cum Holſatis aderat. Proceſſit autem ad vrbem Kiſſin. Non ſatis explicat antiquitas quo ſit ſita loco, an ad ripam Wernouiæ fluminis, non longè ſupra Roſtockium in colle. Extat hodie ibi eius nominis villa: & eſt veriſimile, priuſquam in loco ſuo Roſtockium cõualeſceret, viguiſſe illud oppidum: quomodo ſupra Wiſmariam diu floruit ingens ciuitas Mekelenborg, vnde principibus remanſit titulus vſque ad nos. Vrbis autem perexigua ſunt veſtigia, quum tamen eccleſias & aliquot habuerit monaſteria: quod in Wandalia commemorauimus. Nunc quod ad Holſatiam pertinet, hanc expeditionẽ attigimus, cui aderat primus Adolphus: vt quid illi rerum fuerit in prouincia, quum primùm intraret, intelligamus. Vixit autẽ hic Adolphus vſq; ad ſeptimum annum Imperij ſub Lothario, hoc eſt per annos XVII. in Holſatia, moriensq; filium reliquit Adolphum: nam alter ex filiis Hartũgus in expeditione militari ſub rege Romanorum cecidit in Bohemia. Nunc interpoſita huius comitis mentione de Holſatia, ad Henricum Romanorũ regem, à quo digreſſi ſumus, reuertamur.

CAP. 30.

ANNVS erat poſt mille ac centum ſeptimus, quum Henricus natale Domini Ratiſponæ celebrauit, præſentibus legatis ſedis apoſtolicæ domini Paſchalis: cuius aduentũ aliquandiu apud Auguſtam Vindelicorum, nunc Suæuorum, Henricus expectauit. Ille verò ſuorum conſiliis proteruiam (vt illi vocabant) Theutonicorum declinans, maximè propter ſeditioſum quendam tumultum, qui ſibi Veronæ manenti dudum occurrerat:

[I]nueſtitura Ec[c]leſiaſtica lai[cis] adempta.

ſuggerentibus quibuſdam quòd non facilè Theutonicorum natio decretum illud recipiat, quod quamlibet eccleſiaſticam inueſtituram de manib. laicis vetat accipere: necnon & animoſum cor regis adoleſcentis, quod nondum per omnia dominico iugo ſit habile. Hæc (inquam) multaq; id genus percepta vir Dei conſiderans, necdum ſibi oſtiũ Germanicis in regionibus apertum eſſe cum gemitu pronuncians, profectionem ſuam cum Hiſpaniarum legatis per Burgundiam in Gallias cõuertit, & Dominici Natalis gaudium ſua præſentia Cluniacenſibus multum ampliauit. Inde ſecedens ab vniuerſis finiũ illorum eccleſiis, vt verè Chriſti diſcipulus, & Petri ſucceſſor, Chriſtiq; vicarius, & Apoſtolorum imitator, ingenti honore ſuſcipitur, digna reuerentia pertractatur, non aliter quàm legifer de cælo miſſus auditur. Sic igitur per menſes aliquot vt fidelis diſpenſator & prudens, quotidianam ſolicitudinem omnium eccleſiarum gerens, tandem circa Aſcenſionem Dominicam concilium non contemnendum apud Trecas celebrauit: vbi inter multa, quæ pro tempore & neceſſitate corrigenda erant emendauit, ſententiam de libera prælatorum electione, & de coercenda laicorum in eccleſiaſticas dignitates præſumptione, iuxta ſuorum decreta prædeceſſorum promulgauit. At rex Henricus, peruagatis Saxoniæ finibus, poſt Paſchale feſtum Moguntiæ concilium atq; cõuentum habuit, eidem ſe vicinum non tamen præſentem exhibuit, cum nonnullis epiſcopis &

[G]ermani anti[qua] priuile[gi]a ſibi nõ adi[mi] poſtulant.

optimatibus: cum quibus inito conſilio, legatos honorabiles ad apoſtolicum paſtorem tranſmiſit, per quos tam ipſi quàm vniuerſæ ſynodo poteſtatem conſtituendorum epiſcoporum, priuilegiis apoſtolicis Karolo Imperatori atq; nonnullis ſucceſſoribus cõceſſam, intimari curauit. Super qua quidem quæſtione integrum annum illi pontifex, vt veniret, & coram ſynodo cauſam faceret examinari, indulſit. Tunc quoq; nonnullos pontifices, qui concilio Moguntino interfuerant, ab exequutione papa ſuſpẽdit: quos tamẽ non multo pòſt, ratione reddita ſatisfacientes clemẽter abſoluit. Rurſus verò necdũ humilitatem quam quęſiuit in cordib. Germanorũ inuenire ſe queſtus, Alemãnos nequaquam (vt propoſuit) viſitare, ſed Italicis ſe finib. cõtinere decreuit. Rex verò cum Bauaris Ratiſponæ colloquiũ habuit, atq; expeditionem in Flandriã facere cum illis deliberauit.

CAP. 31.

QVO circa Octobrem ingreſſus cum expeditis militibus, magna quidem incommoda prouinciæ intulit, Roberto iniuriam propulſante: ſed tamen ſine magno ſuo

lucro in propria breui eſt regreſſus. Res in curiam proximam diſcutienda eſt delata. Proximo anno, qui fuit octauus poſt centum ac mille, Moguntiæ peracta ſolennitate Dominici Natalis, tractata eſt cauſa Roberti Flandrenſis, & rediit in gratiam regis. Pannonij autem, hoc eſt Vngari, de regno contendentes binos habuere. Colomannus rex erat: alius frater ducatum ſub rege adminiſtrabat, nec eo contentus regni cum fratre gubernacula depoſcit: & dum inhiat regno, pariter amiſit ducatum. Is ad Henricum querelis plenus aſcendit, obteſtans vt iniuriam ſuam armis ſecum vindicare contendat, quòd idem quoque Colomannus Romanorum finibus grauis immineret. Rex facilè in ſententiam pertrahitur: grauem in eam expeditionem duxit exercitum. Sed ea fuit hoſtium præparatio vt nihil proficeret, ſine magno fructu, non minimo detrimento, reduxit copias. Qui proximus erat annus, conuentum habuit principum Moguntiæ: inde tamen tranſlatum in Francfordiam. Ibi Sigefridus comes, quòd Henrico Lotharingo iam in gratiam recepto de rebellione noua verbũ fecit, in carcerem epiſcopo Herbipolenſi traditur cuſtodiendus. Inde Poloniam tributa negantem magno armorum ingreſſus apparatu, ſatis coegit ad pendenda de quibus addubitauerant tributa. Sed in ea expeditione dux Bohemiæ regi militans clam occiditur. Ditionem inuadũt eius necis machinatores, Pragam occupant, Romano regno rebellionem monſtrantes. Præmiſſo autem expedito agmine, rex ipſe cum tota mole exercitus inſequitur. Qui præibant, fœliciter rem peragentes, capta Praga hoſtium ducem regi occurrentes pertrahunt. Inde Ratiſponæ indicto principum conuentu, de profectione in Italiam verbum emittitur. Ibi omnes parari ad eam expeditionem iubentur: nec ſecus faciunt. Non erat qui ſe à ſocietate eius expeditionis pro regni gloria, pro componendis quæ videbantur ſubeſſe ſimultatibus, proque deuotione quiſque ſua in ſanctiſſimo loco peragenda ſubduceret. Itaque ad principium Auguſti tranſitus indicitur, nec poterat vno agmine tantus exercitus perduci. Rex per montem Iouis cum parte copiarum, alij per Tridentinos montes tranſierunt. Prudentiſſimè prouiſa omnia, vt non ſolùm commeatus & arma, ſed etiam viri ſapientes adeſſent, qui rationem reddant omni poſcenti. Scotigena erat vir præcipuus, qui apud Herbipolim diu docendis præfuit eccleſiaſticis. Hunc rex aſſumptum iubebat omnia in ordinem acta redigere. Scripſit is tribus libris ſatis familiari ſermone, & qui etiam laicis vel parum doctis erat conſpicuus, huius peregrinationis curſum & expeditionis proceſſum.

Grauis apud Vngaros de regno contentio.

Henricus cum exercitu in Italiam contendit.

CAP. 3.

DIVISO incedentes agmine, obuia quæque vel deditione vel armorum vi excipiunt. Apud Nouariam vires coniunguntur. Placentiæ caſtra metatus rex aliquandiu quieuit. Inde Mathilda comitiſſa quia reſiſtere nequibat, miſſis nunciis ſe in poteſtate pollicita eſt futuram: illique rex liberaliter quæ eius eſſent permiſit. Satis aſpero deinde itinere, cum labore plurimo & iumentorum iactura per aſperrimam hyemem tandem applicuere Florentiam circa Chriſti Natalia. Ibi nouo ingrediẽte anno, inaudito ſplendore ſolennibus Natalis Dominici peractis, Aretiam mouit, à clero perbenignè, à ciuibus obſcurè excipitur. Clerum à ciuibus preſſum libertati reſtituit: mœnia & propugnacula, quæ ciues præparauerant, diruit. Inde ad Aquam pendentem defertur. Ibi occurrentibus ab Vrbe quos præmiſerat nunciis, cum ſupplicibus à pontifice oratoribus, qui vt pacificus veniret orabant, à ſuis proſpera omnia nunciari lętus audiuit. Inde alios de ſuis cum pontificis nunciis præire iuſſit, ipſe paulatim Sutrium peruenit. Quo loco iterum obuios habuit de ſuis, qui pontificem paratiſſimum cõſecrationi eius patefacerent, ſi modò rex liberam eccleſiis inueſtituram permitteret, ipſe abſtinens, & laicis principibus interdicens, ne quouis ſe modo de illis intromitterent: cæterùm ab eccleſiis ducatus, marchionatus, comitatus, aduocatias, monetas, telonea, cæteraque quæ tenent eccleſiæ regalia reciperet. Hæc pollicitus papa, necdum cum archiepiſcopis & epiſcopis & abbatibus Germaniæ erat interloquutus. Facilè duxit pontifex de ſuo ſenſu, ad morem Italicorum pontificum, illa regi polliceri. Sed non erat ea mens veterum Imperatorum & regum, qui eccleſias illuſtrantes contulerunt ea regalia, melius ab eccleſiaſticis quàm laicis adminiſtranda. Rex, ſi perficere poſſet quæ polliceretur pontifex, præbuit aſſenſum poſtulatis, ſed eo pacto, quatenus hæc tranſmutatio firma & authentica ratione, conſilio quoq; & concordia totius eccleſiæ ac regni principũ aſſenſu ſtabiliretur: quod etiã vix aut nullo modo fieri poſſe credebatur. Qua conuentione facta, di-

Papa veniente Henrico sibi conciliare conatur.

Regalia principes re..., dum inue... ſtitura ecc... ſiarum ſint, papa conced...

miſſis legatis,& obſidibus vtrinque remiſſis, rex hilariter properat ad Vrbem. Dominus apoſtolicus cum omni clero, imò vniuerſa Roma, ſe in eius occurſum adornat. Longū eſt narrare qua ſit exceptus honorificētia, & per Argenteam portam vſque ad mediam rotam, antiquo Romanorum inſtituto, deductus: ibique lectis publicè priuilegiis, tumultuantibus ad infinitum principibus, pro eccleſiarum ſpoliatione, ac per hoc beneficiorum ſuorum ablatione (quam regi pontifex pollicitus videretur) ingenti periculo & varia diſceptatione tota illa dies eſt conſumpta. Exegit papa iuramenta ab rege, quòd in apoſtolicæ ac catholicæ fidei obſeruantia integer, in apoſtolicæ ſedis reuerentia promptus, in defenſione eccleſiarum ſollicitus exiſteret. Sed rex iurare recuſauit, dicens, Imperatorem, cui ab omnibus ſacramenta deberentur, nemini obſtringendū per iuſiurandum. Ibi armatus regis exercitus iniecit manus in clerum. Sed nimiū hoc breuiter noſtri tranſeunt: operæprecium eſt ex Italicis rem mutuare, vt ſeriem geſtorū teneamus.

CAP. 33.

EXCEPTVS à ſummo pontifice rex ad gradus Petri, vbi pedes exoſculatus eſt, leuatur ad oris oſculum. Ibi principes bis amplexati in conſpectu infinitæ multitudinis, per Argenteam olim, nunc æneam beati Petri portam tranſeunt in baſilicam. In proximis pauimenti rotis ſedes binæ conſtitutæ, papæ ac regi, circumſtantibus cardinalibus cum epiſcopis, ac regni nobilibus qui cum rege veniſſent. Pontifex abrenunciari poſcit inueſtituras. Rex ad colloquium ſecedens in proximam beati Gregorij memoriam, tribus horis differt reſponſum. Papa tedio affectus, per nuncios orauit reſponſum. Venerunt non epiſcopi, non prælati, ſed ſatellites: renunciarunt non eſſe quæ poſcerentur indulgenda, quum ſit in Euangelio ſcriptum, Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. Replicatum eſt de parte pontificis multipliciter. Sed quum nihil ageretur, adueſperaſceretque, res eſt in craſtinum dilata. Non ſcribunt Italici quod Galli & Theutones conſona voce prædicant, pontificem regi omnium regalium à prelatis reſtitutionem faciendam pollicitum eſſe (quo impetrato nihil eſſet opus inueſtitura à rege, quando prædia non tenerentur ab eccleſiis, de quibus per regem eccleſiaſtici inueſtirentur) & eo pacto regem abdicaturum inueſtituras in promiſſis fuiſſe. In proximum diem, quæ fuit prima quadrageſimæ Dominica, quum taciti aſſiderent principes, pontifex loco mouens, altare ſancti Petri ad rem diuinam petiit. Celebrata miſſa pontifex ſe in cathedra continens, quid rex faceret diceretve expectabat: quū accedens ſatelles manus iniecit pontifici & cardinalibus, & ex nobilitate Romana plurimis: cætera cleri turba ad vnū ſpoliati omnes, nulla etiam veſte relicta. Poſtero die populus Romanus armis correptis in vrbem Leoninam (ea eſt Vaticanum) proruunt, Theutonicíſque per hoſpitia inuentis occiſis, pugna in ſcalis ſancti Petri, ad quas regij milites conuenerant, eſt relicta: exercituque regio, qui ad Saxonum vrbis Leoninæ portam in pratis conſederat, vt oppreſſis ſuis ſubueniret, ſe parante, Romani in Vrbem per pontem Hadriani ſe recipiunt. Per biduum verò quod ſequutum eſt, Theutonici armis retentis, id vrbis Leoninæ quod à Saxonum porta ad baſilicam vinariis hoſpitatoriíſque tabernis frequentabatur, ad libitum diſcurrerunt. Sed quarto abinde die quum reſciſſent Romanos, ſtructis in Vrbe aciebus, vt erumperent ſe parare, ilico rex, pontifice, cardinalibus cæteriſque captiuis in caſtra perductis, Vrbe exceſſit. Primis caſtris rex ad Soractis mōtis radices ripam Tiberis inſedit. Eo exinde vadato amne, rex pontifice & cardinalibus obſeruatis, ad prædam & incendia, quò magis terreret, emittit exercitum. Adeunt ex Theutonicis epiſcopis nonnulli pontificem, dolere ſe proteſtantes tantam ſanctitati ſuæ irrogatam iniuriam, quæ illis nolentibus ac non proſpicientibus accidiſſet. Verumtamen videri illis operæprecium vt neceſſitati temporis ſeruiatur, motum regis & principum (quibus obſiſti non poſſit) qualitercunque placandum, dignetur (quod neceſſitas monſtret) implere conſecrationem eius, vt omnia conquieſcant. Quibus ille reſpondit, Quid dicitis fratres? Virum hunc iniquum, virum ſanguinum & doloſum, à nobis dicitis conſecrandum? Bene expiauit manus ſuas ad percipiendam benedictionem, qui aras ſacras perfudit cruore innocentum ſacerdotum, & domum ſanctificationis repleuit cadaueribus cæſorum. Abſit à nobis verbum hoc. Quum illi dicerent ſaluti ſuæ ac multorum conſulendum captorum, reſpondit libera voce, Occidat corpora, animas auferre non poteſt. Non timemus regem: vobis hoc dicimus, nec proſperabitur in vita, nec gaudebit pace, neque videbit ſemen ſuum. Ea quum renunciata eſſent regi, iuſſit captiuos in cō-

Henricus inueſtituris non vult cedere.

Nimirū hinc illæ lachrymæ.

Papa cum ſuis ab Henrico captiuus abducitur.

ſpectu

ſpectu pontificis decollari. Ille hortabatur illos fortiter mori pro iuſtitia, certos de æterna ſalute: illi verò flexis in pontificem oculis vitam orabāt. Emollita ſunt viſcera pij patris. Euocatis notariis ſcripſit quæ rex voluit: & introductus in Vrbem à pontifice eſt conſecratus, & Imperator appellatus. Hæc verior narratio de multis extracta: vbi quiſque quod affectus monſtrat, ſcribit: Italus in contumeliam Germani regis, Germanus in ſuæ gentis defenſionem, pallia quæ poteſt obtendit. Hoc certum, vix Germaniam tetigit Imperator, quum euocato concilio omnes patres non priuilegium, ſed prauilegiū appellarunt, & iuſto metu extortum nullius eſſe momenti declararunt.

Conſecratio imperatoria metu extorta.

REVERSVS in Germaniam Imperator quum omnia ex ſententia procuraſſe videretur in Vrbe, venerūt qui ſpargerent in populo quid poſt eius abitum eſſet innouatum in Vrbe, de reuocatione priuilegij, de anathematizatione in caput Imperatoris repetita, propter vim & iniuriam quam intulit pontifici & curiæ. Qua occaſione freti in regno nonnulli cōſpirarunt in Imperatorem, execrantes impietatem, quam ipſe rex in ſuo patre vindicabat, imò quàm ipſe maiori ſcelere cumulabat. Pater erat contumax ſummo pontifici: iſte violentus in Chriſtum Domini. Albertus Moguntinus archiepiſcopus eius in Imperatorem rebellionis caput habebatur. Saxonum autem principes ad ſuam conſpirationem facilè pertraxit, quòd iam aſſueti viderētur Imperatoribus impiis ſe Saxones obiectare. Nouem enim prælijs aduerſus patrē eius pugnauerunt: nec grauabantur in filiū impietatis hæredem & ſucceſſorem arma corripere. Imperator autem præueniens archiepiſcopum cepit, & diu captum tenuit: expedito autem agmine mouit in Saxoniam, & necdū bene paratos neq; adunatos, viciſſim aggreſſus, alium poſt alium afflixit: & magna ſtrage ac præda peracta reduxit exercitū. Per quæ tempora Luderus dux Saxoniç vxorem accepit Rixam filiā Henrici Craſſi, ex Ottone Bauaro genitam: quem Henricū (vt diximus) Phriſones in Norden oppreſſerunt. Henricus autē Imperator proximo anno duxit coniugem Mathildam filiam regis Anglorum, celebrans nuptias apud Moguntiam. Hoc loco cōmemorant annales noſtri, ex Ludero duce & Rixa coniuge natam filiā Gertrudem, quæ nupſerat Henrico duci Bauariæ, genuerit q; Henricum illi Leonem: quod niſi accipiamus de primo Henrico Leonis patre, cōtrouerſiam patitur. Nam dux Bauariæ Welpus, Henrici primi pater, duxit filiā Magni, ducis nouiſſimi de genere Hermanni, quē Otto I. ſublimauerat, quæ genuit ei filium Henricum primū, cui vxor erat hæc Gertrudis filia Luderi, ex qua is Henricus proceſſit, quē Leonem omnes cognominauerunt: vt duplici iure pertineret is Leo ad Saxoniam, & ab auia filia Magni, & à matre filia Luderi: quem etiam Lotharium poſtea imperatōrem dixere Gallici cum Italis. Quod ideo commemorandum putaui, quia non attendunt plerique duos per hæc tempora fuiſſe Henricos Bauariæ duces, patrem & filium, quorū vterque pertinebat ad Saxoniam: pater per matrem filiam Magni, filius per matrem filiam Luderi ducis & Imperatoris, & auiam Magni filiam.

CAP. 34.

Saxonum autore epiſcopo in Imperatorem rebellio.

NEC prætereundum hoc loco, quòd Welpus iunior frater Henrici, qui habuere patrem Welpum ſeniorem, & matrem filiam Magni ducis Saxoniæ, reliquit Bauariam Henrico fratri, & concedens in Italiam coniugem accepit Mathildam illam potentem per Lombardiam fœminam, non ducis Mediolani (vt ſomniant nonnulli) ſed Egberti marchionis Saxoniæ filiam, Gertrudis illius germanam: ex qua nata eſt Rixa (quam alij ſcribunt Ribenſam) Luderi ducis Saxoniæ coniunx. Quam Mathildā magis pro ſua virtute & amplitudine patrimonij quod in Lombardia tenebat, quàm ſpe liberorū duxit vxorem. Ergo Welpus iunior, quū prolem nō haberet, religioni ſe totum cōmendauit. Audiuit, proauū ſuum, imò atauum, Eticonem ducē Bauariæ, ſub Ludouico Imperatore I. montem cū duodecim primariis viris introiſſe, ibique in abſtinentia vixiſſe & finiſſe. Scrutatus eſt ſaltus & nemora & omnia montis latibula, inuenitque ſepulchra, è quibus oſſa prolata iuſſit in Conſtantiam vrbem perduci: ibiq;, quòd miraculis claruerunt (mortui ſunt enim in Chriſtianiſmo, fugientes Gallicam ſeruitutem) eorum memoriæ dedicare voluit eccleſiam: quod impleuit. Quo tempore Gertrudis nobilis fœmina, filia & ſoror duorum Egbertorum Saxoniæ marchionum patris ac filij, relicta Henrici Craſſi comitis de Northem, ſocrus Luderi ducis (nam mater erat Rixæ coniugis eius) de Treueri rediens, corpus ſancti Authoris confeſſoris, Treuerenſis quondam archiepiſcopi, Brunſwicum aduehit: & quum in mœnia perduci non poſſet, mo-

CAP. 35.

Dotem duxit, non vxorem.

Eccleſia conduntur.

naſterium erigit ſub titulo ſancti Egidij, imponens fratres ordinis diui Benedicti, tum prope mœnia, nunc verò (prolatis finibus vrbis) incluſum mœnibus, perpetuum vrbis defenſorem, & ſanctum eius loci tutelarem. Cuius patrociniũ ſæpe experti ciues, præcipuè in oppugnatione vrbis à Philippo, qui de Romanorum regno cum Ottone IIII. contenderat, quod ſuo loco non præteribimus.

CAP. 36.

Anno 1115.

Imperator à Saxonibus prælio ſuperatur.

DECIMOQVINTO deinde poſt centum ac mille anno, quũ Imperator Henricus in Saxoniam iterum duceret, Luderus dux & Reynerus epiſcopus Halberſtadenſis, ac Fridericus comes de Arnsberge iuſtam illi aciem obiecerant, in loco qui dicitur Welpeshold. Impares quidem numero Saxones, ſed virtute & alacritate pares initio, & in fine etiam ſuperiores ſunt inuenti: nam conſertis manibus, victoria penes Saxones fuit. Trophæum erexere victores in loco pugnę, armatum claua virum, cum dependentibus armis Saxoniæ. Hanc ſtatuam ruſtica plebs in ſuperſtitionem (in quam ſunt faciles) verſa, cœpit velut idolum venerari, arbitrata eſſe antiquitatis deum, quem dixere Iodute. Eam verò quæ hodie extat conclamationem ad arma & auxilium non ab idolo ductam aut vano deo, ſed eſſe vocem Italicam, aut Gallicam, *Io adiute mi*, doctiores arbitrantur. Vbi intellexere viri prudentes ſtatuam populo dare occaſionẽ idololatriæ, deiecerunt penitus, reponentes in locum qui nunc dicitur Weddingſtede, conuentum fratrum prædicatorum poſt annos ex hoc tempore non minus centum. Eodem verò tempore quo Saxones exercitum regis contriuerant, Otto de Balenſtede comes, pater (vt diximus) Alberti marchionis Brandenburgenſis, inſignem & ipſe partibus Saxonum peperit victoriam. Duo Wandalorum millia ibant iaturi ſuppetias Cæſarianis. Id quum reſciſſet Otto, copias quantas potuit perarmauit, & ſe Wandalis obiecit. Contulere manus, maior pars cæſa Wandalorum, trecenti capti, vix pauci fuga ſunt elapſi. Ita duobus in locis vno in tempore Saxonibus res fuere proſperæ. Nec ignorantes quantam in ſe Imperatoris indignationem concitaſſent, inteſtinas ſuorũ diſcordias placauere, & externas ſibi vires conciliabant, vt redeunti Imperatori fortiores occurrerent. Sed Albertus archiepiſcopus Moguntinus, iam à ciuibus ſuis, Imperatorem in ea vrbe pene obſidentibus, carcere ſolutus, & eccleſię reſtitutus, quum apoſtolicam deſuper commiſſionem accepiſſet, Imperatorem vbique inſectatus, excommunicatum & anathematizatum nunciabat. Erat tum legatus apoſtolicus Dietherus in Germania, veniens ex Pannoniis. Hunc literis inuocat Albertus, inuitatq́; vt Coloniæ illi dignetur occurrere, conſecrationemq́; ſui diu dilatam perficere: erat enim toto pene triennio in carcere. Imperator autem iſta audiens, non frænabat indignationem, nec paſſus hominem needum plenè ſibi reconciliatum conſecrari archiepiſcopum, tamen impedire nõ poterat, quòd ciuitas quoque Colonienſis tum (vt antè diu) contra illũ ſentiret. Ibi publicata ſunt mandata ſummi pontificis in Imperatorem. Ibi multorum ab ipſo animi deflectuntur, quòd paternam impietatem maiori pertinacia cumularet.

Wandali Imperatoris auxiliares cæduntur.

Multi pontificis autoritate moti ab Imperatore aliẽantur.

CAP. 37.

IMPERATOR dum hæc agerentur, Spiræ Natalem Domini diem non lætus celebrauit. Audiuit enim apud legatum fuiſſe magnam epiſcoporum & nobilium manũ, qui papalibus mandatis auſcultaſſent. Is autem legatus rebus pro quibus venerat expletis, in itinere ad Vrbem deficiens moritur. Miſſus deinde ab Imperatore Herbipolenſis epiſcopus ad Vrbem, neque audientiam, neque communionem, antequam reconciliaretur, potuit obtinere. Expoſitis deinde mandatis, & accepto reſponſo, quum ad Imperatorem rediſſet, & quæ illi in Vrbe contigerant expoſuiſſet, ſubtraxit ſe de Imperatoris curia & omnium deinceps communione. Coactus tamen vitæ periculo, coram Imperatore celebrauit diuinum officium: ſed inde conceptam amaritudinem in omni reliqua vita diluere non potuit. Conſilio tamen prudentiorum adhibito reconciliatur, & eccleſiæ communioni reſtituitur. Qua commotione rerum ſuccenſus Imperator in epiſcopum, ducatum Franciæ, qui ex antiquo eccleſiæ Herbipolenſi deberetur, Conrado nepoti ſuo conceſſit. Et quum omnes ſe ab eius communione retrahere cerneret, ſcandala declinans, ipſe cum regina conceſſit in Italiam, & ad Padum ſedens regni negotia pertractabat. Inde legatos mittens ad ſedem apoſtolicam, inter ſacerdotium & regnum controuerſiam dirimere ſatagebat. Cuius legationis primarius fertur extitiſſe Cluniacenſis abbas, Imperatori commendatiſſimus, apoſtolico etiam præſuli ſanguine coniunctus. Is verò miram intendit operam reconciliandis vtriſque, fidelis aprocriſarius,

Sacrorũ communione Imperator interdicitur.

rius,fidelis zelator pacis: per cuius inſtantiam factum eſt, vt eodem anno ſynodus Romæ in Conſtantina baſilica celebraretur. Ibi ex omni Chriſtiano orbe archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus & nobilibus congregatis, cœperunt agi primo die cauſæ priuatæ duorum de Mediolanenſi epiſcopatu contendentium: & ea contentio primam diem finiebat. Deinde Lucenſis epiſcopus Piſanos impetebat. Tum ſurgens quidam ex epiſcopis, libera voce proteſtatur, Dominus noſter papa ex omni orbe Chriſtiano epiſcopos ac primarios viros euocauit: illi vero parentes, terra marique varia pericula tranſeuntes aduolarunt, non vt particulares controuerſias dirimerent: illis enim prouincialium cura ſuffecerat: ſed erat (vt arbitror) grauius aliquid quod de ſuo quemque exciret. Dignetur adaperire dominus noſter quod in animo habet: vt rebus publicis per ſummam diligentiam conſtitutis, ſuo quiſq; gregi aduigilans reuertatur in locum vnde prodierat. Ex hac verborũ formula intelligant qui nouerunt quid ſequentia ſecula addiderint blandimentorum, vt Sanctiſſimus dominus noſter appelletur papa, qui tũ ſimpliciter dominus noſter eſt vocatus. Idem perpendes apud principes ſeculares.

Synodus Romæ habetur.

Papa ſanctiſſimus pater adulatoriè appellatur.

CAP. 38.

TVM ſummus pontifex, Poſtquam, inquit, Dominus ſeruum ſuum in hunc locum immeritũ prouexit, fecitq; de illo quod voluit, & præſens tum Henricus rex Germaniæ in me violentiam admiſit, vidi mala quæ cõtigerant in populo, plurimas cædes, rapinas, & ſanguinis immodicam effuſionem. Quarum rerum commiſeratione cõmotus, feci quod articulus neceſſitatis videbatur imperare. Nec tamen factũ defendo, ſed infirmitatis meæ contemplatione deprecatum eſſe cupio. Illud verò quod in tentoriis factum dicitur priuilegiũ, vobiſcum & cum omni eccleſia condemno. Tum Bruno Siguinus epiſcopus, Gratias, inquit, altiſſimo Deo, quòd papam audimus proprio ore damnantem priuilegium quod prauitatem & hæreſim continebat. Inde quidam ſatis cauillatoriè, ſi ergo hæreſim continebat, qui indulſit, hæreticus fuit. Quod verbum accipiens Iohannes Caietanus, Túne, inquit, Romanum pontificem audientibus nobis de hæreſi accuſas? Scriptum illud non rectum erat, ſed hæreticum non fuit. Tum alius, Ne illud quidem prauum debet iudicari, quod liberandis & redimendis fratrum animabus fuit impenſum, quũ Dominico pręcepto etiam animas ponere pro fratribus iubeamur. Hanc verborum alternationem excipiens ſummus pontifex, maximè hæretici vocabulo cõtremiſcẽs, expergiſcitur, & manu indicto ſilentio, Audite, inquit, fratres. Eccleſia iſta cui immeriti præſumus, hæreſim nunquam defendit, nunquam in ea hæreſis valuit: ſed omnes hæreſes hic ſunt exterminatę. Hic Arriana, Eutychiana, Sabelliana, Photiniana, & quæcunq; aliæ caput poſuere. Senſit eccleſia precem pro ſe Domini validã & efficacẽ. Ego, inquit, pro te rogaui Petre, vt nõ deficiat fides tua. Iniuriam illam à ſynceritate eius auertite. Hæreſim, licet peccator ſim, nunquam agnoui. Hac interim ſatisfactione, ſeſſio illa dirempta eſt. Proximo die papa audiendis priuatim Cæſaris oratoribus operam impendit. Erant abbas Cluniacenſ. Iohannes Caietanus & Petrus Leonis Vrbis præfectus. Hi Cæſaris cauſam, quantum poterant, ornauere. Proxima autem, quæ fuit Veneris dies, quum redirent in ſynodum, & Cuno Pręneſtinus epiſcopus excommunicationem in caput Cæſaris intentatam, authoritate concilij comprobandam contenderet, reſtiterunt illi in faciem, Iohannes cum Petro memorati. Sed papa Paſchalis ea moderatione fuit, vt ſedatis contentionibus ita loqueretur, Eccleſia ſponſa Chriſti primitiuis temporibus, quum martyrum ſanguine difflueret, apud Deum floruit, inter homines cõculcata. Succeſſere tempora, quibus Imperatores & reges in eam verſi, munificentia plurima condecorarent, prædia & poſſeſſiones in eam conferentes. Quod ergo contulerunt, quis interim auferet? Habeat mater eccleſia dona principũ: diſpenſet, conferat, tribuat, quibus de iure poterit & voluerit. Ego priuilegium, quod in tẽtoriis à nobis extortum eſt, quia papæ Gregorij VII. ſcitis cõtradicit, dum omnem ille inueſtituram eccleſiarum de laica manu interdicit, ego quoq; condemno. Hanc papæ ſententiam excepit Cuno cardinalis, epiſcopus Præneſtinus, Ego ſi huius ſedis verus fuerim & à te miſſus legatus, in hac ſynodo ex te papa audire contendo: & ſi quæ à me legitimè facta ſint rata eſſe iubeas, necne, propalam edicito. Tum pontifex, Conſueuere ante me pontifices à ſe miſſos in quaſque prouincias legatos, & eorum legitimè facta comprobare: & ego te ab hac ſede miſſum frater epiſcope palam confiteor, & quæ iuris tramite ſeruato à te peracta ſunt, ego confirmo, & ab hac ſancta ſynodo nil dubitandum quin

Facere mala, vt veniant bona, patres probant.

Inueſtituram principibus denegat papa, & regalia ſibi habere vult.

roborentur. Subſequutus autem Cuno ait, Quum in tranſmarinis agerem pro terræ ſanctæ ſubſidio,& horribilis rumor inſonuiſſet,Henricum regem in Romanum pontificem ac eius ſedis cardinales & epiſcopos,cum vniuerſo clero & populo Romano,vincula,ſpolia,prædas,verbera,neces intendiſſe (quod erat horridum auditu) contremui: & in virtute legationis mox excommunicationis gladium in caput contumaciſſimum diſtrinxi, per Græciam, Vngariam, Germaniam, & omnes quas pertranſiui prouincias publicaui. Ea vt rata ſint hoc ſacro concilio depoſco. Tum Viennenſis epiſcopi legati & literæ idem popoſcerunt. Vario tum aſſenſu perſtrepit aula. Minor erat contradicentiũ molitio: nihil tamen propter quorundam contradictionem illo potuit die peragi. Poſtero die nonnullæ ſunt in concilio cauſæ terminatæ. Apertum deſuper decretum non legitur, ſed quo res ſtatu fuit in eo permanſit. Crediderim motum Romanorum tum à Petro Leonis viro in Vrbe potentiſſimo formidatum, quòd tum Romanis non iniuſta depoſcere videretur Imperator. Et tamen ſcire velim quid tum in contentione fuerit. Si non aliud Imperator popoſcit, quàm vt manente eccleſiis & monaſteriis vacantibus libera electione,ſolam de prædiis inueſtituram (quæ vocatur regalium conceſſio)ad illum pertineret,iuſtum poſcere videbatur: idque generalis vſque hodie obſeruantia ad noſtra tempora comprobauit. Si verò cum regalium collatione omnem ſibi voluit Imperator permitti de perſona prouiſionem, violentum & iniurium videbatur quod poſcebat. Idque fuiſſe creditur quod inter regnum & ſacerdotium tum fuit in controuerſia. Per Germaniam verò tum multiplicata ſunt mala,partibus hinc inde ferro pro iuſticia decertantibus. Conradus in diœceſi Herbipolenſi pro ſuo, quem Imperator indulſit,dominatu ſatagebat: incendia,prædas,cædes in aduerſantes intentabat. Ex aduerſo Moguntinus pro eccleſia decertans, nõ minora incommoda aduerſantibus ingerebat. Nec ſatis apparet,ſi quid quiſque poſceret ſatis intelligerent. Poterat vterque non iniuſtam fouere cauſam: poterant res (vt modò fiunt) facili momento ad concordiam perduci. Sed tum permittente Domino,tantæ ſunt in regionibus cædes peractæ, tanta patrata latrocinia,incendia facta, vt incredibile dictu ſit qua vaſtitate, eccleſiarum & monaſteriorum prouentus ſint ad nihilum redacti.

...de cauſa in- ...ſcita.

Regalia verò ...diſcordia ma- ...rum.

CAP. 39. HAC diuerſitate diu inualeſcente, quum pax in orbe Chriſtiano floreret, infœlix Germania quietem neſciebat: ſed partium ſtudia in ſe exardeſcentia, inuicem multa irrogare damna non ceſſabant. Dedit naturæ arbiter Deus (incertum qua mente) ſignum iracundæ cõmotionis. Nam terremotus inſignis in Germania & Italia fuit. Concuſſa ædificia ſolidiſſima, integræ ciuitates conſciſſæ: & in eccleſia Leodienſi in vigilia Dominicæ aſcenſionis, quum decem collegiorum membra in vnam maioris eccleſiæ baſilicam conueniſſent ad ſacra ſolennia peragenda, vix primus pſalmus erat peractus, ſubito ſereno cœlo repentinæ ingruebant tenebræ noctem intentantes. Conſternatis mox tantus nubium ſonitus inſtrepuit,vt nunquam par aut maior colliſio fuerit audita. Fulgur quoq; tam terribile alio in tempore ſe cunctis ciuitatibus quaſi de proximo ingerebat, vt quamuis diſtantiſſimæ eſſent vrbes, quæq; tamen ſupra ſuum eſſe caput vibratum arbitraretur. Imperator tum in Italia agens,quum ad pontificis conciliationem crebros miſiſſet nuncios, nihil aliud accepit reſponſi, ſe, qui in eum excommunicationis ſententiam non tuliſſet,non illam poſſe ſuſtollere, niſi ex arbitrio patrum qui ſynodo interfuiſſent. Deinde proximo anno papa Paſchalis obdormiuit, ipſo die reſurrectionis Dominicæ primo mane. Ita ferunt apertum cælum luce meridiana fulgentius per horam integram claruiſſe,vt luna (quæ tum plena erat) omnino nõ videretur. Crux interim viſa eſt in medio dependere,gemmis etiam interlucentibus notabilis. Imperator autem audita morte pontificis Romam contendit, conſenſumque Iohanni, qui Gelaſius II. dictus eſt, præbuit. Electus autem quum ſe Imperatoris communioni ſubtraheret,ab ipſo improbatur,& Burdinus quidam ab Hiſpania ſuperueniens,ab Imperatore in ſedem Petri collocatur. Romani tamen aliquanto diuerſius rem narrant, Gelaſiũ rite electum: ciues Romanos Fregepanos appellatos (quorum princeps Cincius) conclaue irrumpentes, quum pontificem ex ſua familia depoſcerent, malè ſenem mulctatum in vincula rapuiſſe: ſed inde erutum aliorum manu Romanorum, perductum in Tybrim, vt abiret aduerſante vento cum amne & mari: ſuperuenientes Theutonicos fugam prohibuiſſe,noctu tamen deportatũ. Inde creatum quẽdam Mauricium, quem Grego-

Terremotus ...rebri cũ ca- ...ſigna.

...oluendi & li...gandi poteſtas ...non tota penes ...papam, nempe ...num non li-...et.

...oma in papa ...cando ſchiſ-...a.

Gregorium dixere VIII. aduerſarios tamen irriſione quadam vocitaſſe Burdinum. Quumque Gelaſius in Campania ſe contineret,& magna Italiæ pars illi accederet, Henricum rediiſſe in Lombardiam: quo tempore Gelaſius in Vrbem amicorum fretus auxilio rediit. Deinde vbi contendit in Galliam, celebrato concilio diem ſuũ obiit. Calixtus illi ſurrogatur, Milo prius dictus, epiſcopus Viennenſis.

CAP. 40.

IMPERATOR interea quum audiſſet in Germania contra ſe agi concilia per Cunonem Præneſtinum, apoſtolicæ ſedis legatum, primùm Coloniæ, deinde Friſlariæ, repetita ſemper Imperatoris excommunicatione, omnia diſſimulanter tulit. Vbi verò Herbipoli maiorem totius Germaniæ fieri cœtum audiſſet conſtitutum, vbi etiam de illius depoſitione ageretur, confeſtim ex Lombardia mouit in Germaniam, & auctus viribus aduerſantium terras peruaſtabat, incendio, gladio, rapinis. Quo exemplo omnia omnium prouinciarum mala ſunt renouata. Inde meliori mente vbi conuentum Herbipolenſem diſturbauit, in Triburiam (Friburgum nunc vocitant) iuſſit cœtum principum conuenire. Ibi de aduerſantium queſtus iniuria, audiuit in faciem contradictiones ab illis. Et factorum ſuorum reddita ratione, tum res ita inter eos eſt compoſita, vt cuiq; ſpoliato antiqua rediret poſſeſſio, principi, eccleſiæ, monaſterio: fiſco præterea Imperatoris redderentur, quæ ab olim illius fuiſſe conſtitiſſet. Ea tum viſa rerum quies. Sed non quieſcebant nuncij ſedis apoſtolicæ, qui circumeuntes prouincias obedientiam pro Calixto depoſcebant, abiurato Burdino. Concilium tamen cunctis indicitur Lateranenſe ad diem diui Lucæ proximum: ad quod etiam Imperator, ſuaſus à Cluniacenſi abbate, ſe non defuturũ ſponderet. Concurrerant ex omni orbe (maximè Germania) epiſcopi, pacis & tranquillitatis cupidi. Vallatus papa CCCC. ac XX. patribus in concilio præſedit. Imperator etſi non Vrbi aderat, non tamen erat longinquus, vt facilè legatis ſedis apoſtolicæ præberet auditum. Vbi de inueſtituris (quæ ſola fuit cauſa dirimens omnia) ſermo haberetur, Imperator ſe cum principibus, quorum præiudicium in ea re vertebatur, loquuturum ſpopondit, & ex eorum conſilio cuncta acturum. Papa in concilio omnium prædeceſſorum decreta confirmauit: & quæ pro tempore ſtatuenda videbantur decretis, omnes cum benedictione remiſit in ſua. Burdini deinde ſchiſma magis ac magis euaneſcebat: regni tamen commotio nullatenus conquieuit. Imperator inde proxima æſtate, ducente Friderico, de Arnsberg in Saxoniam deſcendit: ibique epiſcopis ab eius ſe communione retrahentibus, tranſiit in Germaniȩ Franciam, nec ibi cunctis æquè gratus. Tum verò terra mirabilius intremuit, vt ſe quiſque de ſua correctione putaret admonitum. Menſe Iunio in dioceſi Treuerenſi glacies tantæ magnitudinis decidit, vt ædificia ſubrueret. In Halberſtadenſi autem grando decidit illo impetu, vt decem villarum non modò fruges, ſed etiam pecora peremiſſet. Saxones igitur componendȩ paci intenti hoc agebant, vt Imperatoris milites nuſquam graſſandi locum inuenirent. Quin & in Turingia oppreſſos plurimos ex his eò neceſſitatis perpulerunt, vt incurſionibus temperarent: apoſtolicis autem literis roborati, ſuis eccleſiis viduatis de paſtoribus prouiderint.

Imperator epiſcoporum factionem opprimere ſtatuit.

Ne moueat cornicula riſum.

Imperatoris reſponſione papæ non ſatisfecit.

CAP. 41.

Anno 1121.

ANNVS erat viceſimus primus poſt mille centum, quum Monaſterieñſes in Weſtphalia epiſcopo ſuo graues, ipſum eò perpulerunt, vt querimoniam Saxoniæ principibus ſuper illis deponere cogeretur. Erat verò tanta iniuria, vt diſſimulandum non putarent. Nam Luderus dux Saxoniæ magna vi armorum contracta duxit in eos, magniſque malis perdomitos coegit epiſcopum eiectum recipere, & de iniuriis ſatisfacere. Sed quum iam oppugnarētur, quædam caſellæ cœperunt igne conflagare, latiuſque cœpit incendium dominari, & vſque ad eccleſiam primam proceſſit, quam cum cȩteris ædificiis conſumpſit. Ferebant ciues hoc incendium diuino factum nutu, quòd Burchardi, qui ante Henricum eccleſiæ prȩerat, & in legatione Imperatoris apud Conſtantinopolim defecit, oblatio, de iniquitate (vt ferebant) aceruata ad eccleſiæ inſtructionem Deo non placuiſſet: ideo concrematam eſſe eccleſiam. Tum tanta fidelium fuit facta ad inſtaurandum oblatio, vt nullum perinde ſentiret eccleſia detrimentum. Auditur inde rumor, Burdinũ, qui in Sutrio infauſtum præferebat pontificatum, capta à militibus pontificis arce, captum & ipſum, & à Calixto ad peragendam perpetuò pœnitentiam detruſum in monaſteriũ. Interea Imperator quia ſummã rebellionis Moguntinis imputabat, ſtatuit ſe de vrbe illa vindicare. Intercludit aditũ, nequid vel inueheretur vel euehere-

Monaſterienſe incendium.

tur, adeptis vbiq; nauigiis. Inde ex vniuerſo regno iubet milites ad eius obſidionē vrbis conuenire. Albertus interea archiepiſcōpus, qui tum in Saxonia agebat, vir eloquio clarus, legationis præfulgens dignitate, principes ſuaſionibus, pontifices legationis Romanæ officio in cauſam ſuam inclinauit, vt ſtatum vrbis Moguntinæ, primæ in Germania ſedis, commiſerarentur: cauſam eius eſſe pene omniū, quòd pro obedientia ſedis apoſtolicæ pateretur. Arma omniū auxiliaria ſunt promiſſa. Imperator interim in Elſatia, archiepiſcopus in Saxonia vires comparant: in vnam vtrique reſpiciunt vrbem, ille oppugnandam, & iſte tutandam. Mouent vtrique Moguntiā, fulgent ſigna caſtris. Solus in medio Rhenus, & ille quidem nauibus multis antè ad hoc comparatis promptus Saxonibus ad tranſitum. Sed erant vtriſq; in caſtris viri prudentes, qui parcendū labori ſanguiniq; ducerent: qui interpoſita publica fide, in vtranque ripam vltro citroque demigrant, multa voluentes, variè cauſas tractantes. Demū in id flexus eſt rex, vt cauſam omnem ſacerdotij & regni duodecim primates vtrinque nominari in diem & locū pertractarent. Placuit locus Herbipolis, tempus feſta diui Michaelis. Placito vtrinque per ſolitas ſolennitates firmato, diſceſſere exercitus in ſua quiſque. Ad diem verò præfinitum venerat imperator: magna ſtipatus manu vrbem eſt ingreſſus. Venerant deinde cum archiepiſcopo Saxonum principes non minori multitudine: & donec interponeretur publica per expreſſum fides, mille ab eo loco paſſibus cōmanebāt. Iam ſecuriores facti propinquabant vrbi. Et quoniam tantā vtriuſque exercitus multitudinē vrbs vna (etiam de maximis) capere non poterat, extra portas Saxones tetenderunt. Per ſingulos verò dies conuenerunt qui rebus agēdis fuerant præfiniti, & octo tandē per dies rebus omnibus reſolutis, in eam formā cōuenerūt. Primùm vt regalia vel fiſcalia regiis, eccleſiaſtica eccleſiis, præda deprædatis, hæreditates iuſtis hæredibus prouenirent, omniq; perſonæ vel cōditioni iuſtitia cuique ſua reſponderet. Prædones fureſq; edictis Imperatoriis eiiciendos, ſiue legibus antiquitus conſtitutis coercendos, vnanimi conſenſu firmatū eſt: & quicquid ſcandali vel perturbationis vſquequaque per regna Germaniæ inimici ſuperſeminario ſuccreuerat, omnimodè eradicari eſt decretum. De verbo autem excommunicationis, vnde ſcandala pene cuncta prouenerant, nihil eſt diffinitum. Tamen ad apoſtolici culminis audientiam vnanimiter eſt delatū, denominatis in præſenti oratoribus, qui hæc omnia Romā perferrent: quatinus indicto per authoritatem apoſtolicā generali concilio, quæcunq; humano non poſſent, Spiritus ſancti iudicio terminarentur. His ita reuerenter pro honeſtate ſimul & vtilitate regni diſpoſitis, miſſi ſunt in Vrbem Otto Bambergenſis epiſcopus, dux Henricus, comes Berengarius, qui hæc omnia Noricis principibus (hoc eſt Bauaris atq; Auſtralibus) qui tū fortè aliis reipublicę cauſis occupari non aderant, apud Ratiſponā congregatis intimarent: quos ad hæc ratificanda non repugnantes inuenerunt. Vacabat anno proximo ſedes Herbipolenſis: & Imperator de more ſuo nobilem adoleſcentem, qui necdum per ætatem præeſſe poterat, eccleſiæ introduxit. Capitulum autem eccleſiæ virum grauem, eiuſdem eccleſiæ canonicum elegit. Inde orta iterū diuiſione, qui contra regē ſenſerant, vrbe excedebant. Cōmouit ea res Fridericū Suæuiæ ducem, & Conradū eius fratrem vehementer, qui in ea cauſa ab Imperatore (licet cognato ſuo) diſſentiebāt. De proximo autem per opportunitatem loci ac temporis cum archiepiſcopo Moguntino loquuti, electū canonicè faciunt epiſcopū conſecrari, cōntra Imperatoris voluntatē: & ne reluctaretur vehementer inſtantia temporis effecit, quòd de proximo de generali pace eſſet agendum.

Moguntinus epiſcopus cum Imperatore bellum gerit.

Diſſidium inter regem & papam componitur.

Alterius diſſidij occaſio.

CAP. 42. REDIERANT ex vrbe Roma qui miſſi fuerant oratores, epiſcopus Spirenſis & Fuldenſis abbas: cum quibus venerant apoſtolicæ ſedis legati cardinales tres (quorum princeps Oſtienſis, cum duobus adiunctis) componendarum rerum gratia inter regnum ſacerdotiumque. Generalis conuentus indictus eſt Herbipoli ad proximam diui Petri diem. Conuenerant ex omni Germania principes, nobiles, pontifices, abbates, cum non leui detrimento Franciæ Germanicæ. Sed vbi Imperatorem non affuturum (vtpote iam rebus aliis implicitum) erat certiſſimū, digreſſi ſunt in ſua quiſque. Interea Gebehardus iuuenis, quem Imperator eccleſiæ præfecerat, quū vrbicos ſibi cōciliaſſet, compertumque haberet aduerſarium non inde longè cum auxiliis manere, certior de omni eius comitiua, vrbe eduxit, & imparatis ingruens diſturbare ſua conſilia cōtendit. Illi verò præmoniti ad arma concurrunt: & congreſſi mutuis ſe vulneribus afficiunt, aliquot

aliquot etiam cadentibus: ſub noctem dirimitur prælium. Illi in caſtra, alij in vrbem redierunt, qua potitur cum adiacentibus Gebehardus occupator. Nam verus pontifex prædiis ad Neccharum fluuium fruitur. Moguntinus interea de conſecratione Herbipolenſis agebat, & ſibi proſpiciens, antiquam arcem Aſciburgum (cuius ad Rhenū meminit Ptolemæus) iam inueteratam & pene conuulſam inſtaurat. Pene inceſſerat pacis deſperatio, quum auerſum cernerent Imperatorem. Sed inſtantia legatorum ſedis apoſtolicæ, imò Dei miſeratio deſuper aſpiciens, effecit vt in Vangiano (quæ nunc Wormacia) conuentus alius indiceretur. Quo loco, quia venerat tempus miſerendi Sion, cor regis, quod in manu Dei eſt, ita inflexit Deus ipſe, vt ad communionem eccleſiæ & ad pacis formam ſubſcriptam rex (quod nunquam facturus credebatur, quodq́; nemo de illo præſumere aut ſperare poterat) conſenſit. Erat autem ea quæ nunc vſque ſeruatur pacis inſtituta concordia. Profuerit autem ipſarum literarum ſeriem vtrinque ponere. Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus, pro amore Dei & ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & domini papæ Calixti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & ſanctis eius apoſtolis Petro & Paulo, ſanctæq́; catholicæ eccleſiæ omnem inueſtituram, per anulum & baculum: & concedo in omnibus eccleſiis fieri electionem, & liberam conſecrationem. Poſſeſſiones & regalia beati Petri, quæ à principio huius diſcordiæ vſque in hodiernum diem, ſiue tempore patris mei, ſiue etiam meo ablata ſunt, quæ habeo, eidem ſanctæ Romanæ eccleſiæ reſtituo: quæ autem non habeo, vt reſtituantur, fideliter adiuuabo. Poſſeſſiones etiam omnium aliarum eccleſiarum & principum & aliorum, tam clericorum quàm laicorum, conſilio principū & iuſtitia dictante, quæ habeo, reddam: quæ non habeo, vt reddantur fideliter iuuabo. Et do veram pacem Calixto ſanctæq́; Romanæ eccleſiæ: & omnibus qui in parte ipſius ſunt vel fuerūt, in quibus ſancta Romana eccleſia auxiliū poſtulauerit, fideliter iuuabo. Ego Calixtus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Henrico Dei gratia Romanorum Imperatori ſemper Auguſto. Concedo electiones epiſcoporum & abbatum Theutonici regni, qui ad regnum pertinent, in præſentia tua fieri, abſque ſimonia & aliqua violentia: vt ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, metropolitani & comprouincialium conſilio & iudicio ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem regalia per ſceptrum à te recipiat, exceptis omnibus quæ ad Romanam eccleſiam pertinere noſcuntur, & quæ ex his tibi iure debet, faciat. Ex aliis verò partibus Imperij, conſecrandus infra ſex menſes regalia per ſceptrum à te recipiat. De quibus verò mihi querimoniam feceris, ſecundum officij mei debitum auxilium præſtabo. Do tibi veram pacem, & omnibus qui in parte tua ſunt vel fuerunt tempore huius diſcordiæ. Datum anno XXII. IX. calendas Octobris.

Imperator inueſtiturā remittit.

Papa epiſtol. decretalis.

CAP. 43

Pax eccleſiæ reddita.

HVIVSCEMODI ſcripta atque reſcripta, propter infinitæ multitudinis conuentum, loco campeſtri iuxta Rhenum lecta ſunt, data & accepta, poſtquam multimodas laudes rerū gubernatori Deo redditas, celebratis à domino Oſtienſi diuinis ſacramentis, inter quæ dominum Imperatorem cum pacis oſculo ſanctaq́; communione pleniſſimè reconciliauit: diſceſſum eſt ab omnibus cum lætitia infinita. Alterum quoque nō multo poſt feſtum ſancti Martini Imperator colloquiū cum principibus habuit Bambergæ, illis ſcilicet qui huic conuentui non aderant: vbi cunctis in ſua vota concordantibus, multis, quæ tam ad regni quàm ſacerdotij congruebāt honorem, more maiorum compoſitis, oratores proprios cum Romanis deſtinauit, & vtroſq́; nuncia ſimul & munera ferentes honorifica domino Calixto papæ conſanguineo, iam ſibi cōiunctiſſimo, direxit. Deinde proximum Chriſti natalem (qui fuit incipiente viceſimo tertio poſt centum ac mille annos) Traiecti celebrant. Vbi orta primum ſimultate ex iurgio inter milites Imperatoris & miniſteriales epiſcopi, pòſt peruentum eſt ad arma. Milites ex ſua conſuetudine ſuperbè agebant, miniſteriales autem ſuperati multitudine, ciues ad arma vocant, latius ſerpit indignatio. Imperatorij proditionem & coniurationem in Cæſarem factam proclamant: ciues libertati ſuæ aderāt, quum ſe in ſeruitutem adduci arbitrarentur. Ita paſſim creſcente malo multi cædūtur, maior pars ex oppidanis, alij capiuntur, & in vincula coniecti pœnas luunt temeritatis: quum magna pars quid ageretur (vt in talibus fieri ſolet) ignoraret. Captus & ipſe epiſcopus in ferrum ponitur, nec inde relaxatur niſi magnis archiepiſcopi Colonienſis precibus, & immenſa inſuper ęris ſum-

Anno 1123.

Traiectenſis ſeditio.

ma perſoluta: quòd aut conſpirationis conſcius, aut nõ comprimendæ reus diceretur.

CAP. 44. EMERSIT deinde rebellio in ſequentem annũ, inter Imperatorem & Hollandiæ dominam, quæ Lotharij ducis Saxoniæ ſoror erat. Interim per Germaniam latrocinia nimis multa, præſertim per Saxoniam creuerũt. Stipendiarij, qui publicis hactenus malis paſti erant, reddita pace, vitæ conſuetudinem non mutabant: quòd didicerant in bello, pace dediſcere difficile fuit: æquè ſumptibus faciendis inſiſtere, crapulis indulgere volebant: & quum aut hoſtilis præda aut induciæ ſtipendium nullum eſſet, ex proximis accepere quæ volebant. Imperator autem in ſequenti anno duxit in Hollandiam. Contumacem fœminam imperata facere & regnum agnoſcere compellebat. Magna erat ea Imperatoris expeditio, nec minimo labore conſtabat: ſed illum habebat exitũ quem diximus, vt parentem fecerit ex contumace. Deinde in ſuperiora regni contendens, Wormaciæ cum optimatibus colloquium habuit, aduerſus Lotharium Saxoniæ ducem, qui propter germanam ſororem (quam Imperator ad iuga compuliſſet) ſe commouiſſe videbatur. Mordebat eum vetus in Saxoniam odium, quòd eam prouinciam ſemper compertũ ſit ſibi aduerſantem, quoties ipſe Italiam impugnaret. Otto interim Bambergenſis epiſcopus, vir per omnia religioſus, quũ inſtruendis monaſteriis, alendis pauperibus, & aliis pietatis operibus inſtaret, annotatus eſt minus eſſe frequens in conuentibus Imperij. Quod à maleuolis non rectè acceptũ, etiam Imperatori ſuggeretur, quæ in vſus alios impenderet, magis Imperij deferri honori, à quo illi cuncta proueniſſent. Hæc paſſim muſſitant, & auribus Auguſti ingerunt. Sed tanta fuit pontificis grauitas, vt omnia obloquia præſens ipſe diſcuteret, nemine garriente dum adeſſet. Rebus autem Imperij ſolerter conſtitutis adiit regem pontifex, inſinuans ſe literis Polonorum ducis Boleſlai euocatum, animo perpendere in ſanctam expeditionem pro Chriſti honore in Pomeranos gentem Wandalorum, quam nuper dux gladio ſibi ſubactam ad iuga Chriſti coegiſſet: ſed deeſſe prædicatores, qui per authoritatem verbum vitæ nouitiis ad fidem Chriſti gentibus prędicarent, bona ſibi Imperatoris venia abeſſe liceat eccleſiæ: nam ſummi pontificis gratia Calixti dudum ſibi permiſſam prædicandi in gentibus licentiam. Non erat in omni curia Imperatoris qui ſancto pontificis voto auderet refragari, ne rex ipſe quidem: ſed cunctis ſanctum eius propoſitum laudantibus, erant qui proſpera illi imprecarentur eunti ad gentem incredulam, magno ſui ſanguinis periculo. Soli Bambergenſes ſui patris abſentiam lamentari, ſe paſtore deſtitutos lupis exponi, extrema pati malle, quàm eo ſe pontifice deſtitui. Sed non erat qui ſe diuinæ voluntati auſit obiicere. Et illo in Pomeranos proficiſcente, rex in Saxones (vt ſermo loquebatur) ſe apparabat.

Imperatoris in Hollãdiam expeditio.

Pomeranis diſſeminatur Euangelium.

CAP. 45. COEPERAT iam inter reges Angliæ & Franciæ hoc diuturnum de Normandia bellum: cui ſe Imperator pro ſocero Angliæ rege immiſcere conſtituens, verbum emiſit de expeditione in Saxones, re autem vera in Ludouicum Franciæ regem. Mouit ergo in Gallias Henricus, & ad Remos conſederat, quum iam Ludouicus Franciæ rex, ne hoſtiles exercitus iungerentur, Imperatorem omnibus copiis conſtituit adoriri, leuius ducens vni quàm duobus occurrere. Totius igitur regni viribus coactis Imperatori fit obuius. Ille autem vbi tantis Francorum copiis imparem ſe vidit, paulatim retro pedem tulit: nec carebat res idoneo colore, quòd properanter in Wormaeienſes ducere conſtituiſſet, qui pontificem cieciſſent à Cæſare inſtitutum, ſuumq́; quem volebant, repoſuiſſent. In quos præſenti ducens expeditione, vrbẽ obſidione cinxit, Rhenũq; ſupra & infra cõmuniuit, ne quid importaretur. Crebræ ſub mœnibus pugnæ, multis vtrinque cæſis captiſq;: ſed fames effecit vt poſt aliquot dies vrbici quinque millibus talentorum mulctati, ad arbitrium Imperatoris de epiſcopo fieri paterentur. Quo tempore Otto Bambergenſ. epiſcopus ex ſua peregrinatione reuerſus gaudium Paſchale duplicauit, quòd & ſuam præſentiam deſyderantiſſimis ciuibus paſtor bonus exhiberet, & magno cum fœnore lucratis tot Chriſto animabus, fœlix pater de tot filiis tripudiabat. Vrbium nomina in quibus prædicauerat, fidemque ſeminauerat, populo baptizato & Dominicis præceptis inſtituto, hæc ſunt, Poritz, Stetin, Wolin, Camin, Colberg, Belgrat, Lubin, Gresh. Proximus autem annus, qui fuit viceſimus quintus poſt centum mille, ad x. calendas Iunij, Imperatori fatalis fuit. Nam quum ageret Traiecti, diu celatam infirmitatem corporis, quum iam inualeſceret, diutius tegere non valens (morbum vocant

Imperator Wormaciam obſidet.

Anno 1125. Imperator moritur.

vocant dracunculi) qui illi natiuus erat, reginæ ac proximis detexit. Fridericus Suæuiæ dux, illi & ſanguine & conſiliis proximus aderat, illius curæ Imperij inſignia in arce deſignata permiſit, vt principum illa conuentui reſeruaret. Ille munitus eccleſię ſacramentis ſpiritum Deo reddidit, Anno xx. regni, xiiii. Imperij, in dimidio dierum ſuorum: quod illi fertur papa Paſchalis prædixiſſe. Nam neque prolem vidit, neque ſenium attigit, neque temporum meruit tranquillitatem. Eiectis viſceribus corpus Spiram perducitur, & cum patre atque auo ſimul & proauo tumulatur: prodente verſiculo, qui per tumulos diuiſus oſtendit loculos ſingulorum, hoc modo, *Verſus Imperatorū tumulis inſcriptus Spiræ.*

Filius hic, pater is, auus hic, proauus iacet illic.

Henrici tres, quintus, quartus, tertius, filius, pater, auus: cæterùm Conradus ii. eius nominis, erat Henrici v. proauus, ſtirps ac radix generis. Truncū vocant Iuriſtæ, nō rectè.

LIBRI QVINTI FINIS.

ALBERTI KRANTZII SAXONIÆ LIB. VI.

LVDERVS dux Saxonię, pronepos Gebehardi eius qui fratrem habuit Brunonem religioſum virū, qui in Pruſſia prædicans pro Chriſto fecit martyrium, ſub Imperio Henrici ii. annis octo poſt mille. Erat is proauus comes de Queruorde, filium habēs Burchardū, qui genuit Gebehardū huius Luderi patrē, comitē de Suppellenborg. Solēt aūt nobiles titulū mutare, vel ex ſucceſſione materni generis, vel ex dote quā accipiunt, vel ex principū collatione. Vnde factū eſt vt hic nouiſſimus Gebehardus, & eius filius Luderus, dicerentur comites nō de Queruorde (qui hodie extat titulus comitū in Hercinia) ſed de Suppelenborg: qui ante nos titulus euanuit, patri tum erat Gebehardo, & Ludero filio, priuſquam ille ducatum Saxoniæ ex cauſis ſuprà memoratis aſſequeretur. Luderum autem propter nominis conſonantiam Gallici atque Italici ſcriptores dixere Lotharium, quòd hoc illis Imperatorium nomen videretur. *Luderus Lotharius eſt.* Peruenit autem ad Imperium hoc ordine. Fridericus Suæuiæ dux vir moderati animi, religioſus, prudens & fortis, Henrici proximi ex ſorore nepos, commendata habuit ab auunculo inſignia Imperij: & ideo multi præſumptione deceſſoris hunc eligendum regem & dixerunt & ſenſerunt. Manauit hic rumor per ora multorum: audiebatur etiam ab aliis, qui aduerſaturi Friderico videbātur. Nonnulli tamen ex principibus graue etiam onus Imperij loquebantur, quòd eius imminuta nimis iura viderentur, fortem, & acrem principem eſſe requirendum, cui iugum imponatur. Ita pro ſe quiſque recuſare, & ad alium potius deriuare cōtendit. Id quum ex compoſito inter principes fieret, procurante Alberto Moguntino archiepiſcopo, qui domū Henrici non amaret, Saxones autem, à quibus diu defenſus eſſet, haberet in precio: Fridericus & ipſe nihil ſubeſſe doli veritus, iam pene certus de ſe eligendo, vt moderationis ſuæ ille quoque præferret indicia, & inſignia Imperij principibus reſtituit, & vt cæteri, imparem ſe illi negotio, etiam abhorrentem oneri demonſtrabat. *Archiepiſcopus Moguntinus Friderici ſimplicitate abutitur.* Rapuere occaſionem qui cum Moguntino ſenſerant. Quandoquidem, inquiunt, recuſant Imperium quibus videbatur deferendum, Luderus Saxoniæ dux implorandus, ne patiatur Imperij dignitatem iacere contemptam. Itaque vnanimi conſenſu illum eligunt, nihil recuſantem. Fridericus vt dolos perſenſit, iam rem vertere nec poterat, nec tentare modeſtum putabat: ſed tamen Ludero (quem deinceps Lotharium, propter crebriorem eius nominis in annalibus mentionem appellabimus) infenſus diu permanſit. Franci quoque indignati, quòd vir Saxo & Suæuis & Francis præferretur, conſobrinum Henrici Imperatoris Conradum dixere regem. Sed Lotharij fortuna præponderauit.

ERAT annus viceſimus ſextus poſt mille atque centum, quum prima regis expeditio in Bohemiam fieret. Sed quum inexploratò procederet, interceptus eſt inſidiis Bohemorum. Cæſi plurimi, capti non pauciores. Inter cæſos erat Hartungus filiorum *Cap. 2.* *Ann. 1126.*

Adolphi comitis Holſatiæ maior natu: inter captos autem Albertus marchio de Brandenburgo, cognomento Vrſus. Sed tum interuentu cõmunium amicorum eſt intercepta, pacataq; priuſquam rex in ſua regrederetur. Quo tempore Otto Halberſtadenſis epiſcopus ab Honorio papa deponitur ob labem ſimoniæ: ſed intra trienniũ ab illius ſucceſſore Innocẽtio II. concilio Leodij habito reſtituitur. Rex verò anno regni VII. Italicam expeditionem pro corona Imperij aſſequenda inſtituit. Peruenit Auguſtam, ibiq; exorto inter milites & ciues tumultu, ciuitas pro magna parte cõflagrauit: quum etiam multi in ipſo tumultu pugnantes cecidiſſent, ſed (vt fieri ſolet) maior pars ciuium. Per Lombardiam quoq; & Hetruriam eunti non parũ erat laboris: ſed tamen quum illi ceſſiſſent, vel fracti, vel ſponte dediti, qui reſtiterant, iter ſuũ tenuit incolume: coronamque Romæ accepit ab Innocentio, cum Rixa cõtorali. Reuerſus in Germaniam, quũ prius graui bello in Suæuos Fridericũ Conradumq; laboraſſet, interuentu ſummi pontificis res componuntur: fitq; Conradus pridem regnum præſumens, ex hoſte amiciſſimus. Reddidit Imperatori pontifex vicem, quòd ille pridem in Vrbe ſedaſſet controuerſiam, quæ illi fuerat cum cõpetitore. Venerat per hæc tempora Kanutus Sleſwici dux ad Imperatoris pręſentiam, Obotritorum prouinciam & omnem ditionem quam ante illum tenuiſſet Henricus Godſcalci Wandalorum principis filius, in feudum ab Imperio poſcens. Sic enim conuenerat inter Henricum, dum viueret, & hunc Kanutũ. Imperator non ignarus pacti quod intereeſſerat, Kanutũ non ſolùm inueſtit, ſed etiam corona donat, decus eſſe Imperij reputans, ſi regibus imperaret. Ea tamen res necem peperit optimo viro. Nam inſimulatus fuit à Daniæ regibus, quòd coronã Daniæ Imperio ſubmiſiſſet, eamq; ab Imperatore impetraſſet. Iniuriã verò maximam æmuli Kanuto viro iuſtiſſimo irrogauere. Talis enim & vixit & mortuus eſt Kanutus, vt miraculis in morte coruſcans inter ſanctos referretur: quod in Dania diximus, & attigimus in Wandalia.

Lotharius Imperator Romæ coronatur.

CAP. 3.

HOLSATIÆ per ea tempora moriente primo Adolpho, adoleſcẽtior eius filius, itidem Adolphus cœpit præeſſe. Nam (quod prædiximus) Hartungus maior filius cecidit ſub rege in expeditione Bohemica. Erat autem is tum rerum ſtatus: Wagriam & omnem terram Obotritorum, quæ nunc dicitur Magnopolenſium, tunc (vt diximus) tenuit Kanutus, vir regij ſanguinis, patre natus Erico, qui in peregrinatione ad terram ſanctam Cypro moritur: quod in Dania diximus. Eam verò Wagriam illuſtrabat prædicatione vir Deo acceptiſſimus Vicelinus, habitans cũ fratribus in Faldera. Miſit autẽ prædicatores ex ſuis in veterem vrbem Lubicam, in loco qui nunc dicitur Zwartow: Ibi Henricus Godſcalci filius eccleſiam extruxit in mõnte trans flumen Trauenam. Vicelinus autem quum Henrico percharus extitiſſet, adiit filius eius Zwenteploch redeuntem ex longinquis, fœderiſque paterni illum admonens, impetrauit, vt prædicatores excipere dignaretur in ſua Lubica. Annuit ille perbenignè: miſſiq; fratres Ludolphus, & Volcquardus, pędicationi inſtitere, & à mercatoribus humaniſſimè ſunt foti. Quum interea Rugiani, hoſtes poſterorum Henrici, propter Imperium, quod in illos quoque propagare contenderat, & nomen Chriſti, quod gentiles oderant, in Lubicam veterem per mare duxerunt: occiſis omnibus quos repererant, ſacerdotes effugabant. Wandalorum autem principem, vnum ex Henrici filiis, Holſatorum quidam peremit: nec diu ſuperfuit illi filius, ſimili morte peremptus: & peruenit principatus (quod diximus) ad Kanutum, qui eccleſiam Lubicæ iuſſit adornari: ſepiuſque inter Lubicam & Sleſwicũ diuerſatus, apud Falderam contubernio vſus eſt beati Vicelini. Sed non eſt datum illi terræ vt diu tam bono principe frueretur. Interceptus enim inſidiis Magni fratris patruelis occiditur, & mala multa conſurgunt. Sed tamen ea fuit præſtantiſſimi viri ducis Kanuti (imò regis) memoria, vt inter ſanctos Dei illum referret eccleſia. Imperator audita eus viri morte indoluit, quòd Romano Imperio ille & manu & conſilio promptiſſimus videretur. Ericus Kanuti frater, ſciens quo in illum fuiſſet animo Imperator, miſſo nuncio auxilia rogauit ad vindicandum necem fratris. Nec diſtulit Imperator ducẽs in Sleſwicum per Holſatiam, Adolphum ſecundum habens expeditionis commilitonem. Sed Nicolaus rex Magnuſque filius, contractis & illi copiis obſtiterunt, quo minus Imperator & Ericus exercitus ſuos cõiungerent. Præuenerũt etiam Imperatorem, paciſcentes vt Magnus Imperatoris eſſet ſatelles, & condigna nihilominus cędi impenderetur ſatisfactio: magni enim æris ſumma expromiſſa eſt. Sed quanta fuerit pactorum

Lubecæ Euangelium prædicatur.

Lotharij in Holſatiam expeditio.

rum fides inde emicuit, quòd abeuntis Imperatoris extrema agmina Magnus laceſſiuit, quæ Adolphus Holſatiæ comes duxit. Abeuntem Imperatorem Ericus execratur, & quibus potuit viribus regi Daniæ colluctatur. Excluſus regno Sleſwicum ſe contulit, mittens ad Adolphum Holſatum, vt armis expeditis illi occurreret, tueretur que à premente & obſidente Magno.

NON moratur Adolphus, & tam propere mouit in hoſtem, vt tranſgreſſus Eydoram prius contingeret confinia hoſtilis exercitus, quàm extremum agmen ſuum fluuiũ tranſiret. Quo factum eſt, vt expeditis ſuis Magnus occurrens Adolpho, ne obſeſſum Ericum liberaret de manibus, quem iam reti concluſum arbitrabatur. Sed tum Adolphus fugam capeſſere compellitur. Tantum intereſt in hoſtem, raptim an quadrato agmine ducere, vt qui contractis in vnum viribus hoſti par eſſe potuiſſet, ſparſo agmine ſuo repelleretur. Magnus ad obſidionem Sleſwici reuerſus fruſtra tempus terebat: tanta enim erat vrbis illius munitio, vtścioſa ibi diu ſederet omnis vis Danici regni. Non longum tempus in medio, quum Magnus Imperatoris curiam adiret in Halberſtadio, reuerſusq; in regnum quum ſacro Pentecoſtes die hoſtes vrgeret, infœlicis pugnæ talẽ inuenit exitum, vt periret cum quatuor epiſcopis, ſuperante Erico memorato. Sed vt Holſatiæ res exequamur, per mortem Kanuti rediit dominium Wagriæ atq; Polaborũ Obotritorumq; ad fratueles Henrici Wandalos, religionis Chriſtianæ adhuc hoſtes acerrimos: qui adhuc conabantur vt plantaria nouellæ religionis in Lubica diſſiparentur. Eo tempore in vico Bardorum (inſigne tum oppidum erat, quod nunc obſoletum Bardewicum vocant) manſit Imperator Lotharius: quem adiens Vicelinus, monſtrauit eſſe in Wagria inſignem montem, arci imponendæ idoneum, vnde omnis prouincia & religioni recipiendæ & ſoluendis tributis facilè adigeretur. Mouerunt Imperatorẽ verba ſacerdotis, viſendi loci gratia eò contendit. Euocatis præfectis regionum, vbi vidit omnia ex commodo conſtare, mandauit proximis vt fodiendo, importando, inſtarent eo loco arcem communire: appellauitque Montem victoriæ, lingua Saxonum Zegeberg. Wandali qui aſtitere, inter ſe colloquuti, Quis, inquiunt, Imperatori prodidit hũc locum, vnde in omnem regionem noſtram fulgura & tonitrua proſiliẽt? Tum vnus qui propius rem noſſe videbatur, Vides, inquit, caluum iſtum homuncionem (Vicelinum demonſtrabat) proximè Imperatori aſſiſtentem? Is eſt acerrimus hoſtis prouinciæ noſtræ. Nam ex hoc monte in Plone, Oldenborg, Lubeke, & vltra Trauenam, in omnem Obotritorum terram flagella atque arma nobis imminebunt. Arci iam munitæ præfecit Imperator ex ſuis Hermannum quendam, iuſſitq; ad radicem montis eccleſiam firmari, quam beato patri Vicelino commendauit. Quo etiam tempore Lotharius Imperator ſolennem curiam celebrauit in Halberſtadio, magno principum vtriuſq; ordinis conuentu. Aderat Magnus Nicolai Danorum regis filius, cuius exitum anticipantes oſtendimus: qui ad placandum Imperatorem ſuper morte Kanuti regis Obotritorum ducis Sleſwickenſis fratruelis ſui, quem ipſe oppreſſerat, perſoluit ingentem auri ſummam Imperatori: & ipſe die ſolenni Paſchæ Imperatori præferebat auratum gladium, vt ſubiectionem confiteretur. Erat enim (vt antè diximus) Imperatori factus vaſallus, ab eo feudum recognoſcens. Proxima ſolennitate Pentecoſtes in Merſburgo curiam habuit: ibi nuptias peregit filiæ Gertrudis, quam collocauit Henrico Bauariæ duci, qui natus erat ex filia Magni Saxoniæ ducis. Dos erat Brunſwicum cum attinentiis, comitatus Northemenſis, & omnis ad Viſurgum ditio (quæ terra prouenerat Imperatori ex ſua quoq; coniuge dotalis) fuitque illi primus ad ducatum Saxoniæ ingreſſus. Qua occaſione iſte quoque Henricus ducatum præſumebat, & filio Henrico Leoni reliquerat, licet plurimus inde labor naſceretur: quod poſterius ſuis locis dicemus. Per hæc quoq; tempora obiit Fridericus comes Stadenſis, de quo in Metropoli noſtra diximus, in primo archiepiſcopo Friderico.

STADENSIS comitatus, quia variè in annalibus memoratur, videndum quid iuris habuerit ab olim, an & terram Thietmarſiæ Tranſalbinam tenuerit incluſam. Et quidem à memoria Karoli Magni id oppidum, in terminis & limitibus cõprehenſum quos Imperator ille donauit eccleſiæ Bremenſi, ad ius eius eccleſię diu pertinebat. Inde verò, quia incurſiones à mari Danorum & Normannorum erant grauiſſimę, nec poterat Bremenſis antiſtes ſpiritualibus armis littora tueri, & carnalia quæ tenebat, non ſuffecerant

CAP. 4.

Adolphus in fugam compellitur.

Mons victoriæ locus munitus ædificatur.

Daniæ rex in clientela Imperatoris.

CAP. 5.

(quanquam hoc annales non dicant) crediderim ego ab Imperatorib. & regibus eſſe permiſſum ducibus Saxoniæ & vicinis principibus, vt communita Albis fluminis ripa hoſtibus crebrò digraſſantibus opponerentur. Sed hoc habent annales: Tempore Henrici I. qui pater erat I. Ottonis Imperatoris, nobilem virum Henricum Caluum arcem habuiſſe illo in loco, quo nunc eſt Hertzeueldenſis comitatus, filiumq́; genuiſſe æquè Henricum, qui quum fratres cerneret generis (vt ſperabat) propagatores, ipſe clericatũ ſequutus, cœpit Deo militare in eccleſia Hildeſemenſi. Quum autem parentibus ſolus ſupereſſet, ne ſtirps tantę nobilitatis extingueretur, monuerũt hortatiq́; ſunt penè perũ gentes amici, vt generis ſucceſſionem cogitans duceret vxorem. Nec deſtitit, ſiue apoſtolica fretus diſpenſatione, ſi erat in maioribus: ſiue in minoribus, ſuapte voluntate, ducens vxorem, genuit filios Sifridum & Tyadericum, vocabulo comites, aliquãdo dictos marchiones. Arcem paternam, Libenrij primi archiepiſcopi temporibus, annuẽte Bernhardo duce Saxoniæ, iuſſit in præpoſituram conſecrari: & ſe eccleſiæ captiuum conſtituens, ter ſe redemit, donatis in auro, ſerico, gemmis & aliis eccleſiæ ornamentis: vt ditiſſimum ſtatim cœnobium efficeret. Pro virtute autem hic Henricus cognominatus eſt Bonus. Filius eius Sifridus Stadium communiuit: annales tradunt ædificaſſe: potuit quidem renouare collapſum. Sed eſt lõgè vetuſtius oppidum illa Sifridi memoria, quæ vix ad Henricum II. peruenit, hoc eſt, parum ſupra Chriſti annos mille. Tranſlatum ferunt de alio loco, vbi Dorſtadium prius vocaretur. Sed an hoc tempore, vel quo alio, per incuriam (ſicut multa) veteres tranſiere. Sifridus ergo tunc communiuit: arcem extruxit, vt præſidium eſſet aduerſus Danorum & Normannorum incurſiones, qui vetus ſibi dominium in omnem Saxoniam contenderant vendicare. Parum autem profuit illa munitio. Nam hoſtes per Albim aſcendentes oppidum cum arce ceperunt, principes traxere captiuos, & tenebant, ſi fortè magno ære perſoluto redimerentur. Quo tempore piſcatoria adducta ſcapha alter elabitur. Variant enim ſcriptores: nam alij elapſum contendunt Sifridum, alij fratrem Tyadericum. Qui remanſit, ira Danorum male mulctatur, truncatis (vt ferunt) manibus. Qui verò elabitur, euocato duce Saxoniæ, cum armatis plurimis hoſtes aggreditur: quibus partim fuſis, partim captis, partim fugatis, fratrẽ liberat, captos agit in crucẽ. Diu manebat inde loco nomẽ vt Worgebuer diceretur.

…ani Stadiũ …apiunt, ſed …aulo poſt co-…antur.

CAP. 6. SIFRIDVS ducta vxore genuit Sifridum filium: frater ſine hærede deceſſit. Sifridus iunior genuit comitem Luderum. Hic ex amita Rodulphi Suęui, quem Saxones regem creatum oppoſuere Henrico IIII. genuit Vdonem primum, qui factus eſt (vt aiũt annales) marchio. Cuius etiam tempore comitatus Stadenſis rediit ad eccleſiam Bremenſem, & datur in feudum Vdoni. Nam vſq; in illum diem videntur Imperatores in eo ſuum ius conſtituiſſe. Vdo primus genuit ſecundum cum aliquot fratribus, Rudolpho, Henrico, Longo. Vdo ſecundus genuit Henricum ſine prole defunctum. Rudolphus genuit Rudolphum in Thietmarſia cæſum, genuitque Hartwicum maiorem eccleſiæ Bremenſis præpoſitum: qui patrimonium ſuum (hoc eſt terram Thietmarſiæ) donauit eccleſiæ Bremenſi, & recepit comitatum Stadenſem, qui iam per Henrici nouiſſimi de ſanguine Sifridi, & Friderici aduenæ mortem redibat ad eccleſiam. Vnde trahitur comitatum Stadenſem cum vicina terra paluſtri, & Thietmarſiam vltra fluuium Albim fuiſſe in patrimonio Vdonis primi: qui ſic inter filios diuiſiſſe creditur, vt haberet Vdo minor comitatum Stadenſem, & frater eius Rudolphus Thietmarſiam, in qua filius eius incunctanter eius loci comes (vt teſtantur annales) cæſus occubuit. Nec erat is primus comes in illo ſuo comitatu cæſus. Nam & ante Vdonem primum Thietmarſiæ dominum Ida nobilis ex Suæuia mulier, quæ patruum habuit Henricum Imperatorẽ III. & auunculum Leonem papam IX. (prius Brunonem dictum, quum eſſet epiſcopus Tullenſis) poſt Lippoldum primum maritum iam fato functum, nupſit Dedoni comiti, & deinde Etelero Albo, in Thietmarſia poſt inuicem cęſis. Ita populus ab initio infrenis, etſi ducibus primum Saxoniæ, deinde comitibus ſubeſſet, toties tamen cæſis dominis, ſe in libertatem vendicauit. Aliquoties tamen coactus à principibus parere iugũ accepit, ſed quamprimum potuit reiecit. Nunc autem permutatione Hartwici, primùm præpoſiti, deinde archiepiſcopi Bremenſis, conceſſit, imò rediit ea terra in ius eccleſiæ: quum ille comitatum Stadenſem accepiſſet compenſatum, qui etiam morte eius conglutinatus eſt eccleſiæ. Et hoc quidem non inutili digreſſione auerſi propo-

…ietmarſia- …gens iugũ …patiens.

ſito,

ſito, reuertamur in id vnde exiuimus.

Cap. 7.

IMPERATOR Lotharius non longè ante nouiſſimam expeditionem Italicam, in qua defecit, deſcendit in Hertzeuelde Bremenſis diœceſis (nam eſt & aliud eius nominis & religionis monaſterium in diœceſi Moguntina) & pecuniam ſexcentarũ argenti marcharum, quam Fridericus Stadenſis comes pro anima ſua reliquit monaſterio, abſtulit altari, aſtruens inteſtati bona fiſco deberi. Ducatum autem Saxoniæ, quem ipſe Imperator hactenus tenuit, dedit genero ſuo Bauariæ duci: qui patrem habuit Welpum, & matrem filiam Magni nouiſſimi ducis ex linea Hermanni. Quo tempore monaſterium virginum de Heſlinge, vbi nouem per ſucceſſionem temporum habuit abbatiſſas, per Luthmundum præpoſitum Vicelini diſcipulum, transfertur in Tzeuenam, vbi manet vſque hodie in magna rerum tenuitate, dum religionem habet in poſtremis. Sed Imperator Luderus interim vocatus à põtifice in Italiam tranſiit cum expeditis copiis, quum gener eius agmina iungeret, magnam Bauarorum manum. Coactus per Imperatorem Rogerius Normannus, in quem ducebatur, imperata facere per pontificem & Imperatorem, ilico manus dedit. Iam verò dudum antè in Saxonia monaſterium dominarum, quod fundauerat comes de Haldeſleue, mutauit Lotharius in conuentum virorum ordinis diui Benedicti, trãſlato abbate & quibuſdam fratribus de monte iuxta Magdeburgum in eum locum, iuſſitq́; conſecrari baſilicam in honorem apoſtolorum Petri atque Pauli. Quumq́; Imperator in hac expeditione pontifici gratificaſſet aduerſum Rogeriũ Normannum, quem fecit eccleſiæ obſequentem, expugnaſſetque arcem iiſdem in partibus, quam nocentes quidam habebant receptaculum: ipſe Imperator capto præſidio, quingentos ibi repertos latrones ſupplicio iuſſit vltimo plecti. Pontifex remunerare volens ſpiritalibus donis arma carnalia, dedit indulgentias in locum monaſterij memorati vberrimas: quæ vſque in hodiernum vigent in eo loco, appellantque de regis nomine cœnobium vſq; hodie Koningeſlutter, hoc eſt regis Lotharij opus. Pacatis autem in Italia rebus vbi Imperator redire conſtituit, orta maxima in caſtris mortalitate, Imperatorem & ipſum peſtis vulgata corripuit. Vita igitur functus in Italia, exemptis viſceribus in Saxoniam eſt relatus, & in monaſterium ab illo illuſtratum nominatumq́; transfertur, ibique magnificè tumulatur. Quo mortuo, non tanta erat de imperij ſucceſſore quàm duorum de Saxonia diſſentientium contentio (quorum vterque natus erat filia Magni ducis) Alberti videlicet marchionis, & Henrici de Bauaria: habuitque vtraque pars ſuos defenſores. Pendebat autem res incerta ad nutum noui regis, qui cui parti inclinaret, eam videbatur habituram. Fauorabilior quidem cauſa videbatur Alberti, quòd is fortunæ videretur tenuioris. Nam competitor eius potentiſſimus erat dux Bauariæ. Sed pendebant (vt diximus) incerta omnia vſq; ad prouectionem noui regis. Interim quos quiſque poterat ſibi conciliabat amicos, quòd ſine magna digladiatione res tranſigenda nõ videretur. Poſſeſſiones quoque quas apprehendere quiſq; poterat, occupabat: nam Albertus arcem Luneburgi, vrbem Bardewicum & Bremam occupauit, quòd aduocatia eius vrbis (vt diximus) data eſſet Ludero tum Saxoniæ duci in redemptionem Liemari quondam archiepiſcopi, quem Luderus in congreſſu bellico cepit.

Rogeriũ Normannum Imperator ſubigit.

Imperator peſtilentia correpta moritur.

De Saxoniæ ducatu controuerſia.

Cap. 8.

CONRADVS eius nominis III. vir genere Suæuus, Friderici (de quo antè diximus) germanus, & vterque Conradi filius, qui ſororem duxit Henrici V. Imperatoris, ex qua ſuſtulit filios Fridericum & Conradum antedictos. Numeratur iſte quoque Conradus in ſtirpe Saxonici generis ex matre, quæ (vt diximus) fuit Henrici IIII. filia, & perinde ex Ottonis I. ſtirpe, quo modo tres Henrici, tertius, quartus, quintus: & ideo res ab illo geſtas hîc proſequemur. Albertum marchionem hic rex in ducatu Saxoniæ confirmauit, quòd iniquum eſſe cenſeret eundẽ in regno duobus inſigniri ducatibus, quòd Henricus iam teneret Bauariam: decus eſſe regni, in duobus ducatibus duos eſſe duces. Turbauit ea res multos principes, & auertit Conrado. Vixit in corde eius obliquus (vt putabatur) liuor in Lotharium ante ſe imperantem, cuius facta putauit antiquanda, quòd ille Henrico genero ducatũ Saxoniç contuliſſet. Quumq́; Albertus apprehẽdiſſet inferioris Saxoniæ præſidia, excluſit facilè Henricũ. Tum Adolphus ſecundus Holſatiæ comes, q; aduerſaretur Alberto, fidem ſeruans quam præſtitiſſet Lothario & genero eius, ditione Holſatiæ conceſſit dono Alberti marchionis, Henricus de Badewide comes eſt illam aſſequutus. Magno exinde bello de Saxoniç ducatu confligantur. Albertus marchio, cui

Conradus III. Lothario ſuccedit.

ſtudebat Conradus & Henricus Catulus dux Bauariæ: quem nonnulli per errorem appellant Leonem, fuit autem Henrici Leonis pater. Siue ergo vterq; & pater & filius cognomen habuere Leonis, ſiue ſolus filius, rem non variat: dummodo ſciamus Henrici Leonis fuiſſe patrem, qui de Saxonia cum Alberto luctaretur. Præoccupauit Albertus ea quæ ſunt citeriora Saxoniæ, Luneburgi arcem, Bardewicum, Bremam. Sed Henricus de Bauaria deſcendens cum valido exercitu, ſuperiora prouinciæ vaſtauit, aliquot arces vi cepit. Ducebat ille in belli ſocietatem comites palatinos Rheni, natos ſorore Rixæ Imperatricis, & videbantur omnia in deterius prolapſura ad vaſtitatem prouinciæ. Sed interuenere principes qui rem ponerent in treugas, conſtitutus à rege dies in Quedelenborg ad conuentum principum, vt cauſa tractaretur. Per quæ tempora moriens ſine hærede Henricus marchio Brandenburgenſis, locum fecit nouo beneficio, quum feudum vacaret Imperatori. Contulit ergo Conradus rex Alberto comiti de Balenſtede, ſiue de Anehold marchionatum ante dictum. Ita auctus Albertus à rege nouo principatu, facilè dimiſit Henrico Saxoniam in eodem conuentu principum habito in Quedelenborg. Sed tum Henricus Bauarus cœpit ægrotare, non ſine ſuſpicione dati veneni: & mortuus ſepelitur in Lutter, ad latus Imperatoris ſoceri ſui. Rex autem Henrici relictam, matrem Leonis, filiam Lotharij Imperatoris dedit coniugẽ Henrico fratri ſuo: cui etiam contulit ducatum Auſtriæ, qui antè erat principatus Noricorum. Iſte ergo eſt in meridionalibus Germaniæ ducatus nouiſſimus, qui iam vſurpat (incertum quo iure) appellationem, quòd ſe nominat archiducem. Iſte verò Henricus in Auſtria nouo ducatu, nullos reliquit hæredes. Vnde iterum fit locus nouo beneficio. Sed hæc ad tempora ſequentis Friderici.

[M]archionatus Brandenburgenſis Alberto cõfertur.

[A]uſtriæ ducatus dici cœptus.

CAP. 9.

HOLSATIA interim (ſicut vniuerſa Saxonia) nouis quatitur motibus, dum expulſo Adolpho, qui Imperatrici Lotharij relictę fidem ſeruans ceſſit comitatu. Interim Henricus de Badewide repoſitus in eam ditionem, arcem Zegeberge, iam defuncto Hermanno (quem Lotharius ibi conſtituit) occupauit: nec tamen proſperatus eſt vehementer. Nam Wandali ad noui principatus initia ſe erexere. Pribiſlaus qui veterem Lubicã tenuit, collecta magna ſuorum manu, Zegeberge inuadit, monaſteriũ cum eccleſia tradit incendio. Vnum ex fratribus, qui ſe defenſioni ſacrorum obtulerat, obtruncauere: reliqui vix fuga elapſi redierunt in Falderam. Cæteri qui Lubicam incoluere, ſatis difficili & ancipiti laborauere periculo, quòd Pribiſlaus etſi necdum fidelis Chriſtianus, fratribus tamen ibi prædicantibus ſatis erat benignus. Nec tam ſua mouerunt pios pericula, quàm aliorum Chriſtianorum conſpecta vincula & ludibria. Nec longum tempus in medio, & ecce alij de mari Wandali aſcenderunt, Pribiſlaum hoſtem inſequentes (diu enim nobilium familiæ Critonis atque Henrici de principatu diſſidebant) & Lubicam applicantes qui ſuperuenere, diripuerunt omnia quæ repererunt: arcẽ incendunt, & quum hoſtem non adeſſe cernerent, cum præda reuertuntur. Sacerdotes autem vix manibus eorum elapſi, ad patrem ſuum Vicelinum ſe contulerunt. Ita fruſtrato iterum labore, vinea nouella depaſta eſt. Quid facerent optimi patres? Quando prædicatio negabatur, orationi inſtitere, humiliter deprecantes Dominum Ieſum, vt ad gloriam ſui nominis & animarum ſalutem, fidei ianuam miſeris aperire dignetur. Interim Henricus terræ tum Holſatiæ adminiſtrator, collecta ſuorum quanta potuit maxima manu, contendit in hoſtes, Wandalorum terram peruaſtans: & præda inde abacta non minima, gladio & igne vaſtauit omnia obuia, par pari referens. Quo tempore Holſati nullo comitis ductu, ſed ſuis auſpiciis, præſidium Wandalorum fortiſſimum Plone aggreſſi, valida manu ceperunt, communierunt, & ex inde ſemper in ditione tenuerunt. Nec longum tempus in medio, quũ Henricus Bauariæ dux (quod diximus) auxilio ſocrus ſuæ & primatum in Saxonia, arcem Luneburgi primariam obſedit, inq; ſuam accepit ditionem, pulſis quos Albertus marchio cuſtodes præfecit. Inde ab reliquis quoq; terræ præſidiis breui conſobrinum ſuum Albertum expulit, quòd multũ armis & auxiliis Alberto præualeret Henricus dux Bauariæ potentiſſimus. Quo etiam tempore, eiſdem armis adiutus Adolphus comes recuperauit Holſatiam ſuam, anno vix exacto, poſtquam illam amiſerat. Videns autem Henricus de Badewide, quia ſubſiſtere in terra non poſſet, incendit arcem Zegeberge, & munitiſſimum præſidium, quod Adolphi mater Hamburgi firmauerat, omnia quoque quæ ſenior Adolphus in terra communierat, quia ille ſuſtinere

[W]andali Lubecã diripiũt.

nere

nere non poſſet,abiturus incendit atque demolitur. Conradus autem rex hæc audiens, quum de collato beneficio tueri curaret Albertum, exercitum duxit in Saxoniam, habens in multo comitatu etiam ducem Bohemiæ.Sed & Saxones duce Henrico alacres illi occurrunt,caſtris vtrinque iuxta Cruceborg firmatis.Ibi priuſquam pugna iniretur, interceptum eſt negotium, & indicta eſt curia principibus proximè in Wormacia (vbi ſine armis res omnis dirimeretur)ad proximum Purificationis Mariæ diem:& inde tráſlata conuentio in Quedelenborg. Vbi in eam formam quam diximus, res eſt compoſita,vt haberet vterq; in Saxonia principatum.

Saxonica contentio dirimitur.

CAP. 10.

DELAPSIS in ſua exercitibus,diuiſiſque copiis,Rodulphus comes Thietmarſię & Fridericus Palatinus ex eodem agmine Bremam ducunt. Nihil tale opinanti ciuitati ſuperueniunt & diripiunt,quum Adalbero Romam abiiſſet. Diu ea valuit controuerſia,vt principes Saxoniæ temporale dominium illius vrbis ſibi vendicarent, iam tunc à memoria Bernhardi ducis:quod in Adalberone diximus in Metropoli. Reclamauere pontifices,ſed præualuerunt arma,qua adhuc iuris occaſione nobiles memorati ciuitatem in prædam vertunt.Iam tamen duplici iure freti videntur, quòd Albertus pridem eam occupaſſet,nunc pro Henrico illam receperint: deinde quòd aduocatia eius vrbis à Liemaro capto permiſſa fuit(vt diximus)duci Saxoniæ Ludero, & perinde poſteris eius.Erat autem poſt mille centum annus triceſimus nonus, quum Henricus dux Bauariæ & Saxoniæ in fata cõceſſit,relicto paruulo filio ſibi cognomine Henrico, cui cognomen Leonis acceſſerat. Mater autem pueri, Gertrudis, filia Lotharij Cæſaris, miſerata ſortem Henrici de Badewide,egit cum principibus, vt illi Wagria permitteretur Holſatiæ contermina,nuper à Wandalis capta: Adolphus autem retineret Holſatiam. Sed non quieuit Adolphus,donec Henricus puer iunctis principibus ita rem dirimeret, vt Holſatiam cum Wagria teneret Adolphus, Henrico autem memorato proueniret terra Polaborum cum oppido Raceburgo(quæ & ipſa pars erat Wandaliæ) nuper in ditionem & ius Saxonum accepta,licet antiquus adhuc populus,conſumptis aut retro pulſis nobilibus,illam inſideret. Adolphus autem ſic compoſitis rebus, iterum communiuit arcem Zegeberge in loco quem dixere Wandali Bucu:inter fluuium Trauenam & lacum Wockeniſſe vrbem firmauit, pridem à Critone ante annos quadraginta inchoatam:nomen autem cum populo tranſtulit à veteri Lubica, quam paulo inferius ad mare conſtruxit Henricus in loco Zuartow.Cœpit ergo ex hoc die noua Lubica in monte firmari,quo loco permanſit in hunc diem, breui miris incremẽtis adaucta. Adolphus cum Nicloto Obotritorum principe pacem fecit,cœperuntque inhabitari deſerta Wagriæ:nam magna pars vulgi aut conſumpta eſt bello,aut introrſus orientem verſus emigrauit, habitatura inter congentiles potius quàm ſeruiret Saxonibus. Vocantur ex aliis regionibus qui in ea parte colendos agros acceperant. Interim Vicelinus ſpiritualibus quoq; incrementis intentus,prædia recuperauit ab Adolpho quæ Lotharius Imperator monaſterio Zegebergenſi contuliſſet.Sed viſum eſt tum patribus monaſterium in Hagereſtorpe villa erigere,propter fori tumultus,& ab arce militaria incommoda,quę Zegeberge videbantur. Permiſit facilè comes, in loco priſtino ad radicem montis parrochialis eccleſia remanebat:tantumque valuit nouæ molitionis fama,vt Thietmarus Bremenſis chori decanus,relicto loco ſuo Falderam petierit,& à Vicelino nouæ plantationi in Hagereſtorpe præeſſe iuberetur.

Dimicant pontifices de Bremma.

Anno 1139.

Epiſcopi cura in rebus Eccleſiaſticis.

CAP. 11.

CONRADVS rex ad indictum Wormaciæ conuentum properauit, venerantque multi eò principes,ſed Henrici pueri defenſores Saxones non aderant, quòd fides illis publica ad eorum præſcriptum non interponeretur.Deinde poſt Paſchalia nouum indixit conuentum in Francfordia:ſed neq; tunc ob eandem cauſam venerant.Inualuitq; controuerſia,vt principes Albertum etiam natiua ditione penè expellerent, vrbes eius occupante Rodulpho comite Thietmarſorum. Sed tamen non diu res in eo ſtatu permanſit,rege deſcendente in Saxoniam.Nam tum Alberto reſtituta eſt marchia, & Henricus puer in Saxonia eſt cõfirmatus. Nec diu ſuperfuit Rodulphus comes memoratus, cæſus in Thietmarſia ſua,ſicut multi prædeceſſores eius. Infrænis enim populus ſemper excuſſit iugum dominationis.Sed tum Hartwicus frater Rodulphi, facta commutatione eccleſiæ dedit Thietmarſiam,& recipit comitatum Stadẽſem:quod ſuprà attigimus, & plenius in Metropoli commemorauimus. Per quod etiam tempus fundatum eſt

monaſterium Beatæ Mariæ ad oppidum Stadenſe. Quod iſto anno poſt mille quingen teſimo(quo hæc ſcribuntur)propter metum pedeſtrium copiarum, quæ tum diœceſim vaſtabant,& ſe Guardiam cognominauere,euerſum eſt a Stadenſibus,reddito intra oppidum loco,euerſa prius religione à fratribus,qui pauci iam commanebāt. Sed hoc ſuo tempore commemorabitur. Tum verò Henricus puer per curatores inſtituit querimoniam apud regem,ſuper nomine Adalberonis archiepiſcopi, quòd ille matri ſuæ pollicitus diceretur omnem comitatum Stadenſem poſt mortem Rodulphi ipſi Henrico prouenturum: nunc autem eccleſia haberet Thietmarſiam, & Hartwicus Stadenſem comitatum. Audiuit rex querimoniam, & ad tollendam controuerſiam indixit partib. conuentum in Rameſlo. Præfecit autem ſuo loco tractatibus habendis Thietmarū Verdenſem epiſcopum, Albertum marchionem, Hermannum de Wintzenborg germanū eius,& Henricum de Daſle comites: aderāt ex nobilitate quamplurimi: archiepiſcopus factum ſuum defendit, dux per ſuos grauiſſimè impugnauit. Et vbi nihil placitum inter diſſidentes componitur, ducis ſatellites ad arma concurrunt: venerant enim fortiores, facturi quod fecerant. Archiepiſcopum capiunt, ac in arcem Luneburgi pertrahunt, ſi fortè minis extorqueant quod placito non poterant. Sed ille inuictus permanſit, neque prece neque precio nec comminationibus ſuperatus. Vbi nihil proficiunt, abire ſinunt. Hartwicus præpoſitus in manu erat Hermanni de Luchow, vnde illum ſperabant ducales ad ſe transferendum. Quo facto, ſi ille fuiſſet ſublatus, iam dirempta quęſtio videbatur, vt ad ducem perueniret quod petebat. Sed vir nobilis proſpiciens periculo Hartwici & capiti eius, eum tradidit in manus Alberti marchionis, qui illum liberum in ſua remiſit. Comes erat per hæc tempora de Wintzenborg Hermānus, qui militaris de Suæuia viri ſpecioſam coniugem abſente marito oppreſſam conſtuprarat. Redeunti marito flens mulier occurrit, vim ſibi illatam queſta. Ingemuit maritus, & obſeruato tempore arcem primo mane conſcendit: & (vt erat comiti coniunctiſſimus) aditum habuit in cubiculum. Ibi dormientem comitem ad latus coniugis confodit. Mulier eiulabat, minata vindictam, geſtare ſe vtero exclamans qui vlciſceretur. Ille furens minantem iunxit marito, & confeſtim equum iam ſtratum conſcendens, vxore poſt ſe ducta terram reliquit, abiens in Suæuiam ſuam. Erat in arce ſpiritus (incertum qualis) qui varia ſpecie ſe plerunque oſtenderat. Is concitò monebat epiſcopum Hildeſemenſem in ſtrato ſuo quieſcentem. Surge(inquit) corraſe, & vacantem occupa Wintzenborg arcem. Nō contempſit ille monitorem. Exurgens cum expeditis eò properans contendit, & vt audiit inuenit, conſenſuq; Imperatoris cōiunxit eccleſiæ comitatū, arcem cū oppido Aluelde.

Cōtentio peruenit à verbis ad verbera.

Hermannus adulter ab eo cuius vxorem compreſſerat, interficitur.

CAP. 12.

Anno 1147.

Expeditio ad cogendos immites.

INDE Conradus in Saxoniam deſcendens egit cum principibus de vicinis Wandalis ad iuga Chriſti cogendis. Erat annus poſt mille centum quadrageſimus ſeptimus, & in hanc ſacram pro Chriſto militiam ſeſe perarmarunt Adalbero archiepiſcopus Bremenſis, Henricus dux adoleſcens prima penè arma portans, Conradus dux de Saringia, Albertus marchio, Conradus comes in Witin. Confluxerant ex omni Saxonia (quæ nunc Weſtphalia) voluntarij multi, qui in ſacram militiam nomina dederunt. Sumpſere autem ſacrum veſtibus & armis tale ſignum ♁, hoc inſinuātes, quia crucifixus Dominus rex eſt ſuper omnem terram. Niclotus Obotritorum princeps, quum intelligeret expeditionem in ſe ſuoſq; contribules dirigi, quantum potuit exercitum adunauit, pro libertate pugnaturus. Sed quàm magnus fuit vtrinq; apparatus, tam futilis exitus. Nullo enim inſigni prælio commiſſo, quum intelligerent Wandali ſe viribus impares, ſuſcepere facere imperata. Ea fuerunt, vt accepta Chriſti religione, Danos, quos ob eam rem crebrò in ſe pugnantes habuere, vinctos relaxarent. Sed quamuis pollicitarentur, nihil impleuere. Si ſuſcepti promiſſorum obſides, ſi impoſiti qui prædicarent ſacerdotes, nihil horum commemorant annales. Veriſimile fuerit, tantos principes, tam validum exercitum non abiiſſe, niſi omnibus legitimè conſtitutis, etiam ſi non commemoretur. Id tamen effectum eſt, vt res deinde pacatiores eſſent inter Obotritos & vicinos Saxoniæ Wandalos. Nam Hartwicus, qui Adalberoni in archiepiſcopatu ſucceſſit, quum diu apud ſummum pontificem & Cæſarem inſtitiſſet recuperando honori ſuæ legationis in regiones aquilonis, qui ſub titulo Hamburgenſis eccleſiæ debebatur, nec peruias haberet aures eorum, neque muneribus profeciſſet, quòd iam in regna aquilonis conſtituti eſſent metropolitani, quibus parerent epiſcopi regionum. Fruſtratus ergo hoc propoſito Hart-

Epiſcopi ſuffraganei.

to Hartwicus,ad magis piam cauſam reſpexit, epiſcopos in proximam ordinans Wandaliam,quos haberet ſuffraganeos. Nam accitum Vicelinum,iam annis triginta immorantem Holſatiæ,virum Deo acceptiſſimum,poſt annos LXXXIIII. quibus exturbatá fide vacabat religione Wandalia,eccleſiæ conſecrat Aldenburgenſi epiſcopum, Euerhardum in Mekelenborg,qui eſt hodie Zwerinenſis epiſcopatus. Quæ ditio olim pertinebat Ottonis I. iudicio ad Aldenburgenſem:nunc verò in tres diœceſes ſecta, Lubicenſem,Zwerinenſem,Raceburgenſem,perſeuerat. Ea quia in Metropoli commemorauimus,hîc attigiſſe ſufficiat.

CAP. 13.

REX deinde Conradus conuentum indixit principibus in Wirtzburg: quam vrbem nunc conflato ex Græco & Latino vocabulo Herbipolim vocāt.Sed Henricus Saxoniæ dux aberat.Inceſſit autem noua ſimultas regi atque duci, quòd Henricus Bauariæ atque Saxoniæ Suæuiam quoq; voluit auito iure ſociare: nam auus paternus ex Sueuia duxit originem. Quam rem iniquo (vt debebat) animo rex perferebat, quòd regis frater Fridericus ducatum in Suæuia adminiſtraret.Quum autē Henricus Leo in Suæuia Fridericum oppugnaret, rex alia ratione oppugnandum ducem Saxoniæ putauit. Nam propere mouit in Goſlariam,inde tranſiturus, vt acciperet in ditionem Brunſwicum, clariſſimum Saxoniæ oppidum. Sed non potuit tam accelerare rex iter, neq; tam abſcondere conſilium,quin ad Henricū permanaret:qui veſte mutata, magnis per dies & noctes contendens itineribus,ſolis tribus comitatus Brunſwicum ingreditur, regem præueniens,& perinde fruſtrans eius in hac parte molitionem. Sed inerat viro infinita & nunquā exaturanda ambitio,vt non contentus parto anhelaret ſemper ad plura comparanda.Tum verò Bernhardus Clareuallenſis cruciatam prædicabat in terram ſanctā. Quapropter è Burgundia ſua,miſſus à ſummo pontifice in conuentum principum, qui tum Francfordiæ ob eam rem fuerat indictus.Ille verò & miraculorum ſignis, & inſtantiſſimę prædicationis verbis permouit corda præſentium ad eam ſumendam expeditionem,Cōradum Imperatorem cum multis principibus animauit. Incredibile eſt memoratu,qua deuotione concurſum ſit ab omni ordine principum, militarium, ciuitatū. Vnum habuit ea res optatum exitum,vt Germania tum latrociniis frequēs, purgaretur eo genere hominum qui rapinis conſueuerant victitare.Nam tunc deuotione qualicūque,omnes id genus homines pro remedio peccatorū ſacram amplexi militiam,in eam nomina dedere,volentes expeditionem. Quæ ſi vt erat maximo feruore inchoata, tam optatos exitus habuiſſet,non res Chriſtianæ tum in Aſia periclitari cœptæ, ad eam deſperationem,in qua iamdudum iacuerunt,perueniſſent.

Bernardus principibus Chriſtianis expeditionē in Palaſtinam ſuadet.

Bello non vald e proficitur in hac cauſa.

CAP. 14.

QVVM ergo rex,audita Bernhardi cohortatione expeditionem pararet, peruenit cum exercitu Conſtantinopolim,& dolo Imperatoris orientalis (qui eam rem liuentib. ſemper oculis intuitus eſt) ludificatus eſt ad Iconium gipſa vel terra cretoſa immixta farinæ, quam ex pollicitatione idem Imperator mitteret in agmen Chriſtianum. Peruenit tamen Conradus in terram ſanctam, & magnis rebus agendis vel interfuit vel præfuit:quum etiam Ludouicus Francorum rex per mare aduentaſſet, magnis copijs aduectis. Sed ea res ſuam depoſcit iuſtam hiſtoriam. Is tamen tum erat rerum exitus, vt magnis licet conatibus inſtitiſſent amplificandæ in Aſia rei Chriſtianæ, in Europam ambo reges laceros ſuos reducerent exercitus,infinita multitudine conſumpta, vel bello, vel pane venenato. Fregit animos fortiſſimorum regum dolus,quo apud Damaſcum irretiti ludificabantur. Obſederant eam vrbem tres reges(nam Balduinus Ieroſolymæ quartus rex Europæ duobus regibus acceſſit) fontibus qui per cuniculos vrbi inuehebantur facilè interclusis,propè erat vt fame & ſiti caperentur obſeſſi:nam altiſſimi & ſpiſſi ſupra modum muri oppugnationem fecere irritam. Vnicus erat lacus quē foris tenuere Chriſtiani, vnde etiam non magno labore inciſos aquæductus in vrbem poterant rumpere. Id veriti oppidani,hominem Aſſyriū ad eum vſq; diem Balduino fidum, pecunia corrūpunt ingenti, vt ſuaderet regib. in altera ciuitatis parte oppugnationem intentare, quòd ibi captu facilior vrbs ſuaſu illius videretur. Auſcultarunt perfido homini tres reges, & exercitu in aliam vrbis partem traducto, egreſſi oppidani,Chriſtianos aquatione interclurerunt,& periculum vrbi intentatū vertunt in oppugnatores. Ea re fruſtratus eſt tantus regum ex Europa magnorū conatus,& in regionem quiſq; ſuam exercitus cōſciſſos reduxere. Reuerſus autem in Germaniā Conradus, nō diu poſt ex labore peregrinatio-

Damaſcū tres reges obſidentes dolo decipiuntur.

nis(cui acceſſit mœſtitia fruſtrationis)concepto morbo finem viuendi fecit, priuſquam Imperialem benedictionem acciperet. Miſit quidē Eugenius pontifex cardinales duos ad regem pro quibuſdam non ſatis explicitis cauſis, Octauianum atq; Iordanem. Sed hi regi indixere diem vt Romam properaret, nō alibi accepturus Imperij coronam. Dum autem appararet quæ Italicę expeditioni neceſſaria viderentur(neq; enim leui manu penetrare potuit prouincias, & erant quæ in Italia pro ſtatu eccleſiæ recuperando viderentur agenda) in ipſo rerum apparatu rex ipſe defecit, tumulatus in Bamberga. Reliquit autem filium Henricum cognominatum de Rodenburg, apud quem quū Imperialia inſignia ſeruarentur, ab omnibus illi regnum putabatur deferendum. Sed tum Fridericus Suæuus illi præfertur. Tantum verò valuit timor Henrici apud magnates, vt iam regnante Friderico, non ſecurus videretur rex, niſi iſte veneno tolleretur de medio.

Chradus rex, nō Imperator moritur.

CAP. 15.

FRIDERICVS eius nominis I. genere Suæuus, Conradi regis ex fratre nepos, Friderico patre natus, eo quem Henrico v. ſufficiendum multi ducebant, regno ſubſtituitur à principibus. Hunc Italici ob contumeliam, quòd grauis illis incubuerat, Barbaroſſam cognominauere. Erat autem annus poſt mille centum quinquageſimus ſecundus. Numeratur & iſte in gente Saxonum, quamuis Suæuiam habuerit patriam. Nam Ottonum trium ſanguis diu inter principes claruit, vt ex illa ſe ſtirpe prodiiſſe gloriarentur. Primam curiam in ſacro Pentecoſtes feſto Merſburgi celebrauit. Ibi Zueno atque Kanutus de corona Daniæ contendentes, Romanorum regem cauſæ ſuæ arbitrum fecere. Zuenonem ille in regno confirmauit, & Kanutum Magni filium, parte regni deputata, inter duces iuſſit haberi. Deinde in Herbipolim indixit conuentum. Ibi Henricum Bauariæ & Saxoniæ ducem Alberto marchioni iterum compoſuit. Viuebat antiquum in pectore vulnus, amor videlicet Saxoniæ, in corde Alberti: ſed duplici ſtemmate Henrici excluditur. Nam & auia eius paterna Magni ducis fuit filia, quo modo & Alberti mater. Inſuper Henrici mater erat Lotharij filia, quæ alio iure traxit ad illum Saxoniæ ducatum. Quo tempore idem Hēricus grauiter inſtitit Vicelino, vt ferulam paſtoralem, hoc eſt inueſtituram temporalis dominij, ab ipſo acciperet. Sed vetuere Bremenſes, regale munus aſſerentes, inueſtiri epiſcopos ad formam inter Calixtum papam & Henricum v. Imperatorem conſtitutam. Venit rex in Saxoniam incunabula patrum viſurus. Vxorem autem quam tenebat Henricus, quia ob propinquitatem legitimè habere non poterat, interuenientibus apoſtolicis legatis cum gratia dimiſit, ſeparatus ab illa per ſententiam quam vocant diuortij. Nec diu ſuperfuit vir ſanctiſſimus Vicelinus, anno v. ſui pontificatus decedens apud fratres ſuos in Faldera, hoc eſt Nouo monaſterio tumulatus. Quo mortuo fratres eius ſe retraxerunt ab vnione Aldenburgenſis epiſcopatus, quippe qui Bremenſi ab antiquo pertinerent. Succeſſit illi in epiſcopatu Geroldus ex miniſterialibus Henrici ducis. Rex autem Fridericus in Magdeburgo Paſcha celebrauit, inde inſtituens profectionem primam in Italiam. Iurare fecit principes eandem expeditionem: nouerat enim tergiuerſationes multorum. Non ignorabat quàm difficulter inibāt longam & ſumptuoſam peregrinationem: ideo ſimplici promiſſione in tanta re contentus non erat.

Anno 1152. Fridericus Barbaroſſa rex.

Inueſtitura contentio.

CAP. 16.

ANNVS erat poſt mille centū quinquageſimus quintus, quum rex iter ingreſſus, magno principum cōcurſu mouebat in Italiam. Aderat Henricus dux Leo cum Geroldo ſuo Aldenburgenſi electo: quem quum Bremēſis archiepiſcopus conſecrare recuſaret, quòd non legitimè electus, ſed ſola ducis aſſumptione prouectus eſſet, Romam ſecum duxit ibi conſecrandum. Erant ſimultates aliæ inter ducem & archiepiſcopū, quòd dux prædia eccleſiæ velut ſua haberet, & pro capellano vti conſtitueret antiſtite: quæ vetus prædeceſſorum quoque ſuorum iniuria fuit. Sed Henricus ſatis pro ſua atque eccleſiæ dignitate agebat. Ergo quem archiepiſcopus conſecrare noluit, Romam eius rei gratia perduxit, non confirmationis, vt nunc agitur: necdum enim Romana eccleſia tantū ſibi iuris in omnes omnium prouinciarum eccleſias vendicabat, vt niſi confirmatione apoſtolica epiſcopus non haberetur legitimus. Id enim poſteriora tempora adinuenerunt. Nec ibi quieuit Roman. eccleſia, donec annatas quoq; ſibi ex omni Chriſtianiſmo aduocaret. Rex ergo profectus proſperè venit in Lombardiam: inde Terdonam, quæ rebelles illi oſtendit animos. Quam obſidens, ac non multo pòſt capiens, contendit maxima celeritate Romā. Trepidatum eſt in vrbe Roma ad celerem Imperatoris aduentū.

Anno 1155.

Annata nouū Romana eccle inuentum.

Senatus

Senatus Romanus obuiam regi miſit oratores, qui dicerent paratos eſſe Romanos excipere regem triumphaliter, ſi ſe Imperatorio gerat more. Quo percunctante quid illi faciendum ducerent, illi reſponderunt, ſi vinctos præ ſe ferri curaret catenatos tyrannos, & aureo curru reſidens diuitias gentiū Vrbi inferret, ſenatuiq; promitteret appendi xx. millia libras argenti, vt eſſet veteribus conſtitutum legibus: magnificum & munificum videri triumphaliter exceptum, quem principes regem fecerint, S.P.Q.R. Cæſarem ſibi conſtitueret. Subridens rex, Grata, inquit, promiſſio, ſed cara nimis licitatio. Magna requiritis viri Romani de exinanita camera noſtra. Venimus aurum de Italia ſumere, non argentum inuehere. Quòd ſi occaſionem quæritis nobis rebellandi, non tantū vobis laborandum erit: habetis paratum bellum vbi voletis. Si tamen conſilio noſtro putaueritis vtendum, conſultius quid amici quàm quid armati poſſimus experiundum vobis ducimus. At illi pertinaciter inſtabant, iura ſuæ ciuitatis tueri. Rex illis contemptis, ad pontificem Hadrianum, qui ab Vrbe declinauerat, incertus quid exercitus tātus moliretur, miſit oratores, vt ad colloquium mutuum fieret conuentus. Pontifex dignatione ſua flectere contenderat Germanorum formidatam inſolētiam, & venit in caſtra regis cum ſolenni pontificeq; ſummo digno comitatu. Rex concitus occurrit venienti, & ab iumento deſcendenti ſtrepam fertur tenuiſſe ſellæ, acceptumq; reuerenter per manum in ſua tentoria perduxiſſe. Bambergenſis tum epiſcopus verbum regis proloquutus ait, Honorabilem tuæ ſanctitatis præſentiam apoſtolice pontifex, ſicut dudum deſideranter optauimus, ita nunc lætanter ſuſcipimus, gratias agentes omniū largitori bonorum Deo, qui nos deduxit & adduxit in hunc locum, & ſacratiſſima viſitatione tua nos dignos fecit. Notum ergo tibi eſſe volumus reuerende pater, quia omnis eccleſia de finibus orbis ad honorem regni collecta, adduxit principem ſuum ad tuam beatitudinem, prouehendum per te ad culmen Imperij. Hoc meretur nobilitas, prudentia, fortitudo, Dei timor, & catholicæ pacis amor in corde illius regnans, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ cultus non vulgaris. Ecce te venientem excepit venerabundus, tuis ſanctiſſimis veſtigiis humiliter prouolutus. Ergo venerande pater tu circa ipſum peragas, vt quæ ei deſunt de plenitudine Imperialis culminis, per tuæ beatitudinis munificentiam ſuppleantur. Papa refert, Audiuimus frater epiſcope quæ loqueris, ſpecioſa quidem dicta, ſed non opere exhibita. Friuolum poteſt videri quod dicimus: & tamē in minimo commiſſa negligentia facit argumentum de maximis. Ab iumento deſcendētibus nobis ſtrepam tenuit ſellæ ſiniſtram, neſcimus ad irriſionem, an aliorſum, quū dextera fuiſſet obſequenti contrectanda. Rex ſtomachanti ſimilis riſu ſoluitur, minimum ſe ſtuduiſſe reſpondit ſtrepis apprehendendis. Tu primus es pater, cui tali officio deſeruimus. Deinde iam commotior, Scire velim officij hoc genus ex debito ſit, an beneplacito. Quòd ſi ex beneuolentia deſcendit, quis cauſabitur negligentiam in ſpontaneo? Sin ex debito, parum intereſſe putamus quo latere acceſſit qui venerabundus adorat. Hac verborum viciſſitudine (quæ multo plura inter collaterales amborum fuere) ſine oſculo diſceſſerunt.

Romani veteri virtute amiſſa, veteres tamē ſpiritus gerunt.

Cōradi ad pontificem poſtulata.

Pontifex admodū φιλαίτιος.

CAP. 17.

POSTERO die reuocatus in caſtra pontifex adeſt. Rex iam experimento doctior, quam debuit ſtrepam apprehendit. Conſedentibus iterum papa verbum fecit. Solebāt, inquit, qui ad coronam petendam venerant priſcæ ætatis principes, inſigni aliquo facto Romanæ eccleſiæ beneuolentiam promereri, vt ſuo velut officio præuenientes benedictionem, iam debitam coronam omnibus præclaro facinore teſtarētur. Sic Karolus, dum domuit Longobardos: Otto, dum compeſcuit Berēgarios: nouiſſimus Lotharius, dum Normannos reprimeret, coronam Imperij meruere. Quocirca ſereniſſimus rex Apuliam Romanæ eccleſiæ peculiarem prouinciam, iam à Normannis occupatam, nobis eccleſiæque reſtituat: deinde quæ noſtra ſunt facilè exequemur. Principes reſpondent, ab longo itinere & multiplici per viam labore attenuatas eſſe vires exercitus, nec poſſe regem illis copiis, magnam inuadere prouinciam. Impleat in rege benedictionem pontifex: non ſe certaſſe priorem officio pœnitebit: reſtitutos in ſua principes, cumulatioribus armis cum ſuo rege redituros, facturoſque quæ in rem eccleſię videbūtur. Ceſſit papa contentioni, facturum ſpondens quæ peterentur: paterno ſe affectu commone re regem, videat proſpiciatq; quo ſit itinere, propter collocatas ab Romanis inſidias, ingreſſurus. Curaturos ſe principes reſponderunt. Tum Henricus dux Leo Geroldum ſuum exhibens Aldenburgenſem poſtulat conſecrari: ſed iam præmonitus papa literis

Pontificis ad Conradū poſtulata.

Benedictio pōtificia vi acquirenda.

archiepiſcopi Bremenſis,aures auertit. Interea diſpoſitis rebus per viam Sutrio mouet rex,ingrediturq; Vrbem incolumis,& à pontifice ſuſceptus,in ſcalis Petri benedictionis ſolenne munus accepit,Imperator Romani populi conſalutatus. Sed dum ea celebritas vtrunque principem eorumque primores detinet in Baſilica principis apoſtolorum oc cupatos,Romani cum pontifice parum concordes,propter conſules, & eadem ratione Imperatorem ducentes ſuſpectum,portas Vrbis clauſas tenuerunt. Friderici enim exer citus,quem duxerat magnum,in pratis quæ appellant Neronis, tentoria ſtationesq; habebat. Romani tumultuantes primùm in Vaticanum erupere: quos ad gradus inuenerunt,in eos commiſſa præda ac cæde debacchantur: inde etiam in caſtra auſi procedere. Erant autem proxima muris Henrici Leonis arma. Milites egreſſi, magnam ſtragem in Romanos retulerunt,repulſis ad Vrbem,qui cædi ſuperfuerat. Pontifex egregia Henrici & ſuorum virtute delectatus,poſtero die electum ſuum conſecrabat. Deinde quia in Lateranum erat proficiſcendum cum Imperatore, & Romani per Vrbem tranſitum negauere,magno circuitu extra Vrbem facto,multis etiam millibus paſſuum circuitis, pontifex cum Imperatore Lateranum apprehendit: & inter ſtationes militum expleuit ſacrum in æde Iohannis miniſterium.

Romani in Imperatorem tumultuantur.

CAP. 18.

IMPERATOR in Germaniam regreſſus,Monaſterij Weſtphaliç Paſcha celebrat. Inde conuentum principibus indicit in Halberſtadio,& inde Rariſponæ: vbi controuerſiam quæ Henrico Leoni fuit oborta de Bauaria,cõpoſitis rebus ſedat. Quo etiam tempore idem Henricus dux Saxoniæ Phriſiam hoſtili agmine inuadit: ſed parum profecit in locis paluſtribus,in quibus nihil erat loci copiis equeſtribus: quę res facit homines regionum talium indigenas inſolentiores. Quum verò Zueno Daniæ rex à nepotibus regno pelleretur, ad eundem confugit Henricum ducem: cuius armis in regnum adductus,per dolum circumuenit Kanutum, quem oppreſſit, penè etiam conixurus Waldemarum. Sed ille meliore vſus fortuna elabitur, poſtremò opprimens regem: quæ nos in noſtra Dania ſumus exequuti. Henricus etiam dux eodem tempore Wandaliam ferro igneque cuncta vaſtans ingreditur. Sed varia fuit hominum & fluxa fides, vt parum profuerit labor ille copiarum. Siquidem ſtatim relapſi ſunt qui imperata ſe facturos pollicebantur. Imperator autem quod pollicitus eſt pontifici, Italiam magno agmine ingreditur. Et primos quidem Mediolanenſes ad imperata facere cogendos circumſedens, ad vota ſua flexit: ibique conſumpto tempore, vlteriorem in Italiam expeditionem illo tempore intermiſit. Anno autem nono ac quinquageſimo, quum Imperator iam tertiò validis agminibus Italiam inuadit, maiores de regno principes cum copiis aderant, Henricus Leo inter primos. Imperator Cremã obſidet, quum illi nunciata eſt rebellio Mediolanenſium, ſimul etiam interitus Hadriani pontificis, & duorum de ſummo pontificatu contentio innotuit. Quæ res viſa eſt Imperio olim detruncato repromittere in integrum reſtitutionem: qua de re non inuitus audiuit eam de pontificatu cõtrouerſiam. Rolandus Mediolanenſis natu, iam Alexandri III. nomen induerat. Octauianus autem Romanus, iampridem Imperatori notus, quum eſſet in Vrbe coronandus, fortè & tum verba de ſummo pontificatu ferentes exiſtimabantur, impenſiorem illi fauorem ab Imperatore eſſe impenſum ferebant. Victoris ille nomen acceperat. Rolandus quòd & Mediolanenſis eſſet, & multos in Francia Imperatori feciſſet infenſos, auerſum ſibi animũ fecit Friderici. Miſit tamen Alexander ſolennes nuncios in caſtra Imperatoris, oratum vt electum ſe à duodeuiginti cardinalibus, aduerſus Octauianũ (quem ſoli tres prophanaſſent) tueretur. Quibus Imperator ſuperbè fertur reſpondiſſe, oportere vtrunque electum ad ſe Papiam deſcendere, vt cognito à ſe ſuiſq; iure vtriuſq;, ſtatueretur quod æquiſſimum videretur. Ea (vt debuit) pontifex relata ægrè tulit. Et quia Octauiani factio eũ in Vrbe vexatum moleſtiis affecerat, contulit ſe in Anagniam: Signiam Octauianus apprehendit. Iterum Imperator miſſis è Germania duobus epiſcopis ad Alexandrũ, eum velut cardinalem, monuit Papiã venire in concilium. Pontifex eloquẽtiſſimus ſuaui reſpondit oratione, in eam concludens ſententiã, Romanum pontificẽ à nemine eſſe iudicandum. Octauianum autem facilè mouerunt vt Papiã properaret. Ibi conſenſu pontificum ſuorum, Moguntini, Colonienſis & qui aderant cæterorũ, expectato Alexandro, nec veniente, Victori manus dant, eũq; ſalutant ſummũ pontificem. Id quũ reſciſſet Alexander, trina monitione præmiſſa excõmunicauit Imperatorẽ: ſuaſq; literas in Franciã,

Henrici varia ſed parum fœlices expeditiones.

Anno 1159.

Duo pontificis nomen ſibi ſimul arrogãt.

Imperatorij epiſcopi pſeudopapam fouent.

Angliam,

Angliam,Hiſpaniam,& quas potuit Chriſtianas prouincias curauit circunferri. Ciſtercienſis ordo annotatus Alexandro tum magnum præſtitiſſe obſequium,cunctis edoctis per illos,legitimum eſſe pontificem,& verum Chriſti vicarium,Petriq́; ſucceſſorem. Iratus Imperator eiecit regno vniuerſos eius ordinis,profugientes in Gallias. Italici prælati nulla ratione adigi poterant vt Victori adhærerent: multi ſedibus ſuis pulſi exulabãt. Imperator tum Mediolanenſes oppugnauit: vexillũ beati Ambroſij illis abſtulit,& cum victoria in Germaniam repedauit:nec diu pòſt Mediolanum in ius eius conceſſit. Satagit Imperator vt Victorem ſuum ſuſtineret,& Alexandrũ pontificatu detruderet. Quapropter Biſontij,in Imperiali Burgundia vetuſtiſſima vrbe, quæ olim Veſontium dicebatur,iam tum florens quum C.Cæſar Gallias decennio adminiſtraret. Hic,quòd videretur eſſe quodam in medio Chriſtianorum regum,Hiſpaniæ,Franciæ, Britanniæ, omnibus maioribus Chriſtianiſmi euocatis principibus ſolennem indixit conuentum, vt de vero pontifice vno ſtatuatur,auferaturq́; de medio ſchiſma. Contempſere euocationem illam reges Hiſpaniarum atq; Angliæ: Franciæ verò rex,quòd quidam ſuorum circumuentus iuraſſet regem venturum, venit quidem nocte, & in flumine vrbis mœnia contingente manus lauit, atq; retro abiit, execratus conciliabulum, quòd non Spiritus ſanctus indixit. Quippe de ſumma eccleſiæ poteſtate conſtituere non ſeculariũ eſt principum,ſed ſacrorum pontificum. Sequutus eſt tamẽ Imperator exempla maiorũ, quòd Henricus III. in non diſſimili caſu,Romanæ imploratus conſuluerit eccleſiæ(quod ſuprà memorauimus,quum Leo IX. eligeretur) & ante illum Otto I. deſtituto Iohanne Benedictoq́;,Leonem ſuum reſtituit antè conſecratum. Waldemarus autẽ Daniæ rex, multis pollicitationibus pellectus venit quidem,ſed ſacrilegio non conſenſit,multa circunſpectione vſus ad reditum: quod in Dania noſtra latius ſcripſimus. Abſoluto cõuentu, Victor ibi iterum pro ſummo põtifice recognitus,quum Treuerim veniſſet,excommunicationis ſententiam protulit in Rolandum & complices eius: viciſſim Alexander in Octauianum. Imperator(quod proximum fuit) Moguntiam circunſedit,vindictamq́; ſumpſit de ciuibus,quòd archiepiſcopum ſuum in eccleſia diui Iacobi oppreſſiſſent.

Mediolanum Imperator expugnat.

In ſchiſmate quod ſit principum Chriſtianorum munus

Paparum riualium mutuum anathema.

CAP. 19.

HENRICVS autem Saxoniæ dux,quum omnibus illis expeditionibus Imperatoris atque cœtibus intereſſet,gratum Friderico præſtitit obſequium, primus ſemper inter primos apud ipſum. Per ea tamẽ tempora,quum illis rebus adeſſet, in ſua Saxonia res magnas inſtituit. Præcipuus illi labor erat ad ſubigendos vicinos Wandalos,qui & Chriſto perfidi & illi eſſent rebelles. Igitur anno ſexageſimo poſt mille centum inſigne agmẽ duxit in eos. Sæpius quidem antè conflixit & vicit,ſed nihil peregit. Zueno autem Daniæ rex per ſua tempora implicitus inteſtino bello, magno argenti pondere Henricum obæruit,vt Wandalos multis à terra incurſionibus fatigaret, domique contineret: ne Daniam ciuilibus malis laborantem interim peruaſtarent,vt ſolebant. Fecit hæc Henricus,mercenariam tum operam commodans Danis: ſed iam animo eius inciderat, ſe non rectè diſſimulare iniuriam Chriſti tantam in populo perfido: qui quoties polliciti, toties fidem violauerant abiecerantq́ue. Magnis comparatis copiis duxit in Magnopolim,iam quidem ægrè Chriſtianam,ſed male ferentem iuga ſubiectionis. Igitur Niclotũ principem Obotritorum collata manu vicit & oppreſſit: alterum ex filiis Werciſlaum captiuum abduxit,alterum verò datis obſidibus coegit facere imperata. Captus autem frater, quum iam fratri penè in obliuionem veniſſet, lachrymabiles epiſtolas ſcripſit è carcere ad germanum, quid ſe tam diu negligeret ſordidatum in ſqualore? vires illi, ſi vir eſſet,non defuturas: facilè,ſi annitatur, iugum excutiat Saxonicum. Illum in deliciis deſidentem obliuiſci facilè calamitatum captiui: ſe verò, ſi velit obliuiſci, non poſſe, admonitum per ſingulas horas ſuarum miſeriarum, quas temporis longitudo multum grauaret. In hanc ſententiam quum ſcriberet fratri, interceptæ literæ ad ducem perferũtur. Ex captiuo iam obſes erat,& aduerſus ſacramentum à ſe præſtitum bella cõcitabat. Malo vtriuſq; Pribiſlaus frater arma ſuſcepit. Henricus dux in hoſtem ducens Pribiſlaum, Werciſlaũ fratrem,quem tenebat pacis obſidem(quemq́; etiam concitatorẽ belli deprehendit) in cõſpectu fratris appenſum iuſſit iugulari: Pribiſlaũ autem eò perpulit, vt cum magno rerum ſuarũ detrimento faceret imperata. Nam antea quidem occiſo in acie Nicloto patre,demolitus omnẽ terram cœpit ædificare Zwerinum,& communire arcẽ,& impoſuit illic nobilem quendã Guncelinum virũ bellicoſum cum militari manu. Redie

Anno 1160.

Captiuus rebellionem ſuadens necatur.

runt tamen poſt patris Nicloti mortem filij in gratiā ducis aliquandiu,& dedit eis Wetle & vicinā terram. Porro terram Obotritorū dedit militib. ſuis,& diuiſit poſſidendā,collo cauitq; in arcem Kiſsin nobilem quendā Ludolphum aduocatum de Brunſwico. Apud Malacow conſtituit Ludolphū de Paina: Zwerinū & Ileborg Guncelino(vt diximus) cō mendauit: Mekelenborg dedit Henrico cuidā nobili de Scaten: qui etiam de Flandria adduxit multitudinem colonorū,& collocauit eos in finib.& terminis ſuis. Et ita redierunt filij in terram patrum ſuorū,aut nō longè inde diſtantē. Nam habet fidelis hiſtoria, Karolum Magnū ex Saxonibus Tranſalbinis hominū decem millia in Gallias(hoc eſt vltra Rhenum)tranſtuliſſe in Brabanriam Flandriámq;,quæ tum cultores deſiderare videbantur. Ætate autem iſta,quam nunc attigimus,reuocati eorū filij Wandaliam impleuerunt. Nam & Adolphus,qui per hæc ipſa tempora regebat Holſatiam, in Wagriā cultoribus vacuatā:& marchiones Brandenburgēſes,deletis per arma cultoribus, magna ex parte deſertos agros Hollandinis,Traiectenſibus,Phriſiis, Brabātinis Flandriſq; impleuerunt. Henricus autem dux hac tempeſtate Bernonē conſtituit epiſcopū in terra Obotritorum: qui deſuncto Euerhardo Magnopolitanæ pręſedit eccleſiæ,& ſubſcripſit illi in dotem eiuſdē eccleſiæ trecentos manſos: ſicut antea fecerat Raceburgēſi & Aldenburgenſi. Et facta poſtulatione apud Cęſarem,obtinuit epiſcopatus erigere & eligere & cōfirmare in omni terra Wandalorum, quam vel ipſe vel progenitores eius ſubiugarunt. Et dedit facilè Imperator quod non habuit, incapaci iuris eccleſiaſtici: quæ magnæ diu poſtea diſſenſionis materia permanſit,inter regnum & ſacerdotium. Motus autem qui fuerunt illa tempeſtate in Wandalia,quomodo compreſſerit Henricus dux, & terram pacauerit,quia plenius in Wandalia ſumus exequuti,hic præterimus.

Saxonum qui in Flandriam migrauerant, poſteri Vuandaliam venerunt.

CAP. 20.

Henricus Leo rebus ſecundis inſolentior redditus.

QVVM autem proſpera omnia Henrico duci,quem dixere Leonem, prouenirēt, ſubacta iam Wandalia,& fœdere cum Danorum rege Waldemaro renouato(nam gratiam Imperatoris iam dudum promeruit,magnis rebus in Italia cum illo & pro illo peractis)cœpit illum pertentare ſuperbia: euenitq; quod plerunque ſolet omnibus,vt ſublati rebus ſecundis, difficilè ſeruent modeſtiam. Tantā ergo gloriam ducis infuſcauit inſolentia,ſequutaque eſt comes gloriæ inuidia: nam omnes Saxoniæ principes illi ſe oppoſuere. Ille autem immenſis diuitiis locuples,clarus victoriis,& propter geminum Bauariæ & Saxoniæ principatum,ſublimis in gloria ſua, omnibus Saxoniæ tam principibus quàm nobilibus intolerabilis eſt viſus. Sed manus principū formido Cæſaris continuit, vt non concepta molimina mitterent in effectum. Poſtquam autem Cæſar quartā profectionem parauit in Italiam,& opportunitatem tempus adduxit, ſtatim inueterata cōſpiratio proceſſit in publicum,& facta eſt coniuratio valida omnium contra vnum: erat autem tum annus ſexageſimus quartus poſt centum atq; mille. Fueruntq; inter conſpiratores primi, Wichmannus Magdeburgenſis archiepiſcopus,Hermānus Hildeſemenſis pontifex,Ludouicus prouincialis comes(iam vocant Landgrauium)Turingię,Albertus marchio Brandenburgenſis,& filij eius,Otto marchio de Camburg, & fratres eius, Albertus comes Palatinus de Sumereſberg. Hos adiuuerunt hi nobiles, Otto de Daſle, Widekindus de Danſenberg,Chriſtianus de Oldenburg in Amerland. Super hos omnes præpotens ille Reinoldus Colonienſis archiepiſcopus, & cancellarius Imperij per Italiam,inſidiatus eſt duci,facie quidem abſens & in Italia poſitus, ſed toto conſilio duci expugnando intentus. Vnde factum eſt vt principes orientalis Saxoniæ,cum Turingorum principe Ludouico,obſiderēt munitiones ducis,præcipuè quæ dicitur Aldeſleph, & ei expugnandæ erexerunt machinas. Porro Chriſtianus de Oldenburg collecta Phriſonum manu occupauit Bremam & omnes fines eius: nam & illam iam Henricus eccleſiæ detractam fecit ſui iuris,præſertim pro ea cauſa quòd aduocatiam captus Liemarus archiepiſcopus(vt diximus)in ſui redemptionē tradidit Ludero,poſtea Lothario (dum imperaret) auo materno eiuſdem Henrici. Fecit autem Chriſtianus magnam commotionem in occidentali regione. Videns ergo dux quia conſurgunt ei vndiq; bella, cœpit communire ciuitates & arces,& ponere cuſtodias militum in locis opportunis.

Anno 1164. grauis aduerſus Henricum conſpiratio.

CAP. 21.

QVO tempore comitatum Holſatiæ,Stormariæ atq; Wagriæ adminiſtrabat vidua Adolphi ſecundi cum tenello filio. Nam Adolphus cecidit in expeditione Wandalica ad oppidum Demyn: quod in Wandalia diximus. Propter conſurgentes autem motus bellorum poſuit dux puero tutorem, qui armis præeſſet, Henricum comitem de Orlemun-

Orlemunde auunculum pueri, virum impatientem ocij, & totum armis deditum. Hic attende lector, auunculum dici, qui alio loco memoratur eius vitricus pueri. Potuit autem vtrunque fieri, vt idem Henricus aliquo gradu (vltra tamen prohibitionem coniugij) contingeret pueri matrem, quam poſtea duceret coniugem. Noſtra enim ætate omnes principes ſe vocant agnatos. Henricus quoque dux, communicato fidelium ſuorum conſilio, Pribiſlaum principem Wandalorum, quem multis prælijs prouincia expulerat, admiſit in gratiam, & reddidit ei omnem hęreditatem patris ſui, terram Obotritorum, præter Zwerinum & attinentia eius: & fecit Pribiſlaus duci & amicis eius ſecuritatem fidelitatis, nulla deinde bellorum tempeſtate corrumpendam, ſtaret ſcilicet ad mandatum eius, & obſeruaret oculos amicorum eius, abſq; omni offenſione. Quo cōſtituto, congregabat dux exercitum grandem, & intrauit orientalem Saxoniam, vt pugnaret cum inimicis ſuis. Sed nemo exibat prodiens in aciem: timebant fortunā congreſſionis.

Henrici aduerſus coniuratos expeditio.

Ille verò vbi pugnandi nulla facta eſt copia, coacta vndique præda, igne ferroque vaſtata regione regreditur. Et cōuerſus in occiduas partes, vt comprimeret motus per Chriſtianum de Oldenburg excitatos, & improuiſus irruens Bremæ, facilè recepit vrbem (nec enim erat tum illa quæ nunc cernitur vrbis munitio) & fugit Chriſtianus in abditas Phriſiæ paludes. Dux autem Bremam diripiendā permiſit militibus, iratus ciuibus, quòd ſe tam facilè permiſiſſent Chriſtiano. Et transfugerunt ciues quoq; in paludes, eo quòd implacatam ducis faciem non ſuſtinerent, poſt damna rerum formidantes captiuitatem. Dux autem ex illis nonnullos proſcripſit, quouſque interuentu archiepiſcopi mille & eo amplius marchis argenti pacem ſunt aſſequuti.

Bremenſes pecunia ſe redimunt.

Chriſtianus autem comes breui rebus exceſſit humanis, & ceſſauit commotio earum partiū. Inter hęc autē graſſantibus vſquequaq; ciuilibus armis, Hartwicus archiepiſcopus ſecum decreuerat tumultū, quoad poterat, declinare, & ſedit Hamburgi ſolitarius & quietus. Iam enim initio archiepiſcopatus ſui (quod in Metropoli & ſuprà diximus) iram in ſe ducis de comitatu Stadenſi excitauit. Colonienſis autē archiepiſcopus cæteriq; principes mandauerunt Hartwico per ſcripta, vt reuocaret in memoriā omnes preſſuras quibus attriuiſſet eum dux: nunc veniſſe tempus quo poſſit auxilio principum recuperare ſtatum honoris ſui, patere ſibi vrbem Stadiū, & ereptum comitatum iam principū armis facilè recuperandum. Hartwicus autem archiepiſcopus, multis experimentis edoctus, fortunatū ſemper eſſe in prælijs ducem, ambiguā quoq; principibus ineſſe fidē, & ſe huiuſmodi ſponſionibus ſemper deluſum, fluctuare cœpit animo.

Epiſcopus belli gerendi ditionis cauſa cupidus.

Prouocabat eum recuperandi honoris cupido: ſed deterrebat ſæpe comperta mobilitas animorū tam in ſublimibus quàm ſubiectis. Hærebat interim ſuperficies amicitiarum, & pax ſonabat in verbis: veruntamen arces ſuas Horeburg & Friburg cōmunire cœpit archiepiſcopus, & congeſſit in eas apparatum armorum & eſcarum, qui ſufficeret in menſes & annos.

CAP. 22.

Lubicenſis epiſcopus apud Henricū cauſam dicit.

ERAT annus poſt natū Chriſtum MCLXVII. quum apud archiepiſcopum moraretur Conradus epiſcopus Lubicenſis, frater Geroldi iam defuncti, cuius tempore Henricus ſedem ex Aldenburgo Lubicā transferebat: quod diximus in Wandalia. Iſte Cōradus pridē abbas in Reddageshuſen, fauore ducis poſt fratrem peruenit ad eū pontificatū. Delatus eſt duci, quòd cōcitator eſſet apud archiepiſcopum, ſuadens vt accederet ille ad cōmunionem principum duci aduerſantium. Super qua re euocatus ab duce in Erteneborg, legationis in Phriſiā ſpecie declinauit. Poſtea tamen interpoſita fide publica per Hartwicū archiepiſcopum (quum etiam verbo ſuo illū firmaret Berno Magnopolitanus epiſcopus) adiit ducē Stadio manentem. Ibi dux exprobrabat quæ diceretur cōperiſſe: eſſe illum plurimorū opinione incitatorē Hartwici, vt accederet coniuratis in ſe principibus. Quumq; ille ſe eius culpæ affinē pernegaret, facilè dux grauis viri verbis fidem habens, ſuſpicionē poſuit: ſed popoſcit, vt de eccleſiæ ſuæ prædijs ducē recognoſcens, hominiū illi præſtaret, ex Imperatoris nuper in ſe indulto. Ibi vir animo liber expergefactus, ait modica eſſe eccleſię ſuę ſtipēdia, & tā anguſta, vt pro illis nullius domini ſuā obſtringeret libertatē.

Quid ſi magna eſſent?

Dux ad ea, Quandoquidē ſuperioris ius cōtemnitur, iuſtè aditus in prædia negatur. Iubebat ergo iter intercludi pontifici in eccleſiam ſuam. Ille apud Hartwicum archiepiſcopū cœpit manſitare. Sed ille veritus ne Lubicenſis epiſcopi cauſa ſuā aggrauatam oneraret, Arbitror, inquit, frater epiſcope, nos vnà ſine pernicie manere non poſſe: cognitū eſt qua ſit dux præditus poteſtate, qua in aduerſantes acri-

monia. Proderit rebus noſtris ſub Wichmanni archiepiſcopi Magdeburgenſis vmbra latere: eò ſi contenderis, ex conſtituto conſequar, vt ſecuri vel ibi conſiſtamus. Conradus adita primùm Francia, reconciliari Alexandro ſummo pontifici curauit, quòd de manu Henrici (qui Friderico in papam adhærere videbatur) pontificatum accepiſſet. Reperit Papienſem epiſcopum in ea parte legatum: qui venientem in concilium Ciſtercienſe ſuſcepit, reconciliauit, & præbito tempore, indixit vt vel in perſona vel per idoneum nuncium adiret ſummum pontificem. Inde rediens Conradus, recto itinere profectus eſt Magdeburgum, ibique reperit ante ſe archiepiſcopum ſuum.

CAP. 23.

Bellum in Saxonia ingraueſcit.

QVO tempore milites Hartwici archiepiſcopi ex arcibus Horeburg & Friburg erupnones fecere more militari, in vicinas ducis prouincias. Quibus rebus prouocatus dux, arcem Friburg oppugnauit, expugnatamque ſolo æquans, tolli iuſſit omnes cenſus epiſcopales. Horeburg autem inexpugnabile fuit præſidium propter voragines & paludes: & ideo ſolum ex omnibus in fide archiepiſcopi permanebat. Per Saxoniam autem excurſiones inuicem & leuia militum prælia fiebant, direptiones, captiuitates, incendia multiplicabantur: bellum ingens ſine manifeſta cauſa, quòd hinc ſtare videretur inuidia, illinc depugnare ſuperbia. Goſlaria principibus in ducem acceſſit. Qua de re dux omnes iuſſit aditus obfirmari, ne quid illi importaretur, & laborabat vrbs inedia.

Brunſvvicum amplificatur.

Et quamuis bello vrgeretur, inſtitit tamen & munire & ornare Brunſwicum: demolitur in Burgo eccleſiam veterem, quę in honorem apoſtolorum Petri & Pauli eſſet conſecrata: nouam molitur ſub nomine Blaſij & Iohannis Baptiſtæ conſecrandam, quæ extat hodie. Foſſatis & muris incluſit Burgum olim oppido adiacentem. Indaginem quoque coniunxerat, mœnibus & foſſatis circumductis, vbi pridem erant pomeria, rubeta, & paluſtria ab humore loca: quæ ille primus exædificata curauit habitari. Auctúque eſt oppidum in eam magnitudinem quæ cernitur hodie, vt in Saxonia magnitudine vrbis, & ciuium frequentia, & rerum opulentia, nullum illi oppidum comparetur. Eccleſias inibi dux nouas extruxit, collapſas reparauit. Idem quoque in Wandalico ſolo peregit Lubicæ, Raceburgi, & in Zwerino, erigens eccleſias, quæ viſuntur hodie. Nã (vt antè ſignauimus) tranſtulit in Lubicam Aldenburgenſem epiſcopatum: in Raceburgo ille primus epiſcopatum erexit: in Zwerino autem eccleſiam cum fratribus inſtituit. Sed poſterius in eum locum facta eſt tranſlatio Magnopolitanæ eccleſiæ. Hæc verò quia in Wandalia plenius diximus, nunc paucis attigiſſe contenti abimus.

CAP. 24.

Imperator Italiam bello vexat.

IMPERATOR autem Fridericus iam tum in Italia rebellibus imminebat. Nam Longobardiæ ciuitates quædam partibus Alexandri papæ acceſſerunt, Imperatori rebellantes. Vrbem nouam contra Ticinum, quæ Friderico fauebat, Alexandriam de nomine pontificis appellarunt. Cæſar obſedit Ianuam, quæ cum cæteris fauebat Alexandro. Præmiſit autem Reynoldum Colonienſem, & Chriſtianum Moguntinum archiepiſcopos, & partem exercitus, vt vrbem Romam territarent. Venientes autem in Tuſculanum, oppidum non longè ab Vrbe, vbi res ad pugnam præparauere, egreſſi Romani, comperta contemptaque militum Theutonicorum paucitate, illi longè maiori agmine pleni fiducia duxerunt in eos. Theutonici non ſegnes arma corripiunt, & pugnantes, pauci multis præualuerunt, cæſis ad XII. millia ex Romanis: reſiduos autem fugientes inſequuti ad Vrbis vſque mœnia propulerunt. De ſtrage autem cadauerum inſepultorum exorta peſtis, multos Theutonici agminis perdidit, & imprimis Reynoldum Colonienſem archiepiſcopum, qui ſuperiori oppugnatione Mediolani corpora

[T]rium Magorum corpora [v]nde Mediolanum & porro [C]oloniã transla[t]a ſint.

ſanctorum trium Magorum dono accepta perduci curauit, vbi permanent magna veneratione in hodiernum. Operæ autem precium eſt enarrare ordinem eius tranſlationis. Annus erat LXVIII. poſt centum atque mille, quum Cæſar Fridericus grauiſſima obſidione vrgeret Mediolanum. Ciues ad extremam famem perducti deditionis fecere mentionem, promiſſa incolumitate ciuium. Cæſar vnum excepit primarium ex vrbe virum, qui rebellionis author diceretur, quem etiam poſcebat ad ſupplicium. Et vbi comperit abbatiſſa loci in quo manebant corpora trium Magorum, germana ſoror eius viri, pacta eſt cum archiepiſcopo Colonienſi vitam fratri (ſciebat enim, ciues, etſi non leuiter dederent hominem ad ſupplicium, extrema tamen fame preſſos neceſſitati ceſſuros) & pro munere pollicetur ſanctas illas reliquias. Sciens archiepiſcopus indignationem & implacabilem iram Cæſaris in hominem, honeſta fraude circumueniendum

putauit

putauit Imperatorem, pro munere depoſcens quod abbatiſſa exportaret. Cæſar nõ cogitans quid moliretur, indulſit. Illa fratrẽ humeris, vt potuit, euexit. Cæſar non hoc permiſiſſe clamitat: archiepiſcopus fidem promiſſionis efflagitat, nec facilè illum Cæſar contriſtauit. Ita ſaluatur ad mortem deſtinatus, & ille ſanctas ex pacto reliquias accepit, quas Coloniam præmiſit. De Parthia dudum venerant Conſtantinopolim, & inde Mediolanum: vbi DCLXXI. feruntur annis quieuiſſe. Poſtea verò idem archiepiſcopus apud Tuſculanum in caſtris defunctus, & ipſe in eccleſiam ſuam poſt ſanctas reliquias inducitur. Fridericus quoque dux Suæuiæ eadem infectus tabe tum periit, qui filiam tenebat Henrici Leonis coniugem.

Ingenioſa hominis ſeruandi ratio.

CÆSAR expugnatis Ianuenſibus Romam contendit: & iunctis viribus vtriuſque exercitus, ipſam Vrbem oppugnauit. Ædem diui Petri à Vaticano militibus inſeſſam cepit, & fugato Alexandro idolum ſuum Paſchalem introduxit: deinde Lateranum oppugnauit. Sed Romani quum cernerent ſe Imperatoris viribus longè impares, deditionem fecere, imperata ſe facturos polliciti: in quam etiam rem dedere obſides. Cæſar rebus ita compoſitis, reſiduum exercitum reduxit in Longobardiam. Ibi quũ eſſet, audiuit motum qui eſſet in Saxonia omniũ principum aduerſus vnum Henricũ Leonem: & miſſa legatione crebra, compeſcuit motus ſæuientes, quoad ipſe veniret. Quo tempore Henricus dux diuortium fecit cum Clementia ducis Saringiæ filia, obtendens titulum cognationis. Suſtulit ex ea filiam, quam nuper collocauit Friderico Cõradi Imperatoris filio adoleſcenti optimo, ſed non longæuo: nuper enim in expeditione Italica cum multis principibus tabe conſumptus periit. Adduci autem fecit Henricus Leo Angliæ regis filiam, quam coniugem magna dote in auro, argento & gemmis adornatã accepit. Imperator autem in Germaniam contendens, quum euocaſſet principes, cauſam controuerſiarũ audiuit: & factis treugis, ſedauit tempeſtatem ſæuientium vbique bellorũ. Interea Longobardi quum vidiſſent abiiſſe Imperatorẽ, ac pridem robur exercitus eius contabuiſſe, ſubtractis morte præſtantioribus, ad rebellionem redeunt. Imperator iterum euocatis regni proceribus, eos coarguit quòd non ſynceram pacem in treugis conſeruaſſent: nam tumultus ille Saxoniæ animos haud dubium auxit Longobardis. Tum anniſus in Bamberga leges iterum pacis dixit diſſidentibus. Cunctis ergo ex integro (vt putabatur) compoſitis, reuocatus eſt archiepiſcopus Hamburgẽſis Hartwicus ex Magdeburgo in ſedem ſuã, tactuſq; morbo intra paucos dies deceſſit, & extincta morte ipſius vetus controuerſia, quæ fuit ſuper comitatu Stadenſi: & poſſedit illum dux deinceps ſine omni contradictione. Hic enim erat nouiſſimus de linea marchionum illorũ, ad quos Thietmarſia pertinebat. Nam cæſo patre ac deinde fratre eius in Thietmarſia, ob populi ſæuitiam, fecit iſte Hartwicus commutationem cum eccleſia Bremenſi, donans Thietmarſiam eccleſię, recipiens ab illa Stadenſem comitatũ. Quod Henricus dux non paſſus, Adalberonem huius archiepiſcopi prędeceſſorem captiuum abduxit cum hoc Hartwico, vt antè commemorauimus. Sed Hartwicus & ante pontificatum & in ipſo impar erat Henrico: vnde comitatum illum de facto, non iure, ſibi vendicauit, Hartwico moriente. Conradus quoque Lubicenſis epiſcopus interuentu Cæſaris meruit redire in parrochiam ſuam, ea conditione, vt ſopita priori obſtinatione ducem recognoſceret feudi authorem: potituſq; reditu ob gratiam ducis, in virum alterum eſt mutatus. Didicit enim ex his quæ ipſe paſſus eſt compati fratribus ſuis, & de cætero pronior fuit in humanitatis officia. Clerum defenſauit à circumuẽtione potentium, præcipuè verò Henrici comitis Turingi, tum Holſatiam gubernantis: qui ſacra prophanaque miſcuit more militari.

CAP. 25.

Roma capta pontifex aufugit.

Longobardi rebellionem denuo faciunt.

ERAT ea tempeſtate nobilis quidam Widekindus de Daſenberg, vir inquieto animo, & qui armis pluſquam ſatis erat indulgeret. Hunc Henricus dux diu bonis cõditionibus detinuit: ſed vir effrenis etiam ducem cœpit contemnere, fiſus munitioni arcis ſuæ in montibus Herciniæ. Henricus dux obſedit arcem, oppugnauitq;. Sed quũ ille ſibi proſpexiſſet de commeatibus, diu ſedendũ videbatur, vt fame extorqueret deditionẽ. Euocauit de Hercinia foſſores minerarum, & iuſſit cuniculos agere ad puteum: quo intercepto, ſiti laborabant, & coacti ſunt duci ſe dedere obſeſſi. Quo tempore Lubica (quod in Wandalia diximus) cõceſſit in ius Henrici ducis ex Adolpho Holſatiæ comite adoleſcentiore, cuius pater eã primus poſt Critonem Wandalũ extruxit. Nam quũ dux

CAP. 26.

Vvindekindus in Henricum rebellat.

mercaturis opportunam aſpiceret, cõtendit illam à comite magnis pollicitationibus accipere. Adolphus autem ſuaderi nõ poterat vt duci cederet. Iratus Henricus cœpit nouam moliri vrbem ad Wokeniſſam lacum, quam Leoninam appellauit, interdixitque Lubicenſibus ne terram illius ingrederentur: ſubditi autem ducis omnia de Lubica à mari aduecta deuehebãt: quæ res & Lubicenſibus & ipſis Saxonibus incommodabat. Non enim poterant Saxones niſi per Lubicam ad mare peruenire: non ſinebantur Lubicenſes Saxoniam introire. Ita vtrique tenuem neuere telam, paruum & exilem quæſtum facientes. Sed quum Lubica igne ſuo conflagraret, noluere ciues inſtaurare domos, niſi ſpe reddita meliore. Vnde factum eſt, vt comes cernens ſibi inutilem fore locum, niſi dux placaretur, permiſit duci Lubicã. Tum ciues alacriores inſtaurabant concrematam vrbem, ordinibus deſignatis ad flumen & lacum vicorum tendentium. Dux vrbem priuilegiis honeſtauit, monetam inſtituit, concilium allegit, publicari fecit in regna aquilonis loci immunitatem, & multos ad inhabitandum, plures etiam ad quærendum mercibus ſuis emporiũ inuitauit. Incredibile eſt memoratu quàm breui & quantum increuerit nouæ vrbis molitio: augeſcebat vndique fortuna ducis. Nam per hoſce dies Imperator Ratiſponæ agens curiam, natam Henrico de Bauaria controuerſiam diremit, fratruelem eius, qui principatum vendicare contendit, placabat, permiſſo illi ducatu nouo Auſtriæ, quem Henricus Conradi regis frater pridem ſine prole moriens vacuauerat. Et hic eſt ſecundus dux Auſtriæ, natus è Suæuia, quũ eſſet primus de Francia orientali.

ubica incen-do delcta in-ſtauratur.

CAP. 27.

Bremenſem rchiepiſcopatum duo ambiunt.

INTERIM ad eccleſiam Hamburgenſem, iam crebriori appellatione Bremenſem, quòd defecit legatio aquilonis, duo in diſcordia ſunt electi, Sifridus Alberti marchionis filius, & Otbertus decanus. Perinde factus eſt maximus in Brema tumultus, Guncelino de Zwerino ex parte ducis inſaniente, vt Siſrido ſe opponat, quem nollet pontificari in eo loco. Sigefridus cum Ottone præpoſito ſe cogitur in Aldenborg recipere, vetus aſylum Bremenſiũ, quoties malis vrgentur: alij in Horneborg profugerant, eiuſdem partis defenſores. Imperatore autem curiam fouẽte in Bamberga, ambo Bremenſes electi deſtituuntur, & de voluntate ducis Balduinus Halberſtadenſis prępoſitus introducitur: Sifridus aſſumitur epiſcopus in Brandẽburgo. Balduinus ſenex duci gratificans, diſſimulauit iura eccleſiæ, nec pro illis (vt debuit) murum oppoſuit. Pallium à Paſchali accepit, in ſchiſmate conſecratus, ſi non execratus. Hoc autem eſt illud tempus, quo Henricus dux cum rege Danorum tranſegit ſuper Rugia, quam rex ad Chriſtianiſmum prouexit. Sed quoniam fœdera quæ erant inter regem & ducem, vocabant vtrunque ad parilitatem terrarum de Wandalia poſſidendarum, dum armis occuparentur: inuitum regem dux eò perpulit vt & ſpolia & tributa cum illo partiretur. Mortuus quoque eſt per hæc tempora Albertus comes de Someſcheborg ſine prole, peruenitque ſucceſſio ad germanam eius abbatiſſam in Quedelenborg: à qua ditionem remerat Wichmannus Magdeburgenſis archiepiſcopus, vt eccleſiæ ſuæ coniungeret. Hoc etiam tempore Honouer inſigne Saxoniæ oppidum erigitur, vile pridem & nullius momenti, quum comitatui ſeruiret in Lowenrode. Arx ſtabat in eo loco vbi nunc eſt noua ciuitas vltra Leynam. Quum autem morte comitum rediſſet ad ducem poſſeſſio, dedit ille operam vt oppidum memoratum augeſceret, profecitque breui vehementer. Per idem tempus in Anglia Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus pro iuſtitia eccleſiaſticarum rerum (quas defendit) cæſus, Henricum Saxonię ducem, regis generum, ſparſit infamia, quòd conſcius necis eius diceretur: quamuis neque ipſe dux neque oratores eius, quos hoc tempore miſit (vt in Wandalia ſignauimus) de regni iuribus ſe vlla parte intromiſiſſe facile eſt creditu: contenti dote, quam cum filia regis Angliæ, relicta autem Franciæ, Henricus dux iure optimo & depoſcebat & accipiebat: nam quòd Henricus ipſe in Angliam venit, longè poſt hæc tempora prouenit, vt facilè de hac culpa purgetur.

Rugia Chriſto lucrifacta.

homas Cantuarienſis ab Anglo cæſus.

CAP. 28.

nno 1172.

ANNVS erat poſt mundo datam ſalutem, ſecundus & ſeptuageſimus poſt centum atque mille, quum Chriſtianus Moguntinus archiepiſcopus, Imperialis aulæ cancellarius, apoſtolicę ſedis legatus, eius partis quam defendit Imperator, cum Brabantinis militibus (qui tum fortiores, vt noſtra tempeſtate Zwitenſes, habebantur) per Lombardiam & Tuſciam omnia depopulatus, Bononienſes inuaſit. Specioſum erat viſu armatum

tum

tum in equo conſpicere pontificem, auro galeatū loricatumq́; hiacynthina deſuper tunica. Clauā manu gerebat trinodem: Herculem putares. Vno fertur prælio nouem ſua manu ſtrauiſſe fortiſſimos. Igitur egreſſos ad prælium Bononienſes in fugam vertit. Ille autem obſidione parata ciuitatē circumſedit, breuiq; ad deditionem cōpulit, & iam ſe in gratiā illius conferebant. Priuſquam tamen deditos acciperet, imperauit obſides. Et in monte ſupra vrbem ſancti Michaelis cœnobio ſacra iuſſit apparari: ipſe indutus pontificalibus aram adiit, poſtquam religioſè manus conſecrauit ſanguine cæſorum: officium diuinū ſatellites honeſtauere canentes. Erant trecenti pedites, & totidem mulierculæ ad vnum omnes pſallere docti: qui de ſanctis Thebæis martyribus ſacrū cecinere officiū miſſæ: monachi monialeſq; feruntur extitiſſe. Nam ſubuerſis vndiq; Ciſtercienſibus, qui Alexandro papæ viderentur omnibus obſequentiores, viri & fœminæ euerſis monaſteriis apoſtatarunt, ſe armatæ (vt fit) militiæ immiſcentes, poſtquā vitæ quæſtus non eſt alius viſus facilior. Expleto autem ſacro intus officio, archiepiſcopus acceptis obſidibus & infinita pecunia, cum multa præda ibat Anconam, obſidione ibi tracta ferè per integrum biennium. Tanta erat pertinacia non cedendi citra victoriam.

Bononiæ deditio.

Ancona obſidio.

CAP. 29.

QVO tempore Henricus dux Leo, inſtituta deuotionis gratia longa in terram ſanctam peregrinatione, res primùm diligētius compoſuit in omni ſuo principatu. Pribiſlaus Wandalorum princeps ex hoſte duci factus amiciſſimus, operas pollicitus eſt in gente ſua, vt illas in fide contineret. Ergo omnibus ex ſententia conſtitutis, adorare decreuit in loco vbi ſteterunt pedes Dominici. Saxoniam maximè Wichmanno archiepiſcopo Magdeburgenſi permiſit commendatam: quem in bello aduerſum ſe ſuſcepto talem comprobauit, vt reddita tranquillitate fidem illi in reliquum ſemper maximā haberet. Aſſumpſit autem itineris ſacri comites Conradum epiſcopū Lubicenſem, Henricū abbatem de Brunſwico, eiuſdem Conradi in epiſcopatu ſucceſſorem, Bartoldum abbatem de Luneburgo, & memoratū Pribiſlaum principem Obotritorū, Guncelinū comitem de Zwerino, & Sifridū comitem de Blankenborg, & alios quamplures tā nobiles quàm miniſteriales. Dominā autem Mathildam vxorē ſuam, filiam regis Angliæ, iam prægnantem, domui præfecit gubernandę, honeſtam illi ſubdens familiā, fœminā apud Deum & homines optimam, religioni ac deuotioni intentam, eleemoſynariā ſingularem: quæ caſtum domi connubiū ſeruabat, filios in timore Dei educabat. Sed hæc poſtea. Nam tum primogenitum fœtum gerebat in vtero, Rikenſam puellam. Reuerſo verò duci peperit filios Hēricum, Ottonem, Wilhelmum. Profectus infra octauas Epiphaniæ dux, Purificationem Virginis egit in Rariſpona. Ibi ſe illi comites iunxere Henricus de Sudbach, & alius de Stire, marchiones: & peruenit ad vitricum ſuum nobilem Auſtriæ ducem Henricū: qui hoſpitaliter acceptum perbenignè habuit, monſtrauitq́; matris eius inſignem ſepulturam, & aſſocians agmina duxit in Viennam Auſtriæ. Inde cōſcenſis nauibus, per deuexa Danubij, diu prono flumine delabitur: equites fluuij ripam legere, eodem in veſperum hoſpitio cum ſuo principe excepti. Wormacienſis autem epiſcopus itineris cœpit eſſe comes, ad imperatorem orientis à Friderico occidui orbis Imperatore miſſus, vt ſponſaliis initis iungeret per vtriuſq; liberos affinitates. Verùm eam inſtitutam legationem multi ab Friderico factam ſunt interpretati in gratiam ducis, quò Conſtantinopolitano Imperatori cōmendatior haberetur, & per terras eius tutior incederet. Nō ignorauere noſtri principes fluxam fidem Græculi, ſcientes quòd obliquo ſemper viſu cerneret profectionem occidentalium principum in terram orientalem, quæ illius imperio propior eſſe videretur.

Henricus ſacra Paleſtinæ loca adit.

Græcus Imperator occidentalium expeditiones parum gratas habet.

CAP. 30.

SEQVEBATVR autem ducē Auſtriæ princeps in vltimos ditionis ſuæ terminos, vbiq; præbens commeatus abunde, & magnificētiam principe dignam præ ſe ferebat, vſque ad confinia Vngariæ: ibi enim rex ſororem tenebat eiuſdem ducis Auſtriæ coniugem. Quò perductum Leonem regi cōmendauit in vrbe munitiſſima, quā Grane fluuius cingit. Dux ibi regio exceptus honore, vidit opulentiam & gloriam Vngarorum: miro tamē dolore ex inopinato caſu affligebatur. Nam quū ambo duces mirificè apud regem honorarentur, dumque rex ipſe acceptis tantis hoſpitio principibus alacrior eſſet, minus præuidit periculum ſuum. Inſidiatus enim illi per ſubēratos frater illius eadem tempora obſeruabat, venenum illi miſceri curauit, quòd eum regno eieciſſet. Tam erat vis veneni peracuta, vt ipſa nocte regem ſuffocaret. Territi duces ambo de horrēdo ca-

Vngariæ rex veneno necatur.

ſu,alter quòd ſororem prægnantem inteſtatus rex reliquiſſet,alter quòd ad mortem regis turbatis rebus omnibus inſecurior via eſſet peregrinaturis. Inito ergo conſilio euocarunt archiepiſcopum (qui in omni adminiſtratione regi ſecundus,exequiis regalibus tum præerat in ciuitatibus regni) oratum, vt ſaluum duci aduenæ per regnum conductum & tutum iter procuraret. Ille ſe cunctis bene ſperare iuſſis,bene volentem oſtendit: effecitque vt Florentius vir nobilis, qui regio iuſſu ducibus prodibat obuiam, per reliqua regni eundem duceret ſecurum. Iubebaturq; nauigio primùm de flumine deducere,procurato quod in anguſtiis prouenire ſolet periculo. Quum collectis ex longo interuallo aquis naues emittuntur,ſcopuli hinc atque inde præcipites prominent, & ex ſublimi naues decidentes arte magiſtra reguntur,vt ſubditis excipiantur aquis. Omnes tranſierunt incolumes,præter eam quæ vectabat ducem: ille naufragium paſſus extrahitur vndis,cæteri nantes terram petunt. Vbi attigere vrbem (Brandeis vocant) de dominio Conſtantinopolitano, ibi deficientibus aquis Danubius ſe terris condit, & diu ſubterlabens inde euomitur, inque Sauam defluit. Relictis ibi nauibus, terreſtre iter ingreſſi,ad nemus perueniunt quod vocant Bulgarorum. Ibi difficultatem plurimam experti,plauſtris ſuis iter moleſtum & tardum habuerunt: nam victualia multa ſecum exportauere. Dux iuſſit plauſtris relictis, cibum quenque ſuum in iumento conuehere. Viuaria multa & magna relicta videres, carnes aridas cum piſcibus, & vnumquenque ſuo intentum oneri iter properantius agere. Propinquabant vrbi in profundo ſaltu ſitæ: iam enim dux gentis Henrico aderat,qui illum per inuia ſecurum perduceret. Præceſſit ille ad vrbem,iuſſitq; ciues perbenignè venientem excipere principem. Sed barbarus populus inhoſpitalis nulla re adigi poterat vt aditum pateſaceret, priorum fortè itinerantium moleſtiis infenſus, quòd miles in magno agmine impune facilè peccat. Dux iuſſit quenque ſuorum ad arma parari,quando pacatum nihil erat,ratus (quod futurum erat) ciues ad prædam exituros. Iubet ſigna erigi,quenque pro ſuo capite fortiter decertare: ſperare propicium Deum, cuius in terris veſtigia irent ſpeculari. Si moriendum eſſet,in pia cauſa ſtrenuè moriendum. Erat in eius agmine ad arma valentium multitudo circiter mille ducenti. Prætericns Henricus Leo vrbem memoratam, agmine quadrato incedit, deſcenditque in prata ad riuum: ibi pro captu rerum caſtra communiuit. Circumſiſtebant ducem primores,epiſcopus,abbates & comites. Nebula cõdenſa cum exorta luce conſurgit: aderant hoſtes quatuor turmis agmen inuadentes. Reſtitere milites,& intento arcu telum à ducalibus in ducem turmæ vnius mittitur. Ille cadit ictus, cæteri fugiunt. Sic iter ingreſſi, ad pugnam ſemper ibant parati: nec minus hoſtes infeſti laceſſiuere ducis agmen. Hoc modo nemus egreſſi peruenere Nicæam, vbi dux honorificè excipitur. Impenſa iam tum regia inde ductus eſt Adrianopolim, deinde Iunopolim,& continuato itinere in propinqua Conſtantinopolis peruenere ad diem paraſceues. Ibi Dominicæ paſſionis peracta memoria, ſacrum etiam ſabbathum peregerunt. Mane primo Dominicę reſurrectionis peractis ſolennibus myſteriis, prandio refecti, iuſſi petiuere curiam Imperatoris. Præmiſerat autem dux innumera multa precioſa ex optimis terrę ſuæ,equos pulcherrimos ſellatos,veſtitos,phaleratos,loricas, galeas,veſtes de ſcarleto,lineaſque tenuiſſimas.

[...rico pro- ...bente me- ...a exhiben]

CAP. 31. [...rimo Con- ...tinopoli ...tdide exci- ...r.]

IMPERATOR ipſe Conſtantinopolitanus, ornatu regio, cum magnis pontificibus,principibus & optimatibus curiæ ſuæ præſtolabatur aduentum ducis. Erat autem eo in loco venatorius hortus latiſſimus, planiſſimus, muratus, foreſtam vocant. Et ad oſtendendam gloriam præcepit Imperator principibus ſuis, vt omnes ſolennitati intereſſent tanti hoſpitis excipiendi. Videres illic tentoria multa ſine numero, erecta in foreſta, byſſina, purpurea, capitellis aureis paxillorum, & pro cuiuſque fortuna vario inſtructu ornata. Veniens dux honorificè conſalutatur: & quia proceſſionis ſolennitas inſtabat,procedebat Imperator,ducem ſibi ex latere conſocians. Erat ſtrata ſemita tota purpurea, & deſuper tecta aurifrigiis,ornata aureis circũ lampadibus & coronis. Hac incedebat ſtatio pontificum & clericorum, proſequente Imperatore, cum hoſpite duce,& militibus tantùm peregrinis. Peruenerunt ad tentorium aureum, quod totum incanduit gemmis & lapidibus precioſis. Inde per eandem viam reuerſi ſunt ad eccleſiã: & collocatus eſt rex in throno ſuo ſublimi, & dux in alio paulum humiliore iuxta eum: miſſarumque ſolenniatum peragebantur de more. Deinde illis expletis myſteriis, ad

Impe-

Græcæ & Latinæ eccleſiæ de S. ſancto diſſidium.

Imperatoris menſam opipare & regio luxu excepti, quum ſermo hinc inde variis de rebus ſereretur, dominus Wormacienſis introduxit occaſionem veteris inter Græcos & Latinos diſputationis ſuper Spiritus ſancti proceſſione, quem nos à Patre & Filio, Greci à ſolo Patre contendunt procedere. Miſerandum ſibi videri ſolitum dicebat, quòd per tanta ſecula inter vtriuſque linguę præclara lumina, diſſenſio ad vnionem & concordiam redire non poterat. Quumq; Græci in iuſtificationem ſuæ partis multa de euangeliis, plura de doctorum traditionibus introduxiſſent teſtimonia, diu tacitus aſſedit Henricus abbas Brunſwickcenſis, vir ſui temporis & doctiſſimus & per omnia diſertiſſimus. Vbi data eſt copia fandi, cœpit ex Græcis doctoribus oſtendere & introducere teſtimonia, Chryſoſtomi, Gregorij Nazianzeni, Cyrilli, cæterorumq;, quibus illi contradicere non poterant: oſtenditq; controuerſiam quæ videbatur eſſe, non de re, ſed de verbo: quum ipſi Græci doctores (quod eorum verbis monſtrauit) ſentirent manifeſtè Spiritum ſanctum ex vtroque procedere. Conuertit omnium in ſe ora, & tam Græcorum quàm noſtrorũ confeſſione in re profundiſſima liquido diſertoque ſermone fertur peroraſſe: ibique apud Henricum ducem ſui nominis claritudinem amplificauit, dilectior inde habitus, quòd etiam Græcorum aſſeueratione rem obſcuram inſigniter liquidaſſet. Dux autem venia abeundi petita, ab regina regaliter muneratur, tantã ſericei panni ab illa copiam accipiens (ſamittam vocant) vt omnem inde ſuam familiam perueſtiret: addiditque pelles varias, & cuique propriè pellem Zabolinam colli ac ceruicis integumento: quod genus donarij perſeuerat hodie in gente Ruſſorum.

IMPERATOR ducem inſigni donat naui cum armaturis. Valefacto dux omnibus mare cum ſuis ingreditur. Quumque omnibus impedimẽtis in naues ſtipatis procederent, pandunt vela ventis. Omnia primo curſu illis proſpera fuere: inde ſæuiſſima tempeſtas exorta miſit omnes in timorem, ipſi palluerunt nautæ: nam in ſcopulos impingi aduerſus omnes ſuos conatus formidabant vi tempeſtatis. CAP. 32.

Præſentemq; viris intentant omnia mortem.

Erat inter nauigantes quiſpiam, quem ſomnus oppreſſit, vt ſolet interdum ex mœrore. Viſus eſt videre reginam prope aſſiſtere, quam incunctanter cæli dominam interpretatur: ſic erat oris habitus, & totius corporis dignitas incomparabilis. Ea viſa eſt alloqui triſtem, quid mœreret rogãs. Vides, inquit ille, ô domina, nos in media morte agere. At illa, Confide, nemo ex vobis naufragabitur: eſt inter nauigantes, qui me precibus ſuis ſibi facit obnoxiam. Quo dicto diſparuit. Qui viderat viſionem, animo firmior factus, Henricum eundem qui diſputauerat, illum arbitratus eſt eſſe hominem, cuius meritis nemo in tanto periculo periret. Cadunt venti, procellæ detumeſcunt, nautæ imperant naui, & ſaluos perducũt in Accon vectores (Ptolemaidem olim dixere, nunc Accon vocant, alij etiam Acris) portum vrbis egregiæ, quæ tum Chriſtiano tenebatur Imperio. Ibi dux egreſſus naui, hoſpitaliter excipitur: aſcenſis autem iumentis inde Ieroſolymam contendit. Templarij autem & hoſpitalarij milites ad famam tanti ducis progreſſi, ſolenni illum comitatu duxerunt in vrbem. Ibi ſancta loca deuotus inuiſit, ad dominicum ſepulchrum, ad locum crucis, ad reliqua etiam Dominicæ memoriæ veſtigia deuotè procubuit, oblationes faciens non paruas. Portam crucis Chriſti argento veſtiuit, muſiuo opere parietẽs ornauit, ad luminaria redditus conſtituit, mille argenti marchas in donatiua militibus Chriſti dedit: vallem Ioſaphat, montem Sion, Olіueti, Nazareth, Bethlehem, Tabor inuiſit. Omnia verò ſancta loca Henricus abbas lachrymis & ſuſpiriis inſigniuit, ſacrum (vbi poterat) implens altaris miniſterium cum ſacrificio. Nam in omni peregrinatione vir ille memorabilis, indutus cilicio, antelucano tempore matutinali expleto officio, altaris ſacrificium (ſi quo modo poterat) implebat, beatiſſimæ Virgini, cui ſe & omnem gregem commendabat, ſemper deuotiſſimus. Rex erat in Ieruſalem illa tempeſtate, Amalricus genere Gallus, de ſanguine & poſteritate Balduinorum. Is ducem ſua in regia magnificè per duos habuit menſes, princeps principem, Chriſtianus Chriſtianum veneratus. Templarij atque hoſpitalarij ducem per viam qua ire libebat, deduxere. Conradus interim epiſcopus Lubicenſis cœpit corpore tabeſcere, Bertoldus non minus abbas Luneburgenſis laſſeſcere. Dux Antiochiam inuiſere cupiens, iuſſit illos interea refici Hieroſolymis: ipſe abiens deducitur militia templariorum & fratrum hoſpitalariorum. Epiſcopus relinqui non paſſus, nauigio

Henricus feliciter nauigat, & ſuos exponit.

Henrici pietas & benignitas.

inſequitur ducem præeuntem: Sed in mari aucta, vt ſolet, ægritudine, quum Tyro propinquaret, ſpiritum efflauit: ibique opera Guncelini comitis honorificè tumulatur. Bertoldus quoque Luneburgenſis abbas Accon expectare ducem profectus, finem fecit viuendi, tumulatus ibidem.

CAP. 33.

Henricus etiã ab impiis benignè excipitur.

HENRICUS autem dux luſtrata terra ſancta, quã inuiſere venerat, ex Antiochia in vicinas terras repedaturus reſpexit. Tenebat proxima Milo Saracenus, homo varius, & cuius ſemper fidem ſuſpectam duxere Chriſtiani. Placuit conſilio principis Antiocheni pertentare animum Saraceni. Itaq; dux miſſo ad eum nuncio linguæ gnaro, ſaluum per terram eius & incolumem tranſitum poſtulauit. Ille non recuſans, viginti ſuorum de primoribus illi obuiam miſit, qui deducerent. Sed princeps Antiochenus vir Chriſtianiſſimus, confidere promiſſis eius non ſatis ſecurum ratus, ſuauit vt accepta naue die ac nocte trãſiret in portum Symeonis, magna ex parte prætervectus terram Milonis. Sequutus dux conſilium principis, eò contenderat in ciuitatẽ quam vocant Terſult. Eam poſtea Milo, quòd intellexiſſet eò diuertiſſe ſe contempto, peregrinos expugnauit. Soldanus autem princeps Turcorum miſit obuiam Henrico ad conductum viros quingentos, qui ab incurſione Milonis ducem tuerentur. Aſiam tum arbitror minorem tenuiſſe Henricum, in qua Turci dominantur, appellaturque nunc Turcia magna. Tranſierant terram deſertam, inuiam & inaquoſam, itinere trium dierum, omnia portantes in equis ad vitæ vſum neceſſaria (erat enim Armeniæ pars) donec peruenirent in Heracleam: Quo in loco hoſpitaliter etiam à Turcis excipitur. In loco autẽ qui

Soldanus Turcorũ Henricũ conſanguineũ agnoſcit.

dicitur Axarat, occurrit ei Soldanus amplexans & deoſculans ducem, ſuumque appellans amiciſſimè conſanguineum: gratulatur incolumem ad ſe perueniſſe de inimica terra Milonis omnium cõmunis hoſtis. Percunctatur dux quid ſe ſuum dignetur vocitare conſanguineum, hominem de terra longinqua. Tum ille, Princeps Ruſſorum olim accepta Theutonica cõiuge filiam procreauit, quam pater in has terras nuptam deſpondit: vnde mihi origo eſt. Placuit duci vndecunque traducta cognatio: dulce illi fuit in homine alienigena humanitatis illa recognitio, etiam è longinqua cognatione: omnes enim ille Theutonicos principes (terrarum ignarus) vnius eſſe ſtirpis ducebat. Dedit autem duci dona plurima, tunicam auratam eo precio, vt dux non ſuo corpori, ſed diuino cogitaret (quod & impleuit) aptare miniſterio. Iuſſit adduci equos mille octin-

Immenſa Soldani dona.

gentos, militibuſque permiſit Henrici, vt quiſque ſuo ordine quem magis probaret tolleret. Accepit quiſque ſuum. Inde producti caballi triginta inſignes dono duci, ſellis, phaleris, frenis auratis pro magnificentia ſingulari. Addidit domos ſex (de more gentis) filtrinas, & ſex camelos qui ferrent, cum ſeruis qui beſtias gubernarẽt: addidit duos leopardos, & equos, & ſeruos: docti enim erant leopardi in equis vectari. Quumque modis omnibus benigniſſimè & humaniſſimè cum duce ageret, ille familiaritate fretus ſumpſit audaciam, Miror (inquiens) prudentem principem nõ ſectari veram Chriſti religionem, pietate & virtute plenam: quæ ſi tibi ſoli adeſſet, omnium quos viderim

Soldani de religionis negotio ſententia.

principum faceret fœliciſſimum. Ille ſub hæc, Non eſt (ait) difficile credere quòd Deus, quando voluit, de immaculata Virgine carnem aſſumpſit, qui hominem primũ de terra virgine plaſmauit: ſed omnium communis Dominus non vno voluit ab omnibus honorari cultu. Dux non auſus profundiorem ingredi cum homine ſuper ea re ſermonem, valefacto multa cum gratitudine diſceſſit. Conductum tamen eius habens, per vicinas Turcorum ciuitates peruenit in terram deſertam, vbi rex quondam Conradus cum ſuo memoratur agmine conſtitiſſe, quum fraude Imperatoris Cõſtantinopolitani farinæ calcem immiſcentis, multis exitio fuere militibus. Nam Conradus rex ægrũ trahens exercitũ, difficillimo itinere peruenit in terram ſanctam. Dux quoq; inde expeditus, pertranſitis aliquot ciuitatibus, quas eo in littore dux quondam Gotfridus expugnauit, peruenerat ad brachium ſancti Georgij: indeque traiiciens, breui contendit redire Conſtantinopolim. Redeuntem Imperator non illiberaliter excepit: ibi enim iumenta ſua ducis milites reliquere, quibus receptis Monopolim contenderunt. Sed & ibi Imperator iuſſit ducem hoſpitaliter dimitti in viam ſuam: offerri quoque præcepit munera precioſa, quatuordecim onera mulorum. Sed dux modeſtiam præferens non accepit. Quumque attentius moneretur liberalitatem tanti principis non contemnere, tantiſper ceſſit, vt quibuſdam ſanctorum reliquiis magno munere acceptis, quibuſdam

etiam

etiam gemmis, magna cum gratitudine valefaciens, Germaniam ſuã magnis itineribus repetiuit. Sed primùm Bulgarorum nemus (in quo pridem laborabat) peruadens, peruenit ad regem Vngarorũ: qui poſt mortem fratris rex creatus, magnis apparatibus du cem accepit, & per regnum ſuum præbens cõmeatus cum ingenti dimiſit honore: & peruenit tandem ſuam in Bauariam. Audiuit autẽ Auguſtũ in Auguſta cõſidere, quem adiens conſalutauit. Ille gratulatus amico, quòd de via longinqua & periculoſa recepiſſet incolumem, perbenignè excepit venientem, ac dimiſit. Deſcendens autem in Saxoniam, iam anno euoluto Brunſwicũ rediit, domum ſuam reuiſens, Eccleſiam autẽ multis ſanctorum reliquiis, auratis atque ſericeis veſtibus exornauit, quas ſecũ tulerat. Quę res hodie quoque cernitur in eccleſia ſancti Blaſij eius loci primaria.

Henricus demũ ex annua peregrinatione redit.

CAP. 34.

Vera hiſtoria fabulis aſſutis fere obſcuratur.

PEREGRINATI cum peregrinante duce, nos quoque reuertentes in idipſum, cœpta Saxoniæ præclara facinora exequamur. Hanc verò peregrinationem fabulę locum tribuiſſe arbitror de Henrico, qui per variam fortunam peregrinatus, magnis & multis periculis emergens, difficili labore in terrã ſuam reuerſus, leonem aduexerit, qui ſepulchrum eius ſeruet. Hæc verò narratio quàm puerilis & delira ſit, facilè intelligunt viri ſenſati. Peregrinatus eſt Leo: ſed quoniam ignorabat fabulator quò peruenerit, cõminiſcitur indoctã fabulam de leone & dracone. Ignorabat aſellus iſte bipes, quicunq; fabulam primus cõmentus eſt, hunc principem ab initio ætatis ſuæ cognomentũ accepiſſe Leonis, quo modo pater eius Catuli, & Albertus marchio Vrſi. Inde nouerit eũ eſſe leonem, quem æneum cernit rugienti ſimilem in burgo Brunſwici. Et quoniã in Wandalia ſumus exequuti quo feruore, qua deuotione viduata Lubicenſis eccleſia Henricum abbatem ſancti Egidij Brunſwickcenſis popoſcerit acceperitque epiſcopum, hoc loco tranſilimus. Per quæ tempora Chriſtianus Moguntinus archiepiſcopus pro Imperatore cuncta gerebat in Italia. Mirũ dictu, homo Theutonicus, natione Turingus, nõ minor facundia quàm geſtarũ rerum gloria, Latina, Gręca, Italica & Brabantina lingua iuxtà vtebatur. Ferunr rumore tum diſſeminatum, quòd aſini & meretrices in exercitu eius, maioribus vterentur ſumptibus quàm tota Imperatoris familia, quę tũ opulentiſſima videbatur. Clerici & fœminæ exercitus eius duo præſidia firmiſſima ferunrur in deditionẽ accepiſſe. Paſchalis, quem tũ Imperator pro ſummo pontifice venerabatur, viri ſtrenuitatem amplexans, demiratus ſic ei ſcribere ſolebat, Chriſtiano Chriſtianiſſimo apoſtolicæ ſedis legato, Imperialis aulæ cancellario, Romanæ eccleſiæ filio fideliſſimo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Is tunc Anconam diu obſeſſam fame ſic affecerat, vt calceorum & ſutorum coria vorarẽt. Subiugauit etiã Ferrariam & Rauennam. Sequẽti autem anno ſubactam deſtruxit, & naues trecẽtas piraticas ſuis vſibus aptauit. Paſchalis autem breui conceſſit in fata, & ſurrogatus eſt Iohannes Strumenſis abbas, quem appellauere Calixtum. Imperator deinde ſchiſma faſtidiens, de pace cogitauit. Nam Alexandro regna pene omnia conſenſerunt: ſolus Chriſtianus pauit Calixtum in valle Spoletana. Quo tempore, iam cunctis in partem Alexandri cadentibus, Longobardi, qui hactenus Imperatori fauebant, armis coacti, in contrarium relabebantur, rebellionem molientes. Quumque armis, quæ in Italia haberet Imperator, tantis motibus videretur impar, in Germaniam tranſmiſſis alpibus contendit: euocatoq; principũ cœtu, queſtus eſt Italiæ, & præſertim Lumbardiæ (quę regio propius debebatur à memoria Karoli Magni, & Ottonis I.) contumaciam: ſummis docebat adnitendum viribus, vt Imperij iura non labefactentur per Italiam primariam regni partem.

Moguntinus archiepiſcopus bellum in Italia gerit.

Lombardi in Imperatorem rebelles.

CAP. 35.

Imperator Henricũ Leonem ad ſocietatem hortatur.

ADERAT huic cœtui Henricus dux Leo, cuius præcipua erat authoritas in omni conuentu Imperij, quem tum ante alios appellans Imperator orabat vt expeditioni tantæ non deeſſet, conſilio & armis pro ſua parte tutaturus Imperium & rempublicã, multum terroris hoſtibus incutiendum ex illius præſentia. Ibi Henricus cauſatus ætatem & iam imminentem ſenectam, tolerare ſe priſtinos non poſſe labores, affuturum armis, opibus, viris & omni quo poſſit apparatu: tantùm illi remittatur perſonalis militia. Tum Imperator, Deus, inquit, cæli te inter principes ſublimauit, diuitiis honoribuſque ſuper omnes euexit, omne robur Imperij in te recumbit, & iuſtum eſt, vt ad cõfortandas manus omnium, huic te negocio præſentem exhibeas: vt reſpublica, quæ labi cœpit, per te conualeſcat, per quem ſtetiſſe ſe hactenus confitetur: memorem te eſſe volumus quòd nihil vnquam tuæ volũtati negauimus, & quia in honore omni tuo amplificando parati

ſemper fuimus, inimicis tuis hoſtes exhibuimus, & nullum aduerſus te præualere paſſi ſumus. Sed vt ſacramentorum fidem omittamus quæ Imperio impenderas, meminiſſe te volumus cõſanguinitatis, qua nobis ſuper omnia quæ diximus, deuinctus teneris: vt in hoc neceſſitatis articulo, omni conatu, proximo tuo domino & amico concurras: vt de cętero perfruaris ad omnia (vt conſueueras) noſtra beneuolẽtia. Quumq; dux implacabilis in ſententia permaneret, omnia quidẽ obſequia quæ poſſet, præ ſe ferret, ſolũ orabat perſonam laboribus eximi, Imperator conſurgens de ſolio ſuo (vtpote quẽ anguſtiæ cõprehenderant) ad pedes ducis ſe inclinabat ſubmittere. Dux vehementer turbatus ad hoc Imperatoris factũ, quòd incuruaretur, ſub quo curuatur orbis, apprehendẽs mediũ, non eſt paſſus eon cidere: nec tamen flexus animo cõſenſit voto. Hæc veriſimilior eſt narratio hominis cõtemporanei, quàm illa quæ vulgò fertur, Imperatorẽ ad ducis pedes procidiſſe, ducẽ ne leuare dignantẽ, quũ Imperatrix (quæ aderat) Cæſarẽ terra leuaſſet, Surge, inquiens, mi domine: memor eſſe velis caſus huius, memineritq; Deus. Nã non fuiſſe tantã in duce barbariẽ veri ſimile eſt, vt pateretur ante ſe Imperatorẽ procumbentem iacere. Nec de loco cõgruit inter narrantes. Nam ea quã magis probo expoſitio, refert in conuentu concilij rem geſtã: altera verò in caſtris actũ contendit, facitque ducẽ ictũ ex Mediolano phalarica, quæ auri pondus proieciſſet. Sed præfero narrationem veri ſimiliorem ex authore temporum illorum, cuius ad fidem verba poſui.

CAP. 36. IMPERATOR, ira diſſimulata (quam agitabat pudor) contemptus in humilitate ſua, reuerſus cum exercitu in Italiam, quem tum contrahere poterat, viribus validiſſimo, adiuuante partes eius cum omni inſtantia Chriſtiano Moguntino præſule (qui etiam ad finem vitæ ſuæ Longobardiam vaſtabat, ſubiiciens illam Imperio, magisq; militans Imperatori terreno quàm cœleſti) Mediolanenſes cũ cæteris ad iuga coegit. Tum verò irrogatam Imperatrici contumeliã fertur vindicaſſe. Aiunt illã fœminea (vt putabat) ſecuritate vrbem intraſſe, quũ illam conſpicere plurimũ amaret: nec potuit aut ſæuitiam aut cõtumeliam ab eis qui parerent Imperio, formidare. Sed plebeij ciues male affecti Imperatori, quum iterũ rebellionem meditarentur, inſolentia ſingulari petulantiam ſuã aperuerunt, obliti decoris ſui fœmineiq;, obliti armorũ Cæſaris, quæ ſæpius illis cũ victoria intentauit. Regiam dominam mulę impoſitam capite obuerſo in caudam beſtiæ, tradidere in manus pro freno eiuſdem beſtiæ caudam: ita ludibrio habitã emiſere per portam alterã. Auxit iracundiam Cæſaris iuſta indignatio: obſeſſos perurget (vt ſæpe alias) ad deditionem, neq; bellũ neq; pacem perferre potentes. Tum deditos illa lege accepit, eos qui viuere mallent, ficũ de genitalibus mulæ dentibus eximerent, alioqui mox obtruncandi. Multi præponebant mortem ignominiæ: vitæ cupidi fecere quod iubebantur. Vnde nata eſt Italis illa contumelioſa irriſio, quum digito inter duos oſtenſo proferunt, *Ecco la fico*. Hæc eſt illa ficus quam tuliſtis Mediolanenſes per ſummã ignominiam, vnde horror eſt digna ſuperbiæ vindicta. Et omnibus ex ſententia conſtitutis in ea prouincia redijt Imperator in Germaniam, animo ſecum voluens Henrici ducis in ſe contumaciam, memor concitationis priſtinæ omnium principum Saxoniæ in eum. Audiuit tum diligenter querimonias eccleſiarum ſuper Henrici nomine, principum omnium in eum murmura: qui iam libera voce accuſabant ducem, cui ſciebant infenſum Imperatorẽ. Alij quidem Imperatoris iniuriam verbis ingrauabant, alij proprias vel iniurias vel cõtumelias recordabantur: vnus erat Henricus, in quem omniũ odia cõmuni impetu dirigerentur. Imperator ſciens quẽ eſſet oppugnaturus principem, quantis viribus, quo ingenio, qua fortuna, anniſus eſt & ipſe rem prudenter agere. A reconciliatione eccleſiæ ſumere principium inſtituit, arbitratus perinde totius Italiæ & omnium regum fauorem propẽſiorem: ne u turbatio addita turbationi, inſuperabilem motum & incendium inextinguibile concitaret.

Mediolanenſes imperatricem indignis contumeliis afficiunt.

Mediolanenſium ſupplicium.

Imperator Henrico Leoni infenſus.

CAP. 37. ANNVS erat ſeptuageſimus ſeptimus & vt Euſebij continuator tradit, octauus (vt alij, nonus) poſt mille centum, quum Imperator iam Ottone filio, quem claſſi præfe-
1177. cit, Veneta claſſe intercepto, Venetias (vbi erat ſummus pontifex Alexander) perducto, de pace ac reconciliatione efficaciter cogitauit. Ergo ceſſante ſchiſmate, quod per annos x x. miſerabiliter durauit, pax redijt inter regnum & ſacerdotium: & coadunata eſt eccleſia ſub Alexandro, & factum eſt vnum ouile & vnus paſtor. Ceſſit à ſchiſmate Calixtus Iohannes, & factus eſt epiſcopus Beneuentanus: archiepiſcopi pallia

Schiſma componitur.

pallia accepta à ſchiſmaticis abiecerunt. Chriſtianus Moguntinus, Philippus Colonienſis, per manus Hyacinthi cardinalis noua pallia receperunt, refutantes omnia ſchiſmata, præcipuè Octauiani, Guidonis & Iohannis. Quo tempore Emanuel Græcorum Imperator bellum in Sultanum habuit, de quo Imperatori occidentis ſic fertur ſcripſiſſe, Emanuel in Chriſto fidelis imperator, Porphyrogenetus, diuinitus coronatus, regnator potens, excelſus & ſemper Auguſtus, moderator Romanorum magnificus, Nobiliſſimo & glorioſiſſimo regi Alemaniæ & Imperatori, ac dilecto fratri Imperij noſtri, Salutem & fraterni amoris affectum. Et in fine ſic concluſit, Sultanus Imperio noſtro ſe dedidit, & miſſis legatis miſericordiam poſtulauit, fecitque Imperio noſtro hominium & iuramenta: pollicitus eſt ſeruire nobis aduerſus omnem hominem cum exercitu, ita ſit amicorum noſtrorum amicus, & hoſtis inimicorum. Hanc epiſtolam Imperator Fridericus ſuſcepit ſcriptam aureis literis. Sed prius legationem Sultani accepit contraria omnia nunciantem: nam & exitus monſtrauit præualuiſſe Sultanum. Venerunt quoque Imperatori cũ his literis munera precioſa: inter quæ fuit cantharus Smaragdineus, capiens ſextarium balſami piſtici, & plurimæ gemmæ precioſæ. Imperator noſter non bene fiſus Conſtantinopolitano, & ægrè ferens nomen eius in literis ſuo præpoſitũ, maximè quum moliretur contra Imperium Romanũ, & plures ex Romanis corruptos in ſuam traxiſſet ille ſententiam: nec ferre poterat quòd ſe Romanorũ ſcriberet moderatorem, reſcripſit hac forma, Fridericus diuina fauente clemẽtia, inclytus, triumphator, Romanorum Imperator, à Deo coronatus, ſublimis in Chriſto, fidelis, magnus, pacificus, glorioſus Cæſar, Græcorum moderator, & ſemper Auguſtus, Nobili & illuſtri regi Græcorum, & Imperatori Emanueli, dilecto fratri noſtro, Salutem & fraterni amoris affectum. Et inter cætera ſic, Sicut ille rex regum, à quo omnis poteſtas, Roman. Imperium caput totius orbis conſtituit, ita etiam ſedem Romanæ eccleſię omnium eccleſiarum vnicam matrem, dominam magiſtramq; ordinauit: quod vtiq; duorum numero gladiorũ ſignauit, quos dixit orbi ſufficere ipſe author fidei Chriſtianæ. Quapropter tuã prudentiam cõmonemus quatinus nobis & Romano Imperio honorem debitũ recognoſcas, & ſummo pontifici, quem nomine ſanctum appellas, debitam exhibeas obedientiam & honorem. Remiſit autẽ Imperator nuncios multis muneribus honoratos. Quo quidẽ tempore Sifridus Brandenburgẽſis epiſcopus, Alberti marchionis filius, in ſedem Bremenſem, ad quam ante XV. annos electus fuit, transfertur.

Imperatoris Græci ad Germanum epiſtola.

Imperatoris Germani ad Græci reſponſum.

VLRICVS erat Halberſtadenſis epiſcopus, qui quòd Alexãdro pareret, à ſede ſua eiectus exulabat, iamque rebus compoſitis redibat ad eccleſiam ſuam. Is erat Henrico duci infeſtiſſimus. Manus autem Imperatoris nunc erat in perſequutione Henrici cum illo. Statim ergo ad illius reditum commota eſt terra, in qua fauentibus principibus orientalis Saxoniæ, multa in Henricum ducem cœpit emoliri, fugato Gerone intruſo, omnibus quæ per illum multis annis ordinata fuere, caſſatis. Omnes ab eo conſecrati, ſunt officio ſuſpenſi. Eccleſiæ, quas ille magis execrauit quàm conſecrauit, clauſæ ſunt: & corpus beati Burchardi, quod ille tranſtulerat, per Vlricum terræ reconditum eſt. Quo tempore Henricus dux in Wandalia expugnauit vrbem Dẽmyn: audito autem de ingreſſu Vlrici, iam ſe intellexit eſſe circumuentum. Vocatis admodum paucis ex familiaribus, dixit ſine omni mora in Saxoniam redeundum: edocet, maximè trans Albiam noua ſibi bella conſurgere: quocirca properandum, & res omnes hoc loco interrumpendas. Tum machinarum magiſter, Si hoc, inquit, tibi cordi eſt, poſſumus incendio vrbis finire bellum. Non hoc placuit duci cœptum. Nam incendio nocere hoſti, ſibi nihil prodeſſe, futurum facilè vt hoſtes reſumptis viribus, vbi declinauerit, ſua viciſſim incendio vaſtaturos. Rebus igitur per induſtriam ſubornatis, effecit vt hoſtes de pace obſides exhiberent: quibus acceptis Brunſwicum repedauit. Vlricus autem Halberſtadenſis occupabat montem qui dicitur Hoppelberg, firmans in eo præſidium. Henricus dux aduolans, facilè diruit quæ ille firmaſſe putabat. Illo abeunte opus renouarunt hoſtes, magiſque roborati redeuntem ducem repulerunt, nonnullis cæſis, aliquot etiam captis. Mortuus eſt eo tempore Henricus comes, vitricus Adolphi Holſatiæ comitis. Mater eius Mathildis, prudens & religioſa fœmina, ſoluta à lege mariti, domum illius ſapienter diſponebat. Qui quum miles factus eſſet, non degenerauit à virtute paterna. Sed tum in Henricum ducem vno omnes animo conſpirarunt, qui Imperatori

CAP. 38.

Etiam ad mortuos permanent viuorum diſsidia.

Henricus Leo omnium odio petitur.

gratificari volebant. In primis Philippus Colonienſis archiepiſcopus magno agmine terram ducis ingreditur, deuaſtans incendiis multis Weſtphaliam: & ita proceſſit vſque in Quernhamelen, nec vltrà progreſſus rediit, Viſurgum fluuium iam habens obuium. Circa eoſdem dies reuerſus eſt Imperator de Italia: & occurrens illi Henricus Spiram, queſtus eſt de Philippo præſente, quòd terram illius ſit hoſtiliter ingreſſus, quũ nihil in eum hoſtile vnquam fecerit. Imperator tum diſſimulans quod ſentiebat, curiam illis indixit apud Wormaciam: ducem præcipuè adeſſe iuſſit, reſponſurum querimoniis principum. Intelligens autem dux rerum inclinationem, eò venire diſſimulauit. Imperator ſecundã illi indixit in Magdebûrgo: vbi Theodericus de Landesberg marchio duellum ei obtulit, imponens & inſimulans eum de quibuſdam in Imperium tradimentis. Indignationis autem propior viſa eſt ratio, quòd Wandali conniuente Henrico terram illius excurſionibus infeſtarunt. Dux vbi comperit, adeſſe noluit. In Adeſleph tamen vicino loco conſtitutus, per nuncios apud Imperatorem egit, vt fide publica interpoſita, in colloquium illum ſecretum admittere dignaretur. Imperator exiuit, occurrens illi ad locum conſtitutum. Quem dux placidis verbis, vbi in conſpectum venit, lenire ſtudebat. Imperator autem quinque millium marcharum mulctam duci indixit, conſiliumq́; addidit, vt ea leui tanto principi pecunia perſoluta, ſatisfeciſſe videretur Imperio: & perinde facile futurũ ſpondebat, accuſantes principes vt complacarentur. Sed duci viſum eſt indignum, pecuniam in cauſam tranſactionis, non ſine honoris macula perſoluere. Itaque ſine fine diſceſſere. Inde Imperator tertiam illi curiam Goſlariæ præfixit: quam, vt priores, dux diſſimulando neglexit. Imperator igitur procedẽs in concionẽ, de more proceres ſciſcitatus eſt, ſententiam quærens, quid mereretur qui legitimè euocatus, tertiò contumaciter abeſſet. Cui ex ſententia principum eſt reſponſum, quòd dictante iuſtitia omni ſit honore deſtituẽdus, vt proſcriptione publica iudicatus, & ducatu & omnibus careat ab Imperio beneficiis, alter in eius locũ conſurgat. Confirmatur ergo ſententia: Imperator adiudicauit fieri quod proceres dictauere. Ne tamen in re tanta præcipitatum videretur, & priuſquam publicè deſtitueretur, rogatu nonnullorum, ex ſuperabundanti quarta eſt illi denunciata curia. Ad quã quum nõ veniſſet, ſentẽtia ſolenniter promulgata deſtituitur omni, quod ad Imperiũ pertineret, honore & beneficio: Bernhardo de Anehold comiti, filio Alberti marchionis, quòd ex eadem Magni nouiſſimi ducis ſtirpe per auiam deſcenderet, ducatus Saxoniæ ſolenni donatur apparatu. Dux vbi comperit, queſtus eſt atrocem ſibi irrogari iniuriam: quòd natus in Suæuia, non niſi in terra natiuitatis ſuę potuerit ac debuerit deſtitui, nec potuerit niſi in terra natiua proſcriptione damnari. Erat autem annus poſt mille centũ octogeſimus. Ea verò res in Herbipoli ciuitate Franciæ orientalis agebatur.

Imperator Henricum pecuniæ mulctat.

Henricus principum ſententia ſuis ſpoliatur.

Anno 1180.

CAP. 39. FACTA autem deſtitutione iam tunc euigilarunt omnes hoſtes eius. Philippus Colonienſis archiepiſcopus iterum expeditione facta, proceſſit in Weſtphaliam. Ibi nihil ſanctum, nihil religioſum: incendia, prædæ omnia miſcuere: effracta monaſteria, violatæ ſacræ virgines, vix expleto miniſterio calices rapti de altari. Tantum autem ſibi ex illo tempore iuris vendicabat in eam terram, vt in reliquum ſe ſemper ſcriberet cum poſteris ducem Weſtphaliæ. Wichmannus Magdeburgenſis archiepiſcopus Aldeſleph oppidum obſedit: inerat validum Henrici præſidium. Bernhardus de Lippia præfuit obſeſſis. Multa tentata ſunt in expugnationem: ſed fruſtrata, fortiter tuentibus qui inerant. Demum iactis vallis aquam fecerunt increſcere, vt domus ad trabes vſque implerentur. Nec ſic ceſſere obſeſſi. Quum autem omnes perinde cõmeatus corrumperentur, pacti arma & veſtes dimittũtur incolumes, & oppidũ funditus euertitur. Interea Vlricus Halberſtadenſis omnibus modis inſtabat vt Henricum perſequeretur, adeo vt excommunicationis maledicta ſępius in eum repeteret, facta ſuſpenſione diuinorũ (interdictũ vocant) in omni loco ad quẽ declinaret. Tantùm in monaſteriis ſub ſilentio diuina celebrabantur, clauſis ianuis, propter excommunicatos. Dux autem (vt vir fidelis) non leui pendens eccleſiaſticum mucronem, venit Halberſtadium cũ ſuis, & in contritione cordis humiliatus eſt vſque ad pedes epiſcopi. Solutus eſt à vinculo anathematis cũ ſuis, facta ſolenniter abſolutione: & ſenſit cũ epiſcopo & eccleſia illa quæ pacis ſunt. Nec tamen diu durauit tranquillitas. Nam idem epiſcopus impatiens ferebatur ocij & quietis, & iterum occaſione accepta alienatus eſt à duce, & additus inimicis eius multa

Res diuina intermittitur.

contra

contra eum ſtuduit emoliri. Dux autem congregato exercitu mouit in Weſtphaliam, vt exterminaret qui ſtarent pro Colonienſi. Præerat ducalibus Adolphus Holſatiæ comes,& Scowenborg filius eius,qui apud Demyn cecidit in acie. Aderat Bernhardus comes de Racesborg, Bernhardus comes de Welpe (qui vel ſolus, aliis à duce deficientibus,in fide permanſit) Guncelinus comes de Zwerino, Ludolphus comes, & Wilbrandus frater de Halremunde, vt pugnarent contra archiepiſcopum Colonienſem. Et qui illi adhærerent, erant Simon comes de Tekenenborg, Hermannus comes de Rauenſberge, Widekindus comes de Zwalenberg:& conuenerant iuxta Oſnaburgam. Congreſſi autem ſunt in Halrefeld,& manus conſerentes fortiſſimè diu pugnarunt:ſed ceſſere Weſtphali, Saxones præualuerunt. Inter multos autem eminuit virtus Holſatorum, qui pro ſuo comite fortiter agentes, repulerunt hoſtes. Captus eſt Simon de Tekenenborg comes,& coniectus eſt in vincula, donec ad libitum ducis laxaretur: ex quo tempore cœpit duci comes ſemper eſſe notiſſimus promptiſſimusq;. Facta eſt autem contentio de captiuis, quum dux illos ſuo iure deputaret: Adolphus & cæteri nobiles aſſeruere propriis ſe ſtipendiis militare, ſuo cuiq; lucro prouenire quod caperet: niſi ſinerentur, miſerabiliores eſſe cunctis militâtibus, qui periculo ſuo omnia, nulla ſuo lucro peragerent. Guncelinus duci cōceſſit, quòd ab illo euectus comitatū poſſideret in ſolo Wandalico: cæteri repugnauere. Adiecit idem Guncelinus, vt Adolphum apud ducem criminaretur, non ſatis illum domino ſuo fidum, ſuperbire crebrius & intumeſcere, oblitū benefactorum & ordinis ſui. Quæ quū multis ille verbis proſequeretur, Adolphus modeſtè reſpondit: ſuę fidei magnum depoſuiſſe pignus apud dominum, quòd parens ſuus pro illo in acie ceciderit, nec ſe vnquam à paterna virtute diſceſſurum: non eſſe boni viri refragari domino ſine ratione: ſi quid tale moliretur, eſſe præſentē ducem, cui rerum ſuarum poſſet honeſtam per omnia exequi calculationem. Proinde deſinat vir militaris hominem ſui ordinis inſectari: in ipſa acie claruiſſe qualis quiſq; vir ſit. Ita tum diſceſſum eſt, vt Adolphus captiuis ſecum abductis, non omnino volente duce terram ſuam repetiuerit. Hoc primum mali ſeminarium inter ducem atq; Adolphum, cumulatū ſuperuenientibus cauſis aliis, vſque ad comitis de Holſatia eiectionem.

Henricus Leo rurſus prætér ſui impetitus, hoſtes prælio ſuperat.

Simultas inter Henricum & Adolphum naſcitur.

VLRICVS autem Halberſtadenſis ea tempeſtate impatiens, zelo ductus antiquæ perturbationis, multa duci intentauit incommoda. Excurſiones crebræ de Halberſtadio deq; præſidio Horeborg, in terram ducis fiebant. Dux diu diſsimulans iram collegit, demum coacta magna ſuorum manu, miſit vt excurrentibus obuij fierent. Non longè ab vrbe Halberſtadio conuenerunt, prælium inſtauratur. Suſtinetur aliquandiu pari virtute: ſed tum Halberſtadenſes ceſſere, fugamque intentarunt in vrbem. Sequuti hoſtes, quum fugientibus pone inſtarēt, portas cum ingredientibus & ipſi turmatim ingrediuntur. Capta ciuitas per incuriam, alioqui munitiſsima, portæ cæteræ clauſæ, hoſtes in medio tanto robore, vt ciuibus nihil ſupereſſet. Abſconderunt ignem ciues & extinxerunt: nec multum diligenter ab hoſte quæſitus eſt, prædę inſtant diligentius: ciues nō ad arma ſed latibula reſpexere. Inuentus eſt ignis à quopiam,& incenſa caſella fouit ventus incendium. Exuſta eſt magna parte ciuitas, & proceſsit flamma ad eccleſiam primā, in quam clerus & populus, tanquam in tutiſsimum aſylum confugere. Incenſa eſt, exuſta eſt inſignis illa baſilica, cum omni ſacrario veſtium, auri & argenti, cum clero & populo, miſeranda clade, ſine exemplo. Res lachrymis digna, & quæ terrorem ingeminat diuini ſuper nos iudicij, terribilis in conſiliis ſuper filios hominum. Epiſcopus ipſe in ſua domo repertus, igne circunfuſus, tenens reliquias ſancti Stephani ad ſui tutelam, captus, abductus cum Remaro præpoſito cognato ſuo. Victores cum præda & captiuis plurimis redeunt Brunſwicum. Dux alacrior de ſuorum victoria deque captiuis, vbi audiuit eccleſiam exuſtam cum clero & populo, ingemuit, multa in bello accidere reputans quæ victoribus ipſis non placeant. Sed quis ſæuientem comprimet Martem? Vbi vidit adductum cygnæo capite pontificem, & reliquias ſancti Stephani quaſi in triumpho adductas fuſcatasque de incendio, demiſſo vultu lachrymas dedit, humanarum rerum mutationem mente pertractans. Miſit epiſcopum in Erteneborg in liberam cuſtodiam, præpoſitum in Zegeberg. Domina verò Mathildis pietatis viſcera laxauit in captiuum pontificem, honorabat in illo ſummum ſacerdotem Chriſtum, veſtibus ſatis bonis procurans alleuare captiuitatis incommodum. Inde vbi

CA. 40.

Halberſtadiū hoſtes ingreſſi incendunt.

Victoria ipſi victori luctuoſa.

dux in Luneburgum deſcendit, iuſſit adeſſe epiſcopum, increpatumque de multis in ſe molitionibus, liberum abire permiſit, amicitiamque colere monuit. Ille autem vbi in Hugesborg applicuit, ſenio acceſſiſſe ſenſit incommoda curarum ac carceris, infirmatusque intra paucos dies reddidit ſpiritum. Interea milites illius de arce Horeborg non temperarunt ab incurſionibus in terram ducis. Ille autem præparatis in oppugnationē rebus, arcem euertit & ſolo æquauit.

CAP. 41.

enricus la-ſſitus bellum liciter gerit

enricus in dolpho con-tatur.

INTEREA verò Bernhardus de Anehold ducatum Saxoniæ ſolo adhuc titulo tenuit: nam Henricus dominia peregit. Archiepiſcopus autem Colonienſis ducatū Weſtphaliæ non dimiſit, nec vnquam rediit in ditionem Henrici. Proximo autem vere dux expeditionem fecit in Turingiam, & incendio vaſtauit vrbem Northuſen: cui occurrit Ludouicus prouincialis comes cum multitudine magna. Commiſſumq; eſt prælium inter eos, & fugati ſunt Turingi, & captus eſt Ludouicus cum Hermāno fratre, comite Palatino: reuerſus eſt in Brunſwicum victor cum opima præda. Adhuc enim proſpera fuere Henrico omnia in quæ deſcendit prælia in occupatores dominiorum ſuorum. Nam Weſtphaliam inuadentes repulit (vt diximus) in Halrefeld: ſuperiorem autem Saxoniā auferentes iure (vt aſſeruere) Imperialis beneficij, hoc modo vltus eſt. Saxoniæ verò titulum præferens Bernhardus vſque adhuc quietus permanſit, quòd nihil ille armis attentauit. Quum ergo Henricus de victoria lætus domi conſideret, Adolphusque Holſatorum comes illi gratularetur, veniam poſcens (vt diximus) redeundi in ſua, Guncelinus in Zwerino comes, vſque in illum diem amiciſſimus Adolpho, neſcio quid liuoris in nouiſſima expeditione collegit in eum. Tum in conſpectu ducis expoſtulans iracundiam profudit, Adolphum inſimulans, iniquo ſemper animo fuiſſe in ducem, & in omnes qui illi fideliter miniſtrarent. Et quomodo, inquit, temperet ab iniuria ſubditorum, qui principi ſuo non eſt veritus aduerſari, captiuos in ſuam ſortem deputans, quos cęteri (vt dignum erat) principi cōſignarunt? Tum Adolphus iunior ſeniori deferens Guncelino, non ita vt ille efferbuit. Et quid eſt, inquit, Gunceline de quo me coram domino meo tam grauiter inſimulas? Ego me ſemper impleſſe recognoſco quæ fidei, quæ integritatis ſunt, neq; vnquam honori tuo defui: ſciens te parentis mei commilitonem, patris te ſemper loco honoraui. Si quid eſt à me perperam geſtum, coràm velim eloquere, nihil vtens ambagibus, nec occultis me criminationibus inſimules. Si quid eſt meum quod principi meo diſpliceat, paratus ſum omnium reddere rationem, modò quid ille iubeat intelligam. Dux omnia diſſimulanter accepit, vt appareret eius voluntate inſtitutam à Guncelino expoſtulationem. Tum verſus in Adolphum, Satis mihi, inquit, tua eſt comperta integritas, probata fides. Attamen in præſentiarum apparebit quo ſis in me animo, ſi captiuos quos tenes, in commune conferas, vt exemplo ſis aliis, & ne ipſi diſtrahant quiſque ſuos in meum præiudicium. Habebat autem captiuos ſeptuagintaduos. Tum Adolphus, Ego, inquit, tibi princeps illuſtris, animo, corpore, rebus obſequi ſemper ſum paratus. Vides in hac me expeditione, iumentis, ſeruis & rebus pene omnibus deſtitutum, æris alieni multum contraxiſſe. Quòd ſi captiuos inuideas tibi militanti, pedes domum abire compellor: arbitror autem hoc neq; tuo neq; meo ſatis honori cōducere. Auerſus autem dux vultu comitē dimiſit. Queſtus eſt autem Adolphus amicis criminationes Guncelini, & impetrata abeundi licentia retraxit ſe à duce, & ex illo die alienatus ſenſit in illum hoſtilia. Tenuit autem vnus ille comitatum vtrunq;, Scowenhorg atque Holſatiam. Dux arma poſt illum miſit: & vbi hoſtilia ſentire cognouit, iuſſit expugnare arcem Zegeberge atque Plone. Et Plonenſe facilè deiecerunt præſidium: ad arcē autem Zegeberge diu hæſitatum eſt, quòd firmata in monte non facilè adiretur. Inerat mater comitis Adolphi cum non contemnenda militum manu. Bernhardus de Raceburgo comes duci ſeruiens oppugnabat. Perſtiterant autem infatigabiles, donec ademerent obſeſſis aquationem, vt ſiti premerentur. Tum deditionis facta mentio: abiit autem mater comitis in Scowenborg, quo loco iam comes ipſe conſederat. Dux autem Plonæ præfecit Marcradum Holſatorum præfectum, in Zegeberge autem Lippoldum quendam natione Bauarum: & hac ſecunda vice exturbati ſunt comites de Holſatia. Primùm quidem primus Adolphus à Ludero duce, poſtea imperante, inſtitutus in pace quieuit in terra: deinde filius eius, huius Adolphi pater, pulſus eſt cum Henrici Leonis patre, ab Alberto marchione, & rediit cum eodem. Nunc altera vice ab Henrico pellitur Adolphus

dolphus ab enrico defi-

mitũ Hol-æ crebre amitates.

phus tertius, is quem cæſus apud Demyn pater admodum paruulum reliquit.

C A. 42.

Imperator Henrici bello infeſtat.

IMPERATOR Fridericus audiens Henricum, deſtitutum Imperij beneficiis, proſperè in hoſtes agere, ſententiam in eum ſuam ipſe exequi properabat. Ergo exercitu validò conſcripto deſcendit in Saxoniam, nec erat qui venientem Imperatorem & ſuo honore & Henrici odio non cupidè exciperet. Tranſierunt quoque nonnulli ad Imperatorem, timore perciti, qui à parentum ſuorum memoria ſemper duci parebant, Harteſborg, Leuenborg, Blankenborg, Henneberg, Regenſteen. Horum præſidiorum comites ceſſerunt Imperatori. Conuertit autem exercitum ad expugnandam arcem Lichtenberg, quia contumaciam oſtendere videbantur qui tenuerunt: ſed tamen quum defenſorem nullum proſpicerent, Cæſari ceſſerunt. Circa quos dies mortuus eſt Caſimarus dux Pomeraniæ, Henrico ſatis iunctus. Nam Buggeſlaus Imperatori tributa perſoluit. Arcem Hartesborg, tanquam Saxoniæ grauiter imminentem, Imperator iuſſit reparari. Qui verò inerant arci Waldenberg, munitioni fidentes aliquandiu reſtiterunt: ſed & illi ceſſerunt victori. Interea Henricus dux, non ignorans propinquare Imperatorem, communiuit arces ad Albim & in Holſatia, ſperans virtuti Imperatoris illudere, ſi non poſſet elidere. Bernhardum autem comitem de Raceburgo inſimulauit, quòd in eum cum cæteris coniuraſſet, inſtituto tradimento, vt inuitatum in arcem Raceburgi, vinctum traderet Imperatori. Turbatus ille inaudita re obſtupuit: & quum nihil dignũ reſpondere videretur in faciem obiicienti, aucta eſt in eum ſuſpicio. Captum pertraxit in obſidionem arcis ſuæ in Raceburgo. Qui intus fuere cuſtodes, iubente Bernhardo ducem intromiſere. Tum vinculis laxatus Bernhardus abiit in Godebuſch. Quumque nec ſic duci quieſcere videretur, ſequutus illum armata multitudine, & inde propulit profugientem ad Bernhardum creatum ducẽ Saxoniæ. Henricus dux cum multa præda reuertitur. Interim ciuitatem ſuam Lubicam, quam dudum ab Adolpho acceperat, communiuit, arceſque Holſatiæ commeatibus & armis impleuit, vt Imperatoris impetum ibi ſuſtineret. Sed Imperator iam per Saxoniam rebus ex ſententia conſtitutis, deſcendere conſtituit in partes Albis fluminis, vbi deliteſcere ſenſit Henricum. Commiſit ergo Brunſwicum Philippo archiepiſcopo Colonienſi, arcem autem Luneburgi inexpugnabilem ſeruauere ducales. Inde quoque proſpiciens Imperator, Bernhardum ducem & Ottonem eius fratrem marchionem, cum præſidio manere iuſſit in Bardewico: ipſe agmina promouens, Albim fluuium attigit. Habebat autem in comitatu Wichmannum archiepiſcopum Magdeburgenſem, abbates Fuldenſem, Corbeienſem, Herſfeldenſem, Ottonem de Miſna marchionem, & multos nobiles de Bauaria & Suæuia. Ludouicum autem prouincialem Turingiæ, quem Luneburgi captum dux tenuit, produci iuſſit in Zegeberge. Quum autem Imperator ad Albim conſiſteret, dux Lubicæ proſpexit, illam vt poterat communiens, machinis in opportuna loca deductis. In die apoſtolorum Petri & Pauli petiit Raceburgum: ibiq; rebus ordinatis, cum omnibus qui erant in pręſidio deducitur in Erteneborg, vt Imperatori ſe obiectaret. Cernentes qui remanſerant in arce de parte comitis eiecti, quia ſoli relinquebantur ad arcis cuſtodiam, erecti animo portas ſerauerunt, arcem comiti excluſo duce ſeruantes. Vbi innotuij res duci, infrenduit: & vocatis de Holſatia militum præſidiis, expugnare paucos facile duxit. Interea aderant qui Imperatorem propinquare nunciarent. Dux Erteneborg arce incenſa, quòd illi diffideret, per fluuij deuexa tranſiit in Stadium, ibi rerum exitus præſtolaturus. Nam vires militum non aderant, quibus venientem aut remoraretur aut exciperet Imperatorem.

Bernardus Raceborgenſis proditionis inſimulatur.

Imperatoris exercitus in Henrici finib.

C A. 43.

Lubica capitur.

IMPERATOR Albi tranſcenſo progreſſus, miratur quòd Lubica tam nouæ originis auſa ſit portas claudere venienti. Inerat autem Henrici ducis validum præſidium, de Tekeneborg, de Aldenborg, de Welpe comites, Marcradus Holſatorum præfectus, & Emico de Nemore. Quumq; euocatus Waldemarus rex Daniæ occurriſſet Imperatori de mari, celebrato ſolenni inter reges colloquio in obſidione vrbis (quod in Wandalia ſcripſimus) ciuitas vndiq; cincta oppugnatur. Miſere ciues epiſcopum ſuum Henricum, qui apud Imperatorem efficeret vt legatio illis ad dominum ſuum permitteretur: quod in Wandalia ſumus exequuti. Permiſere ſe tandem Imperatori, qui inſignibus priuilegiis vrbem ornauit. Hamburgenſes quoq; ibi per Adolphum comitem aſſequuti ſunt non vulgarem gratiam ab Imperatore. Donauit tum Imperator Adolpho comiti

dimidium telonij ac tributorum de molendinis, de trapezitis, beneficio feudali: nam Imperio vtilis futurus videbatur. Acceſſit quòd pater eius, ſecundus Adolphus, dominium tenuit à ſe fundatę ciuitatis, quam hic Adolphus vrgenti Henrico duci (quod ſuprà oſtendimus) ſatis inuitus permiſit. Rebus igitur apud Lubicam ex ſententia conſtitutis quum regrederetur Imperator, apud arcem Luneburgi (nam oppidum necdum fuit) ſtatiua habebat. Dux ſe Stadio continebat, eo conſilio, vt ſi ab Imperatore infeſtaretur oppidū, aquis dilapſus manus eius euaderet. Firmauit tamen oppidum maximo vallo. Gunceli-nus qui opus vrgebat, turres monaſterij beatæ Mariæ recens erecti deiecit, ne hoſtibus præſidio, duci forent excidio. Dux autem miſſo ad Imperatorem nuncio popoſcit, publica interpoſita fide, vt audiretur: non recuſauit Imperator. Per Albim tranſcendēs Erteneborg, terram te tigit, ſaluo Imperatoris conductu tranſiēs. Ille obuiis quibuſlibet de exercitu Imperatoris notis aiebat, Solebam, inquit, in his atque multis terris dare non accipere conductum: en rerum viciſſitudinem. Laxauit autem & præmiſit in caſtra Imperatoris Ludouicum Turingum & Hermannum fratrem eius, ſic ſperans lenire Cæſaris iram. Quum coram veniſſet, cœpit multa retexere in ſui purgationem, clanculo ſua in Imperatorem obſequia commemorare, humanæ mutabilitatis incertum orabat vt intueretur. Sed erat grauior ira Cæſaris, altiusq; deſcenderat in pectus indignatio, quàm vt vna poſſet purgatione aboleri vocali. Igitur principum abſentiam præferens Imperator, iubebat illum adeſſe conuentui principum in Quedelenborg. Quumq; in eo conuentu cauſa ducis tractaretur, cœperunt amici eius ſperare ſecundiora: ſed tum Bernhardus, qui ducatum Saxoniæ in titulo præferebat, grauior illi incubuit. Indicta eſt altera quoque curia in Erphordia. Interim Sifridus archiepiſcopus Bremenſis apud Imperatorem egit vt comitatus Stadenſis, per Henricum ducem detractus, eccleſię reſtitueretur. Permiſit Imperator: ſed quoniam præſidio ducis tenebatur, expugnandum erat oppidum cum arce. Pactus eſt cum Philippo Colonienſi ſexcentas argenti marchas ſe illi daturum, ſi expugnaret. Quo facto, eiuſdem Imperatoris beneficio Adolphus Holſatię, & Bernhardus Raceburgenſis comites, ſuas ditiones recuperarunt. Dux autem Erphordiam petens, pedibus Imperatoris prouolutus veniam & gratiam poſtulauit: Imperator illum de terra leuans oſculatur. Quod vtique non feciſſet, ſi (quod multi tradunt) Imperatorem ſibi ſupplicem Henricus olim in terra iacere diſſimulaſſet. Nunc verò non tenuit lachrymas Imperator, quòd tanta tamq; diuturna inter olim familiariſſimos & ſanguine coniunctiſſimos controuerſia perduraret. Non tamen potuit Imperator ſine principum aſſenſu reponere, quem omnium conſenſu deſtituit: bene tamen ſperare iuſſum hortabatur, vt de finibus Imperij per aliquanta tempora elongās, ſententiam Imperij honoraret: futurum interim vt principum in eum animi mollirentur.

[H]enricus Imperatorem fide [pu]blica acce[de]re ad[it].

[Im]perator tan[du]m Henrico [re]conciliatur.

[C]A. 44.

[H]enricus vo[lu]ntariū exi[li]um ſuſcipit [an]no 1181.

ABIIT ergo in exilium, abiurans triennio fines Imperij, tranſlatus in Angliam ad ſororium ſuum Richardum Anglię regem, cum vxore ac liberis. Patrimoniolum tamen illi ſuum Imperator permiſit in meditullio Saxoniæ. Rex autem Angliæ honorificè accepit venientem, arma pollicitus ſi pugnare ille vellet. Erat annus poſt natum Chriſtū milleſimus centeſimus octuageſimus primus. Per quæ etiam tempora, Henrico iam exulante, terra Saxoniæ ſine principe manens, ad tumultum reſpexit, quum ſe cuncta commouerent. Nam Bernhardus, qui ducis nomen præferebat, quum non ſatis illi nobiles parerent, ſegnius cuncta adminiſtrabat. Adolphus Holſatiæ comes duxit coniugem filiam Ottonis comitis de Daſle, annitente Philippo Colonienſi archiepiſcopo, cuius erat neptis, fratris videlicet filia. Quumque Adolphus præualuiſſet in Holſatia, eiecit omnes qui Henrici ducis tempore ſenſerant contra ipſum: quæ fuit origo multorum in reliquū tempus laborum, & alterius tum eiectionis. Eiecerat enim iam nunc Marcradum præfectum Holſatorum, virum potentem: pro quo ſubſtituit Siticum non æqua virtute præſtantem: Emeconem quoq; virum ſtrenuum abegit cum nonnullis aliis militaribus viris. Illi ſparſi per exilia, alij apud regem Daniæ, alij apud comitem de Raceburgo, alij apud ducem Sleſwici ſeſe continuere. Interea Bernhardus dux in Erteneborg euocauit omnes ſuæ ditionis nobiles ac militares, atque ſacramenta ab illis accipiens, reddidit vnicuique ſuo iure beneficium, hoc eſt feudum (vt nunc vocant) quod antè tenuere. Venere impigrè de Dannenberge, de Luchow, de Zwerino comites. Expectabatur Adolphus, nec venit, forſan arbitratus ſe beneficium ab Imperatore ſine medio recognoſcere. Sed

re. Sed orta eſt inde ſimultas inter ducem & comitem, ſerpens occultè. Dux autem demolitus arcem Erteneborg, nouam molitur in altera Albis ripa in Louenborg, loco (vt putabat) munitiore, traductis lapidibus per amnem prioris demolitæ munitionis. Ciues Lubicenſes queſti apud Imperatorem itineris & traiectus difficultatem, obtinuere vt Imperatoris interpoſito decreto iuberetur, in ſolito loco traiectũ relinquere: & permanſit ille in Erteneborg vſque in hodiernum diem.

DVX autem Saxoniæ Bernhardus, iam pleno videbatur iure dominari prouinciæ. CAP. 45.
Quo factum eſt, vt nouis cenſibus & impoſitionibus in ſubditos conſtitutis, principatũ ſuum faceret odioſum. Augebant animos illi fratres, Otto marchio Brandenburgenſis, Sifridus archiepiſcopus Bremenſis. Et nihilominus ditionis ſuæ exilitas ad principatum maiora depoſcebat præſidia. Remanſerat enim Henrico maior Saxoniæ pars, quæ illum materna ſucceſſione contigerat. Omnis nunc ducatus Brunſwickcẽſis, Gottingenſis, & Embickcenſis, qui nunc dicitur Tranſſyluanus. Nam & Bremẽſis archiepiſcopus, *Bremenſis prædia ſua eccleſiæ negligentius curat.* nunc fratri accedens, Bernhardo Thietmarſiæ comitatum Adolpho ademptum, fratri duci ſubiicere conabatur. Mirum cur non pro ſua illum eccleſia defenſaret, cui ex Hartwici præceſſoris ſui permutatione (quod ſuprà & in Metropoli diximus) proueniſſet. Sed effrenis populus creditur eccleſiam contempſiſſe: nec potuit eccleſia facilè Thietmarſiam tueri, quæ etiam tunc (vt prędiximus) Stadenſem comitatum amiſit. Adolphus autem tum Thietmarſiam pro ſua defenſauit, tam archiepiſcopo quàm duci ſe armis opponens. Erat tum annus octuageſimus quartus, quum Imperator Erphordiæ mirabiliter ſupra latrinam periclitaretur in conuentu fratrum diui Petri, vix hærens ad cancellos feneſtræ ferratos: quum interim ſublapſis trabibus, multitudinem tantam hominũ non ferentibus, quidam ex nobilibus in ipſis ſordibus mergerentur: in quibus Henricus de Zwartzeborg comes, qui exitus ſui pręſagium quoddam ferebat in prouerbio, Si, inquit, hoc fecero, mergar in latrina. Dux interim Bernhardus iam nõ modò plebem, ſed ipſam in ſe concitabat nobilitatẽ. Nam comiti Adolpho Todeſlo, Ratekow, & iura quæ illi Lubicæ conſtituerat Imperator, ſubducere moliebatur, quum Imperio reliquum ſer uaſſet. Inanem ſe ferre principatum querebatur, ſi alij de fructibus impinguentur. Idem in comites Zwerinenſem & Raceburgenſem molitur. Iunctis perinde viribus comites memorati hoſtilia duci nunciarũt, quòd prior ille ſua cuique auferre moliretur. Arcem nouam Louenborg adoriuntur obſidentes, oppugnant, & multo tandem labore expugnant, deiectamque ſolo æquarunt. Ille vbi ſe armis vindicare non poterat, Imperatori defert querimoniam. Interim comites, quas duci fidiores rentur, aggreſſi perturbãt munitiones. Arcem Ilow in Wandalia Magnopolenſi capiunt, matrem Niclo[illegible]i, qui Werſlai ab Henrico perempti filius erat, eiiciunt. Niclotus ad Ottonem marchionem profugit, deq; arce Hauelberge multas fecit hoſtibus eruptiones & incurſiones. Conflatum inde eſt bellum intra Wandaliam, quum ſtudiis partium principes ipſi inter ſe gladios ſtringerent. Nam Rugianorum dominus Niclotꝰ, Bugſlaus Pomeranorũ dux firmabat partes Burewini, & perinde comitum memoratorũ. Huius autem belli exitum, quia in Wandalia ſcripſimus, inde petat qui noſſe volet.

1184. *Mirificus Cæſari caſus interuenit.*

Bernardus Saxoniæ dux multorum in ſe odia cõcitat.

IMPERATOR per ea tempora inſignem fecit conuentũ Moguntiæ, in quo Henricum filium ſuum regem declaratum auratum fecit militem, torque donata. Ibi confirmatum eſt matrimonium inter eundem Henricum & Conſtantiam, quæ filia erat vnica regis Neapolitani, monialis: ſola enim ſtirpis regiæ ſupererat. Diſpar ætas nubẽtiũ, quum pater Imperator regnum Italiæ magnificaret. Hic autem conuentus tanto apparatu eſt inſtructus, tanto ſumptu peractus, vt anguſta conuentui ciuitas videretur aduenarum. Imperator extra muros ampliſſimam iuſſit erigi domum, liberioris aeris gratia, ibique curiam ſuam honeſtauit. Ipſo die proceſſionis maxima in ſacratiſſima Pentecoſtes feſtiuitate, quum in eccleſia ſederet Imperator cum vtriuſq; ordinis principibus, à dextris habens archiepiſcopum Moguntinum, & à ſiniſtris Coloniẽſem, abbas Fuldenſis turbauit cœtum tam celebrem, locum ſibi depoſcens ex ſiniſtro Imperatoris latere, quem dominus Colonienſis occupauit. Meminere multi hoc ab antiqua obſeruantia in eo præſertim loco factum: ſed princeps elector & archiepiſcopus cedere abbati duxit inglorium. Imperator interpellatus deſuper reſpondit, Veteres approbamus (vt tenemur) Imperij noſtri cõſuetudines: quocirca maior an minor, æquo nobis diſcrimine eſt.

CA. 46.

Henricus Imperatoris filius, rex creatur.

Amãt primas ſedes in cõuentibus.

Intelligens archiepiſcopus ſurrexit, Quando, inquiens, ſereniſſima maieſtas, ita ſe voluntas veſtra præbet, cedo abbati archiepiſcopus, monacho princeps elector: ſed bona venia veſtra cœtum dimitto. Et hæc dicens abſceſſit. Sequutus eſt illum comes Palatinus Rheni, frater Imperatoris, & comes de Naſſow, dicentes, Sereniſſime Imperator, permiſſa venia dominum ſequimur exeuntem, cuius beneficia recognoſcimus. Comiti de Naſſow, quòd ille & ab abbate beneficiū teneret, dixit Ludouicus Turingiæ princeps, Pulchrè hodie reſpondes beneficio, & ſublimiter promereris, qui deſerto vero domino alium ſectaris. Cui ille, Beneficium quod teneo, iuſtis ſuo loco promerebor obſequiis: hodie ſequor quem in hunc cœtum inter alios deduxi, æquè dominum feudi quod teneo. Idem fecit dux Brabantiæ. Tot vacuatis ſedibus turbatur rex Henricus, etiā in collum appenden: archiepiſcopi, quàm ſanctè rogat ne feſtum diem à mœrore auſpicetur, néve turbationem excitet in tanto principum conuentu: maneat in conſeſſu, neu committat vt diem ſuæ coronationis tantis iræ tenebris obnubilet. Tum Imperator & ipſe interponit, Quandoquidem, inquit, vnum te adeo verbum conturbat, vellem me temperaſſe ſermone: quamuis nihil præter Imperij dignitatem eloquutum agnoſcam. Sed vide ne doloris minimi curatione ingens corpori vulnus infligas. Quid enim ſit ſcindere tantum conuentum, pro tua prudentia non ignoras. Tum excandeſcens archiepiſcopus, Pulchrè, inquit, hodie remunerabat Cæſarea maieſtas diuturna huius capitis obſequia, quę ſequutus impleui, pro qua in caſtris incanui, Italiam fatigaui, Lombardiam oppugnaui, Brunſwico ſudorem cum ſanguine fudi. Hæc magna merces mea, vt in cōuentu principum confundar propter abbatem: qui niſi occultam Cæſarei culminis intelligentiam foueret, ab hac iniuria meritò temperaret. Quòd ſi & Cæſar & rex manere me vultis, ecce pareo: reponantur noſtræ ſedes vt fuere. Si noſtram abbas turbauerit, aſcendat in cœlum, ponat ſuam in aquilonem, & ſimilis ſit altiſſimo. Præſentiens autem abbatis archiepiſcopus arrogantiam, quatuor armatorum millibus & ſuprà venit in cœtū: arma proculdubio etiam in eccleſia exeruiſſent, ſi in longum duraſſet contentio. Tum Imperator, Quādoquidem, inquit, à te archiepiſcope inſimulamur de occulta cum abbate huius rei machinatione, parati ſumus iuſiurandum præſtare, nos eius culpæ non eſſe affines. Et quum iurare paratus videretur, exceperat archiepiſcopus, Verba, inquit, Cæſareæ maieſtatis mihi pro iuramento ſunt. Conuerſus inde in abbatem Imperator, quòd & ille principes haberet non paucos pro illo, ſi ad arma veniretur, pugnaturos, dixit, Hodie, ne maior nobis turba hunc diem feſtum obſcuret, ſine iuris tui præiudicio adhibenda eſt tibi pater breuis moræ patientia. Abbas cum rubore locum tenuit inferiorem: & coronatus eſt rex Henricus cum regina. Erat autē annus octuageſimus quartus poſt mille centum. Væ tibi ſuperbia, quæ in cœlis nata, cum authore tuo ad inferna demergeris ſemper excrucianda.

[margin:] Vnius monachi importuna ambitio magnum motum mouexit.

[margin:] Archiepiſcopus militaria officia commemorat.

[margin:] Anno 1184.

CA. 47.

IMPERATOR in Italiam contendit anno proximo, & exierat Vrbe Roma Lucius papa, vt obuiam ei proficiſceretur, tractaturus cum illo Chriſtianæ reipublicæ negocia, quæ in Aſia nimium cœperunt labeſactari. Veronæ conuenerant duo Chriſtianiſſimi columina. Concurrerat ingens eccleſiaſticorum multitudo, reconciliationem deposcens ſedis apoſtolicæ, quòd in ſchiſmate Imperatorem ſequuti ab antipapis eſſent ordinati & inſtituti. Interuenit pro his Fridericus Imperator, vt in gratiam ſumerentur. Annuit perbenignè pontifex. Sed quum poſtera die manus illis eſſent imponendæ ſingulis, immutatum erat conſilium, quòd diceret, in concilio Venetiano decreta non poſſe niſi alio concilio irritari: promiſit autem de proximo alium à ſe euocandum cœtum, in quo ſuper his conſtitueretur. Auditæ ſunt Germanorum minæ pro ſua conſuetudine: ſed nihil ea re moti ſunt cardinales. Credebatur autem ea conſilij mutatio à Cōrado Moguntino & Wormacienſi pontificibus prodiiſſe. Inde cœpit Imperator tractare cum pontifice ſuper patrimonio potentis per Italiam dominæ Mathildis, quæ ſub Henricis Imperatoribus, patre & filio, multa faciebat pro eccleſia: & iam rebus humanis excedens, multa reliquerat eidem eccleſiæ poſſidenda, quæ Imperator ad ius Imperij deuocabat. Erat autem (vt diximus) marchionis Saxoniæ filia. Sed ex ratione temporum diu ante hanc ætatem emigraſſe conuincitur, niſi geminas fuiſſe, & alteram poſt alteram in Italia floruiſſe quis contendat. Diu tum cauſa inter ſacerdotium & regnum ventilata nihil concludi potuit, & ſine fine diſceſſere. Superuenit tamen noua diſſenſionis materia de eccleſia

[margin:] ...i pſeudopa... fuerāt ſe..., non reſti...ntur.

[margin:] ...erator & ...tifex de ...u inter ſe ...cant.

clesia

cleſia Treuerenſi vacante:ad quam canonicè à ſaniori parte electus Volmarus, ab Rodolpho(quem minor pars elegit)moleſtiam paſſus, ſedem appellauit apoſtolicã, & peruenit ad Lucium pontificem. Rodolphus autem ſe contulit ad Imperatorem, qui facilè inueſtiuit de rebus eccleſiæ ad ſe confugientem. Volmarus inanis permanens, ſequutus eſt ſedem apoſtolicam. Vrgebat tamen inſtantia eius pontificem, vt Rodolphum ad iudicium de iuſtitia reſponſurum euocaret. Noluit Imperator vt in contumacia perſiſteret:ſed miſſis cum eo quatuor viris vtriuſq; iuris peritiſſimis, vt legiſtæ pro Imperatore & eius iuribus allegarent, decretiſtæ autem electionis canonicæ ius defenſitarent. Allegata ſunt plurima in omnem partẽ. Sed ea fuit pertinacia vt nullo fine facto Rodolphus ad Imperatorem rediret, timebaturq; eccleſia in peſſimum ſchiſma (vt olim) relapſura: quod malum, qui propius nouerunt, magis horruerunt. Henricus interim rex Confluentiæ canonicos, qui Volmaro inhærerent, male per adoleſcentiæ feruorem affecit: quo audito papa confirmando Volmaro erat propenſior. Sed detinebant eum crebræ inter ſe & Cæſarem legationes, quum ex ore regis non ſemel audiretur, ſi Volmarus ſublimaretur, omnem inter principes concordiam in peſſimum facinus euaſuram. Ea res pontificem continuit. Interim Imperator apud papam oratoribus miſſis, inſtitit vt filius eius Henricus ipſo ſuperſtite Imperij corona donaretur: pontifice renitente, quòd indecorũ videretur non ab illo depoſitam Imperij inſulam alteri conferre, quaſi in vno corpore monſtruoſo gemina capita figerentur: quieuitq; ea ſuper re Imperator.

Imperatoris & papa diuerſa in epiſcopi electione ſtudia.

QVO etiam tempore ſimultas inceſſit regi Henrico atq; archiepiſcopo Colonienſi Philippo. Nam mercatores quoſdam de Duysborg per diœceſim tranſeuntes rebus ſecit nudari, quòd vectigalia & ſolita iura non perſoluiſſent. Nudati querimoniam apud regem adoleſcentiorem deponunt: ille miſſo nuncio iubebat ſua reddi ſpoliatis. Archiepiſcopus legitimas cauſas prætendens non paruit. Iterum miſſus nuncius redibat inanis: tertiò ſub obtentu gratiæ præcepit adempta reſtitui. Tum archiepiſcopus male temperans iram, profudit hoc verbum, neminem poſſe duobus ſeruire dominis, & ideo male duos regnare. Ea quum regi referrentur, indignatus curiam ſuper ea re indixit archiepiſcopo. Non venit. Indixit alteram: nec in eam venit. Quumque tertiam Moguntiæ collocaret, amicorum conſilio non eam contempſit: ſed magna ſuorum manu(vtà vi tutus eſſet)acceſſit. Quo tempore rex diſſimulanter nobiles qui cum archiepiſcopo venerãt, ſigillatim euocauit, & compoſitis pro rei qualitate verbis hortatur vt Romano Imperio præſtent ſacramenta. Illi negare non auſi præſtiterunt. Archiepiſcopus hæc audiens, rei exitum præſumebat in caput ſpectare ſuum: ideo ſubmiſſis amicis regi reconciliatur, iurans quàm ſanctè verbum indignationis primo feruore animi elapſum, non certo conſilio prolatum. Suſpectum inde tenuere archiepiſcopum male eſſe affectum Imperio, q nuper in Angliam, vbi tum erat Henricus Leo, nauigaſſet. Inde quoque ſe purgans, quũ regi ſummam pecuniæ muneris loco donaret, reconciliatus abibat. Ex illo autem tempore à familiaritate Imperatoris & filij eius elongabat, plurimum dolens, quòd tanta deuotione, cum tanto animæ ſuæ periculo terreno ſeruiſſet Imperio: & cœpit Coloniam vallo maximo & turribus firmiſſimis communire. Quam rem Imperator vbi comperit, iuſſit diligentius obſeruari, quaſi noua quædam molientem.

CA. 48.

Colonienſis in Henricum regem inſolentior.

ADOLPHVS comes Holſatiæ, quum per hæc tempora abſentis in Anglia Henrici Holſatiam quietus teneret, Thietmarſiam quoq; occupauit, diſſimulante Sifrido archiepiſcopo. Sed quum ſecundus Hartwicus, qui Sifrido ſucceſſit, ad rerum gubernacula perueniſſet, cœpit inſtãtius iura eccleſiæ ſuæ recuperare. Quumq; Adolphus comitatum Stadenſem atq; Thietmarſię teneret, cauſamq; ſuam non ſatis in iure aduerſus eccleſiam tueretur, Thietmarſiam eccleſiæ reddidit: ſed ab archiepiſcopo ducentos modios auenæ in beneficio recepit. Erat tum annus octuageſimus ſextus, quum Henricus Leo, quõdam dux Saxoniæ, reuerſus in Saxoniam, Brunſwico quietus conſedit, iam decurſis annis illi ad exilium præfinitis. Agebat apud Imperatorem crebris nunciis vt ad iura ſua reſtitueretur: nam patrimonium eius à multis diſtractum occupabatur. Imperator literis & nunciis bene illum ſperare iubebat: ſed tamẽ variis impeditus caſibus ſpem differebat in longum. Nam quicquid Imperatori rebellionis ſucceuerat vel à ſummo põtifice, vel ab archiepiſcopo Colonienſi, vel à rege Danorũ Kanuto, id Henrici molitionibus inſcribebat. Quum verò audiſſet Henricus Hartwicum quondam notarium ſuũ

CA. 49.

1186.

Henricus ab exilio reuertitur.

ac ſcribam ad archiepiſcopatū perueniſſe Bremēſem, gratulatus illi rogabat, vt in quencunq; ſibi placitum locum illi ad colloquium occurreret: quod ille, non ſatis memor priſtinæ amborum fortunæ, ſuperbius contemnebat, non quod olim vterq; fuerit recordatus. Sed præſenti rerum ſtatu cuncta metitur non ſatis prudenter. Interea rex Henricus, Friderici Imperatoris filius deſponſam ſibi duxit in Italia vxorem Conſtantiam monialem, ſolam ſtirpem Normannorum: quæ regnis vtriuſque Siciliæ ſuccederet. Celebratæq; ſunt nuptię in confinio Papienſium ac Mantuanorum: quas ad magnificentiam regalem inſtruēs, euocauit principes ac nobiles nō modò ex Italia, ſed abuſq; vltima Germania, ſingulari & exquiſita vtens inſtantia apud Philippum Colonienſem archiepiſcopum, vt veteris infuſcationis notam aboleret. Motus ille ſingulari regis diligentia ad iter omnia inſtruit, & procedit cum magno comitatu. Sequutus illum magnis itinerib. nuncius à Conrado Moguntino, verbis domini ſui quàm diligentiſſimè monuit vt ſibi proſpiceret, nunquam, ſi procederet, Coloniam reuiſurus. Id dolóne an ex animo fecerit, incertum. Secum tamen reputans Colonienſis periculum ſuum, non contempſit monitorem: ſed ſimulata aduerſa valetudine iter vertit, mittens qui abſentiam illius excuſarent: vnde excreuit in eum ſuſpicio.

...alis Hen... nubit, ad ... lia regnū ... ru. im.

CAP. 50.

...tificū que... ...mia de ſa... ...tatū poſſeſ... ...e.

VRBANVS tum ſuccedens Lucio pontifici ortas inter eccleſiam & Imperium ſimultates cœpit agitare ſuper patrimonio dominæ Mathildis, ſuper inueſtitura pontificum, quodq́; exuuias tolleret Cæſar epiſcoporum morientium, vnde eccleſiæ miſerabiliter nudarentur: obiecitq́; quòd abbatiſſas cum conuentibus ſuis male haberet, verſis ſacræ virginitatis ſtipendiis in vſus militiæ. Hæc animoſus pontifex, magni nihilominus animi Imperatori cœpit obiectare: ſed Imperator etſi non libenter, patienter tamen audiebat, quia conſecrationem ad Imperium filij regis depoſcebat: quum in eam rem pontifex idem quod prædeceſſor obtenderat, non poſſe coronari filium, quandiu coronam non poneret pater. Inter hæc ſummus pontifex Volmarum eccleſiæ Treuerenſi præfecit. Quod audiēs Imperator indignationem expuit, manifeſtè prętendens quod diu abſconderat. Inde renouata ſunt vulnera veteris mali. Henricus rex auxerat diſſidium inter cardines orbis. Nam dum inter papam & parentem exiſſet diſſidiū in palam, quendam Italiæ epiſcopum in conſpectu ſuo agentem interrogauit à quo ſui epiſcopatus conſecrationem teneret. Ille reſpondit, A ſummo pontifice. A quo deinde inueſtituram: itidem ait ille à pontifice. Stomachatus rex iterū rogat. Tum epiſcopus, Nihil, inquit prædiorum ab regno vel Imperio teneo, neq; miniſteriales curtes neque regias dominationes. Viſa eſt regi durior reſponſio, & annuens militibus, permiſit epiſcopum (indignū facinus, & ab Decianis temporibus inauditum!) luto volutari. Interim ſchiſma renaſcitur, non in eccleſia, ſed inter ſacerdotium & regnum. Philippus Colonienſis, Conradus Moguntinus, & Volmarus Treuerenſis rem indigniſſimam rati, quòd omnium pontificum mobilia poſt mortem confiſcarentur ab Imperatore, duodecim illis epiſcopi ſubſcripſere. Inter quos Bertoldus Metenſis, quem olim electū Bremenſem papa reiecit, nec conſecrari nec confirmari paſſus: quod in Metropoli noſtra diximus. Sed (quod ibi non contigimus) contemptus & proiectus à pontifice Bertoldus, vir alioqui pontificatu dignus, ad Imperatorem ſe contulit. Ille veniētē pro ſua eruditione dignanter excipit, conſolaturq́;, & apud ſe honorificè habitum prouexit ad eccleſiam Metenſem, arbitratus illum pro tanti memoria beneficij ſibi futurū obnoxium. Sed quum Bertoldus Imperatorem quàm Deum offendere malens, archiepiſcopis inhæſit auerſatus Cæſarē, indignatus Fridericus illum expulit de ſede ſua. Pulſus Coloniā ſe contulit, & Philippus ei pręb endā ad Apoſtolos permiſit. Interim Metenſis ſedes vacua remanſit. Eadem turbatio Treuerenſem agebat. Nam Imperator Rodolphum ſuum aduerſus Volmarum conſecratū & confirmatum defendit, & exulare in ſua dioceſi cogebat legitimum pontificem.

...eſtiturarū ...idium re... ...deſcit.

...perator le... ...imus epiſco... ...moleſtus.

CAP. 51.

...erator is Colonienſi ...quium.

IMPERATOR irarum plenus tum de Italia redibat, omnes Alpiū vias obſtruens, ne quis ex Germania Romā petat. Explorare deinde voluit quid ſentiret Philippus Colonienſis, quem dudum ſuſpexit de rebellione. Euocatū ergo ſolus ſolum verbis aggreditur. Quæ ex longo, inquit, tempore nobis inceſſit familiaritas Philippe, te coram iubet exponere iniurias Romani pontificis in noſtrum Imperium. Vides quomodo Treuerenſi eccleſiæ quem voluit, tentat intrudere: Imperij iura in Italia non deſinit vendicare. Proinde æquum eſt me quoque ad ea contuenda conſurgere. De te autem

quam

quam ſim in controuerſia tali ſpem habiturus expoſco. Iam autem archiepiſcopus ille à ſummo pontifice legationis amplificationem accepit: vt quoniam aditus ad Vrbem nemini pateret, ne ſine ſolatio iuſtitiæ aut papalis gratiæ manerent eccleſiæ, permiſit papa Philippo rerum per Germaniam diſpenſationem. Id ſciens Imperator animum tamen eius pertentauit. Cui Philippus, Arbitror tibi Imperator ex longo tempore multis in rebus fidem eſſe meam exploratam, quòd iuſtitiæ tuæ nec defuerim vnquam, nec ſim aliquando defuturus. Vnum eſt quod pontifices nos grauat, confiſcatio rerum à morientibus epiſcopis: quæ vna res eccleſias nudat, & epiſcopatum ingredientes intolerabiliter premit. Hoc vno ſublato, non habemus quo Romano Imperio non fidiſſimi ſemper perſeueremus. Ad quem Imperator, Olim, inquit, Romani Imperatores de eccleſiis vacantibus omnem habuere ſollicitudinem, & inuenti ſunt illo tempore longè quàm noſtris ſeculis epiſcopatu in ſuis ſedibus digniores. Tunc enim principes longe lateq; proſpicientes, ex omni Imperio legaliores vbiq; viros præfecerunt. Nunc liberam vocatis electionem, quãdo ſuis quiſq; ſtudiis, affectibus, illum electione conatur erigere, quem ſua maximè libido depoſcit, non quem ſua merita prouehunt. Sed quoniam hoc ius placuit maioribus noſtris eccleſiis remittere, paruulas reliquias iuris inuentas poſteris relinquemus, nec patiemur minui. Ea quũ archiepiſcopus duriore fronte exciperet, ſentiens Imperator auerſum eius à ſe animum, Quandoquidem, inquit, papæ magis quàm Imperio ſubſeruis, nihil opus eſt te in cœtu quem indiximus Imperij põtificib. in Geilenhuſen adeſſe. Ille pro magno accepit remiſſionẽ, & ab Imperatore nõ ſatis Imperialis abceſſit.

Pontifices ſen ſim omnia ad ſe pertraxerint.

CAP. 52.

Imperatoris concio.

QVVM autem ventum eſſet in cœtum Imperij, vbi põtifices ac principes multi ſeculares confluxere, exurgens Imperator in medium protulit, Compertum eſſe vobis arbitror patres ac principes, quo ſit in nos animo ſummus pontifex: nec intelligimus quib. in eum demeritis ea patiamur quæ facit, etiam maiora comminatus. Nos facilè inducimur vt ſanctum illum patrem noſtrum agnoſcamus, debitumque ſummo pontifici impendamus honorem, ſi modo nos in noſtro gradu viciſſim agnoſcat. Qui ſi pergat Imperij noſtri iura minuere, confidimus veſtro conſilio & auxilio violentiæ illius contra ituros. Quod ad vos pertinet pontifices, arbitratur indignum, decimas quæ altaribus & perſonis eccleſiæ dedicatæ noſcuntur, à laicis obtineri: nec vult intelligere, olim eccleſias variis afflictionibus laborantes, à laicis perſonis defenſas, tum in beneficium remunerationis, quas abundè tenuerant decimas, in parte dimiſſas. Et quomodo indignum iudicabitur, ſi quis eccleſiæ militans eccleſiæ ſtipendiis foueatur? Illud quoque nobis velut malefactum opponit, quòd vel iubeamus vel ſinamus in rebus eccleſiæ præfecturas eſſe militares, vt laica manu eccleſiarum prædia defenſentur. Et quæ iniuria eſt, ſi quieſcentibus eccleſiarum prælatis, & ad ſola diuina miniſteria intentis, milites exeant, eorũ quieti conſulturi, præfecturis gubernantes ſubiectum eccleſiis populum, vt pareant ad ęqua omnia ſuperioribus? Et quoniam his maximè in rebus inter regnum & eccleſiam controuerſia eſt, veſtram patres deſuper ſententiam expectamus: vt ſi res (vt apparet) in maiorem excreuerit perplexitatem, quid de vobis ſentire, quidve expectare debeamus.

Tum Conradus Moguntinus archiepiſcopus in Imperij cœtu primus, omnium vice loquutus eſt in hanc ſententiam, Grauem quidem & omnium mentibus oneroſam rem in medium affert Cæſarea maieſtas, & qua nulla in perniciem eccleſiarum poſſit maior formidari. Sed quoniam principibus vtriuſque Chriſtianiſmi ſubiectionem, & Cæſari quæ Cæſaris, & Deo quæ Dei ſunt reddere ſumus debitores, nec Imperio detrahere, nec eccleſiarum iura minuere noſtræ vicis fuerit: proinde ſinat Imperialis celſitudo literis agere apud ſummum pontificem, ſi fortè ſublata de medio omni controuerſia, optata cunctis pax reuertatur. Scribantur ad ſummum pontificem ex ſententia Imperatoris literæ nomine pontificum, quibus ſinguli in concilio pręſentes imprimere bullã iubeantur. Factum eſt vt ille cenſuit. Tales verò literę quum redditę eſſent papæ Vrbano, miratur primum, quid, quum cauſam ille ſuſceperit epiſcoporũ, illi tam facilè à ſententia deciderint, Imperatori inclinantes. Sed intelligens id quod erat, præſente Imperatore non quod ſenſerant liberè ſcripſiſſe pontifices, parum ille motus literis eiuſcemodi, interim Veronam contendit, Imperatorem euocans ad audiendam eccleſiæ ſententiam. Habebat in animo excommunicationis in eum diſtringere mucronem. Quod vbi intellexere Veronenſes, papam circunſiſtunt, orantes vt ab iniuria illa Imperatoris in ſua tempe-

Papa Imperatoris poſtulata nihili facit.

ret ciuitate, non ſe, qui Imperio fidem ſeruarent, laturos vt ea afficiatur in illa vrbe nota. Motus papa ſententiā diſtulit. Sed priuſquā locum quem ad eam rem deſtinauit, attigit, reb. exceſſit humanis. Ita tum Imperator exors manebat cōminatæ excōmunicationis.

CAP. 53. ADOLPHVS interim tertius Holſatiæ comes, ad oſtium Trauenæ præſidium reformauit (quod Dani, quum rex Imperatorem inuiſeret, deiecere) introrſus ad terram firmans, quum prius ipſis in aquis conſiſteret. Ab exeuntibus verò & intrantibus vectigalia expetiuit: recuſantes autem ciues ſe comiti oppoſuere. Aliquando res verbis tracta ri cœpta, ſi ad concordiam poſſet perueniri. Quum prætenderet comes, nihil minus, aliquid etiam amplius iuris quam Henrico duci (cui perſoluiſſent vectigalia) deberi, quòd Imperiali dono & paterno nihilominus iure ciuitatem ipſe teneret: ciues replicarūt, duci tantùm ad tempus fuiſſe permiſſum teloneum, ſe nunc factos Imperiali dono liberos: ſatis eſſe comiti, quòd intra vrbem nonnulla iura poſſideret. Hac verborum viciſſitudine res in maiorem peruenit acerbitatem, quum neuter à ſuo rigore diſcederet: comes depoſceret, ciues vectigal pernegarent. Deturbauit inde comes paſcuis, nemoribus, agris ciues, quòd ſui iuris omnia faceret: cepit tenuitq́; quoſdam ex ciuibus in Todeſlo vel Hamburgo. Defertur querimonia ad Imperatorem. Ille euocatis partibus componit inter eas controuerſiam in hunc modum, vt ciues comiti pro redimendo teloneo perſoluant trecentas argenti marchas, proq́; paſcuis & vſu fluminis à mari in Todeſlo, ducentas argenti marchas. Eaq́; Imperator datis deſuper literis communiuit, ne quis in perpetuum eam concordiam poſſit conuellere.

Adolphi in ſuos inſolens dominatio.

Controuerſia inter Imperatorem & Danum.

Inceſſit per ea tempora inter Imperatorem & regem Daniæ Kanutum noua controuerſia ſuper dote germanæ regis, quæ iam apud Imperatorem manens vni filiorum eius erat deſpōſata, necdum thoro iuncta. Sed rex Daniæ non ſatis æquo ferebat animo, dotis ante peractas nuptias expetitionem. Qua de re quum ex aliis quoque cauſis obliquo eſſet in Imperatorē animo, dotem iam nunc dare recuſauit. Imperator hoc intelligens, ſororem illi ſuam quo illam accepit apparatu remiſit. Quod Kanutus grauiter ferens, manifeſtas deinde inimicitias aduerſus Imperatorem cœpit exercere, ita vt omnem terram Wagriorum, Holſatorum, Stormariorum, Polaborum, vſque ad Albim ſui eſſe iuris diceret, eamque repetere contenderet, perq́; Wandalos, quos ſibi aſtrinxit, crebris incurſionib. vaſtauit. Eiſdem de cauſis mater regis, quæ Ludouico prouinciali Turingiæ poſt regem Waldemarum nupta erat, repudiata, & ad terram natiuitatis ſuæ ſine honore reuerſa, conqueſta eſt de multis in ſe mariti iniuriis. Vnde rex magis ac magis inſtimulatus, iuſtam ſe in Theutonicos belli cauſam habere arbitratur. Sed quum Thietmarſia archiepiſcopo Bremenſi Hartwico ſecundo (qui nuper illam ab Adolpho certis pactionibus recepit) non ſatis pareret, archiepiſcopus magno inſtructus exercitu, terram ingreditur: & peracta multa frugum atque domorum conculcatione, ad deditionem populum infrenem coegit. Illi autem infinitam pecuniam expromittentes, libertatem ſuam ære redemerunt. Quumque archiepiſcopus reducto exercitu rem bene pacatam arbitraretur, magna inde eccleſiæ ſuæ incidit calamitas. Nam quum Adolphus de Holſatia atque Scowenborg comes, & item de Oldenborg, cum multis aliis nobilibus, militiæ ſtipendium ex archiepiſcopo depoſcerent, nec haberet ille quod redderet, omnibus iam in eam expeditionem impēſis, nec Thietmarſi expromiſſam ſummam perſoluerent, cogitur à miniſterialibus ſuis redditus epiſcopales per triennium abiurare, vt ex illis æra ſoluantur aliena: ille verò de cathedratico & eccleſiarum conſecrationibus tenuiter victitabat. Thietmarſi quum promiſſam pecuniam exoluere nec poſſent nec vellent, ad Waldemarum Sleſwici epiſcopum ſe contulerunt, æquè ſancto Petro (vt aſſerebant) ſeruituri, qui & Sleſwico & Bremæ præſidet patronus: perinde Danicæ coronæ iuncti. Erat hic epiſcopus filius Kanuti regis, quem Zueno rex (vt in Dania diximus) in conuiuio oppreſſit, Waldemaro, qui pòſt regnauit, grauiter tum vulnerato. Dati à Thietmarſis epiſcopo obſides, vt certa fide permanerent: & iuncti ſunt regno Daniæ vſque ad diem pugnæ in Bornehouede, quum tranſfugerent denuo ad comitem.

Archiepiſcopus armis populum parere cogit.

LIBRI SEXTI FINIS.

ALBERTI KRANTZII SAXONIAE LIB. VII.

Cap. I.

Expeditio ad Hieroſolymā recipiendam.

INTEREA quum triſtis rumor de capta rurſus Hieroſolyma & declinatione rerum Aſiaticarum, Germaniam & omnes Chriſtianas prouincias repleuiſſet, Imperator conuocans Moguntiam Imperij cœtum, ſe crucis charactere inſigniuit, & cum eo Fridericus filius eius dux Suæuiæ, multi archiepiſcopi, plures epiſcopi, dux Bohemiæ, dux Auſtriæ, & ſine numero nobiles & magnates: ita vt computarentur in exercitu Imperatoris ſexcenta millia pugnatorum. Crucis autem legatus à papa Clemente erat Henricus cardinalis epiſcopus Albanenſis. Erat autē annus octuageſimus nonus poſt mille ac centum. Priuſquam tamen Imperator abiret, 1189. res in Germania pacare contendit, euocato Henrico Leone, qui iampridē expleto peregrinationis in Angliam tempore redibat Brunſwicum. Ibi enim locum inuenerat ſinente Imperatore, quòd eſſet peculium eius, à matre, Lotharij Imperatoris filia proueniens. Euocatus ab Imperatore non cōtempſit iuſſionē. Euocatur & Bernhardus iam titulum Saxoniæ præferens: qui quum illo de poſſeſſione Saxoniæ luctaretur, pacem inter eos quibuſdam conditionibus reformare tentauit, data Henrico trium optione, vt aut parte rerum contentus conquieſceret, aut in expeditionē cum Imperatore, non ſuis ſed Imperatoris ſumptib. iret: aut omnino ad illius reditum cōquieſceret. Henricus prælegit omnino ſe continere ad tempus, quàm vel ire quò nollet, vel honore priſtino vlla de parte priuari pateretur. Igitur cum infinita illa multitudine mouens Imperator, multos pręire, multos ſequi iuſſos, alios etiam diuerſo itinere gradientes, conſtituto iuſſit conuenire loco. Inerant pro multitudine mortaliū in agmine incommoda multa. Tranſiit Imperator per Auſtriam in Vngariā, inde in Bulgariam. Apud Conſtantinopolim hæſitatū pro diffidentia Græcorū. Nam quos Imperator præmiſerat, epiſcopū Monaſterienſem & comitem de Naſſow, Græculus rex diu detinuit captos, donec malis vaſtationū incommodis coactus remitteret, daretq́; tranſitum incolumē, prębens etiam nauigia ad traictū.

Imperator Græcus Latinis iniquus.

Sed aliquot deinde maioribus incōmodis ex commeatuum defectib. perpeſſis, hoſtem habuere in conſpectu: nam Turcia magna (hoc eſt Aſia minore) conſtiterunt. Pugnatū eſt ad profligationem Turcorum. Inde peruentū eſt in Armeniam, vbi collocatis ad amnē caſtris Imperator meridianos æſtus aquę refrigerio lenire cogitans, inexplorato ingreditur, infœlicemq́; inuenit exitū, & tanto principe nimis indignū. Nam dum amnem non latum ſed inter montes vorticoſum cōtemnit, nec ſatis exploratū ingreditur, arbitratus natando facilè in alteram ripam peruenire, vi fluminis abripitur: & priuſquā poſſit ſubueniri, oculis omnium aufertur in profundū. Stabat mœſtus in ripa exercitus, & quid facerent neſcientes, ſtupefiunt inexpectato magni principis caſu. Alij memorāt, ab æſtu diei & laboris quum arma poſuiſſet & veſtes, amnem in ſuperficie à ſole tepidum, ſed in imo frigidiſſimum, quum tetigiſſet Imperator, obriguiſſe ſubita mutatione mēbra, & (quod Alexandro ferunt obtigiſſe) penè emortuum in manib. Imperatorem. Tum verò ſubitò aquis extractum paulum reſpiraſſe, dicentē, Benedictus Deus qui me per aquā regenerauit: ſi per aquā me de mundo vocat, queri non poſſum: & paulo pòſt quum æthera ſuſpexiſſet, fudiſſe ſpiritū. Hic erat finis Friderici Imperatoris, qui per annos vno minus quinquaginta Romanum tenens Imperium, multis laborib. ſeipſum ac regni principes cum ſubditis implicuit. Sed tum filius Fridericus vt poterat mœſtum conſolatus exercitum, curam excepit ductandi, perueniens cum agmine tanto in terram ſanctam. Illius autem expeditionis exitum non proſequor (quòd recēti opere Sebaſtiani Brant, omnis illa terræ ſanctæ iactatio eleganter explicata eſt) contentus in præſentia Saxonicarū, & quæ illis hærent rerum commemoratione. Huius tamē Friderici res paulo latius ſum exequutus, q̄ non eadē rerum fide per Italos recenſentur, qua ab illis qui rebus interfuere geſtis.

Imperatoris in Aſia mors.

Cap. 2.

DVM autem Fridericus Imperator in expeditionem iret, cœperunt in Saxonia fieri commotiones non paruæ. Nam quum Adolphus comes Holſatiæ Imperatorē in longinquam peregrinationem ſequeretur, Hartwicus Bremenſis archiepiſcopus, iam (vt diximus) in contemptu ſuorum agens, Henrico Leoni reddidit comitatū Stadenſem, vt

Thietmarſos, qui ſe iam Danis coniunxerant, aliquando eius conſilio & auxilio ad ecclesiæ iura reuocaret. Quumq; Henricus in Stadio moraretur, adiere illum primores Holſatiæ, illi gratulantes de reditu. Ille loquutus familiariter eiſdem, magna illos ſpe erexit, ſi operam impenderent, ſe in Holſatiam reducere. Mouebat illos magna olim principis fortuna, perq; illum magnos ſe futuros ſperantes, dedita opera Hamburgo, Itzeho, Plone, eiectis iis quos cuſtodes comes præfecerat, duci aperuerunt. Adolphus autem de Daſſe, qui pro affine ſuo terram regebat abſentis, & mater Adolphi cum coniuge Lubicam pro ſua ſecuritate ſunt ingreſſi. Henricus Leo, quum ſe illi denuo fortuna aperiret, & iam tenuerit Holſatiam, inde arma quanta potuit maxima contraxit. Acceſſerunt illi Bernhardus de Racebugo, Bernhardus de Welpe, Helmoldus de Zwerino comites, & alij amici eius: inter quos crediderim generi ſui Kanuti regis Danorum arma nō defuiſſe. Primam aggreditur Bardewici vrbem recuperare. Sed pertinacius illis repugnantibus (nam inerat validum præſidium, quòd vrbem pro Bernhardo duce tueretur) creuit obſidionis labor, & interuenere pugnantium inuicem (vt fit) contumeliis plena verba &
1188. facta, vt ferunt, probroſa, pro alterno contemptu. Quæ res ducem exaſperauit: indeq; factum eſt vt dum fortius oppugnaretur quàm defenderetur, vrbs ipſa die apoſtolorum Simonis & Iudæ caperetur, anno octogeſimo octauo poſt mille centum, & direptioni militum permittitur. Sæuiit gladius: qui ſupererant cædi, capiuntur milites atque ciues. Poſt gladium ignis hoſticus deſæuit, ita vt ex illo die non reſurgeret vrbs ſemel euerſa, illa illa præclara, & quæ memoriam antiquiſſimam fertur habuiſſe. Saxa & lapides inde deuehuntur, viciniſq; vrbibus incrementum præbuerunt. Nam quum à mari Lubica, ad auſtrum Luneburgum increſcerent, Hamburgum quoque nonnihil inde ſenſit incrementi: quum interim Bardewicum euaneſceret. Bardorum olim dixere vicum. Ego fundatorem eius Bardonem veteri Saxonum nomine arbitror appellatum, inde nomē remanſiſſe, Bardewico: quomodo ex Brunone Brunſwico. Nam Bardos non vnā quandam gentem, ſed generaliter omnem indiſciplinatum & barbarum vocant populum. Prima ergo expeditione proſperatus in euerſione huius vrbis, conuertit agmen ad Lubicam, illam quoque oppugnaturus, & (ſi pertinacia mereretur) etiam euerſurus. Ciues autem euentum Bardewici veriti, mittunt obuiam duci, qui cum illo paciſcantur, ciuitatē manibus eius permittant, ſi modo Adolphus de Daſſe cum vxore & matre peregrinantis Adolphi, rebus omnibus ſuis ſaluis exire ſinantur. Probauit Leo pactum, & recepta ciuitate mouit in Louenborg, arcem ducis Bernhardi, inſtauratam poſt primam expugnationem Adolphi & cæterorum (vt diximus) comitum, iam nunc Bernhardi ducis dominio ſubiectam: & magna inſtantia per menſem oppugnatam, deditam accepit. Pacti tamen qui inerant, vt cum armis & rebus ſalui abirent. Iam omnis Holſatia erat in manu Henrici, præter arcem Zegeberge, quam fideles Adolphi aſſeruabant. Eam iuſſit oppugnari per Walterum de Blandenſile copiarum præfectum, iunctis Holſatis: qui vnà cum illo arcis fecere obſidionem, ſed non ex animo: pœnitebat iam eos tranſitionis, maluerunt que comitem ſequi quàm Henricum Leonem. Eggo Stuer vir potens, & qui Adolphi partes tueretur, obſidentibus ſuperuenit, & magno impetu in illos fertur. Turbauit facilè quietos: inſectatur fugientes trepidos, & inter alios Walterum hoſtium ductorem capit. Captus autem arcē cœpit inſidere, quam venit oppugnare: nec quieſcebat Adolphus de Daſſe, quin expedita ſuorum manu Lubicam & omnia quæ Henrico parebant infeſtaret. Henricus autem aſpirante vere, validam ſuorum manum miſit in hoſtes. Præerant copiis eius Bernhardus de Raceburgo, Helmoldus de Zwerino comites, & Iordanus dapifer: qui egreſſi Lubicam, non longè à Trauena obuios hoſtes habuere. Ibi collata manu fortiter pugnatur: ſed Adolphi fortuna præualuit. Captus Helmoldus, captus Iordanus, Bernhardus vix fuga elabitur: multi præterea in flumine merſi perierunt. Captiui in arcem Zegeberge pertrahuntur: ſed non longè pòſt ingenti pecunia perſoluta laxantur. Dapifer, quòd locupletiſſimus eſſet, ſexcentas: Helmoldus comes trecentas argenti marchas perſoluentes, in ſua dimittuntur.

AP. 3. REX interim Henricus Friderici Imperatoris filius, audito quòd Henricus egreſſus in Saxonia tumultuaretur, præcipuè indignatus quòd terram Adolphi comitis, qui cum patre ſuo ſanctam iniſſet expeditionem, accepiſſet, concitus mouit in Saxoniam: Brunſwicum oppugnare conatus, ſed per brumā retardatus nō profecit. Inde verò, quum alia quoq;

quoque Henrici præſidia pertentaſſet, nec proficeret, conuerſo agmine redibat in Sueuiam: Hartwicum tamen archiepiſcopum, quòd malorum incenſor diceretur, iuſſit ſede ſua proturbari, accedente Bremenſium in eum accuſatione. Ille vero à facie eorum ſe contulit in Angliam: ibiq; per annum cōmoratus, quū rediret, Henrico Leoni ſe dedit tutandū. Henricus tamen Leo interuenientibus Conrado Moguntino & Philippo Colonienſi archiepiſcopis, ad gratiam regis cōtendit, indixitq; illi rex curiam in Fulda. Quò quum perueniſſet Leo, interuentu dictorū pontificum in has conditiones pacem accepit, vt Brunſwici muros quatuor in partibus deponeret, Adolpho Holſatiam ſuam redderet, arcem Louenborg dirueret, Lubicam pro dimidia teneret, & alteram Adolpho partem reſeruaret. Et vt firmata pax ſolida haberetur, filium Ludgerum Henricus daret regi obſidem: qui non poſt multos dies Auguſtæ vitam finiuit. Henricus autē maior natu filiorū Leonis regem comitatur in Italiā, vrbem Romam & in Apuliam, quinquaginta ſtipatus militibus. Henricus tamen Leo ex pactis conditionibus nullā impleuit, ſperans præſentem regi filiū facilè iram eius leniturum. Inde rex Romā petit conſecrandus, quū interim mortuo Clementi Celeſtinus ſurrogatur: qui vt Imperatoris cōſecratio minus properaretur, ſuam ipſe diſtulit. Romani tamen exeuntes ad regem hac vſi ſunt oratione, Si rex inuictiſſime Romanum ſenatum agnoueris, Vrbem noſtram, imò tuā, exornaueris ex antiquo debitis cultibus, inſuper ſi latrocinantes tuos ex Tuſculano retraxeris, apud pontificem agemus vt omnia tua ex illo vota proſperentur. Ille mox præſidiū Tuſculani abſtulit, & Romanos bene ſperare de ſe iuſſit, ſuper omnibus quæ ad decus & ornamentum Vrbis pertinerent: vrbis Romæ decora ad neminē magis quàm ad ſe ſpectare. Romani adito pontifice, cœperunt obtendere regis potentiam, omnia ſua in agris vaſtari, rapinis & incendiis patere: imminere Vrbi & ipſi pontifici, ni reſipiſceret, non vulgare periculum. Flexus pontifex nihil diſtulit, quo minus à Romanis cum ingenti honore introductum regem ipſo ſacratiſſimo die Paſchæ cum regina Imperiali diademate donatos ex more conſecrauit. Interea moritur Wilhelmus Siciliæ rex, Conſtantiæ Imperatricis germanus. Tancredus autem quidam, cui moriens & theſauros & coronam Henrico Imperatori deferendos mandauit, ipſe ſibi regnum conatus eſt arripere. Sed iam Imperator Henricus copias ſuas adauctas Italorum armis perduxit in Apuliam, vi accepturus quod iure negabatur. Pontifex autem Tancredo fauere videbatur. Venit in montem Caſſium, & adorauit ad cineres diui Benedicti. In radice eius montis apud ſanctum Germanum, Henricus Leonis filius ſe retrahens, Romam repetiuit, & per aquas delapſus, vbi continentem attigit, concitus redibat ad patrem. Peruenit Imperator cum exercitu Neapolim, ibi occluſas portas & rebellionem primùm ſenſit. Munitiſſima ciuitas erat, patebat maris aditus: obſidio contemptui eſt habita. Acceſſere æſtus maligni, & aer noxius Italiæ multos fecit laborare. Mortuus eſt ibi Philippus Colonienſis archiepiſcopus, & in eccleſiam ſuam relatus, & Otto dux Bohemiæ periit (in quibus erat robur exercitus) multi præterea nobiles, & vulgus militum ſine numero perierunt. Imperator ipſe deſperabili cœpit morbo vexari, & remeans in Germaniam rem tum finit inexpletam. Imperatrix in manus hoſtium peruenit: ſed tamen non diu pòſt cum honore remittitur. Iam Tancredo res proſperæ erant: nam quæ antè Henrico parebant, tum ſe illi permiſerunt.

Pax inter H[…] ricū & Ad[…] phum comp[…] nitur.

Rex in Imp[…] ratorem R[…] mæ corona[…] tur.

Tancredus r[…] gnū fides ſ[…] creditum occ[…] pat.

CAP. 4.

ADOLPHVS Holſatiæ & Scowenborg comes, in peregrinatione terræ ſanctæ poſitus, ex recentioribus aduenis cognouit apud Tyrum, terram ſuam ab Henrico Leone occupatam: & conſilio vſus prudentiorum redibat in patriam. In Suæuia autem conueniens Imperatorem, ab illo conſolationem plurimam accepit, & munera pro donantis magnificentia retulit non parua. Contendens autē in Scowenborg, vidit omnes in Holſatiam ſibi aditus intercluſos. Nam Stadium, Louenborg, Boitzenborg Henricus tenebat: Wandaliam Burewinus Henrici gener ſeruabat. Cōtulit ergo ſe ad Bernhardū & Ottonē marchionē fratrem eius. Erat autem annus circiter nonageſimus ſecundus. Hi Adolphū manu valida in Erteneborg perduxerunt. Quem in locū occurrens Adolphus de Daſle affinis eius, cum quantis potuit viribus eū excepit. Aderant mater & coniunx, & lætū lęti excepere. Bernhardus quoq; iunior de Raceburgo, quē nuper apoſtolica diſpenſatione Hēricus à clericatu extractū (quòd patri vnicus eſſet) militiæ reddidit, exoſus Leonē, deſerensq; patrē, Adolpho ſe coniunxit redeunti. Dux ergo Bernhardus

1192.

Henricus A[…] dolphi diti[…] nes infeſtat.

quum reſtituiſſet Adolphum, ſimul cum fratre marchione redeunt in ſua: commeatus tamen quos adduxerant, Adolpho relinquunt. Prima expeditione Adolphus Lubicam obſidione vallauit: hinc Adolphus, inde Bernhardus ſua caſtra ſunt metati, vterq; in ſua terra conſiſtens. Inerat vrbi Henrici Leonis præſidium: cui præfectus erat Luthardus de Bergen, vir impiger. Sed quũ aditus & exitus per flumen eſſet in vrbem, cōtempta eſt obſidio. Adolphus multo labore trabibus & ſudibus immiſſis, fluuium fecit immeabilem. Interea quum ſui obſidionem ſeruarent, ille ſe contulit ad Danorum regem Kanutum, gratias agens, quòd per abſentiam ſuam ſolidam illi pacem cōſeruaſſet: quamuis nō ignoraret Waldemarū regis fratrem cum Waldemaro Sleſwickcenſi epiſcopo nuper terram eius ingreſſos, accepiſſe obſides ab Adolpho de Daſle, præſertim quòd terram Thietmarſiæ nunc regno ſubditam non tangeret. Itaque rege ſalutato redibat ad exercitum. Inter hæc Henricus Leo copiis coactis per manum Conradi Rothen, quem Stadio præfecerat, vnà cum Bernhardo ſeniore, comite de Raceburgo, ab Albi mouens ſuperuenit obſidenti iuniori Bernhardo: & exterruit obſidentes improuiſa irruptio. Vnde factum eſt vt iunior Bernhardus cum ſuis magis in fugam quàm pugnam reſpiceret: & ſeſe recepit in Raceburgum. Exeuntes ciues Lubicenſes intulerūt vrbi commeatus & arma, & quæcunque fugientes reliquiſſent, & ſecum introduxere agmen venientium propugnatorum. Proxima autem luce iidem egreſſi in Holſatiam, illam quoque obſidentium partem ſperabant improuiſo adoriri: ſed paratiores ac ſperauerant, inuenere. Igitur occupato vado quod erat in Zwartow, venientes excepere: & licet pauciores eſſent numero, virtute tamen præſtare ſunt inuenti Holſati. Nam cōmiſſa pugna, ducales in ciuitatem ſunt repulſi. Bernhardus autem iunior, auctus viribus redibat ad obſidionem in partem auſtralem, paratus excipere ſi erumperent. Sed qui intus pridem venerāt, ne oneri etiam obſeſſis eſſent, ad aquilonem nocte egreſſi, quum inter medios eſſet lacus Wokeniſſe, ita redire contendebant in terram pacatam. Quod vbi compertum habuit iunior Bernhardus, ſciens vbi exeundum illis eſſet, magnis eò contendit itineribus, & præueniens illis ſe oppoſuit in Wittenborg ad ripam fluminis Albis: initoque conflictu ex his capit, quorum magna erat pars ciuium Stadenſium, & ex eo comitatu. Audiens Adolphus, quem iam infirmitas corporis male affeciſſet, lætos ſuorum ſucceſſus, recreatus eſt: & à militibus redemptos ciues Stadenſes remiſit in patriam, expromittentes ſummum illi ſtudium ad oppidum ab Henrici manibus recuperandum cum exercitu. Parauit Adolphus exercitum in Hamburgo, & traiecit in inſulam quę dicitur Gorgeſwerder, ibique manens aditur à Stadenſibus, nec omnino conuenerat inter eos ſuper poſtulatis. Comes comparatis copiis eas tranſpoſuit in vlteriorem ripam Zwingæ fluminis: Kedingam vocant terram. Ibi incendio graſſatur, & rumor in Stadio percrebuit veniſſe comitem ad euertendam vrbem, illũ eſſe qui captos nuper ciues gratis relaxauerit: plurimum ex eo ſperari poſſe fauorem, ex Leone nullam defenſionem. Cur calamitati nuper in acie cæſorū plurimam expectent exaggerari cladem? Comiti deliberant permittere oppidū. Id quum reſciſſet Conradus de Rothe, equos ſterni iubet, diſſimulans conſiliū: & ſpecie aliena prætenſa cōmendat ciuibus vrbem, irrediturus abiens. Comes ciuiū voluntate oppidū ingreditur, nec diſtulere arcis cuſtodes, quin & ipſi pacti incolumitatē & muliebrem ſuppellectilē, arcem tradiderunt. Permiſit autem comes vxorē Conradi præfecti cū omni ſupellectili abire ſecuram, pro loricis virorum efferentem cumulos theſaurorū. Qui verò Luneburgi erāt in præſidio, excurſionibus crebris fatigabant comitatum Stadenſem iam comiti parentem.

...nica obſi-
...tur.

...obſidiariorū ...mentu libe-...tur.

...dolphus Sta-...ſes capti-...s ſibi deme-...tur.

CAP. 5.

INTEREA ciues Lubicenſes, obſidione continuata laborantes inedia, quum audirent proſperari Stadio comitem, animis angebantur, incerti quid facerent. Alij Danorum regi permittendam vrbem putauerunt, quòd regnis carere non poſſent, & eius protectione ſecuri viderentur. Aliis contraria mens erat, arbitrantibus, ſi hoc facerent, Imperiali banno ſupponendos, nunquam egredi poſſe pro mercaturis. Quocirca Ottoni marchioni tanquam Imperij vicario ſe ſubmittendos putabant. Adolphus vbi hanc fluctuationem animorum accepit, magis vrgebat obſeſſos, perpulitque vt ſibi dederent ciuitatem, pacti vt liberi abirent qui ducis nomine ineſſent. Recepta vrbe ad Imperatorem Henricum Adolphus ire contendit: qui Imperiali decreto omnes ab vrbe prouentus illi confirmauit. Bernhardus autem dux quum videret proſperè agere comitem amicum,

...dolphus Lu-...am recepit.

amicum,fortiter & ipſe agere conſtituit, vt arcem à ſe fundatam Louenborg recuperaret. Et vere primo eduxit exercitum, obſidens arcem, & vehementer oppugnans: ſed quum expugnare facilè non poſſet, fame conſtituit affligere continuata circumſeſſione. Iam fame laborabant,& expectabat ſecurior dux deditionem, & per incuriam paſſus eſt delabi ab exercitu quoſcunque volentes, cum paucis remanens ad obſidionem. Interea Henricus Leo immiſit clam expeditos milites per Albim ſub manu Helmoldi de Zwerino, & Bernhardi de Welpe comitum: vt aut eſcas importarent obſeſſis, aut collata manu ſoluerent obſidionem. Tranſierant primo diluculo fluuium, & ſecuritas ducis fecit vt non aduerterentur: donec multiplicati vim intulerunt obſidentibus, nec potuit par eſſe imparatus præparatis ad pugnam: fugatuſque eſt dux Bernhardus,& ſoluta eſt obſidio. Sed res comitis Adolphi vſque in hanc diem proſperas labefactauit fauor quem impendiſſe videbatur Waldemaro Sleſwickcẽſi epiſcopo, rebellionem molienti regi Kanuto pro corona Daniæ, ad quam ſe tam natum eſſe contendit epiſcopus quàm ipſum Kanutum: qui quũ eſſet Waldemari nouiſſimè regnantis filius, ipſe Waldemarus epiſcopus patrem habuit Kanutum æquè regem, qui cum Zwenone in conuiuio cecidit: quod in Dania noſtra diximus. Faciebat animos epiſcopo ad rebellionẽ moliendam amicorum de Norwagia promptus animus. Itaque & Adolphus illi inhæſit,placens perinde Imperatori,qui regi Daniæ iã male volebat,pro inuaſa nuper Wandalia,& recuſata Imperio ſubiectione. Igitur Ottonem marchionem comes traxit in communionem belli: qui veniens cum expeditis in Holſatiam, copiis regem demorabatur (vt ſperabat) egreſſurum: & quum ille diu expectatus non veniret,copias ille ſuas faſtidio & ſumptibus victus reduxit. Adolphus autem vt ſe oſtentaret Waldemaro epiſcopo,cum quantis potuit viribus Eydorã tranſgreſſus populatur ea quæ regis ſunt: quæ fuit illi rerum ſuarum omnium vera ſubuerſio. Nam dum ille hoſtilia exercet in regem, Waldemarus epiſcopus, cui ille ſeruiebat, circumuenitur ab iis qui illi rectè conſulere putabantur: ponitq; rebellionem nihil admonito comite,& ſe in gratiam confert regis, oblitus belli ſocium. Trahitur perinde epiſcopus in carcerem,& cõpedibus & manicis ferreis vincitur. Hac fretus in Adolphũ indignatiõe rex,ſimul vt Henrico Leoni ſocero ſuo ferret ſuppetias,mouit in Holſatiam. Sed comes longè imparem ſe regi ſentiens, quũ amici & auxiliares abeſſent,ſubmiſſis oratoribus regem placare conſtituit: & conuenit tum vt comes, ad compenſanda quæ irrogauit damna, mille quadringentas denariorum marchas regi perſolueret. Itaque placatus rex reduxit exercitum.

Henricus ſuis obſeſſis ſubſidium mittit.

Epiſcopus regnũ affectat.

Adolpho rerũ ſecũdus ſtatus immutatur.

Cap. 6.

Henricvs autem Leo quum ad recuperationem priſtini honoris fruſtra niteretur,ſciens non niſi Imperatoris manu tantum vulnus (quod Cæſareus gladius fecit) poſſe mederi, filiũ æquiuocum Henricum iterum ſubmiſit, qui curiam ſequeretur Imperatoris,& obſeruato tempore iram leniens, obſequiis gratiam patri recuperaret. Sed dum diu fruſtra laboraſſet, intento Imperatore ad varias regni perturbationes, alia via conatur ſe propius inſinuare Cæſari. Nam comitis Palatini,qui patruus erat Imperatoris,filiam promeruit idem Hẽricus iunior coniugẽ,quòd eſſet procero corpore, magna formæ dignitate,cui mores & ſtẽma nobilitatis reſponderẽt. Imperator has nuptias nõ multum probauit,coarguens familiarius cognatum,quòd Imperij hoſtem tanta ſibi affinitate deuinciret. Sed quia legitimum vinculum ſolui non poterat, Henricus hac via interueniente ſocero cœpit Imperatori fieri commendatior. Imminebat tum grandis illa in Apuliam repetita expeditio: erat autem annus nonageſimus quintus. In qua expeditione talem ac tantum ſe præbuit iunior Henricus, vt Imperatoris largitione,omnẽ ſoceri ſui dignitatem (hoc eſt Palatinũ comitatũ) promeruerit. Noua perinde lux in Saxonia oriri viſa eſt,quum omnes arrectis auribus primã ſenioris Henrici gloriam per filium reſtituendã expectarent: bellum enim quod fuit hactenus per Saxoniã infeſtiſſimum,tũ conquieuit. Senior autẽ Henricus iam vicina morte totus ad religionẽ verſus, eccleſias in Brunſwico cum ſuo palatio exornauit. Imperator in Apuliam progreſſus eſt proſperè agens. Nam mortuo Tancredo regni detentore, ſine controuerſia admittitur a proceribus,& regni poſſeſſionem ingreditur. Reperit theſauros abſconditos,& ſupellectilẽ ex auro,argentoq; ſplendidiſſimam, reliquias veterum Normannorum, qui regnum illud (quod in Norwagia oſtendimus) fundauerunt. Iam Imperatori natus erat filius Fridericus ex Conſtantia Imperatrice, vt fama ſuſcepit. Rediens autem Imperator

1195.

Imperator Siciliæ regnum obtinet.

in Germaniam, reliquit in regno coniugem ad confirmandos vacillantes & in fide continendos. Ipſa verò per anum quandam, quæ fuit occultorum in aula cognitrix ſagaciſſima, reperit theſauros magnos Rogerij regis, & mittens poſt Imperatorem celerē nuncium, quid illi de inuentis perplaceret conſultauit. Imperator, vt erat princeps animo liberrimus, remādauit, de theſauris quod ſibi videretur faceret, modò regno conſuleret, & in fide proceres contineret. Illa magnificè pro cuiuſq; dignitate munera diſtribuit, vt ſibi faceret deuinctiores. Inter hæc captus eſt filius Tancredi cum matre vidua & ſorore: capta quoque Imperatoris Conſtantinopolitani filia, eidem adoleſcenti deſponſata: quam poſtea duxit Philippus Imperator Henrici & germanus & ſucceſſor.

CAP. 7. QVVM autem per hæc tempora Hartwicus archiepiſcopus Bremenſis ad eccleſiam ſuam (à qua exulauit) Imperatoris gratiam conſequutus rediſſet, quum tamē multa clerus & populus in eius deſtitutione apud ſummum pontificem & Imperatorem laboraſſent, iamque Bremenſes in Waldemarum epiſcopū Sleſwickcenſem adhuc vinctum reſpexiſſent, non tamen prævaluit molitio eorum, quominus Hartwicus diutinam ſeruans patientiam finaliter in gratiam Imperatoris reuerſus, ad eccleſiam ſuam eſt reſtitutus. Ciues tamen qui Imperatoris iam dudum habuere mandatum de retinendis archiepiſcopi redditibus, non facilè credidere redeunti quòd Cæſaream gratiam recuperaſſet, quàm diu nullas cernerent literas priſtinæ iuſſionis vinculum relaxantes: quamuis pro ipſo faceret aſſertio Adolphi Colonienſis archiepiſcopi, qui hoc literis & nunciis teſtificaretur. Sed quod non libenter factum audimus, difficulter credimus. Adolphus comes, qui iam comitatum Stadenſem (vt diximus) tenuit, Bremam proficiſcitur, congratulaturus archiepiſcopo, ſi vera via niteretur: alioqui illi obſtiturus. Vbi venit, accepit eum Imperatoris voluntate, amicorum ope, illam ad eccleſiam rediſſe. Vnde factum eſt, vt comes Imperatori gratificans, apud ciues effecit, vt rerum illi eccleſiaſticarum permitterent adminiſtrationem, de redditibus autem ſub interdicto & firma Cæſaris conſtitutis nihil agere ſinerent. Adolphum autem archiepiſcopus, qui hoc egrè ferret, in faciem duriſſimè coarguit tanquam inuaſorem rerum eccleſiæ, quòd multa tenere diceretur quæ eſſent eccleſiaſtici iuris: eumque monuit vt redderet: ni faceret, excōmunicauit. Adolphus ſedē apoſtolicam appellauit. Archiepiſcopus congregato ſuorum concilio deliberauit quid faceret, & placuit vt non modò in cathedrali ſede, ſed in omni dioceſi diuina interdicēs ſuſpenderet. Comes interea Adolphus irarum plenus, quòd excommunicationis gladio immeritus feriretur, præſertim interpoſita appellatione legitima (& ideo qui fauebant, cum illo communicabant, parte altera contendente, non illo ſolo capite illi interdictum, ſuper quo prouocarit, ſed aliis ex cauſis innodatum cenſuris, quod comes non fatebatur) coarguens ingratitudinem epiſcopi & ſuorum, quòd ille comitatum Thietmarſorum pridem rebellantem eccleſiæ redintegraſſet, his nunc rebus male pro obſequio remunerari. Pertæſum eſt aliquando ciuitati diuturni interdicti, quòd mortuorum corpora inſepulta ciuitatem inficere viderentur. Relaxatum eſt ea in ſorte, vt in maiori eccleſia eccleſiaſticum officium perageretur, in cæteris maneret ſilentium. Turbatio nimirum grandis, quando & ipſi canonici inter ſe diuiſi non vnum ſentirent, alij archiepiſcopo, alij comiti ſubſcribentes. Ciues comitis partem tutati eiiciuntur vrbe, quum cæteri dicerent proditores vrbis in ciuitate non ferendos. Valuit hæc controuerſia quandiu in Apulia aberat Imperator. Vbi ille reuerſus eſt, archiepiſcopus ſexcentis marchis munere datis gratiam plenam redemit. Comes Stadij comitatum cum tertia reddituum parte in beneficium accepit ab archiepiſcopo: & omnis illa controuerſia (quæ dudum efferbuit) conquieuit, ſolutis vinculis eccleſiaſticis.

[Margin: Archiepiſcopus excommunicatione pugnat, viribus inferior.]

[Margin: Interdicti terrifico fulmen.]

CAP. 8. QVO tempore Henricus Leo iam ætate feſſus, & qui fortunam expertus vtranque diu in terrarum orbe iactatus eſſet, plenus dierum, quum Brunſwico (vt diximus) exornandis eccleſiis & reparandis, piis vbique operibus intentus ageret, in pace quieuit, tumulatus in eccleſia ſancti Blaſij: quam ipſe ornauit, ditauit, & ſemper coluit. In ſepulchro eius leonem fuſilem conſtituerunt, vt cognomini eius (quòd Leo diceretur) reſponderent. Inde ſumpſit occaſionem fabula illa puerilis quam paucis ſuprà exufflauimus, de longa peregrinatione, quam fabulator ignorabat in terram fuiſſe ſanctam: & inde pudore depoſito, liberè effinxit de nauigatione errabunda, de conſumptis vel inedia

[Margin: Henrici mors, tumulus.]

edia vel alia occaſione ſociis, deq; duce, quum eſſet inſutus corio, per grifonem deportato: de pugna draconis & leonis, quum ille leoni faueret ad victoriam: ſequutum leonem, & ita cum belua reuerſum, principem iam incognitum. Aniles nænias contemnimus in hiſtoria, quas neque vllus commemorat authorum, neque vllam habent veri ſimilitudinem. Abeant in tenebras & obliuionem. In idem tempus incidit obitus Bernonis Zwerinenſis primi epiſcopi: nam præceſſores eius Magnopolitani dicebantur. Vir erat religionis & amantiſſimus & obſeruantiſſimus, & qui per omnia fere tempora Henrici multum in conuerſione Wandalorum laboraſſet. Sæpe contumeliis pro Chriſto affectus, periculis multis examinatus, pulſus, cæſus, exhonoratus: in quibus omnibus triumphabat, gaudens quòd dignus haberetur pro nomine Chriſti illa ſuſtinere. Par inſigne virorum, qui & temporis perpetuo tractu & laborum varietate pro nomine Chriſti memorabiliter diu in eccleſia deſudarunt. Annum fuiſſe nonageſimum ſeptimum tum nonnulli, alij quintum fuiſſe contendunt, poſt centum atque mille, quum in fata concederent, ad meliora tranſlati. Henricus autem pro inſigni quam aliquando geſtabat gloria, & pro exquiſitis in ſeculo rebus geſtis, cum Salomone de vniuerſo ſuo labore (quo ſub ſole laborauit) nihil eſt in terris conſequutus niſi memorabilem ſepulturam, & memoriam cum laude boni nominis ſempiternam.

Vtinā nimis multa cōſimiles eodem abſ rent.

1197.

Cap. 9.

Dʀᴠ nos Fridericus Imperator & Henricus Leo, principes omni æuo memorabiles, genere Saxones, memorando tenuerunt, quòd rarò pares rebus geſtis ea natio protulit, quodque res ab illis exantlatæ non ſatis fideliter ab Italicis ſcriptoribus percenſeantur. Nunc Henrici Imperatoris eo nomine vɪ. res exequamur. Quum res Chriſtiana iamdudum in Aſia labefactata deflueret, capta rurſus à Saracenis Ieroſolyma, Celeſtinus papa inſtitit, miſſis in orbem Chriſtianum legatis de latere, excitauitque Imperatorem Henricum, vt apud Argentinam ſuſciperet crucem. Idem fecere Henricus Palatinus Rheni, Leonis filius, Otto marchio Brandenburgenſis (ſed ille apoſtolica poſtm odum voti cōmutatione domi ſubſtitit) Hermannus de Turingia Lantgrauius, Walmarus de Limburg, Adolphus de Holſatia, & Scowenborg comes: dux Auſtriæ, Hartwicus Bremenſis archiepiſcopus, Rodolphus Verdenſis: quadringenti præterea ciues de Lubica triumphale crucis ſignum ſequuti, in eam ſe miliriam accinxere. Sed quum Imperator ingreſſus in Apuliam, iam ante omnia per Conradum cancellarium parari iuſſiſſet aurum, commeatus, naues, milites, perplexitarem eam reperit in regno, quæ perſonam eius à peregrinatione diſtineret. Delatum ferunt Imperatori quòd Conſtantia regina, etſi in ſenium vergeret, occulta tamen ageret conſilia ſubuertendi Imperatoris, vt alium è regno maritum, quem amabat, regem faceret. Iordanum nobilem Siculum ferunt reginæ fuiſſe gratiſſimum, & ab ea ſuſcepiſſe munera auro gemmiſque precioſa, viciſſimque ſua non minori æſtimatione remiſiſſe. Imperator iram nō ferens, capi iuſſum hominem in ſedem ferream igne candentem fecit collocari, & coronam ignitam ferream clauis capiti eius iuſſit affigi. Alium Richardum coniurationis conſciū, per plateas publicè tractum, ſuſpendio mandauit necari: quia tentauit poculo ſubuertere Imperatorem. Erat tum ſeptimus poſt nonaginta annus, quum diuerſo itinere terra marique progreſſi peregrini in ſanctam expeditionem deproperant. Adolphus quidem Holſatiæ comes terreſtri peruenit itinere, cum iis qui ei ſe coniunxerant, ad Imperatorem in Apuliam: qui & ipſe ingentes copias auro conduxit (partim etiam voluntaria militia pro Chriſti honore tranſituros, ſub ſignis Imperatoris militare cupiētes) quibus ipſe præfecerat Conradum cancellarium ſuum, olim eccleſiæ Lubicenſis electum, nunc Herbipolenſis eccleſiæ epiſcopum conſecratum. Naualis autem exercitus ſub Hartwico archiepiſcopo Bremenſi mare tenebat occiduum. Inerant Dani, Phriſij, Lubicenſes Bremenſeſq; per littora maris Britannici: omnem Phriſiam, Hollandiam, Zelandiam, Flandriam, Franciam Hiſpaniamq; præteruecti, ad Vlixbonam peruenerunt. Ibi peregrini à pontifice loci ſatis hoſpitaliter excipiuntur, dimiſſiq; legūt littora reſtantium Hiſpaniarum, & flexo in orientem curſu, Bęticam Narbonenſemque prouinciam præteruecti, Siciliam maritimam inſulam tetigerunt, ad Meſſanam vrbem cōſedentes. Ibi iunctis armis ſub ſignis Chriſti contendunt in expeditionem ordinatam.

Delectus ad ſanctam expeditionem habetur.

Iordani regnum affectantis ſaeuiſſimum ſupplicium.

Longa per oceanum nauigatio.

Cap. 10.

Iᴍᴘᴇʀᴀᴛᴏʀ ipſe ſub manu Conradi Herbipolenſis epiſcopi, cancellarij ſui, ſexaginta ſuorum millia miſit: cui iūxit Adolphus Holſatiæ copias ſuas: & fœlici-

bus (vt ſperabant) auſpiciis in hoſticam contenderant. In Cyprum venientes, eius loci regem de Imperatoris Henrici mandato, diademate, quod ſecum extulerat Conradus epiſcopus, coronauit. Nam id antea idem rex per literas & ſolennes nuncios ab Imperatore occidentis poſtulauit, contemnens ſubeſſe Græculo Conſtantinopolitano iamdudum à gloria patrum degeneranti. Ibi rebus ex ſententia conſtitutis, quum omnia rite peregiſſet Conradus, nauibus repetitis in Ptolemaida contendit: Accon tunc vocauere. Ibi triſti nuncio percellitur de morte Henrici Campaniæ quidē comitis, ſed tum regis Ieroſolymitani: qui nocte ſurgens in cubiculo, quum auras captaret, imprudentius excidit à feneſtra, & fractis ceruicibus expirauit. Ea tum erat fortuna Chriſtianorū, quum nouus aduentaret exercitus, vt neq; regiam neque regem haberēt. Recenter autem Saraceni Ioppen de manu Chriſtianorum tulere, hoc ordine: Quum intus eſſet Chriſtianorum omnigenûm ingens manus, obſediſſentque Saraceni, cæteris ferociores pro ſuo more Theutonici erupere, hoſtibuſque confligentes retro illos pepulere, & iam victores repetiuere vrbem. Qui intus erāt, Theutonicis inuidentes, aut minus fortè quàm vellent illis obtemperantes, excluſere, vt ab hoſtibus conglobatis opprimerentur. Prima ergo nunc peregrinorum expeditio fuit in Ioppen: quod oppidum expugnauere Saraceni, ſoloque deiectum reliquere. Vbi non repererunt peregrini in quos gladium diſtringerent, rediere Acconem. Nam Saraceni victores, cum præda & captiuis, priuſquam illi accederent, abierunt. Adolphus Holſatiæ comes, qui iam altera vice pugnauit in ea terra, quia illis tum rebus in Aſia geſtis nō ſolùm interfuit, ſed præfuit, ſilentio à nobis præteriri non debuit. Nam cæteri qui rem narrant, eo quòd nullus erat magnus eius expeditionis fructus, breuiter tranſeuntes, res fortiter geſtas diſſimulãter prętereunt. Non eſt fraudandus noſter ille comes laude ſua. Igitur peregrini conuenerant Tyrum, quæ cum Accone pene ſola remanſit Chriſtianis in terra ſancta. Ibi ſpeculatis viribus, & rebus ordinatis, ad proxima recuperanda contenderant. Sidon olim florens, iam diffiſa tueri, ab Saracenis deſerta eſt. Ampla in ea palatia principibus viris digna, cedrini parietes, & precioſa quæque domicilia tum relicta cernebantur. Tranſitur ad Sarepta Sidoniorum, nec ibi diu hæſitatum eſt. Peruenitur ad Baruth: ibi quoque oppido relicto in munitiſſimam arcem ſe cum rebus Saraceni recepere, ſolis captiuis ſub cuſtodia in vrbe relictis. Chriſtianus exercitus terra marique diuiſus erat: tetreſtres copiæ primæ conſpiciuntur. Hoſtes viſis pares ſe futuros arbitrati, quum maritimos non cernerent, egreſſi pugnam inuadunt: Chriſtiani excipiunt. Hic præfectus turmarum inſigni vectus equo, huc atque illuc inter ordines volitabat: ſtrages vtrinque non parua. Adolphus non paſſus graſſari impune hoſtium ducem, proximum compellat Bernhardum de Horſtmaria. Vides, inquit, ſæuientem? vnà aggrediamur. Dicto citius lanceis ex latere inuadunt, eum iumento deiiciunt. Ille vir fortis in pedes ſe recipit iterum aſcendens. Secundò deiicitur, & inter laborandum laxatis armis, vulneri locum faciens transfoditur. Capti ſunt præterea duo de primariis, cum multis aliis captis atque cæſis. Cæteri ſe retraxere & in fugam abierunt.

[Margin notes: ...ypri rex à ...aeo Impe... ...ore ad Ger... ...nū deficit. — ...pe Chriſtia... adimitur. — ...riſtiani Sar... ...cenos fun... ...t fugātq;. — ...adinus rex ...roſolymi... ...us.]

CAP. II.

ADNAVIGABAT interea claſſis Chriſtiana: & quidam ex captiuis Chriſtianis, quum vigiles & cuſtodes oppreſſiſſet ſomnus, ſignum dat è ſpecula vt inuadant oppidum. Mirantur nautici quis ex oppido vocet, ſignum oſtendens. Sed tamē Dei nutum interpretantes ex oppido, oppugnant. Capto oppido & arcem expugnant. Hoſtes vbi videre & ducem cecidiſſe, & fortiſſimum expugnatum prȩſidium, ſe per nemora & inuios montes fuga ſunt tutati. Celebre factum eſt Adolphi nomen inter omnes ex hac prima cum hoſtibus congreſſione. Repertum eſt in arce armorum & commeatuum plurimum, magno noſtris futurum adiumēto in hoſtili terra. Tantum inerat ciborū, vt triennio obſeſſis ſufficere videretur: tantum armorum, vt duabus licet magnis nauibus exportari non potuiſſent. Opportunum erat hoc ſemper Saracenis prȩſidium, vnde fiebant terra marique Chriſtianis incurſiones. Decem & nouem millia captiuorum huic Saladino præſentata feruntur ab ipſo Syriæ excidentis initio: vbi etiam pro inſigni loci gloria, Saladinus primùm eſt rex coronatus, & rex Ieroſolymæ pariter & Babyloniæ conſalutatus. Quumq; hæc tam proſpera fuiſſent Chriſtianis, triſte ſuperuenit de morte Imperatoris nuncium, & cœpit inter omnes trepidatio non vulgaris, quum alius patrimonio, alius beneficio ſuo timeret. Nonnulli de æmulis, alij de amicis cogitauere:

nec quieuit tumultus, donec adunatis principibus ſacramenta præſtarent omnes ſe Imperatoris filio pariturus: quæ res quietem peperit. Inde alia quoque cura ſuccedit de rege Ieroſolymorum ſurrogando. Placuit in commune principi Tyri regnum deferre. Ille accepto honore, relictam Henrici reginam ſibi coniunxit matrimonio. Antiochia quoque Chriſtianis ſupererat. Aderat eius princeps, & rebus bene geſtis ad ſua remeabat. Territi Saraceni multis de locis ceſſere Chriſtianis: ita ditio Antiocheni quoque principis extenſa eſt. Thoruttum à Tyro mille paſſibus diſtabat, in monte poſitum, inexpugnabile videbatur: quod fortiſſima hoſtium manus tenebat, quotidianis incurſionibus Chriſtianam militiam fatigabat. Viſum eſt principibus obſideri: multum diuque in expugnatione fruſtra laboratum. Aderât Saxones plerique, qui in Hercinia fodiendis mineris deſudant. Aggreſſi opus, cuniculis factis muros ſubruunt. Territi hoſtes circumſpiciunt, ſed occurrere tanto non poterant periculo. Summa cogitabant, mors (& quidem crudelis) ante oculos: deliberabant, vt interpoſito colloquio, vitam, ſi non aliud, paciſcerentur. Ad proximos verſi inducias paruas ad mutuos ſermones depoſcunt, & accipiunt. Vbi ventum eſt ad colloquium, primùm poſcunt quis ſit princeps à quo oppugnentur. Illi referunt eſſe Henricum Palatinum Rheni, potentiſſimi ducis Leonis filium. Eius poſcunt præſentiam: quibus obiicitur, Turbatores eſtis pacis, & veritatis inimici. Illi reſpondent de vtroque ſibi certa eſſe colloquia cum principe. Venit, & rogatur ab his, vt interpoſita pace & fide publica in medium ducantur principum, facturi deditionem.

Saraceni obſeſſi deditionē faciunt.

CAP. 12.

Vnus Deus variè à variis colitur.

HENRICVS Palatinus eos deducit: aderat inter alios Henricus dux Brabantiæ. Ibi ab Saracenis cœpta eſt oratio, quæ commiſerationem efflagitaret, communem eſſe Deum, quem vtrique colerent, ritum diuerſum. Illis Abraham eſſe generis principiũ, quòd à Sara geniti Saraceni dicantur, fratres eſſe, communi præditos humanitate, ſub vno patre Deo, humanarum rerũ varietate iam ſe victos, ſæpe antè victores. Nunc accipiant deditos, ſolas veſtes cum vita permittentes, in ipſa arce captiuos plurimos cum multis eſſe theſauris. Accepta deditione abire ſinantur orant: neque difficilem illis futuram, hoc capto præſidio, duorum proximorũ occupationem. Inclinauere multi vt deditionem acciperent: aliis ex re viſum, vt expugnata arce terrorem in hoſtem congeminent. Ita non vnum ſenſere. Adolphus comes nonnullos ex contradicentibus perducit ad muros, munitionem oſtendit, pericula quanta immineant oppugnantibus ponit ſub oculos, & in ſententiam ſuæ partis multos perduxit, vt placeat deditio, modò obſides dent ad implendas conditiones. Retulere ſeptem ex Saracenis qui venerant rem ad conſortes. Ibi fit comploratio: Reſiſtunt milites in faciem primoribus, nunquam ſe viuos arcem hoſtibus permiſſuros. Quid enim deſit neſciant, arma, commeatus, valla, propugnacula. Igitur ex ſententia militum conditiones pernegantur. Iterũ oppugnantur, defendunt: & in longitudine temporum defecere Chriſtianis commeatus. A Tyro petendi erant, nec infirma manu, propter incurſionem hoſtium: dimidium miſere copiarum, reliqua parte ad obſidionem remanente. Diu aberant. Timor inuadit Chriſtianos: ſed quũ rediſſe nunciarentur, recreati ſunt. Simul tamen & hoc renunciatur, properare Saphadinum principem potentiſſimum, cum Perſis, Medis, & Aſſyriis, & infinita hominum colluuie. Non potuere non timere, qui apparatum hoſtium & ſuorũ paucitatem reſpexere. Itaque relicta obſidione Tyrũ atque Acconem petiuere: vulnerati ac infirmi multi (miſera facies) relicti, quibus potuere viribus inſequuti ſunt. Iam veniente Martio de patria quandoq; ſua cogitabât: & comparatis nauibus, præſertim quòd Imperatore mortuo nemo ſupereſſet, qui ſuppetias mitteret: & in rebus cuiuſque domeſticis perturbatio (quæ ſolet cum nouis ſurgere principibus) timebatur. Solus Moguntinus & Verdenſis præſules remanſere, qui iamdudum ex Imperatoris decreto ibant coronare regem Armeniæ, qui hoc ab Imperatore dudum efflagitaſſet. Peregit ergo Moguntinus in rege Armeniæ, quod antè cancellarius in rege Cypri: compoſuitq; pace ſequeſtra, res inter eundem nouum regem & principem Antiochiæ.

Chriſtiani re infecta diſcedunt,

CAP. 13.

Liuonia ad Chriſtum adducitur anno 1186.

OPERÆPRECIVM eſt paucis inſerere, hoc tempore factã Liuoniæ ad Chriſti fidem conuerſionem per gentem Saxonũ, & eos qui in eam prouinciã mercâdi gratia è ciuitatibus Saxoniæ atq; Wandaliæ nauigarunt. Fuit autẽ primus huius plantationis author nouellæ dominus Meynerus (alij dixere Meynardũ) Zegebergẽſis canonicus: quẽ

eloquium Domini inflammauit, vt eidem populo infideli pacem Domini nunciaret, & paulatim calore fidei faceret ſcintillare. Quumque vir bonus per aliquot annos cum mercatoribus eò nauigaret, & operi pietatis deuotus inſiſteret, ſenſit manum Domini non abbreuiatam, & auditorum deuotionem plurimam. Accedens igitur Bremenſem eccleſiam, cui tum præerat Hartwicus ſecundus, de negotio pietatis apud eundem atque capitulum eius verba fecit, ne in vanum laboraret, ſed maiorum authoritate res inchoata procederet. Impartitur archiepiſcopus volens viro zeloſo euangelizandi authoritatem, ipſumq; pontificali ſubuectum honore mittit in gentem Chriſto cōciliandam. Ipſe igitur Meynardus humilis & deuotus, auditoribus ſuis verbi ſpargens ſemina, arguendo, increpando, magis tamen obſecrando, duritiam gentilium frangens, ipſorum corda non minus muneribus quàm exhortationibus, paulatim ad quod volebat, Deo annuente perduxit. Annus erat ſextus & octuageſimus poſt centum atque mille, quum in Liuonia primùm ſedes epiſcopalis per Meynardū erigitur, intitulata patrocinio beatæ Mariæ virginis, in loco qui Riga dicitur. Et quia idem locus beneficio terræ & aquarum multis donis exuberat, nunquam ibi ex illo tempore defuerunt Chriſti cultores, & nouellæ eccleſię plantatores. Eſt enim terra ferilis, agris & paſcuis abundans, irrigua fluuiis, & perinde ſatis piſcoſa, & arboribus nemoroſa. Multi ſe in eam operam contulere cum Meynardo, & deinde poſt illum: in quibus erat vir præcipuus Bertoldus abbas de Lucka, Monaſterium arbitror Ciſtercienſium, vbicunq; ſit. Nam alij annales præferunt abbatem fuiſſe Griſeorum monachorum, quod genus veſtium habuere monachi Ciſtercij. Hic ergo cum laude memorandus intantum ad Chriſti gloriam efferbuit amplificandam, vt relicto fratrum ſuorum monaſterio, relicta quam habuit ſine turba quiete, in peregrinationem ſe contulerit laborioſam & periculo plenam. Meynardus prior diu conſedit in terra, priuſquam gentis linguam perdiſceret: firmauitque ſibi ab incurſione malorum præſidium in inſula fluminis Dune (Kerckholm nunc vocant) arcem, quam modò tenent fratres ordinis Theutonicorum. Sed vbi Meynardus diuturno labore multis periculis curſum vitæ in omni ſanctitate, iuſtitia & religione feruens pro Chriſto peregiſſet, conſummatus fine bono, tranſiſſetque ad meliora, Bertoldus ille voluntate archiepiſcopi ſurrogatur epiſcopus Liuonienſis. Is autem vir ad omnia pro Chriſto pericula promptus ſubeunda, accepto quòd maligni armis potius quàm verbis ſubigendi viderentur (exuberat enim & exuperat in omni terra malorum turba gregem Dominicum) arma contraxit quanta potuit in Saxonia: & apud ſummum pontificem peregit, vt quoniam res Aſiæ frigebant, ceſſauitque pro magna parte in eam peregrinatio, Celeſtinus ſummus pontifex remiſſionem peccatorū in Liuoniam pugnātibus cōuertit. Vnde exciti multi vtriuſq; ordinis viri, & eccleſiaſtici & ſeculares, in ſanctam ſe militiam cum Bertoldo epiſcopo protinus accinxerūt. Prouecti nauigiis in terram, oppoſuere aciē venientibus ex aduerſo rebellibus fidei hoſtibus. Vbi iam ad conflictū ventū erat, epiſcopus ferociori quàm regere poſſet iumento deuectus, fertur inuitus in medios hoſtes, ibiq; confoditur anno octauo & nonageſimo poſt centū & mille.

Primus in Liuonia epiſcopatus.

Euangelium armis propagandum magis quàm verbis.

CAP. 14. ALBERTVS illi Bremenſis ſurrogatur canonicus, vir ingenio acer, & ad omnem pro Chriſto laborem impiger, ætate iuuenis, manu & animo æquè promptus. Is apoſtolica fretus indulgentia, in omni maritima Saxonia atque Wandaiia crucem & ipſe prædicauit, & per alios fecit prædicari: & per annos triginta indefeſſus laborans, per brumam verſatus in Germaniæ littore, collegit militaturos, quos primo vere, dum mare peruium eſſet, nauigans tranſportauit in terram, æſtatem totam pugnantes in hoſtes. Autumno quidam rediere, quidam etiam per brumam ſubſtitere. Redibat ille iterum atque iterum, deuehens ac reuehens milites multa peregit in ea terra ad Chriſti laudem. Hic eſt qui Rigam vrbem primus muris ſepſit & communiuit. Aliquot pontifices in eam terram, & duces in eam ſecum vexit militiam, milites ſine numero, ciues ac mercatores, in hoc negotio militantes pro Chriſto. Multi cæſi terram ſuo ſanguine ſunt mercati: ſæpe perpulit hoſtes crucis Chriſti obſides dare, pacis ſubire conditiones. Denique efferueſcente multorum deuotione, nouum inter ſe ordinē Crucegladiatorum fratrū erigere deliberauerunt, ſpe confirmationis apoſtolicæ ſequuturę. Erant eius profeſſionis duo poſt inuicem magiſtri. Inde tamen quū in Pruſſiā perueniſſent fratres ordinis Theutonicorum, implorati venerunt in Liuoniam, & ſtatim abſorbuit ille Gladiocru-

Fratrum crucegladiatorū ordo nouus.

diocruciatorum ordinem, & tranſierunt volẽtes in profeſſionem ordinis beatæ Mariæ Theutonicorũ: qui vſq; hodie tenent terram illam. Sed ſtatim ab initio de dominio terræ exortũ eſt certamen inter epiſcopos & fratres memoratos, quod durauit ab illo principio in noſtra tempora, duraturũ in finem: quum ordo nõ contentus tertia parte prædiorum (quæ illi initio permiſſa eſt ab epiſcopis) iam pene duas occupauit, eccleſia vix tertiam retinente, de qua etiã nunc non ſatis quieſcunt. Plura tamen præclara facinora fecere in gentẽ viri fortes. Acceſſit rex quoq; Daniæ, Eſtonianos à mari impugnans, firmans vrbem hodie præclarã Reualiam: quæ in teſtimoniũ primæ conuerſionis ab regibus Danorum epiſcopatũ ſeruat Metropolitano in Dania ſubiectum. Res autem in ea terra geſtas nec profeſſio noſtra continet, & alibi quidẽ ſuis in annalibus tenent Liuones: in proſequutione tamen, vbi opus euenerit, interſeremus. Ordinis autem Theutonicorũ primordia & in Wandalia diximus, & quod deeſſe videbitur, infra ad tempora Friderici II. (quando ille meruit ordo apoſtolicã confirmationẽ) differemus: nunc hoc ſolùm cõmemorare contenti, quòd Liuonia conuerſionis ſuæ authores lingua teſtatur fuiſſe Saxones. Illi enim nunc habitãt, illi ordinẽ fouent, illi tenent vrbes, & ruſticũ populum in extrema ſeruiture (quod dura eius ceruix fertur depoſcere) gubernant.

Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus.

OTTO eius nominis IIII. Henrici Leonis filius, annitẽte Adolpho Colonienſi archiepiſcopo, & fratre Ottonis Henrico comite Rheni Palatino, rex Romanorum creatur, aduerſus Philippum Henrici fratrem, Friderici filium Imperatoris, quem papa nõ amabat. Agebat tum Otto in Pictauia, bellis pro rege Anglorum auunculo ſuo implicitus. Qui vbi audiuit nepotis prouectionem, magnis miſſis theſauris annititur honorem illius attollere. Mittuntur obuiam Ottoni ſolennes nuncij, qui deducerent euntem vſque Coloniam. Prima in Aquiſgranum noui regis expeditio, quòd illic eſſet coronandus. Et ciues Imperatori mortuo ſeruientes, ante principum concordiam portas tenuere clauſas: ſciebant enim alios aliud ſentire. Sed multis inibi factis laboribus & impenſis, ad ſummam (vt ferunt) octuaginta millium, ciuitatem obtinuit, ibique per Adolphũ Colonienſem archiepiſcopũ eſt conſecratus. Et vt ea electio eſt inſinuata ſummo pontifici, eam pronus confirmauit, magis in Ottonem quàm Philippum inclinans: quod declarat decretalis *Venerabilem, de elec.* Philippus tamen à maiore principum numero ſurrogatur Henrico fratri, patrique Friderico: nam & Imperialia inſignia in manu eius fuere. Tenebat autem robur Imperij maximum per Saxoniam, Suæuiam, Bauariam: cuncta pene præſidia in poteſtate illius erant: Ottoni ſola Colonia cum quadam Weſtphaliæ & Saxoniæ parte patebat. Philippus autem cõgregato magno principum & pontificum cœtu in Moguntiam, ibi conſecratur per dominum Tarentinum, conniuente capitulo maioris eccleſiæ. Nam Conradus Moguntinus archiepiſcopus adhuc aberat in peregrinatione terræ ſanctę. Ibi regina, Imperatoris Conſtantinopolitani filia, pridem Tancredi filio deſponſata, iungitur Philippo: regio diademate non coronata, ſed circulata proceſſit. Id autem quale ſit nouerint aulici: ego quod in annalibus lego, fideliter expono. Ibi duci Bohemiæ regia dignitas primùm acceſſit. Coactis ergo viribus Philippus per Rhenum copiás deduxit, mouens in Ottonem. Secularis quidem potentia eum Philippo videbatur, ſed eccleſia Romana ſtabat pro Ottone: nam nulli archiepiſcopo pallium dabat pontifex, niſi Ottoni inhæreret. Fuere tamen qui ſe clam illi ſubducerent, & Philippo inclinarent: alij etiam apertè rebellionem oſtenderunt. Ita tumultuatum eſt per vniuerſum regnum. Sed quum deduceret Philippus copias ſuas cis Rhenum, ad Moſellam ei occurrit Otto, & traiectum illi prohibens conflictabat viriliter. Cecidere vtrinque multi, ſed ex Bohemis plurimi: præualuerunt Ottoniani, & tranſitum interclusere. Fruſtratus ea vice Philippus, petentem regem Bohemiæ in ſua dimiſit. Conradus interea Moguntinus de Antiochia reuerſus mortem obiit: & facta eſt diuiſio in electione. Nam qui Philippo ſtudebant, Lippoldum quendam elegerunt, prædiis & arcibus & cunctis regalibus in manu eius traditis. Qui autem paruerunt eccleſiæ, Sifridum à ſummo pontifice confirmatum prætulerunt. Per quæ etiam tempora mortuo Ludolpho archiepiſcopo Magdeburgenſi, Albertus maior eccleſiæ præpoſitus ſurrogatur. Is ſedem apoſtolicam petens, quòd æmulos pateretur, cõfirmationem ſuam ipſe peregit, regique Ottoni ſubſcripſit.

CAP. 15.

Qui papa non eſt acceptus, imperator non fiet.

Schiſma duorum Imperatorum.

Bohemus regiam dignitatem primùm accepit.

ABERAT tum rex Otto Saxoniæ, quum Philippus omnibus viribus contenderet CAP. 16.

in Brunſwicum, vrbemque arcta cinxit obſidione. Henricus autem frater, qui in vrbe fuit, fortiter eam defendit: ſed tamen obſidentes adeo perurgebant incluſos, vt intenti oppugnationi quam ad auſtrum Philippus faciebat, minus alia loca tuerentur. Vnde factum eſt, vt circa ſanctum Ægidium hoſtes murum trangreſſi, iam pontem occuparēt. Sed conglobati ciues, iaculis laceſſiuere, vt repellerent. Interim latrunculi monaſteriū diripuere: ſed ſacrarium deluſi non inuenerunt. Conradus tamen cancellarius, Herbipolenſis epiſcopus, vim fieri eccleſiis prohibebat. Sed in longum tracta obſidio, magis obſidentes quàm obſeſſos fame afflixit. Nam qui foris Ottoni militauere, itinera ſeruantes, nihil aduehi permiſerunt. Vina ceruiſiamque fluere cerneres, vaſis per incurſantes confractis. Itaque qualicunque tum prætenſa ſpecie, Philippus reduxit exercitum, ſine magno vel honore vel emolumēto. Quàm ſanctè colunt ciues in ea vrbe ſanctum Authorem Treuerenſem quondam archiepiſcopum: quem Gertrudis Egberti nouiſſimi Saxoniæ marchionis ſoror, quum monaſterium inſtrueret, multis vix precibus à Treuerenſibus impetrauit: ibique precioſo ſarcophago cum Thebæis martyribus collocauit.

-uthor tutetor Brūſuvi patronus.

Hic pontifex Treuerim ab Hunis ſua ætate, dum viueret, tutatus, ſuis precibus apud Deum creditur vrbem, in qua nunc requieſcit, magnis meritis nunc quoque tueri. Vnde in conſuetudinem deduxere, vt quoties vrbs illa hoſtili timore perurgetur, circumferre reliquias, hymnis, orationibus, ieiuniis & eleemoſynis eius ſuffragia depoſcētes. Compertumq; eſt & multis vicibus comprobatum, non illum fruſtra implorari, qui ſemper inuocatus aſſit meritis tutatus cultores. In hac verò oppugnatione viſus eſt ſacra veſte in mœnibus gladium vibrare nudatum: idque ab hoſtibus animaduerſum Philippo ferunt perlatum, quum illi diceretur fruſtra vrbem oppugnari, quam ſuperi tuerentur: ipſum verò regem miraculo conterritum ſoluiſſe obſidionem. Facta eſt deinde partibus Ottonis quædam acceſſio per hunc modum: Odoacer rex Bohemiæ legitima coniuge repudiata, aliam duxit ex Vngaria. Qua de re in iram verſus Otto Miſnenſis marchio, frater repudiatæ, & dux Saxoniæ Bernhardus, Philippo coniunctiſſimi, effecerunt vt Odoacro adultero regnum ademptum traderetur Theobaldo puero, Theobaldi filio, qui literas Magdeburgi perſequeretur.

Bohemus ob adulterium regno priua-r.

Tulit eam rem indigniſſimè rex, & Hermanno Turingiæ Landgrauio fœderatus, in Philippum pariter verſi, ad Ottonem tranſierunt, à quo Northuſen & Molhuſen idem Hermannus in beneficium accepit: & permanſere ex illo die cum prouinciali comite Turingiæ vrbes memoratæ in hodiernum. Philippus autem armis vſus ſui Lippoldi Moguntini apud Erpeſphordiam (ſic enim inſcribitur in annalibus, quamuis Erphordiam dicimus) copias collocauit, indeque Turingiam omnem latè populatur. Bohemiæ in diuerſa parte militantes, crudele genus hominum, ſancta ac prophana in æquo conſtituunt, nihil religioſum etiam tum habentes. Ætate noſtra exuberante, omnem ferociam per ſchiſmata, quæ fouent, oſtendunt. Erat tum quoque aliud genus hominum æquè in armis formidatum: Valuos dixere: vnde autem fuerit non ſatis explicant. Miſera Turingia inter manus laceratur & hoſtium & amicorum.

-rum ſacra-m præda.

Quod reliquum fecere milites Philippi, id Bohemi eos inſequentes ad imum eradunt. Sedecim virorum ac mulierum monaſteria igni ferroque ſubruuntur, abacta præda, nobiles Chriſti ſponſas, ſacras virgines, equorum faleris tractas alligarunt, ludibrioque habuerunt: corpora contaminantes, animas polluere haud poterant. Singulare genus martyrij. Sacris veſtibus ludibrio ſunt abuſi, pro camiſia albam, pro cingulo ſtolam, pro chlamide caſulam in expeditione geſtauere: altaris pallas equis pro velamento induere. Rex interim Otto reuerſus in ſua, nondum dimiſſo exercitu ædificauit arcem munitiſſimam Herlinberg: vnde Goſlarienſes, qui illi aduerſa ſenſere, nimis ſunt afflicti: ita vt multis de ciuitate fugientibus, pro magna parte deſerta haberetur. In oriente quidem arcem nouam, ad occiduum verò Lichtenberg habens, intercluſos ſenſit omnes ad ſe aditus: indeque (quod neceſſe fuit) inedia laborabat. Sed tamen Hermannus Hartesburgi comes pro Philippo ſentiens, arcem Lichtenberg armis cepit, ſoluitque famem ciuitatis, rebus inuectis.

-AP. 17.

-ricus Pa-nus Rheni -re relicto -hilippum -ſit.

PHILIPPVS rex in Ottonem vndique vires comparans, ducere iterū conſtituit in Brunſwicum. Hoc ſciens Otto copias & ille conſcripſit in Saxonia, & educens iuxta Goſlariam, venientem cōſtituit excipere Philippum. Erat in caſtris fratris Henricus Palatinus Rheni cum magnis copiis, quas de Stadio deque Oldenborg & finitimis locis contra-

contraxerat. Philippus rex iamdudum Henrico minatur, ni relicto Ottone ſe ſequatur, Palatini dignitatem ſe in alium collaturum: non diutius paſſurum, vt ſuis ab illo viribus oppugnetur. Mouit Henricum tantæ rei comminata iactura. Itaque fratrem Ottonem in caſtris compellans, Ego, inquit, mi germane iamdudum tibi cum magna rerum mearum (vt noſſe te credo) militaui iactura. Audis quæ hoſtis minitetur: rerum mearum ſummum diſcrimen imminet. Itaque niſi me aliqua parte paternæ ditionis ſuſtuleris, non video quibus modis & ſumptus perferam in exercitu, & comminata diſcrimina euadam. Parum eſt quod ex te volo, vt quoniam vniuerſum Imperiū iam prope tibi paret, exile fuerit, ſi cum Brunſwico vrbe arcem mihi liqueris Lichtenberg, in reliquum tibi fideliter & (vt ſemper) ex animo militaturo. Rex Otto excepit his verbis, Sine frater, ne res difficiles in turbam voces: cernis quibus implicer laboribus ac difficultatibus. Fauerit Deus & propicia fortuna: nō hoc ſolùm quod nunc poſcis, ſed feres ex me multo grandiora, modò quod inſtat agamus. Hoſtis adeſt, iunctis armis occurramus: victores æquius iſta partiemur. Henricus iam animo auerſus à fratre, niſi quod poſceret ilico permitteret, ex fratre hoſtem expectaret. Non potuit ea comminatio flectere regem. Henricus cum copiis ſuis, multis collachrymantibus, ad Philippum tranſiuit. Rex Otto, vbi auctas hoſtium copias, ſuas vidit imminutas, reduxit exercitū Brunſwicum, præſtolari conſtituens ibi hoſtium aduentum. Interim verò Goſlarienſes multa à Brunſwickcenſibus incommoda pertulere. Capiuntur mercatores, ſubuertuntur argentariæ caſellæ: ſed & de arce Lichtenberg non paucas fecere excurſiones milites Philippi. Aberat iam rex Otto & Guncelinus dapifer, quum domini ſui abſentis partes cuperet adiuuare, coactis quantas copias potuit, Lichtenberg arcem obſedit: Sed cum fruſtra eſſet oppugnatio, nemine hoc proſpiciente, exercitum vertit in Goſlariam. Ea ſuis *Goslaria capta diripitur.* fiſa munitionibus, minus vigilabat: vnde factum eſt vt repentino hoſtium incurſu caperetur. Qui inerant milites, aliquandiu reſtitere: ſed vbi ſuperiores eſſent hoſtium vires, fuga ſibi conſuluerunt. Direpta ciuitas miſerè, exportata præda vehiculis: vix diebus octo vndecunque contractis euectionibus poterat exportari: ciues in captiuitatem pertrahuntur. Alij igne vrbem concremare, alij templa ſubuertere & ornamentis ſpoliare conſtituunt: ſed meliore conſilio ciues dedere obſides, ſeruataque eſt vrbs aduentu regis. Ille rediens, illis collaudatis victoriam gratificauit, de eo quòd fortiter fecerant: ciues reſtituit, ac multam prædam iuſſit reuehi, ea in reliquum vrbe vſus fidiſſima. Parabat interea Philippus ſecundam in Turingiam expeditionem, & obſeſſo oppido Wizzenſe in vmbilico terrę, Hermānum coarctauit. Ille reſpexit ad Odoacrem regem Bohemiæ: qui veniens cum copiis in Turingiam, quum audiret vires Philippi, non auſus conferre manum, de reditu cogitauit. Sermonem contulit cum Ottone de Landeſberg marchione, vt eius interuentu in gratiam Philippi rediret. Non abnuit ille: ſed quum in ea expectatione res eſſet, Bohemus ſublatis ſignis rediit in terram ſuam. Hermannus relictum ſe cernens à rege fœderato, in gratiam Philippi ſe per amicos retulit: veniensque in conſpectum, ſe proiecit ad pedes orans. Rex exprobrata illi perfidia, diu paſſus eſt iacere ſupinum: quum à circumſtantibus rogaretur, leuabat, & in oſculum admiſit. Rex autem Bohemiæ ita ab æmulo, quem ei Philippus obiecit, extenuatus eſt, vt vix illi dimidium regni reliquerit.

DVM ea in concertatione regum pro ſumma Romani Imperij gererentur, non CAP. 18. defuerunt Nordalbingiæ noſtræ labores. Nam dum Otto Brandenburgenſis marchio quaſdam Wandaliæ regi Danorum ſubiectæ partes inuaderet (quod in Dania & Wandalia ſcripſimus) Adolphus Holſatiæ comes Ottonis, quoad poterat, partes adiuuabat: quæ res regem Daniæ Kanutum in comitem vehementer exaſperabat. Erat tum 1201. annus primus poſt mille ducentos, quum rex in Adolphum duceret. Nec impiger ille, ad Eydoram fluuium collectis armis regem demoratur. Aderant illi auxiliares, Otto marchio de Brandenburgo, Hartwicus Bremenſis archiepiſcopus, Symon de Tekeneborg, Bernhardus de Welpe, Mauricius de Oldenborg comites. Hos copioſè commeatibus abundeque aluit, multis mirantibus vnde tantis ſufficeret exercitibus. Diremit Eydora diuerſos hinc atque inde exercitus, nec alter ad alterum tranſibat. Prior rex vbi vidit copias hoſtiles tam multiplices, ſciens neque diu neque crebrius tantum conflari poſſe exercitum, ſuum agmen reduxit. Quo tempore, comes cœpit veterem Rey-

noldesborg arcem renouare, quæ porta terræ ſuæ eſſet in Danos, & viciſſim in ſe Danorum. Sed vix illam bene communierat, quum rex vere primo ingenti rurſus agmine adeſt. Comes autem quum ſuis viribus impar eſſet, nec tempus contrahendarũ aliunde virium daretur, quibus potuit pacis conditionibus tum ſe redemit: arcem dictam, vt erat, regi conſignauit, & perinde pacem eſt mercatus. Rex acceptam quantis potuit munitionibus firmauit, iam clauem tenens in Nordalbingiam, quoties ingredi voluit. Sed aliò interim verſus Adolphus, cum æquiuoco ſuo Adolpho de Daſſe, arcẽ Louenborg cœpit obſidere, ædificato in aduerſum præſidio Haddenberge: vt fame expugnarent, quam armis & viribus non poterant. Nam aquis vſus fluminis Albis, naues ex Hamburgo ſubmiſit, quæ & machinas oppugnantibus & commeatus importarent, hoſtibus earum rerum commoditatem adimerent. Henricus Palatinus Rheni Ottone fratre iam maioribus bellis implicito, tutari arcem cupiebat, nec poterat. Cœperunt obſeſſi de deditione verba facere: miſere tamen clanculo ad regem Danorum, illi arcem offerẽtes. Ille Rodolphum miſit quendam ex Holſatis, qui ad ſe cõfugerat, virum armis validum, qui regis nomine acciperet: pollicetur& regem de proximo venturum. Sed priuſquam ille regis mandata perferret, cepere obſidentes: quæ res regem acrius in Adolphum inflammauit. Inde comes accepta arce, in gratiam tamen Palatini peruenit, ſolutis illi ſeptingentis marchis, & inueſtiuit eum Palatinus de patrimonio ſuo, quod ad Albim habuit: Gamme vocant vſque in hodiernum diem. Quo tempore facta eſt illa Wandalorum in comitem de Daſſe expeditio, in qua Niclotus princeps ipſe occubuit: quam in Wandalia expoſuimus. Inde repetatur à volentibus intelligere.

Cap. 19.

Adolphus Danis in ſerram conuertit.

Accessit illo quoque tempore alia regis Daniæ in Adolphũ indignatio, quòd ille Thietmarſiam (quæ ſæpe mutauit dominos, tum verò Danis per Waldemarum, vt diximus, epiſcopum Sleſwickcenſem paruit) intrauit & euaſtauit. Quo etiam tempore, nõ ſatis opportunè, propter maliciam dierum idem Adolphus in ſuos Holſatos verſus, eos ære mulctauit, nõnullos terra expulit, ſemina renouans veteris inimicitiæ, quòd Henrici Leonis tempore comitem deſeruiſſent. Pulſi ad regem Daniæ ſe contulerunt, inflammaruntque iam ardentem, vt comitem inſequeretur. Habuere hi quoq; in Holſatia qui amicorum iniuriam taciti dolerent, vltionem meditati, ſi quando ſe fortuna aperiret. Hoc in rerum ſtatu Waldemarus Sleſwici dux, qui Holſatos ad regem & ſe confugientes, in agmine duceret, mouit in Holſatiam. Adolphus impiger occurrit veniẽti: ſed par eſſe non potuit hoſti, quòd Holſati qui cum eo ſtare videbantur, nõ ſatis fidi putarentur futuri, ſuorum iniuriam queſti. Conflixere in loco quem Stilnow vocant prope Itzeho, & ſupra eſt per paruum miliare in ditione fratrum in Bardesholm. Sed tum comes cedens fuga ſe contulit in Hamburgum. Progreſſus dux Itzeho obtinuit, Zegeberge ac Trauemunde iuſſit ab aliis ſuis copiis obſideri. Arx Plonenſis, quæ magno fuit partibus comitis præſidio, capta eſt à ducalibus Danis. Rurſus dux ipſe renouato exercitu Hamburgum contendit, eamque tum vrbem, quum immunita eſſet, facilè cepit. Comes Albim tranſierat: nam Stadium tum tenebat. Hamburgenſes autem quum armis certare aduerſus vim regni Danici non præualerent, honore certabant. Clerus & populus obuiam progreſſi, cum quanta poterant veneratione excepere ducem venientem. Sequenti die caſtra mouens venit Bergerdorpe, & deinde proxima die mouit in Louenborg. Comes quoque de Daſſe, non auſus expectare ducem, fugit vltra Albim. Arcem Louenborg, quam comitis Adolphi cuſtodes tenuere, dux obſedit, renouato præſidio in aduerſum Haddenberg. Wittenborg & Godebuch præſidiorum præfecti duci ſe ſubmiſerunt: cæteri nobiles obuiam profecti in Raceburgum. Fortunã ſequutus ducem Waldemarus ipſe, Lubicam eodem victoriæ curſu contendit. Et quoniam ciues iamdudum in Scania piſcantes, rex propter comitem Adolphum illi aduerſantem (cui tum Lubica paruit) in manu tenere videbatur, ciues non auſi ſe regi opponere: ne omnino primùm captiui in Dania ciues, poſtea etiam ipſi ſub irato deperirent, duci portas non auſi claudere, venientem cum honore ſuſcipiunt. Omnium ille vrbiũ, quas vel vi vel deditione ceperat, acceptis obſidibus, quum Zegeberge per Timonem Holſatum; & Trauemunde per eiuſdem fratrem iuſſiſſet obſideri: conſignatis cuique pro neceſſitate armis & commeatibus, Scaconem alium ex Holſatis, comitẽ Thietmarſiæ declarauit, & fratrem eius Widagum Plone præfecit, Rodolphum in Hamburgo

conſtituit

conſtituit rectorem atque cuſtodem: vt qui propter ſe pridem exulaſſent, per eundem ſe nunc in locis comitis dominarentur.

ADOLPHVS comes iam iterum Holſatia excluſus atq; pulſus de Stadio, vbi conſedit, meditatur expeditione parata ſua paulatim recuperare. Et quoniam oppidũ Hamburgum & in conſpectu erat, & fidum ſibi comes proſpexit, eò primùm cõtendit, vt expulſo ducis præſidio vrbem pro ſe reciperet. Facile autem fuit volentes capere & ſuperare. Iam pulſo Rodolpho tenebat, & animos illi faciebant nonnulli ſuorum remanentes in Holſatia, qui fidem illi aſſeruaſſe, & in reliquum aſſeruaturi viderentur. Quumque arces Zegeberge, Louenborg, Trauemunde per ſuos teneret, plenus fiducia Hamburgum pro tempore cœpit communire. Waldemarus autem dux iſta perſentiens, media iam ferme bruma (quod acciderat, futurum proſpiciens) copias contraxit, duxitque in Hamburgum. Conuenere Guncelinus, Burewinus, Thietmarſi, omnes in caſtra ducis. Comes autem à ſpem facientibus ſuis deluſus, quòd ante Chriſti Natalia (quæ Dani comeſſationibus celebrant plurimis) dux minimè properaret ad obſidendum, quum iam nihil formidaret, audiuit omnes vicinæ prouinciæ vires in ſe cõmoueri. Glacies quæ Albi necdum conſiſtens innatabat, fugam interclusit comitis: à terra nullus erat exitus: vndiq; concluſus erat, hinc flumine per glaciem cruſtato, inde exercitu à terris valido. Inter ſuos agebat conſilium, ſi forte nocturna tentaretur eruptio. Sed quò perfugeret qui nuſquam fidum aliquid perſentiret? Qui in caſtris ducis erant, non vſquequaq; comiti aduerſari, rem pro eo tractantes, in eas conditiones coniecerunt, vt comes reddita duci arce Louenborg, ipſe cum ſuis liber abiret: in eam rem perficiendam Guncelinus Zwerini comes deputatur. Eius fidei ſe permittens comes exibat, profecturus cum eo, vt arcẽ memoratã traderent cuſtodes, qui pro Adolpho tenuerunt, & comes liber abiret. Thietmarſi, vbi ſenſere comitem in caſtris, tumultuantes volebant opprimere eum, quòd infeſtus terræ illorum ſæpe fuiſſet. Vix potuit viribus Guncelini & cæterorum, quos ſaluti eius conſeruandæ dux prouiderat, incolumis aſſeruari. Profecti vnà in Louenborg ad implendas pactas conditiones, oſtenderunt cuſtodibus vinctum dominũ ſuum. Iubentur ab Adolpho arcem tradere, negant: rogantur, obſecrantur: contemnunt. Itaq; quum nihil ibi ageretur, comes vinctus per terram ſuam trahitur in Daniam. Inſultauere Dani qui odibant: gemuere ſortẽ fortiſſimi viri, qui ſine odio iudicabant. Igitur in vincula coniectus, aliquandiu ſeruatur in carcere cũ Waldemaro Sleſwickcẽſi epiſcopo, belli quandoq; ſocio ac cõſorte. Interea rex Kanutus cum fratre loquutus Lubicam intrauit, vrbẽ nouam, ſed floreſcentem. Germanam amborum Helenam coniugio ſociauere Wilhelmo Leonis filio, germano Ottonis atq; Henrici: ex quo ſolo ſtirps Leonini generis in hodiernum perſeuerat. Lætati ſunt Holſati Stormariiq;, ſperantes quòd in dotẽ ille acciperet terram Adolphi, vt non cogantur ſubeſſe diutius Danis. Sed ſpes eorũ fruſtrata eſt. Amborum tamẽ ille ſororius, magnis ſæpe honorib. ab illis afficitur, magna ſpe ſouetur.

Adolphus imparatus opprimitur. *Adolphus vinctus.* CA. 20.

INTERIM rex Lubicam inuiſit vrbem, quam magni fecit, honorificè à populo & clero excipitur. Venienti offerũt qui cuſtodiere præſidium Trauemunde: quod regem ingenti affecit lætitia. Prouinciales autem omnes eò cõfluentes regem ſalutauere, ſacramenta pro tempore præſtantes: ille progreſſus vſq; in oppidum Molne, acceptis obſidibus redit in regnum ſuum. Dux obſidionem firmat aduerſus arcem Louenborg: Inde verò in Zegeberg quoq; obſidio ducitur in longum. Obſeſſi ſæpe per inuia dilapſi cibos intulerũt. Quod vbi dux aduertit, firmata vbiq; obſidione, fame cœpit pertentare obſeſſos. Extrema paſſi ſe continuere: ſæpe farinæ in modum calcem proiecerunt, vt victualibus abundare crederentur. Ad extremum, vbi nulla ſpes ſupererat, & fames inualuerat, paciſci libertatem, & rerum ſuarum integram poſſeſſionem, ducicq; arcem conſignare deliberauerunt. Anno ſecundo poſt mille ducentos vix in animum hoc induxere. 1202. Priuſquam perficerent, nuncium dux Waldemarus accepit de morte fratris Danorum regis: & contendens mox in regnum coronam promeruit, benedictione epiſcopali de more conſecratus. Et redibat iam rex anno proximo, vere primo: & adunatis vndique viribus, quum iam omnia citra Albim eſſent in manu eius præter arcem Louenborg, indignum reputabat, ſi ea ſola viribus regni & totius obſiſteret prouinciæ. Itaque totis oppugnatur conatibus: machinæ, catapultæ, baliſtę, omnium generum tormẽta adhibentur, nec data quies oppugnationi. Sed pertinaciter repugnabant qui tenuere, infracti

CAP. 21. *Obſeſſi deditionem faciunt.*

viribus,inconcuſſi minis. Ad extremum tamen comitis domini ſui commiſeratione colloquium popoſcere: ſpondent deditionem facere, ſi comes laxetur. Pontifices qui aderant, interpoſuere fidem, ſi arcem dederent, & comes de ſeruanda pace obſides daret, liberum fore. Igitur rebus cò perductis dedit Adolphus obſides duos ex liberis ſuis, & filium cognati ſui Adolphi de Daſſe, & filium Henrici comitis de Dannenberge: inſuper octo pueros miniſterialium ſuorum, & iureiurando vtrinq; preſtito firmatum eſt vt obſides poſt annos decem liberi eſſent: ſi tamen rex aut comes infra illos annos decederet, non minus laxarentur. In has conditiones arx regi traditur. Comes laxatus vinculis redit in Scowenborg, nuſquam his terris redditus. Interea concaptiuus eius Waldemarus epiſcopus in vinculis perdurabat: ſed pietate domini Andreæ archiepiſcopi & aliorum qui pro ipſo mouebantur, à captiuitate hoc pacto eximitur: Quia regium (vt diximus) ſanguinem trahebat, magni patrimonij hæres, & contra regem pridem ſe erexit, ſuſpecta eius relaxatio multis ducebatur. Vnde miſſo ad hoc nuncio per ſedem apoſtolicam, ita decernitur, vt nunquam in ea prouincia conſiſteret, in qua regi ſuſpectus eſſe poſſet ad rebellionem: & hoc ſacramento præſtito ab ipſo firmabatur. Rex laxatum miſit ad ſummum pontificem, vt apud ipſum conſiſteret, donec apoſtolica illi prouiſio fieret de eccleſia opportuna. Laxatus tamen & à pontifice dimiſſus, aut clam abcedens, maturauit, vt ad regem Philippum perueniret: vbi ſuam iniuriam queſtus, expectauit adiutoriū regis & vindictam in hoſtes. Sed hoc poſteaquam electus in ſedem Bremēſem apud ſedem apoſtolicam, confirmationem non impetrauit: quod diximus in Metropoli.

Rebellio ab epiſcopo timetur.

CAP. 22. PER hæc tempora quum omnis Holſatia in manibus eſſet Danorum, ipſiq; aut iugum ferrent patienter (non dico libenter) aut gemerent impatienter, magna pars nobilitatis, quæ libertatem amplexa alienum detrectabat imperium, in paluſtribus Wilſtriæ delituit, vtcunq; opportunitatem præſtolata meliorum temporum. Adolphus autē impatiens tantarum varietatum, preſertim quòd obſides dediſſet filios, nihil ſe in terra Holſatiæ nouaturum, conquieuit. Sed ferunt annales nobilem dominam de Deeſt, nec tamen adiiciunt cuius fuerit originis, an baronum, an comitum: ſed in arce quæ tum fuerat Kellingdorpe, morata, hoc ſibi nomen habebat, vt Deeſtz de Kellingdorpe diceretur (compertum tenemus nobilem extitiſſe eo nomine in Weſtphalia familiam, vnde potuit originem ea mulier traducere) Alberto forſan Nordalbingiæ, aut cuidam ex maioribus terræ denupta: res in obſcuro manens locum facit coniecturæ. Ea fœmina, quū terra magno Danorum iugo premeretur, deliteſcerentque Holſati iugum refugientes, acceſſiſſe fertur Adolphum olim Holſatiæ, tum Scowenborg comitem, eumque obſecraſſe mulier gratioſa & facunda, vt quando ipſi nec liberet nec liceret oppugnare Holſatiam, vel vnum ex adoleſcentioribus filiis permitteret, qui terram patrum ſuorū præſens gubernaret: eſſe non paruam Holſatorum manum, qui accepto capite pro libertate decertarent. Comes multa prætenderat quæ illum auerterent, regis potentiam, obſidū ſuorum perniciem, & iuratæ fidei religionem. Mulier precando non fatigata, quum ad omnia promptè reſponderet, nihil formidandam regis potentiam Holſatorum libertati comparatam: eos eſſe animos, eam fortunam, vt accepto domino tolerarent omnia: obſides tuto fore loco, priuſquam aliquid incipiant: illum nihil acturū, ad omnia quieturum: filij auſpiciis rem omnem expediendam, quod nihil officeret religioni iuriſiurandi. Flexus mulieris infatigabili inſtantia, filium illi adoleſcentiorem permittit Adolphū. Hic eſt eius nominis in Holſatia quartus, prima adoleſcentia deuectus in paluſtria Wilſtriæ. Holſati proceres huius rei conſcij, præfectum regis Daniæ circunſiſtunt, iura ſua illis permitti depoſcunt: ſic expromiſſum à duce iam rege, quum arcem Zegeberge traderent. Ille reiicit cum indignatione precantes. Illi pertinaciter inſtant, iura ſua repoſcentes: nam Danicis legibus parere ſe nec poſſe nec velle. Iubet ille oſtendi ius, ſi quod ſuū habeant: & conuicium adiiciens, Canem, inquit, introducam qui ius vobis delatret. Ita tum iubet conquieſcere, eant, de ſuo iure interloquantur, ſe ignorare quæ ſint eorum iura: Danorum ſe legibus de libro notiſſimo iuſtitiam cuiq; monſtraturum: ſi minus nunc oſtendere poterunt ſua iura, altera vice redeuntes, quum deliberatiores fuerint, tum exponant. Et quidem illa vice conquieuere, nihil grauius intentantes. Sed ad conſtitutum diem iam inſtructiores redeunt, iterum ius ſuum reſtitui magnis clamoribus depoſcūt. Præfectus Waldemari regis declarari & oſtendi iubet quale ſit quod poſcunt, quo libro ſcriptum,

Adolphus muleris oratione adductus bellum renouat.

Holſatorū re...io.

ſcriptum, quo ordine defenſum. Tum vnus cæteris fidētior educto gladio, Ecce, inquit, ius noſtrum quod gladio tueri ſuſcepimus. Ille cernens nunciantis fiduciam, murmuraque circumſtantium non contemnens, manifeſtam vidit rebellionem: & paulatim ſe ab illis retrahens, in tutiora recepit. Sed illi inſequuti cedentem occupauere, ac gladiis confoderunt: tum verò munitiones, quibus ſe continere ab Danorū ira cogitabant ingruente bello, magis ac magis firmauerunt. Oppidum Itzeho ducto ingenti foſſato communiere: in quod quum regij præfecti exercitum duxiſſent, nouo iacto aggere, ac ponte facto quum inſtarent expugnationi, ferunt excreuiſſe Storam fluuium per diem bis in eandem altitudinem, vt pōte deiecto ciues tuerentur, Danis excluſis. Dies erat proxima natæ virginis Mariæ. Viſa eſt ſublimi ſupra oppidum diuæ Virginis imago, quam ſanctè qui viderunt venerati, ex illo die religioſiſſimè coluerunt. Perſeuerat in hodiernum memorandæ rei memoria, appellaturq; hodie ciuium dies. Exinde verò nihil magnum per aliquot annos geſtum legitur, huius adoleſcentis comitis primæuo tempore. Nam Albertum quendam Holſatiæ comitem proxima tempora monſtrabant: qui vnde ſit ortus, in annalibus mira taciturnitas: ſed a nobis ſuo tempore oſtendetur, quis & vnde fuerit. Mira ſcriptorum vel ſimplicitas vel negligentia. Comitem ferunt Holſatiæ: ſed (vti Melchiſedech) ſine patre, ſine matre pueriliter introducunt. Nos originem pandemus: iam hoc commonuiſſe ſufficiat. Hoc tempore rogatu nobilis dominę, miſſum in prouinciam adoleſcentem Adolphum, qui per gradus quos infrà memorauimus, excreuit in virum maximum & fortitudine & religione ſingularem.

Imago vrbi obſeſſæ ſalutaris.

C AP. 23.

Reges mutuo bello atteruntur.

INTERIM verò Philippus & Otto reges mutuis ſe viribus attriuere ſæpe concurrentes: & quanquam impar viribus Otto videretur, exitu tamē prælij par ſæpe eſt inuentus, aliquot vulneribus exceptis, quòd ipſe manu promptus ſeſe pugnantibus immiſceret. Wilhelmus comes Iuliaci, quum partes Ottonis diu fouiſſet, auerſus cœpit literis agere apud Philippum, ſi gratiam aliquam apud ipſum iniret, noſſe ſe viam, qua Coloniēſem archiepiſcopum, qui maximè Ottonem tueretur, & nonnullos alios principes, Ottonis lateri detraheret. Conſtituitur ea de re à Philippo locus ad colloquium. Conuenit inter eos, vt ſi quod polliceretur efficeret, acciperet à rege prædium, quod ſexcētas pręſtaret annuas marchas. Wilhelmus pollicitus operam, cōuenit Adolphum archiepiſcopum Colonienſem. Vides, inquit, quò res vergat: quid nitimur in aduerſum flumen? Totus Philippo orbis conſentit, generis nobilitas, morum probitas, rerū magnificentia pro illo faciunt. Proinde quò nos Deus ire iubet, ne reluctemur. Placeat tibi conſiliū meum, vt Ottone relicto Philippum ſequamur: hac ſtat parte iuſtior cauſa. His atque aliis verbis motus Adolphus Wilhelmo non refragatur: eoq; res peruenit, vt miſſis inuicē crebrioribus nuntiis, Philippum Adolphus Aquiſgranum perductum regem conſecraret. Diſplicuit ea res plurimum Colonienſi capitulo & populo, ita vt in faciem reſiſterent archiepiſcopo ſuo, quid tantopere variaret? Ipſum eſſe qui Ottonem ſummo pontifici cōmendaſſet: nunc verſa ſententia illum ſine cauſa reprobaret. Quumq; archiepiſcopus in cœpto ſuo perſiſteret, miſſæ ſunt à capitulo & populo literæ ad ſummum pontificem, archiepiſcopi fluxam fidem accuſantes. Vocat papa pontificem, vt veniat infra menſem & dimidium obiectis reſponſurus. Ille neglecto eccleſiæ mandato domi reſedit. Dati ſunt iudices, canonicus & duo parrochiales: qui quum legitimè citatum monerent vt errori ſuo renunciaret, alioqui excommunicatum deiicerent ſede ſua, & idoneum alium pręficerent eccleſiæ ad formam apoſtolici mandati. Sed archiepiſcopus omnia cōtempſit. Ergo quum non acquieſceret monitis delegatorum, poſt excommunicationem interdicto ſupponitur, & omnibus inſordeſcens deponitur, & Bruno Bunnenſis prępoſitus in locum eius eligitur. Ad quod exequendum maiores perſonæ delegantur. Libet inſerere apoſtolicam epiſtolam ſub bulla miſſam.

Colonienſis archiepiſcopi inconſtantia.

De ſede contumax deturbatur.

C A. 24.

Decretalis papæ epiſtola.

INNOCENTIVS epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabilibus fratribus archiepiſcopo Moguntino, & epiſcopo Cameracenſi, & dilecto filio Scholaſtico ſancti Gereonis, Salutem & apoſtolicam benedictionem. Vt Adolphus Colonienſis archiepiſcopus incidat in foueam quam pararat, & intret impius gladius in cor eius, pertinax ipſius inobedientia, periurium iteratum & proditio vulgata depoſcunt. Ipſe enim nec Deum timens, nec reueritus hominem, nec Colonienſis eccleſiæ dignitatem attēdens, in offenſam Dei, eccleſiæ Romanæ contemptum, & ſuæ ſedis diſpendiū, à ſe iugum obedientiæ

excuſſit,iuramentum ſemel ac iterum præſtitum violauit,& eum prodidit quem creârat.Sanè quum olim chariſſimum in Chriſto filium noſtrum illuſtrem Ottonem in Romanum Imperatorem electum coronaſſet in regem,& fidelitatis ei præſtitiſſet iuramentum:apud nos multipliciter inſtitit, vt eidem regi fauorem apoſtolicum impendentes, ratum quod ipſe fecerat haberemus. Quumq; multiplicatis interceſſionibus obtinuiſſet à nobis,vt in honorem ipſius eccleſiæ Colonienſis regis deferremus honori,cœpit in eiuſdem deuotione tepeſcere, ac manum ſuam ab aratro retrahens, occaſiones friuolas inuenire à nobis,ne quod plantarat irrigaret,quatinus citò areſceret planta eius,quũ ſolicitudinem ſubtraheret manus plantatoris. Verùm quia neque qui plantat, neq; qui rigat, eſt aliquid,ſed qui incrementum dat Deus:inualuit nihilominus per gratiam nouus palmes:& quum extenderet iam ramos ſuos & pullularet, vidit plantator inuidus,& inuidit,& non potuit diutius occultare virus ſuum: quia nequam mentem iniqua operatio reuelauit,& arbor agnita eſt in fructu. Commonitus igitur & conuentus iterũ præſtitit iuramẽtum,quòd eundem regem nunquam deſereret,nec in partem alteram declinaret:ſed iuramentum ſtabilire non potuit mentem illam, quæ innatæ leuitatis vitio fluctuabat. Nos autem ſicut non de facili crederemus quòd vir præditus tanta dignitate ſic eſſet aduerſarius ſibiipſi,vt quod fecerat,intenderet annullare:nequid tamen noſtræ deeſſet ſolicitudinis,ad conſtantiam eum excitare volentes, & monitis & minis inſtitimus apud ipſum,& ſub quanta potuimus ei diſtrictione præcepimus, vt eidem regi aſſiſteret,& ad promotionem eius efficaciter aſpiraret,cauens ſolicitè ne maledictionẽ pro benedictione acciperet,ſi illuſiſſe nobis tam turpiter probaretur. Ipſe verò non attendens,quòd ſicut obedientia victimis antefertur,ſic inobedientia idololatriæ comparatur,lora derumpens,in vitium inobedientiæ incidit: & contra præceptum noſtrum & proprium iuramentum,corruptus pecunia (ſicut fertur) dominũ ſuum temerarius prodidit:& conuerſus in arcum peruerſum, nobili viro Philippo duci Suæuiæ contra eum impudenter adhæſit. Et ne quid eius præſumptioni deeſſet,& ne culpa eius aliquo velamine poſſet palliari,nuper Aquiſgrani(vbi præfatum regem antea ſolenniter coronauerat)memoratum ducem publicè coronauit: quamuis excommunicationis ſententiam incurriſſet,quam in eccleſia Colonienſi coram multitudine copioſa,ipſo pręſente ac gerente ſtolam ſacerdotalem in collo,& candelam in manu accenſam tenente,frater noſter G. Remenſis archiepiſcopus,nunc epiſcopus Præneſtinus,Ap.Se.legatus, promulgauit in eos qui a præfato rege diſcederent,& parti alteri adhęrerẽt. Vt igitur Colonienſes,qui noluerunt in malo caput languidum imitari, ſed in eiuſdem regis fidelitate perſtiterunt firmius & perſiſtunt,expurgato fermento veteri (quod voluit tantam maſſam corrumpere)ſint noua conſperſio,ſicut ſunt azymi, nihil corruptionis habentes, quum iuxta canonicas ſanctiones accuſatione non egeant manifeſta. Vnde nos, eius exemplo qui abſens corpore, præſens autem ſpiritu Corinthium damnarat abſentem, potuiſſemus in eum ſententiam promulgare:ad maiorem tamen cautelam, conſilio fratrum noſtrorum & tam epiſcoporum quàm prælatorum plurium,diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus,diſtrictè præcipientes,quatinus quum apud vos ſint iſta luce clarius manifeſta,dictum archiepiſcopum, pulſatis campanis & accenſis candelis, ſingulis dominicis diebus & feſtiuis excommunicatum publicè nuncietis,& faciatis per omnes eccleſias Colonienſes & vicinas dioceſes ſub ſolennitate ſimili nunciari,ſuffraganeos & omnes vaſallos Colonienſis eccleſiæ,tam clericos quàm laicos, abſolutos ab eius obedientia nunciantes. Quia verò ſi tantum ſcelus maneret inultum, quis de cætero poſſet impune inobedientiæ vitium,periurij crimen ac proditionis facinus perpetrare:ſub eadem diſtrictione vobis præcipimus,quatinus(quum hęc nulla poſſint apud vos tergiuerſatione celari)vos eum authoritate noſtra ſuffulti, à pontificali officio ſublatum, cuiuſlibet cõtradictionis aut appellationis obſtaculo remoto deponatis(niſi forſan infra menſem poſt factam à vobis denunciationem ad ſedem apoſtolicam acceſſerit iudicandus) iis ad quos electionis ius noueritis pertinere,apoſtolica authoritate iniungentes, vt perſonam idoneam,quæ tanto congruat oneri & honori,ſibi eligant in paſtorem. Quòd ſi electionem contigerit aliqua fortè(quod abſit)conditione differri, ne bona Colonienſis eccleſiæ poſſint interim deperire, alicui perſonæ honeſtæ ac prouidæ & potenti committatis adminiſtrationem illius. Quia verò illius eccleſiæ tanto amplius zelamus honorem,

rem,quanto clerum & populum eius deuotiores & firmiores ſumus experti, ne vnitatẽ eius aliqua ſciſſura corrumpat, ſi forſan ij ad quos electio ſpectat,non potuerint conuenire, præcipiatis eiſdem vt in aliquos viros idoneos conferant vota ſua, ad ſedem apoſtolicam accedentes,cum conſilio noſtro:qui ad eorum cõcordiam,faciente Domino, dabimus operam efficacem,vt perſonam idoneam ſibi eligant in prælatum.

CAP. 25.

HANC inſerendã putaui decretalem epiſtolam,quia plena eſt rebus gerendis tum, nunc geſtis. Taliter vt meruit,de ſua dignitate Adolphus eſt eiectus, & Bruno Bunnenſis præpoſitus in eius eſt locum ſurrogatus: qui à domino apoſtolico archiepiſcopatus inſignia ſuſcipiens, & cum Ottone quæ pacis ſunt ſentiens, in ciuitate quidem ſubditis ſuis præerat. Adolphus autem vir nobilis magni generis,quæ foris fuere tenuit occupata. Erant qui poſtea pertentarunt animum ſummi põtificis, vt ad Adolphum denuo inclinaret:ſed non præualuerunt. Decreta ille ſua conſeruabat,ſcribens Ottoni regi in hęc verba, Innocentius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Chariſſimo in Chriſto filio illuſtri regi Ottoni,in Romanum Imperatorem electo,Salutem & apoſtolicam benedictionẽ. Sinceræ intentionis affectum, quem circa promotionem regiam habuimus hactenus, & habemus,explicare nos literis non oportet, quum plenius hunc exponat effectus, & fidelius interpretentur mentem noſtram opera quàm ſcripturæ. Sanè præter opinionẽ plurium & multorum conſilia,ſuſcepimus ab initio cauſam tuam,de cuius promotione omnes penè penitus deſperabant,& ſtuduimus efficaciter promoueri: nec te in articulo illo reliquimus,quo per obitũ inclytæ recordationis Richardi regis Anglorum auunculi tui videbaris ab omnibus derelictus. Licet enim non defuerãt qui multipliciter nos tentarint, vt muneribus & promiſſis nos à propoſito tui fauoris auocarent,nec prece tamen,nec pretio,nec minis,nec aliis rebus poterant inflectere mentem noſtram, quin de die in diem amplius in tua dilectione ferueret,& ad tuam exaltationem propenſius aſpiraret. Quamuis autem neq; qui plantat neq; qui irrigat ſit aliquid, ſed qui incrementum dat Deus,gaudemus tamen in eo qui dat omnibus affluenter: quia ei quod plantauimus & irrigauimus,incrementum benignus indulſit: ita vt granum ſinapis, quod mulier in horto ſuo legitur ſeminaſſe,planta noſtra in arborem magnam iam creuerit, in cuius ramis volucres cœli dante Domino in breui ſedebũt,& ſub cuius vmbra beſtiæ terrę quieſcent. Quum igitur Dominus dirigat greſſus tuos, & firmet de die in diẽ amplius regnũ tuum:monemus ſerenitatẽ regiam,& exhortamur in Domino,quatinus quum tempus iam acceperis opportunum,opportunè ac importunè, vigilanter & inceſſanter inſiſtas, vt bonum principium finis optimus ſubſequatur, & optatum commune deſideriũ noſtrum ſortiatur effectũ. Foueas in dilectione ac deuotione tua principes qui te fouent, vt alios melius ad tuæ ſerenitatis fauorẽ inducas:& dum tibi fauor arridet, ad tuæ promotionis prouectionẽ intendas:nec negligas in aliquo factũ tuum, ſed omni diligentia ſtudeas promouere. Sanè ſperamus in eo qui eſt in ſe ſperantiũ fortitudo, q; ſi denuo profecetis,ſicut hoc anno diceris ꝓfeciſſe,nõ erit qui tuo ꝓfectui ſe opponat, vel diuinę diſpoſitioni reſiſtat. Datũ Anagniæ XVII. cal. Ianuar. anno põtificatus noſtri VI. Hæc idcirco interponenda putaui, vt ſummũ pontificis Rom. ſtudiũ erga regẽ Saxonẽ agnoſcamus.

Innocentij papæ ad imperatorem epiſtola.

CA. 26.

PHILIPPVS quoq; non ceſſabat cõciliare ſibi fauorem plurimorum, poſteaquã Aquiſgrani in regem eſt coronatus: ipſamq; Coloniam infeſtus perſequebatur, & ducẽ inter alia de Limburg ſuæ parti inclinauit. Is tum erat ductor Ottoniarum copiarum. Quum enim Philippus Coloniæ ꝓpinquaret,hic dux,qui præfectus erat vrbis, agmina eduxit in Philippum. Aderat ipſe Otto cum ducis memorati filio,& archiepiſcopo Brunone. Acerrima pugna conſeritur: ipſo tamen duce ſegnius adminiſtrante prælium, cecidere viri quadringenti ex Ottonis parte, multi præterea capti: Otto ipſe vulneratus elabitur cum archiepiſcopo & ducis filio, inq; arcẽ Waſſenberg fugiens ſe recepit. Sed quũ ibi ferendæ obſidioni ſecurus nõ eſſet, noctu clam cũ ducis filio proficiſcitur, archiepiſcopo ibi ſubſiſtẽte. Adſunt hoſtes die poſtera,& hoſtẽ cõcluſiſſe rati, alacrius obſidẽt, & oppugnãt expugnantq; arcẽ. Captũ archiepiſcopũ in Herbipolim diuturna captiuitate perducunt. Inde verò quum papa miſiſſet in Germaniã componendæ rei gratia duos cardinales,in Quedelenborg conuentus agebatur Imperij. Ibi multa ſunt ventilata. Sed tamen priuſquam reges conuenirent,cardinales apud Philippum (penes quem difficiliores partes ſunt rati ſe reperturos) agebant, oſtendentes illi ſummi pontificis ad pacem

Philippus Ottonem in fugã coniecit.

ardinales andatorũ à apa accepto- um non ſatis emores.

propenſiſſimam voluntatem. Quumq́; ille mandatorum fines ex illis ſcrutaretur, dixere, Si Bruno captus vinculis laxaretur & omni captiuitate, tum ipſum quoq; Philippum excommunicatione ſoluendum. Rex ſe nullo modo in laxationem capti poſſe aſſenſum præbere oſtendit, niſi ex ſententia omnium principum, & præſertim Adolphi, qui propter ſe pateretur ſui honoris detrimentum. Cardinales, quo pacto incertum, metu an fauore, munere an promiſſis flexi, Philippum abſoluerunt, Brunone non laxato. Tum ad Ottonem quoq; regem ſe contulere, illum de rebus interpellaturi. Sciſcitatur ille quid apud Philippum inuenerint. Reſpondent, ita rerum extitiſſe neceſſitatem, vt illum vinculo ſoluerent excommunicationis, vt pacatiore ad reliqua componenda vterētur. Excandeſcens rex literas ſummi pontificis, quas ad ſe clanculo ſuper mandato cardinaliũ dediſſet, protulit. Hæ, inquit, oſtendent ſi mandati fines impleueritis. Sic enim ſtetit ſententia pontificis, ſine vinculo corporali Brunonis, non laxandum ſpiritale Philippi. Erubuere cardinales, & bene ſperare iubentes Ottonem, redeunt ad Philippum, oſtendunt Brunonem omni pacto laxandum: alioqui abſolutionem quam impenderant euaneſcere. Inuitus laxauit archiepiſcopum: & paucis adhibitis deſcenderunt reges in colloquiũ: ibi multis vltro citroq; dictis ſine fine diſceditur. Philippus tamen intentus rei, eundem Brunonem iterum capi, & in arce munitiſſima Rodenburg iuſſit aſſeruari. Papa, vbi res innotuit, ſcripſit Philippo, niſi laxaret Brunonem, ilico grauioribus ipſe vinculis teneretur. Cuius rei gratia ſolutum remiſit ad ſummum pontificem, vt ibi remaneret, donec Adolpho prouiſio fieret: diſpenſatumq́; tantiſper cum Adolpho, vt ducentas annuas de teloneo Bunnenſi, & tantundem de Colonienſi, & octo ſtipendia in ipſa ciuitate perciperet. Quibus rebus perfectis Bruno ad eccleſiam ſuam quietus regreditur.

C A. 27. ANNVS erat quartus poſt mille ducentos, quum iam vniuerſa Nordalbingia ſub rege Daniæ Waldemaro eſſet: qui euocatum Adalbertum comitem de Orlemunde, omni illum præfecit quam olim Adolphus poſſederat ditioni. Erat is filius Henrici de Orlemunde, qui relictam ſecundi Adolphi accepit vxorem, ex qua ſuſtulit (vt præſumitur) hunc Albertum. Vacabat tum ſedes Raceburgenſis, mortuo Iſfrido. Diuiſerant autem electores ſua vota in duos. Nam alij Henricum præpoſitum virum induſtrium prætulere, alij Philippum, priſci pontificis capellanum. Quæ cõtrouerſia quum in longum proceſſiſſet, contulere partes arbitrium in Albertum comitem Nordalbingiæ: qui vſque ad Albim fluuium regis Daniæ auſpiciis omnia gubernabat. Albertus autem prætulit Philippum. Hic eſt ille Albertus cuius nomen in faſtis legitur, ſed ridiculè origo ſiletur: vterinus frater tertij Adolphi, cuius mater (vt diximus) Hērico paruuli ſui tutori nupſit. Hoc erat illud tempus, quo Ieroſolymitani peregrini, capta Conſtantinopoli, & rege illius oppreſſo, Baldewinum Flandriæ comitem, orientis Imperio præfecerunt. Anno pòſt tertio, qui fuit ſeptimus poſt mille ducentos, quum Hartwicus archiepiſcopus Bremenſis diem ſuum obiiſſet, electorum maior pars, contemptis Hamburgenſibus regi Waldemaro tum parentibus, & perinde in Waldemarum dudum epiſcopum Sleſwickcenſem conſentire haud poterant, eundem Waldemarum elegit, iam Bononiæ literis vacantem. Maior eccleſiæ præpoſitus, qui & ipſe aſpirabat ad epiſcopatum, quum ſciret contemptos in electione canonicos Hamburgenſes, & eorum contemptum electioni nociturum, ſe cum aliquantis in ipſa vrbe Brema retraxit ab electione, rei exitum proſpiciens. Miſere Bremenſes ex ſuo cœtu & miniſterialibus ſolennes ad Waldemarum nuncios, cum decreto electionis. Ille mox cum eiſdem ſedem petiuit apoſtolicam. Gratulatur illi ſummus pontifex: nec tamen feſtinat confirmare, ſciēs eſſe in itinere qui meliora rerum documenta perferrent. Venere Hamburgenſes, & contemptum ſui obiecere electioni. Venit & Petrus Roſchildenſis præpoſitus: literas tamen (quas in itinere prætendit amiſiſſe) nullas præferebat: ſed oſtendit iuramentum à Waldemaro præſtitũ regi: nunquam ſe eo loci conſidere, quo ſuſpectus poſſit haberi. Et quis vnquam locus ſuſpectior eſſe poſſet quàm ille ad littora Germaniæ? Sentiens Waldemarus rei difficultatem, illi centiatus abiit, & ad Philippum regem ſe contulit. Ille gauiſus mittit eum in eccleſiam Bremenſem, ſuſcipiturq́; cum honore. Sequutæ ſunt eum excommunicationis literæ in omnem prouinciam: Bremæ tamen diu nemo obtendebat, donec inter offerentes quidam illas imponeret altari. Rex Waldemarus audito introitu æmuli ſui, cum magno venit exercitu, illum impediturus. Sed quoniam Guncelinus & Henricus comi

aldwinus cõ ntinopol. perator. 1207.

menſis ar- piſcopatu contentio- venit.

tes de

tes de Zwerino regem offenderant,pulſo de Grabow arce ſua Iohanne Gantz, ad regẽ profugiente,exercitum miſit per manum Alberti memorati in illos: qui arcem Boyceneborg oppugnans confregit,& omnem terram gladio & igne peruaſtauit. Waldemarus quoque epiſcopus ſe bello in regem gerendo præparauit. Interea Butchardus maior præpoſitus,præferens ſuam ab Hamburgenſibus & quibuſdam Bremẽſibus electionem,à rege Daniæ inueſtitur:& de oppido Hamburgo,quod regi parebat,duxit in Stadium,idq; oppidum vi cepit.Inde tamen poſtea, quum Waldemarus epiſcopus exercitum quàm potuit maximum duxiſſet in Stadium,eiecit Burchardũ. Abeunte verò exercitu,Burchardus receptum iterum oppidum communiuit.Rex autẽ Daniæ facto ponte Albim tranſiuit in anguſtioribus,credo,inſularum faucibus, & partium ſuarum fauori arcẽ Horneburg firmauit.Hæc breui trãſimus:quia latius in Metropoli noſtra dixim⁹.

PHILIPPVS autem rex, cognito quòd rex Daniæ cum exercitu veniret in fines Saxoniæ,arbitratus illum quoque partibus Ottonis æmuli ſui accedere, ingentem contraxit exercitum Vngarorum,Bohemorum,Theutonum,& (qui tum omnium erãt formidabiliſſimi) Valuorum. Conſedit Bambergæ adunationem exercitus ſui expectans: quum interim Otto non minus ſe excipiendo hoſti,magnis copiis & commeatib. prouiſis,& arcium ac oppidorum munitionibus præpararet.Per quæ tempora erat Bambergæ inter Philippi duces quidam Otto de Wiltisbach comes Palatinus,intantũ regi quandoque addictus,vt filiam ille regis ſperaret coniugem. Quumq; feris moribus,quòd nimium videretur gladio promptus,occiſis quibuſdam qui regi eſſent commendatiſſimi, à ſe regem auertiſſet,iamque illius filiæ nuptiis deſperatis,filiam ducis Poloniæ,quæ materno genere ipſum etiam regem contingeret,depoſceret:inque eam rem literas à rege commendatitias depoſceret,exemplar proferens, quo ſibi profuturas ſperaret literas: rex verbo aſſenſus,animo aliud agebat,quòd feroci viro vt filiam,ſic cognatam putabat eſſe negandam:& perfectis iam literis traditæ ſunt poſcenti.Ille vbi accepit,vel ſigno deprehendit,vel animo coniecit immutatas. Itaque ſeuocans ſcribam, apertas iuſſit recitari:nam vir militaris literas ipſe non agnouit. Vbi ille vidit literas Vriæ, expauit, dominumque obſecrabat ne ſe cogeret literas interpretari: eſſe ſibi vitæ apertum diſcrimen, vbi apud regem comperiretur ſe literas comiti recitaſſe.Pepercit precanti,& animo magis ac magis efferatus,reperit alium qui literas interpretaretur.Infremuit vbi audiuit: & tamen nihil dicens,iram vt potuit compreſſit.Stratis equis redibat in palatium, per media diſponens qui abitum eius tuerentur:& nudato gladio ludibũdus ibat per palatium. Inde regij triclinij fores appellans intromittitur:ibi quoque ludens gladium verſabat.Increpitus à rege,quid ſibi vellet enſem in conſpectu ſuo vibrare,nõ eſſe locum neq; tempus digladiandi. Reſpondet ille,Et locus & tempus enſem poſcunt. Hoc dicens regem confodit,vnoque exanimat ictu. Dum ſtupent qui aderant,ille diſpoſitis per media cuſtodibus,gladium verſans eques abibat.Hic erat lachrymabilis exitus regis Philippi viri manſuetiſſimi,& qui in diuina religione non ſegnis haberetur:apud ſummum tamen pontificem paterna illi & fraterna durities oberant. Hic erat annus octauus poſt mille ducentos,antea monſtratus religioſo viro in Raceburgo, quòd finem eſſet tumultibus ille annus daturus.Doluerunt inconſolabiliter omnes,qui regi illi adhæſere:planxerunt qui virtutem propius nouerunt. Sed volat irreparabile quod præterierat. Waldemarus Bremenſis electus,qui multum ſperauerat in Philippo,nunc magna parte ſpe concidit.

CA. 28.

Bellum inter imperij æmulos.

Literæ pro veru à rege ſſi-cta.

Philippus interficitur.

1208.

CA. 29.

REX Otto iam adueniſſe tempus ratus quo de inimicis ſe vindicaret,prohibitus eſt à principibus,præſertim archiepiſcopo Magdeburgenſi & Bernhardo duce Saxoniæ, rectè rem conieciantibus,melius modeſtia quàm vi rem proſperandam. Nam ſi violentus inſtiteris,inquiunt,alium ſurrogabunt æmulum: ſin manſuetè ages, vnus in te omnium aderit conſenſus.Sequitur rex iuſta pacis conſilia,& in Halberſtadio indixit regni conuentum omnibus principibus euocatis, vt de communi principe & generali pace ageretur.Conuenere frequentes de Saxonia,Turingia,Miſna vtriuſque ordinis principes,& renouata electione eundem Ottonem declarauere. Aderat electus Herbipolenſis Otto,queſtus iniuriam & damna eccleſiæ ſuæ infinita, per Henricum & Philippum fratres,pro qua etiam cauſa cæſus ſit præceſſor eius Conradus: niſi incolumitati conſuleretur eccleſiæ ſuæ,non ſe poſſe quicquam in regno videre immutatum. Multa vltro citroque dicta fuere.Quum non ex ſententia ſua illi reſponderetur, exiens abiiſſe vide-

Otto Imperator mortuo æmulo.

batur:ſed ab amico reuocatus,electioni conſenſit. Quumque rex etiam ſuperiotis Alemanniæ principes expectaret ad conſenſum, indixit conuentum alium in Francfordiā. Ibi paruere omnes Suæuiæ,Bauariæ,Franciæ principes,vnanimi voto regem approbantes. Aderat filia regis Philippi vnica,lachrymoſè queſta necem immeritam patris in ſua domo,ab eo quem dignitate auxiſſet.Mouit omnes lachrymans puella: nam & cauſa & perſona cæſi & cæſoris,ſimul rei indignitas commiſerationem cunctis extorſit. Fuere qui lachrymas non tenuere. Motus rex, proſcriptione publica damnauit iniquum homicidam:qui non longè pòſt ab Henrico Caladino,& Vlfonis filio (quem ille quoq; ceciderat)obtruncatus eſt ad Danubium,deſectúmque caput in profluentem proiecere. Rex puellam in protectionem accepit,& annitentibus cunctis qui aderant, etiam regi deſponderi cœpit.Impedimentum erat ſanguinis:ſed illud apoſtolica diſpenſatione tolli poterat.Trecentas quinquaginta arces cum prædiis ſuis in dotem afferre dicebatur. Ibi quoque oblata ſunt regi Imperialia inſignia,quæ ab Henrico Imperatore ad fratrem facilè peruenerint.Orta eſt noua lux per Germaniam. Erubuere quibus ludibrio quandoque fuit res Ottonis: qui etiam interpoſito pignore nunquam regnaturum affirmarent.In quibus erat Franciæ rex,qui quum Otto ex Pictauia Franciæ duceretur electus, fertur irriſiſſe tranſeuntem.Si enim ille aliquando rex,inquit,futurus eſt, accepto nunc ab illo gradario ſuo tres illi ciuitates,quum ad regnum quietus peruenerit, in Francia dabo,Pariſium,Stampes,Aurelianum.Qui quum ſermo tum ad Ottonem perferretur,facilè illi miſit quem tenuit ſonipedem optimum, in eam conditionem: paruum munus regi ab rege futuro:ſed vt illius ſuperbiam aliquando retunderet, hoc pignus depoſuit. Anno deinde proximo contendit rex in Aldenburg (alio nomine dixere Pliſnam) vbi ingens tum erat Imperij patrimonium. Nam Imperator Fridericus quingentis argenti marchis à comite Rabadone,cum arcibus Liſnæ & Coldis comparauit ditionem. Aderant Miſnenſes & Citznenſes,Poloni atque Bohemi,& Vngari.Ibiq; multis finitis diſceptando negotiis,& pace iurata (quæ omnibus curis renouata eſt) rex Brunſwicum contendit:vbi ſacram Pentecoſtes ſolennitatem peregit,ad quam ſolos familiares voluit amicos conuenire. Aderant archiepiſcopus Magdeburgenſis, electus Halberſtadenſis, Hildeſemenſis,Hauelbergenſis epiſcopi,Corbeienſis,Fuldenſis,abbates. Aderat quoq; totus feſtiuus dux Bernhardus,Lantgrauius,Palatinus Rheni, Miſnenſis, & de Landeſberge machiones, Wilhelmus dux Luneburgenſis (is erat regis germanus) & marchio Brandenburgenſis, Comitum non erat numerus, militum etiam maior multitudo. Quibus omnibus honeſtiſſimè & abundantiſſimè de impenſa regia eſt miniſtratum. In ſancta verò die,quum archiepiſcopus Magdeburgenſis Miſnenſem marchionē excommunicatum abire iuberet,nec placari poſſet vt adeſſe pateretur,exiuit cum eo rex,ne verecundia tangeretur:poſtera die re compoſita per regem,vnà ad diuinum officiū proficiſcuntur.Quum cōuiuio pro regia magnificentia excepti lætiores eſſent, feneſtra proſpiciens dux Bernhardus,vidit leonem fuſilem,quem Henricus dux pater honori ſuo & memoriæ collocaſſet.Comiter leonem appellans,ait,Quouſque vertis hiatum in orientem?deſine,iam habes quod voluiſti:conuertere nunc in aliam mundi plagam.His verbis omnium auxit alacritatem,ſolutiq; ſunt in riſum vniuerſi.

[margin: Otto filiam æqualis ducit vxorem.]

[margin: Magdeburgensis archiepiſcopus implacabilis.]

CAP.30. PROFICISCITVR inde rex Otto in Goſlariam, vbi rebus ex ſententia conſtitutis peruenit ad cœnobium Wakenrode,vbi à quinquaginta duobus abbatibus eſt exceptus,conſalutatus,& in fraternitatem(quod magni ille fecit)receptus: & ab illis ſolenniter per dies aliquot procurantur de more commeatus.Herbipolim veniens,vbi conuentum indixit,cum hymnis & laudibus excipitur,concinente choro, Adueniſti deſiderabilis.Aderant apoſtolici legati Hugo Oſtienſis,Leo Sabinenſis,cardinales epiſcopi,cū magna prælatorum principum & nobilium frequentia:Sifridus Moguntinus,Theodericus Colonienſis,Iohānes Treuerenſis,Euerhardus Saltzburgenſis archiepiſcopi,Henricus Argentinus,Sifridus Auguſtenſis,Conſtantienſis quoq;, Otto Friſingenſis,Manegoldus Patauienſis,Henricus Ratiſponenſis,Ludolphus Baſilienſis,Heribertus Hildeſemenſis,Iſo Verdenſis,Halberſtadenſis,Hauelbergenſis epiſcopi: Cono Elewangenſis, Fuldenſis,Herſfeldenſis,Corbeienſis,Prunnenſis,Herbipolenſis,abbates: Odoacer rex Bohemiæ,marchio Morauiæ,Lupoldus Auſtriæ,Bernhardus Saxoniæ, Ludouicus Bauariæ,Bertoldus de Saringia,Lotharingiæ Brabantiæque duces,marchio Miſnenſis, de

Landeſ-

Regis in principum conuentu oratio.

Landesberge Cõradus, de Brandenburgo Adelbertus, & alij quãplures. Rex ſolis quos diximus prælatis & principibus in conſiliũ euocatis, ita proloquitur, Arbiter cœli Deus, qui etiam ſuſcitat de puluere egenum, vt cum principib. ſedeat, & ſolium regni teneat, quiq; olim inter fratres contemptũ Dauid ad regnum prouexit: is per ſolitã ſibi clementiam non reſpuens noſtram humilitatẽ, quem reprobauerunt ędificantes lapidẽ, ille con ſtituit in caput anguli. Nunc ergo diuinæ parentes iuſſioni nõ refragamur, veſtrum præſertim cernentes in noſtra aſſumptione conſenſum. Tales nos propitio Deo geremus, vt neminẽ in hoc conuentu ſuæ vocis pœniteat. Nuptias inire ſuademur à multis. In conſpectu noſtro eſt omnis regni nobilitas: de illuſtriſſimis domibus vel vnam inueniamus regio dignã thalamo. Multorum audiuimus inclinationẽ principum, qui Philippi quondã ducis Sueuiæ filiam in cõmune bonum nobis putarunt cõſociandam. Sed obſtat prohibitus conſanguinitatis gradus: cui ſi apoſtolico munere cõſulatur, nihil eſt quòd nos detrectemus. Cęterùm rem omnẽ in communem omnium veſtrum deliberationẽ reiicimus, conſilio veſtro non defuturi: hoc enunciãtes, ſi ſex annorum millib. nobis vita (quæ per anguſta eſt) donaretur, nollemus inire conſortiũ thalami cum detrimento perpetuæ ſalutis. Quid enim habet omnis mundus quod animæ ſuæ quiſq; præponat? Nec mouemur ſuper dote, quæ, quoniam ſit ampliſſima, inter quatuor Philippi filias diſtribuatur. Nos in re toti ex veſtro pendemus conſilio: nihil niſi quod communis proſperitas & veſtri iudicij indubitata grauitas denunciauerit, nobis eſt faciendum.

CAP. 31.

Principum ad Ottonis orationem reſponſum.

ILLI abiere conſulturi. Quumq; frater eius Palatinus ipſe quoq; in concilium abire iam vellet, Sede, inquit rex, nobiſcum germane frater, ne cuiuſquam liberam in concilio vocem frons tua diſcutiat. Deliberati rediere, Lupoldum Auſtriæ ducem facundiſſimum principem verbo reſponſionis onerantes: qui his verbis ſententiã omnem omnium explicuit, Hic, inquiens, cœtus prælatorum ac principum, optime ac illuſtriſſime rex, gratias habet modeſtiæ tuæ, quòd rem tantã in arbitriũ eorum conieceris, meq; omnium verbis iuſſere vt edicerẽ, rem eſſe non magni conſilij, quæ luce clariſſima com muni totius Germaniæ paci ſit conſultura: nec enim ſolius tui nunc agitur cauſa, ſed cõmunis omnium noſtrũ ſalus & proſperitas eò inclinat. Si reniteretis, oratũ venirent principes vt affectum in ſe tuum inclinarent. Nunc quoniã in medio hæret ſententia ex eorum quos euocaſti conſilio proceſſura, nemo in hoc cõuentu diſcrepat: omniũ eò propendet inclinatio, vt fœliciſſimas (quod confidimus) nuptias, & nobiliſſimæ puellæ tibi thorum conſocies. Quod ad prohibitionem ſanguinis pertinet, aſſunt apoſtolici legati cum eius rei plena facultate, qui ſuum in ea re miniſterium non detrectant: quando publica ſalus & omniũ conſenſus hoc depoſcit coniugiũ, quod tibi omnes qui aſſunt quiq; abſunt, longum, fauſtum, fœlix imprecantur. Vbi rex nõ ingratus acquieuit, iuſſa eſt vocari puella. Vbi venit, a principibus ex latere regis inclinans, & ſic ſuſcepta collocatur. Rex anulo ſubarrauit confidentem, & excepit in oſculo pacis: inde in medium cardinalium ambo excipiuntur. Tum aſſurgens rex, Ecce, inquit, quod petiſtis, reginam habetis. Vos quiſq; de ſuo miniſterio cogitate: noſtrum fuerit communi omnium inuigilare ſaluti. Soluto conuentu puellam iuſſit cum germana honorificè Brunſwicũ deduci: ipſe rex terrarum negotiis & regni curis intentus, cogitabat iam de profectione in Italiã: deq; Imperij corona ſuſcipienda cum principib. agere incepit. Conuentu in eam rem in Auguſtam indicto, prælati & principes ex vniuerſo regno ordinantur, qui euntem in Italiã regem comitentur. Erant aũt hi, Treuerenſis, Magdeburgenſis archiepiſcopi, Herbipolenſis, Spirenſis (qui & regni cancellarius) Argentinus, Wormacienſis, Baſilienſis, Conſtantienſis, Patauienſis, Curienſis, Auguſtenſis, Eyſtatenſis, Pragenſis, Olmucenſis epiſcopi: de Augia, de ſancto Gallo, de Kemptẽ, de Wiſſenburgo, de Seltza, de Prunna, de Ebſterna abbates. Principes hi fuere, Bauariæ, Lotharingiæ, Saringiæ, Carinthiæ, Morauiæ, duces: marchiones, & comites plurimi. Cæterùm qui remanſere, tranſeuntiũ ſumptibus cooperabantur. Circa aſſumptionem Virginis alpium iuga tanto ſeptus agmine rex tranſmiſit: per Inſprugge Brixiam attigere, deinde Atheſis fluuij deuexa tranſeuntes, Tridentum peruenere. Ad Cluſam Veronenſium arx erat, quam magna manus militũ inſedit Veronenſibus infeſta. Regi autem tranſitũ fecere incolumẽ qui arcem tenebant, ſe ac ſua offerentes. Veronenſes tamen ab impugnatione nõ ceſſauere, quamuis rex pacem illis denunciaret. Qua ex re exaſperato rege, multis illi millib. aureorũ regi datis, in

Philippi filia Ottoni deſponſatur.

Otto Romam coronandus proficiſcitur.

gratiam eius redierunt. Procedens aũt cum expedito agmine, à Cremonenſib. & Mantuanis obuiis excipitur cum honore. Tranſito Pado, Parmẽſes & Potitremolenſes honore certabant in ſuſcipiendo rege: nec defuere Mediolanenſes, Ianuenſes, Lucenſes, qui in viam occurrẽtes, ſuarum vrbium claues & magna pertulere donaria, regiis agminib. in ſolatia ſumptuum. Nec minor erat Hetruriæ cura regem in ſuis vrbibus honoranter excipere. Ad Viterbium vſq; procedens, obuium habuit ſummum ab Vrbe pontificem per millia Italica viginti. Ibi complexus & oſculatus, inuicemq́; principes orbis gratulati ſunt, quòd mutuos mererentur amplexus & colloquia miſcere.

CAP. 32. IAM Octobe rappetebat menſis, priuſquam rex ipſe Romam contingeret, adoraturus ad limina ſanctorum apoſtolorũ, vt Imperatoriam quoq; coronam acciperet. Habuit autem in comitatu ſex millia loricarum, exceptis baliſtariis, quæ leuis fertur armatura, & eorum numero prætereo qui non ad pugnandum, ſed illuſtrandum tanti regis exercitum affuere ex prælatis: qui etſi ipſi minimè ad militiam ſcriberentur, duxere tamen familiam non paruam, quæ militantibus insereretur. Quumq́; immineret dies coronationis, tantus eſt factus populi concurſus, vt preſſura grandis & interitum multis & impedimenta rerum faceret agendarum. Rex huic conſulturus negotio, ſpargi nummiſmata iubet in diuerſum, vt à preſſura diſtraherentur: & vix etiam ita lanceis & fuſtibus iter tenere poterant in ædem diui Petri, qui coronationi intereſſent. Igitur in Dominica qua concinit eccleſia, Da pacem domine, Imperator factus Otto conſecratur, & Imperij diademate coronatur, cunctis vel mente cõcinentibus, Fiat pax in virtute tua. Expleto magnificè officio, papa vocat Imperatorem ad conuiuium: ſed maiori inſtantia vrget Imperator, vt ſecum ducat ad epulas pontificem. Quum ergo inſcendenda eſſent iumenta, Imperator non immemor apoſtolicæ reuerentiæ, ſtrepam apprehendit: & iſto animo perdurans, cum illo proficiſcitur per vrbem in locum conuiuij ad Lateranum: vbi ſimul in vnum diuiti & pauperi parata ab Imperatore ſumma cura manebat refectio. Waldemarus interim Bremenſis poſt exitum Philippi, iam pauper & exul, aures ſummi pontificis pulſare non deſtitit, miſericordiam implorans. Sed quoniam multiplex erat contumacia, nihil potuit amplius impetrare, niſi vt extra Bremenſem eccleſiam in pontificalibus diuinum perageret officium. Obſtitit quoque illi Ottonis Imperatoris cum Danorum rege Waldemaro adhuc perdurans intelligentia, ptopter affinitatem, quam frater Imperatoris Wilhelmus cum rege inibat.

Otto ſumma omnium lætitia coronatur.

CAP. 33. OTTO iam Imperator factus priuſquam Roma abiret, ab Ro. exaſperatus ſe vertit in illos, intus & foris oppugnans. Hucuſque autem inter Ro. pontificem & Imperatorẽ integra durabat affectio. Non ſatis autem conſtat quibus ex cauſis orta ſimultas Imperatorem commouit in Romanos, & perinde pontificem: niſi quòd promptum eſt coniicere, iam ciues Rom. ipſa iam dudum vera Romanitate vaneſcente, ex omni colluuie gentium nouum populum (quod Itali quoque ſcriptores teſtantur) pacis hoſtem, quietis impatientem, nouitatis aliquid ab Imperatore (quod ille dare nollet) popoſciſſe: vnde orta ſimultas illos prelio conſumpſerit. Ad pontificem autem illa poterat ſubeſſe cauſa, quòd Imperator per Italiam antiqua Imperij iura repoſceret, quorum iam quædam trãſiſſent ad eccleſiam. Vendicabat quoque ille Mathildis potentis per Italiam fœminæ locupletẽ hæreditatem, quam illa legaſſe diceretur eccleſiæ: Imperatore reclamante, quòd dupliciiure ad eum pertineret. Nam legitimus hæres videbatur amitæ ſuæ, quæ nata fuit (vt oſtendimus) ex marchionibus Saxoniæ: & illo etiam iure non extante, vacantis feudi redibat ad Imperium directum dominium. Abiens vrbe Imperator, prædia quę Romanæ dicerentur eccleſiæ inuaſit, montem Faliſcum & vrbes cõterminas. Papa miſſis nunciis admonuit vt ſibi temperaret, memor eſſet longæui in perſonam eius fauoris ab eccleſia, & q nouiſſimè paternã benedictionẽ præſens accepiſſet. Valuit amplius apud Imperatorẽ indignatio quàm vlla cõmonitio. Ex Tuſcia aũt iam diu fatigata vertit agmina in Apuliã, quã Fridericus Hẽrici Imperatoris filius, ſub eccleſiæ manẽs protectione, iure hæreditatis de materno ſanguine tenebat, quũ ſibi eccleſia dominiũ directũ aſcriberet. Ergo q Imperator magis magiſq́; incrudeſcẽs ab iniuriis eccleſiæ nil tẽperaret, papa illũ anathematis mucrone percuſſit. Interim Gerhardus Oſnaburgẽſis epiſcopus, Ro. pontificis trãſlatione in archiepiſcopũ Bremenſem cõfirmatur. Sed dux Bernhardus pro Waldemaro faciens, ipſum reduxit Bremã. Cui ciuitas intantũ ſauit, vt pro ipſo interdictum eccleſia-

Papa & Imperatoris concurſio ob honoris cupiditatem dirimitur.

Imperator à papa anathematecferitur.

eccleſiaſticum diu ſuſtineret. Sed per idem tempus idem dux Bernhardus de Hadeleria reuerſus finem viuendi fecit: filium Albertum natu minorem in ducatu, Henricum ſeniorem in comitatu de Berneborg & Anehold habuit ſucceſſores. Henricus autem Palatinus Leonis filius Henricum morientem filium præmiſit, & ſine hęrede remanſit. Luctantur interim de Bremenſi dioceſi Gerhardus & Waldemarus. Henricus Palatinus pro Waldemaro arcē Valkenberg, & Gerhardus Sluttere in aduerſos extruxerūt. Quare autem Bremenſes inhæſerint Waldemaro, vide in Metropoli.

ANNVS erat duodecimus poſt mille ducentos, quum Innocentius papa (qui iam operas omnes in ſtudio quod verterat in Ottonem, videbatur amiſiſſe) in tantum cœpit odiſſe hominem quantum antè dilexit: & cohortatur principes electores, vt quoniam ipſe excōmunicatum pridem & deinde depoſitū Imperio Ottonem abiecerit, alium ſibi principē deligant ad Imperium: obiiciens illis Fridericum adoleſcentē annorum XX. Siciliæ regē Henrici Imperatoris filium, Friderici I. nepotē. Interim Otto nuptiis Brunſwico celebratis, breui pòſt nouam nuptam amiſit morte ſubtractā. Fridericus autem inſtinctu pontificis rex Romanorū electus, regem Bohemiæ in ſocietatē belli in Ottonem aſſumpſit, & duxit in hoſtē, Brunſwico illum pulſurus. Sed illos audiuit apparatus Ottonis: vt Quedelenborg veniēs inde iter vertens retro abiret. Priuſquā tamen ad hoc perueniretur, Otto, qui ſciret auerſum ſibi pontificis animū, & perinde principes per excōmunicationis ſuę nexū congreſſu ſuo abſtinere, nec ignoraret Friderici motus ex Italia, omnibus itineribus eius exploratis, apud Conſtantiā illi obiecit copias. Sed ferocior erat Fridericus ad tranſitū, quàm ad interuertendū Otto. Quum primū perueniſſet inuito Ottone in Germaniā, terram patrum ſuorū, hoſtem ſtatuit in loco ſuæ manſionis oppugnare: ſed iter vertit ex cauſa quam diximus. Interim Franciæ rex Philippus, quum ſciret Ottonem male ſibi affectum propter propinquitatem ſanguinis ad Anglię reges, quib. iamdudum bellum erat cum Francis ex poſſeſſione Normanniæ, quam vterq; ſibi rex vendicabat. Is igitur rex miſſo Moguntiā filio Ludouico, perſuaſit Friderico, vt in Valentianum oppidum ſitum ad Moſam, ſibi pro ineundo fœdere occurrerent. Quod vbi factū eſt, ingens bellum exarſit in Ottonē. Iam enim Philippus Franciæ rex infeſtus Fernādo Flandriæ comiti, filio regis Portugaliæ, in Flandriā ducit. Is comes ſe regi Angliæ ſubmittit. Rex Angliæ Ottonem Imperatorē ad arma vocat: erat enim Aquiſgrani Otto. Paratur bellum omnium maximū, quum reges duo, Ro. & Angliæ, in Francum concitarentur, Friderico adhuc ad omnia quieto: expectabat enim exitū prælij quod parabatur vtrinq;. Igitur quū rex Franciæ iam Flandriam peruaſtaſſet, Otto Imperator, quòd eſſet ſorore Iohannis Angliæ regis genitus, venit cum expeditis copiis in eam regionem. Rex Franciæ tanta mole bellum agebat, vt omnem iuuentutis in regno ſuo florem duceret in agmine. Tornacum Franci petunt, audito tanto duorum regum in ſe apparatu, quòd eam vrbem Flandrenſes pridem occupaſſent: ſed facilè rex tantis copiis recuperauit. Dum autem ibi Franci multa moliuntur, Imperator multo ſuo comitatu Flandrenſibus propinquat: quod vbi Francis nunciatur, parant ſe prælio. Sed quū eſſent anguſtiora itinera, procedere in hoſtes rex noluit: verùm prudenti vſus conſilio, retroceſſit in patentiores campos, tribus inde millibus, ad pontem (vt vocant) Bouinū. Sequutus cum agmine inſtructo aderat Imperator. Iam in alterno conſpectu agmina erant hoſtilia: explicuit vterque copias ſuas ad pugnam.

CA. 34. 1212.

Papa Ottoni aduerſariū & æmulum ſuſcitat.

Bellum ad omnes principes permanat.

REX Franciæ cōuerſus ad ſuos ait, Otto contumax eccleſiæ, iram Dei ſupra ſe meritò contremiſcit: nos, etſi peccatores, eccleſiæ tamen paremus. Quocirca auxilium eius ab alto bene ſperantes pręſtolamur, in cuius nomine prodeat diui Dionyſij fœlix ſignū. Ab altera autem parte Romanæ fulſerunt aquilę, volant per nubila ſignorum dracones. Ita autem itineris ratio cōparabatur, vt Otto in aduerſum ſtaret ſolem, quum rex à tergo illum pateretur, & ipſa iam meridie acrius vrebat. Siniſtro autem regis ac dextro Flandrenſium cornu prima pugnabat acies. Flandrenſium comes, memor quòd in ſua proq; ſua ditione tam magnum prælium iniretur, vt fortem decebat, fortia facta ſuis præferebat. Sed dum audentius quàm prudentius pugnat, capitur. Miſcētur pugiles, equites incurrunt equitibus, acris pugna tribus horis perdurauit: cædunt, procurrunt victi victoresq;. Germani qui cum Imperatore venerant, regiam aciem validè perurgebāt. Peruenerant aliquando perfringentes aciem, tam de propinquo pugnantes, vt regē Franciæ

CAP. 35.

Ottonis & Francorum regis aduerſa acies.

equo deturbaret. Signifer inclinabat lilia, vt auxilia vocaret. Impetator viciſſim à Gallis non ſegni pugna impetitur. Inuentus eſt qui approperans frena iumenti eius arriperet: ſed facilè ille cum ſuo detrimento repellitur. Excepit vulnus in caput ſonipes Imperatoris: vnde factum eſt vt inuitũ auerteret acie. Sed nouo rurſus impoſitus iumento redibat ad pugnam. Tanta autem erat pugnãtium denſitas, vt minimè in aciẽ reciperetur. Percrebuit fama de Imperatoris fuga: eam Galli excitarunt, & clamorib. vulgarunt. Perurgebat vtrinq; acris pugna: cæduntur, capiuntur, fugiunt. Comes Bolonienſis inter nouiſſimos ex acie Imperatoris ſubſtitit, donec & ille caperetur. Gallis tandem cedit victoria. Hic erat exitus grauiſſimæ pugnę, quam Galli multis celebrant carminibus, gloriam ſuę gentis efferẽtes. Ottoni hoc contigiſſe infortunatum bellum quis nõ videt ob contumaciam in Ro. eccleſiam? Comes Flandriæ tum captus, XII. continuos annos egit in carcere, quum interim Iohanna cõiunx prudentiſſimè Flandriam adminiſtrauit, effecitq; poſtremum vt maritũ poſt multa eductũ vinculis reciperet in terrã. Otto aũt Imperator in Saxoniã reuerſus, ſibi ſæpe indignatus, q̃ conſiliũ ſumpſerit oppugnandæ Ro. eccleſiæ. Fridericus autẽ contra eum magis ac magis inualuit. Nam Triueltz & Lãdeskrone, quæ vſq; in eum diem pro Ottone ſenſerant, vi cepit anno XV. poſt MCC. à nato Chriſto.

Flãdria comes duodecim annos captiuus.

CA. 36. QVO tempore rex Daniæ Waldemarus multis nauib. per Albim tranſiens in Stadium, quod pridẽ Waldemarus epiſcopus occupauit, cogitabat opprimere. Sed prohibebat Palatinus Ottonis frater: ita vt tũ infecto negocio rex fruſtratus redire cogeretur. Imperator autẽ cum fratre & Ottone marchione de Brandenburgo, & Waldemaro epiſcopo obſedit Hamburgum. Ciues quum regi Danorũ parerent, magis tamen afficerentur Adolpho iuniori comiti, facilè ceſſerunt tantis virib. Sequenti tamen anno ſeruabat rex Daniæ tempora, quum Albis glacie indurata eſſet. Qua occaſione traiectis per glaciem copiis ad Stadium peruenit oppugnandum, vt extruderet Waldemarum epiſcopum regni ſui inſidiatorem. Sed quum gelu laxato glacies quoq; cepit flacceſcere, timens rex ne regreſſu intercluſo fame laboraret in hoſtica terra, reduxit exercitum: & omnes vires in recuperandum oppidum Hamburgum cõuertit, quod priori anno Saxones occuparunt. Iam in id roboris primum coaluerat, vt regem (quod antea non potuit) ſuſtineret oppugnantem: fame curabat perurgere, quum rex ſubitus ad Albim erigeret præſidium. Extat locus in parrochia diui Nicolai (Vrbem nouam vocant) in quo tum arcem à rege firmatam crediderim. Anguſtum enim oppidũ, præter diui Petri parrochiã, tum aut parum aut nihil incluſit: nam reliquæ partes illi poſtea acceſſere. Supra verò oppidum ad partem orientis Albertus Nordalbingiæ comes, quem rex fecit Adolpho tertio ſuccedere (comes is erat de Orlemunde tertij Adolphi vterinus frater) & ipſe fortalicium erexit, prohibendis inuectionibus rerum neceſſariarum. Afflicti autem fame, & quum non cernerent qui eximeret eos calamitate, pacti libertatem regi ſe dederunt. Interim Stedingi, qui hactenus Waldemarum epiſcopum defenſitauerant, Gerhardo ſe archiepiſcopo coniunxerunt, & Bremẽſes cum Waldemaro impugnarũt. Contra quorum impetus Bremenſes Henricum Palatinum Ottonis fratrem inuitant. Idem quoque Gerhardus, vt Waldemarum epiſcopum excluderet, adiutus ab Alberto memorato comite, arcem & præſidium ad Zwingam fluuium erigit. Sed Henricus Palatinus pro Waldemaro & Bremenſibus ſentiens deiecit. Proximo tamen anno ipſi Bremenſes iam malorum pertæſi, iuncti Stedingis Gerhardum archiepiſcopum ſuum introducunt excluſo Waldemaro. Imperator autem Otto cum fratre Henrico Bremẽſem parrochiam ferro & igne inuadunt, quum Waldemarum, cui ſtuderent, cernerent excludi.

CA. 37. ALBERTVS comes Nordalbingię nauigat in Liuoniam pugnaturus aduerſus infideles: quæ tum peregrinario per ſingulos annos renouata, multum fructum afferebat in conuerſionem gentium (quæ pro duritia nationis, nõniſi armis potuit ad iuſtitiam flecti) procurante Alberto Liuonienſi epiſcopo, qui per annos triginta continuata nauigatione, peregrinos portat atque reportat, duces, comites, pontifices, prælatos, milites, militares, equites pediteſque, ciues, mercatores, qui zelo deuotionis accenſi fatigari non poterant, quandiu ſupereſſet quod ageretur. Sed interim Otto Imperator quũ magnis diu laboribus per annos penè viginti in regno & Imperio laboraſſet, nihil adeo ſenſit infortunatum quàm eccleſiæ rebellionem: vnde factum eſt vt nunquam poſtea fœlix ſucceſſibus eſſet. Quum autem morbo laboraret, qui vitam illi abſtulit, nimium facti pœnitens,

[...]rmis promo[...]tur Chriſtia[...]ſmus erga ſe[...] gentes.

pœnitens,& ineffabili cõtritione cõpunctus, in arce Hartesburg manſitabat. A Sifrido Hildeſemenſi epiſcopo abſolutus in pace quieuit: quã abſolutionẽ Honorius papa ratificauit. Tanta autẽ fuiſſe fertur morituri pœnitudo,vt coquinariis ſuis præciperet collũ ſuũm calcaneis premere,& viliſſimã Dei creaturã omnino ſupplantare. Optima autem ſpes ſalutis in tanta contritione. Quo tempore miniſteriales eccleſiæ Bremenſis arcem Vordia,quã erexere duces Saxoniæ,occupauerũt,per occaſionẽ quam diximus in Metropoli.Sequenti ſtatim anno Fridericus rex conuentu habito apud Goſlariam, principes cõuocauit, vbi Henricus Palatinus, Ottonis frater, inſignia Imperij principibus exhibuit. Et inde apud Francfordiam Gerhardus Bremenſis archiepiſcopus, quẽ pro ciuitate Bremenſi in cauſam traxit idem Hẽricus Palatinus, ibi diem ſuum obiit, ſubſtituto in eius locũ Gerhardo Padeburnenſi præpoſito,Bernhardi de Lippia,primùm comitis,pòſt abbatis, demũ epiſcopi filio. Quo etiam tempore rex Daniæ Reualiã in Eſtonia Liuoniæ prouincia occupatam extruxit, & ad Chriſtianiſmũ redegit: ex quo tempore ſemper permãſit ſub eccleſiaſtica ditione metropolitani Lundẽſis,quamuis temporale dominium peruenerit ad fratres ordinis Theutonicorũ in eadem prouincia.

Otto mo[…] proximus p[…] catũ agnoſc[…]

FRIDERICVS eius nominis II. iamdudum viuente Ottone Ro. rex electus, ab Honorio Romę coronatur Imperator,Henrici filius,Friderici I. Imperatorũ nepos,anno Chriſti viceſimo poſt mille ducentos.Sed quod contigerat eccleſiæ in Ottone,idem ſenſit in Friderico. Nam poſt acceptam à papa benedictionem, vterq; verſo in eccleſiã dorſo,in eius detrimentum multa patrabat. Ferunt tum temporis conceſſiſſe è vita Cõſtantiam eius matrem, fœminã & annis & prudentia maturam,quæ filium diu vitiis pro ſua reuerentia cohibuit.Quæ vbi abceſſit,continuò liberiores ſumpſit habenas, frænatamque aliquandiu nequitiam paſſus eſt vulgari. Nam ſummo pontifici primùm reniſus,multa fecit quæ non decebant: monitus non deſtitit: excommunicatione pulſatus contempſit,exarſitq; magis in malitia. Comminatus eſt pontifex in eum deteriora: iriſit primùm. Exinde pontifex exoluit vinculo religionis omnes illi ſacramento deuinctos: ſed inſanabilis permanens, etiã Imperio deponitur. Sed neq; hoc magni fecit. Nã filium ſuũ Henricum decennem puerum,ne ab Germanis abiiceretur,regẽ Germaniæ declarauit Francfordiæ: idq; ratũ habuere principes electores.Sunt huius rei exempla plurima. Nam hoc ante illũ fecit Fridericus I. de Henrico filio poſt ſe imperante: fecit idẽ Henricus IIII. primùm de Cõrado filio,inde(vbi iſte diſplicuit, deficiens à paterna improbitate)Henricũ V. alium filiũ regem declarauit:qui etiam viuentem patrẽ depulit Imperio. Hoc exemplũ ætate noſtra ſequutus Fridericus III. in Maximiliano filio, qui nũc regnat,magis(vt ferunt)fieri paſſus eſt à principibus electoribus,quàm faceret. Erat tũ annus XXIII. poſt mille ducentos à Chriſto nato,quũ Waldemarus rex in Dania ſua ruri pernoctans,caſum pertulit miſerabilem: nam quòd caſtra tũ ſub diuo teneret,non apparet ex quiete temporũ ſuorũ in regno. Forte tunc venationibus apricabat, ruſtica domo pernoctans.Id obſeruans Henricus Zwerinẽſis comes, homo Saxonici generis, audax facinus & omni ſeculo memorabile eſt aggreſſus.Erat idem Henricus extra regis gratiã ex cauſa quam ſuprà memorauimus,quòd Iohannẽ Gantz arce ſua Grabow exegiſſet profugientem in regnũ: eaq; ratione præcepto regis Albertus de Orlemũde comes, Henricũ memoratũ etiam quibuſdam ſui iuris arcibus exuiſſet, iamq; publica interpoſita fide idem Henricus ad placandũ regẽ veniſſet in Daniam. Quumq; illi duras recõciliationis ſuæ cõditiones,quas ſubire nõ poterat,obtendiſſet, obſeruabat tempora quibus in venatione omnes regij ſtipatores iam dilapſi regem in tentorio cum vno vel altero reliquiſſent,noctu ingreſſus Henricus cum fidiſſimis, regem vinxit cũ ſuis, & obturans ora captorum perducit in nauim,quam nõ longinquam habebat apparatam. Ita regem noctu eremigans nemine ſentiente, captũ perducit in Saxoniam, & in Dannenberge graui cuſtodiæ mancipabat. Tentatũ idẽ aliquando de Friderico I. Imperatore, ad amnem cũ ſolo famulo diuerſante. Vnde emergens quidam qui obſeruabat, coriaria,ſed ſtricta,veſte Imperatorem medium implicuit, conatus pertrahere in amnem vt abriperet,peregiſſetque,niſi gladio miniſtri abacto latrone Imperator ſe explicuiſſet, illo per amnem ad ſuos natando reuertente.Sed hęc aliàs.Quum ergo Henricus rex, Imperatoris Friderici II. filius, ſenſiſſet captũ Daniæ regem in Saxonia prouincia ditionis ſuæ detineri,gratiam aliquãdo eius initurus, curiam indixit in Bardewico,dudũ euerſo

CAP. 3[…]

1220.

Fridericus p[…] pa hoſtis eff[…] citur.

1223.

Danus ratio[…] ne mira cap[…] tus abducit[…]

per Henricum Leonem oppido, ſed nunc paulum reſpirante. Aderat eidem Henrico Engelbertus Colonienſis archiepiſcopus. Multa molitus in relaxationem vincti regis, nihil profecit. Permanſit autem duobus annis in carcere, donec x l v. marcharũ argenti millibus ſe redimeret, exceptis denariis & muneribus, quæ in eam rem medio tempore impendit amicis: ſicque vincula exiuit, quæ duos per annos à comite tenuit.

Cap. 39. E a m benegerendarum rerum occaſionem obſeruans Adolphus iunior comes de Scowenborg, auxiliante patre & Gerhardo Bremẽſi archiepiſcopo, Henrico de Zwerino, & Henrico de Werle comitibus, dum rex captus teneretur, expergiſcentibus etiã Holſatis (qui iuniorem comitem latentes in paluſtribus Wilſtriæ induxerunt trans Albim) vocat auxilia, terramq́; occupat patrum ſuorum Tranſalbinam. Albertus de Orlemunde comes, qui hactenus à rege terræ præfectus omnia gubernabat, quum nullas à capto interim rege ſuppetias haberet, obuiam tamen profectus venientibus, collatis prælio manibus, ab Henrico Zwerinenſi comite capitur, & cum rege Danorum auunculo ſuo vinculis mancipatur. Rege tamen (vt diximus) ſuo ære redempto, manebat ille in carcere ex eo die in annos duos. Quo tempore Fridericus Imperator, mortua prima coniuge, filiam duxit Iohannis regis Ieroſolymitani. Vnde reges omnes Siciliæ vẽdicant eandem ſibi inſcriptionem: nam ille pro dote ſuſcepit titulum inanem eiuſdem regni Ieroſolymitani. Anno deinde proximo, qui fuit ſextus & viceſimus, rex Daniæ

nde nomen gni Hieroſo mitani qui- am ſibi ven- cent.

1226. Waldemarus, quum multum doleret per tempora captiuitatis ſuæ iterũ amiſſam Nordalbingiam, captumque Albertum cognatum ſuum de Orlemunde comitem, expeditionem fecit in Holſatiam, ad eam (ſi fieri poſſet) recuperandam. Auxilio illi fuit Otto princeps Luneburgenſis, Wilhelmi (qui erat Leonis filius) natus ſorore Waldemari regis Helena. Sed non præualuit tam ſubitò recuperare, quod tanta iam virtute comes Adolphus cum Holſatis tenuerunt. Hic prudens lector attẽdat vulgarem omnium ſuper hac re ſcribentium errorem, quos nominis fallit ſimilitudo. Tradunt Adolphum tertiũ, quem cæſus apud Demyn pater paruulum reliquit, quemque primum Henricus Leo Holſatia exturbauit, deinde (quum per Imperatorem Fridericum eam recepiſſet) ſecũdo ab Kanuto rege, & Waldemaro tum duce eius fratre eiectus ſit, eundẽ nunc tertiò Nordalbingiam recepiſſe, & inde nauigaſſe in Liuoniam, & reuerſum ordinem diui Franciſci ſuſcepiſſe. Sed ratio temporum non ſinit, vt vnum hunc extitiſſe credamus. Nam qui anno ſexageſimo quarto, quum pater cederetur, paruulus erat, iam eiectus à Kanuto rege ad minus erat quadragenarius: hoc verò tempore recuperatæ Holſatiæ ſupra ſexageſimum ageret annum. Quomodo ergo potuit idem poſt triginta annos & ordinem Franciſci ſuſcipere nonagenarius & ſuprà, ac in eo per annos x v i. & vltrà viuere? Quis credat octuagenariũ cum coniuge nauigaſſe in Liuoniam, & ibi depugnaſſe? Sed qui diligenter rem intuentur, inuenient filium eius patri extitiſſe æquiuocũ, qui terram Nordalbingiã patre iuuante recuperarit, queq́; adoleſcentulum mulier (quam dixi) nobilis à patre impetrarit: qui procedentibus annis, quũ in eam veniſſet ætatem vt armis idoneus eſſet, ſumptis auxiliis quæ diximus, ſit vſus occaſione capti regis, & Holſatiã receperit, regiq́; occurrerit hoc viceſimoſexto, & deinde maiori apparatu (quod in Wandalia diximus, & nũc paucis ad ſequentẽ annũ repetamus) regem ipſum ſuperarit.

Cap. 40. H e n r i c v s Palatinus comes, qui iam ſolus ex Henrici Leonis filiis ſupererat, ſi-
1227. ne prole maſcula moritur, viceſimo ſeptimo poſt mille ducentos, & perinde Bremenſis archiepiſcopus comitatum Stadenſem diu variè iactatum recuperauit. Henricus Leo primus illum per arma vendicauit. Inde pulſo illo in Angliam, Adolphus tertius Holſatiæ comes, illum deditum ex Henrici cuſtodibus per arma occupauit: vnde illum recepit Henricus Palatinus Leonis filius. Waldemarus quoque Sleſwickcenſis epiſcopus, tunc electus Bremenſis, aliquoties accepit: ſed in hunc vſque diem in manu Palatini permanſit. Nam à diebus Luderi ducis, poſtea imperantis (qui, vt diximus, capto Liemaro archiepiſcopo in illius redemptionẽ accepit aduocatiam Bremenſem) & deinde per potentiam Henrici Leonis acceſſit ducibus comitatus iſte Stadenſis. Vnde factum eſt vt tres Henrici Leonis filii ita partirentur paternam ditionẽ, quòd Ottoni proueniret Brunſwicum cum attinentiis, Wilhelmo Luneburgum cum terra ſua, Henrico Stadium & Brema cum pertinentiis. Sed quum ſine virili prole Henricus decederet, pactus eſt eccleſiæ reddere ſua iura: & ex pacto quod idẽ præſente Imperatore Frideri-

co I I.

co II. cũ Gethardo fecerat archiepiſcopo, idem nunc comitatus Henrico moriente ad eccleſiam redibat, vnde poſtea nõ eſt auulſus. Quo etiã tempore, quum Fridericus Imperator expeditionem in terrã ſanctam promulgari feciſſet, multiq́; ſe principes eidem peregrinationi accinxiſſent, inter alios Ludouicus Turingiæ Landgrauius beatæ Eliſabeth maritus, in portu nauigaturus moritur: & Imperator quæ reliquit arma & in auro argentoq́; iocalia, omnia iuſſit cõfiſcari. Quum interim Henricus tex Imperatoris filius Brunſwicũ occupare contenderet, quòd eam precio cõparaſſe diceretur à ſeniore filia Henrici Palatini morientis. Ad eandem quoq́; poſſidendã iure cõtendebat dux Bauariæ, qui minorem eiuſdem Henrici filiã teneret cõiugem. Quũmq́; hæc principes molirentur, Otto princeps Luneburgẽſis, Wilhelmi filius, Leonis nepos, omnes præuenit: & ingreſſus vrbem eã magnificè defendit, vt fruſtrarẽtur qui vel armis, vel emptionis, vel ſucceſſionis titulo conabantur occupare: factuſq́; eſt primus vtriuſque poſſeſſor ditionis, Brunſwici & Luneburgi, poſt auum ſuum. Titulus autem ducatus, qui vacabat à tempore deſtituti Leonis, per Fridericum II. illis reddebatur: quod ſtatim dicemus. Hic ergo Otto ſolus maſcula ſtirpe remanſit ex ſucceſſione Leonis. Nam Otto Imperator & Henricus Palatinus ſine virili prole (vt diximus) deceſſere. Saxoniæ autem titulũ tum Albertus habebat, Bernhardi filius: quem quidem Albertum ducem Nordalbingi vocauerunt: vt quoniam regi Danorum iam rebellare cœperunt, Lubicam atque Raceburgum illi conſignarunt. Dominos autem Nordalbingiæ vocant annales eos qui intra Albim & Daniã aliquid ditionis tenuerunt. Hi fuere Adolphus iam eius nominis quartus, Henricus de Warle, de Zwerino, & Raceburgo comites. Inſtabat enim bellũ maximum, quod totis Danici regni viribus imminebat.

Potiori iure nititur qui armis superior eſt.

CAP. 41.

ANNVS erat ſeptimus & viceſimus poſt mille ducentos, quũ iam terror Danici nominis obſoleſceret, minuſq́; timeri inciperet antè victorioſus rex, poſteaquã ab Henrico comite de Zwerino captus & redemptus eſſet, & iã ſemel ex regno detonans, armis eſſet à Nordalbingis repreſſus. Quũ interim ciues Lubicenſes, iam ſe recogitantes pridẽ Imperio per Fridericũ I. cõiunctos, per annos iam XXV. ſeruiſſe Danis, viderentque Adolphũ in Holſatia iugũ eius reieciſſe, & ipſi de ſua libertate cœperunt intendere: mittẽtes ad Imperatorem iã Fridericũ II. qui Imperiali culmini oſtenderent ſe non volentes eſſe per arma detractos Imperio, nũc ad eius ſubiectionem iterũ aſpirare, ſi modò protectione Imperiali ſecuri tutiq́; manerent. Nihil grauatus Imperator ad vnionẽ Imperij illos recepit, eximens à iure violento, quod nolentes ſubierant, armis illos præcipiens ſuã tueri libertatem, ſcribẽſq́; vicinis pręſidibus, vt pro Imperij honore accederent eorum auxilio. Quibus apud Imperatorẽ impetratis, mox obſeruantes tempora, arcẽ quã Lubicæ tenuere regij, ciues occupant, cuſtodes præcipitant, & apertã regi rebellionem moliuntur. Rex euocato ex Tranſalbianis Ottone principe Brunſwickcenſi & Luneburgenſi, ex ſorore ſibi nepote, ipſe totius regni viribus in expeditionem venit: mouit trans Eydoram in Holſatiã. Nec ſegniores occurrerant archiepiſcopus Bremenſis Gerhardus, dux Saxonię Albertus, Adolphus de Scowẽborg & Holſatia, Hẽricus de Zwerino comites, dominiq́; Wandaliæ proximæ: quibus Lubicenſes ciues omnia quæ poſſent arma coniunxerant. In regiis autem agminibus erãt Thietmarſi, qui comiti Adolpho clam fidem fecerant, pugna feruеſcente ſe tranſituros ad eius ſigna. Ipſo die Marię Magdalenæ acie concurrunt in Bornehouede. Ferunt aduerſum ſolẽ oculos Saxonum percuſſiſſe: ſed tũ ciues Lubicenſes votum concepiſſe ſuper eius diei peragenda annua ſolennitate celebriter, ſi vincerent: apparuiſſe Magdalenã inter nubila, & nubem oppoſuiſſe fulgenti ſoli. Pugnatum eſt acriter, & quum aliquandiu cõmunis mars ſæuiret, demũ volitaſſe victoriam in partem Saxonũ. Rex cum filio vix elabitur, Otto dominus Luneburgenſis capitur, Dani qui cædi ſuperfuerant, fugæ præſidium quærunt. Captus Otto in vincula deducitur, pręda inter milites diuiditur. Adolpho Holſatia, ciuibus Lubicenſibus libertas prouenit ex victoria. Interim Albertus de Orlemunde comes, quem Henricus de Zwerino vinctum tenebat, reddita arce Louenborg, quam ſui tenuerunt, liber euadit. Arx Alberto duci redditur, quam pater eius primus firmauit: vnde ſucceſſores eius tenent in hodiernum. Id erat militiæ ſtipendium duci. Nam captũ Ottonem Zwerinenſis comes ſuo lucro aſſeruabat.

Lubicenſes ſe in libertatem vendicant.

Dani prælio ſuperantur.

LIBRI SEPTIMI FINIS.

SAXONIÆ LIB. VIII.

CAP. I.

FRIDERICVS Imperator per ea tempora, ad quod venerat, quod intendebat, quod pontifex cupiebat, quod omnis Chriſtianiſmus expectabat vt exequeretur, properaturum ſe promiſit: conſtitutumque eſt veris tempus ad cõueniendum Brunduſij, quo ex portu tunc ſoluere eſt pollicitus. Pontifex Gregorius ex Anagnia Romam reuerſus, cruceſignatos (qui in orbe Chriſtiano multi erant) vt ad diẽ conuenirent, miſſis quaquauerſum tabellariis admonuit. Conuenit verò ingens multitudo, quorum genere & potentatu præſtantior fuit Haſſiæ ex Germania Landgrauius. Ver autem iam plenè exactum erat, quum expectatus requiſituſq; Fridericus, ægritudinem incidiſſe ſimulans, in Sicilia ſe continuit. Malo enim vir animo, mala mente nuncios (quod poſtea reſcitum eſt) expectauit à Soldano Babylóniæ redituros, cum quo fœdera rei Chriſtianæ pernicioſiſſima inierat: quibus etiam reſpondebat clades per eam ĩhuectã moram in Chriſtianos milites Brunduſij deſidẽtes. Nam ſuperuenientia æſtatis caumata occidẽtales milites, præſertim Germanos, ſub frigidiore cœlo nutritos, grauiſſimis morbis afflixerunt, quorum acerbitate multi interiere: in quibus (vt diximus) Landgrauius: plurimi in languorem morti ſimillimum inciderunt. Ad eum autem Landgrauij necis nuncium Fridericus ex inſperato Brunduſium nauigauit, ditiſſimique principis equos, arma, aurum, argentum & lautiſſimam ſupellectilem diripuit. Pontifex crebris illum nunciis, oratoribus epiſtoliſque in profectionem eſt anniſus impellere. Tunc verò, vt factæ prædæ contentiones declinaret Fridericus, tandem ad III. idus Auguſti, cum omni claſſe Brunduſio ſoluit: cæteri autem ad deſtinatum in Acconem curſum velis remiſque ardentiſſimè cõtendunt. Fridericus noctu triremi dilapſus, Brunduſiũ eſt reuerſus: quem ſui omnes admoniti, eadẽ nocte ſunt ſequuti. Ad eã nauigantis Friderici famã, mouens ex Galliis Iohãnes ſocer eius, rex Hieroſolymitanus, cũ Berengaria vxore Bononiã vſq; peruenerat, & ipſe in Acconem Venetorũ nauigiis traiecturus. Quem, audita Friderici perfidia, Bononię deſidentem pontifex Gregorius Romandiolæ & exarchatus Rauennatis gubernatorem ducemque inſtituit.

[F]ridericus Im[pe]rator polli[ci]ta non præ[st]at.

[F]ridericus ſan[ct]a expeditio[ne] deeſt.

CAP. 2.

CONTVLERAT iam ſe Acconem Chriſtiana militia, quum requiſitum deſideratumque Imperatorem Germani milites, qui poſtremò omnium Brunduſio ſoluerãt, in Italiam reuertiſſe primi nunciarunt: deſtitutique duce primario milites Chriſtiani incommodum capere formidabant, niſi eos recreaſſet Corradini mors, quondam filij Saladini: cuius filiorum tutor inducias cum illis in duos annos petitas conceſſit. At Gregorius pontifex, quamprimum intellexit Fridericum omiſſa nauigatione in Italiam reuertiſſe, malignum hominem, confirmatis ſui prædeceſſoris promulgationibus, quantis potuit maledictionibus eſt proſequutus. Ad quas ilico eſt ſequutus vxoris Friderici, Iohannis Hieroſolymæ regis filiæ, obitus, cui Conradus puer filius ſuperſtes fuit. Expectabant Chriſtiani proceres per annum Friderici Imperatoris acceſſum. Tandem nauigationem ingreſſus Cypro ſubſtitit, ſeneſcallo militiæ ſuæ magiſtro cum copiis Ptolemaidem præmiſſo, non magis militiæ Chriſtianæ cauſa, quàm vt Soldani Babylonis conatus apparatuſque inſpiceret. Abiens autem Italia Fridericus, Rainaldum Theutonici generis nobilem virum regni Siciliæ reliquit adminiſtratorem, cum mandatis vt pontificem eccleſiaſticóſque omnes velut aduerſantes haberet. Idque domino ſuo ſatisfacturus, cum exercitu Marchiam Anconitanam eſt ingreſſus, & oppida ibi quædam occupauit. Peruſinos autem, quum pertentaſſet ad rebellionem promiſſa ingenti pecunia, fruſtratur. Vix Peruſio reuerſus pontifex (vbi diuum nuper mortuum Franciſcum in catalogum ſanctorum miraculis coruſcantem aſſcripſit) quum Conradus Guiſcardi alter Friderici ſatelles, in vallem Spoletanam duxit exercitum, quem Fulginatum coniurata factio introduxit. Nec tamen diu ea vrbs in rebellione perdurauit, quòd fidelis eccleſiæ populus & Conradum & perfidos ciues eiecit. Interea ſeneſcallus Friderici in Acconem miſſus, multa Chriſtianis ibi manentibus damna intulit, quos ægrè cerneret ferre nocturna cum Soldano Babylonis colloquia: in quibus ipſe aliquando fuerat deprehenſus.

[Fr]anciſcus in [nu]merum di[uor]u relatus.

prehenſus. Quamprimũ tamen Soldani fœdera ſatis habuit conſtituta, Fridericus ab illo accerſitus Ptolomaidem adnauigauit. Nec mora, oratores Romam dimittens, abſolutionem à pontifice reconciliationemque compoſitis verborum lenociniis implorauit. Pontifexque, qui omnia reſciſſet quę Seneſcallus in Aſia commiſerat, perfidia domini in oratorum facie exprobrata, petitionibus eorum dedit repulſam, & templariis hoſpitalariiſque, in Aſia pro crucis honore militantibus, vt Friderico tanquam hoſti publico fauores auerterent, iniunxit. Quamobrem Fridericus confuſione & indignatione plenus, conſultius ſibi duxit in Italiam nauigare. Interim pontifex in Friderici per regnum duces miſit exercitum, Iohannem Ieroſolymæ regem è Romandiola vocans, male in eos animaduertit. Iohannes autem rex in Romandiolam reuerſus eſt, eo tempore quo Fridericus in Tarentino portu (quem primum de nauigatione attigit) Neapolim anxius aduolauit.

Papa cum Im-peratore ini-micitias exerc...

Cap. 3

Magister interim militiæ Theutonicæ Prutenorum ibat Ptolomaidem cum expeditione Brunduſij coacta, quam Fridericus deſtituit: qui rem Chriſtianam per inducias Damiatæ conſtitutas perq; perfidiam Friderici torpeſcere videns, cum ipſo Friderico rediit in Italiam. Et quoniam eius militaris ordinis incidit mẽtio, primordia eius ſunt nobis paucis attingenda. Quum Imperator primus Fridericus magna illa in Aſiam expeditione aliquot in hoſtes per itinera cõfeciſſet fœliciter prælia, & in Armenia merſus amni periiſſet: exercitus tamen eius (etſi videretur ſine capite) ductu Friderici filij eius, accedente conſilio Conradi cancellarij cæterorumque in exercitu procerũ, peruenit in terram ſanctam, ibique rebus bene geſtis aliquandiu ſubſtitit. Per æſtatem, quũ & regionis eaumate & aliquot non pauci vulneribus male affecti iacerent, ſine cura & reſpectu principum, ciues Bremenſes & Lubicenſes (qui expeditionem auxerant) negocium ſubiere pietatis. Prolatis enim velis de nauibus tentoria in campis erexere, ſub quæ qualicunque cauſa ægrotantes comportauere, curam illorum, vt poterant, agẽtes. Id conſpicati principes memorati, Fridericus dux & Conradus cancellarius, Herbipolenſis epiſcopus (nec deerat Holſatiæ comes Adulphus eius nominis tertius) pietatis plenum opus collaudauere, inſtituerũtque in vrbibus domicilia, quibus officium in pauperes plenius quam in tentoriis impleretur, primùm fraternitatem pij operis ineuntes, inde etiam militarem ordinem inchoantes, deputauere ex fratribus, qui domi ſedentes miniſterium pietatis exequerentur: quum interim alij foris militantes, crucis Chriſti in perfidos tuerentur honorem. Eam quidem ſacri ordinis religionem Fridericus dux memoratus per Hẽricum ſuum germanum, tunc Imperatorem, apud ſedem apoſtolicam (cui tum præerat Celeſtinus III) impetrabat confirmari. Fridericus autem II. Imperator (cuius nunc tempora attigimus) dedit illi ordini Theutonicorum beatæ Mariæ terram Pruſſiæ, quæ Polonis Lituaniſque contermina eſt: vt fines ibi Chriſtianitatis & tuerentur & amplificarent. Qui etiam poſtea in Liuoniam ſunt propagati, quum milites ibi gladiis cruciati, ſuis viribus diffidentes, inuitarent fratres ordinis Theutonicorum, in illorum religionem ſe commiſcentes. Cuius ordinis tum (vt diximus) magiſter in Italiã redibat cum Friderico Imperatore: quem etiam tum Imperator cũ Meſſanenſi archiepiſcopo Romam miſit ad pontificem, vt recõciliationem & benedictionem pro eo impetrarenr. Pontifex mitior ac debuit, indicta Imperatori mulcta auri ingentis (ad ſumptum proximi belli, quod ſui excitarunt) abſoluit, reconciliauit, ac Imperatorem deinde Romanum regẽmque Siciliæ reſtituit: terram etiam Imperator de Neapolitano regno amiſſam noua inueſtitura recepit.

Theutonico-rum militũ orig...

Papa Impera-torem pecu... multare fa... habet.

Cap. 4

Interim verò in Saxonia, Otto Brunſwiekcenſis & Luneburgenſis princeps agebat in carcere Zwerinenſium comitum. Henrico autem comite moriente, Guncelinus eius frater ſatis propendebat potentem illum principem laxare ſine precio, vt magnam apud illum gratiam iniret. Sed reſtitit dux Saxoniæ Albertus, qui in eius captiuitate lucri partem habere ratus, nullo pacto laxari permiſit, priuſquam Hiddeſacker ab Ottone illius dominio traderetur. Solutus vinculis Otto multam à ſuis miniſterialibus pertulit rebellionem, quòd per longæuam captiuitatem in contemptum illis venerat: quum & Magdeburgenſis & Halberſtadenſis pontifices Imperatoris (vt ferunt) voluntate fouerent rebelles. Hoc autem erat illud tempus anni viceſimi octaui poſt mille ducentos: quum rebus in Liuonia flacceſcẽtibus, ſubita barbarorum incur- 1228.

Otto in Saxonia carcere ...beratur.

ſione arx Dunemunde capta, & omnes inibi religioſi viri non paruo numero ſunt oppreſſi, martyrioque pro Chriſto coronati. Quo etiam tempore (vt diximus) papa Gregorius veniens Aſſiſium, in conſpectu maximæ multitudinis, quæ deuotionis gratia eò confluxit, beatum Franciſcum canonizauit, his vſus verbis, Ad laudem & gloriam omnipotentis dei, patris & filij & ſpiritus ſancti, & glorioſæ virginis Mariæ, & ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, & ad honorem eccleſiæ Romanæ, beatiſſimũ patrem Franciſcum, quem dominus glorificauit in cœlis, debito in terris obſequio venerantes, de cõſilio fratrum noſtrorum, & aliorum eccleſiæ prælatorum, in catalogum decreuimus ſanctorum adnotandum, & feſtum diem obitus eius celebrandum. Statim cardinales, Te deum laudamus incipiunt, & populi voces laudes Chriſti excipiunt. Papa de ſolio deſcendit, & cum cardinalibus ſanctum corpus de tumba leuauit. Sunt qui ſcribãt, Fridericum Imperatorem, quum in terra ſancta eſſet, Soldanoque verba contuliſſet, Ieroſolymam recuperaſſe: quam (vt aiunt) Imperator in vigilia Paſchæ nudis pedibus ingreſſus, in templo Chriſtum adorauit, & Bethlehem Nazaretque cum cæteris Galilææ oppidis in deditionem receptis, in Siciliam maturaſſe. Sed ea narratio apud me fidem non habet, quòd peregrini, qui tum ibi militabant, nihil horum retulerint, nec à diſertiſſimis authoribus vlla eius rei mentio ſit: quã proculdubio, minima ſcribentes, nõ prætcriſſent ſilentio. Hoc facilè crediderim, Imperatorem ſub conductu Soldani loca ſancta inuiſiſſe deuotionis gratia: ſed in deditionem recepiſſe quis credet? Per hoc autem

…um in ſanctorum canonizatione.

1229. tempus Albertus Liuonienſis epiſcopus, qui Rigam vrbem primus communiuit, è ſeculo migrauit, viceſimo nono poſt mille ducentos: & Bremenſis eccleſia, iure ſuo vſa, magiſtrum Albertum Bremenſem ſcholaſticum in epiſcopum conſtituit. Sed Rigenſes canoniei alium quẽdam Nicolaum elegerunt, diuque fuit altrinſecus coram iudicibus impetratis à ſede apoſtolica diſceptatum. Tandem papa Bremenſibus ſilentium impoſuit, pro ſua (vt dicitur) voluntate. Poſtea anno quadrageſimo ſexto idem Albertus à pa-

1246. pa Innocẽtio IIII. apud Lugdunum ciuitatem Galliarum tunc agente, legatus in Pruſſiam & Liuoniam eſt miſſus: & ſequenti anno, defuncto Iohanne epiſcopo, reſidentiam obtinuit in ſede Lubicenſi per annos ſex, demum factus archiepiſcopus Rigenſis. Hoc etiam tempore Adolphus comes Holſatiæ, poſtquam terram ſuam recuperauit, arcem firmauit ad Albim fluuium prope Hamburgum, cuius nulla hodie extant veſtigia: eo crediderim in loco, quo ante illum rex Daniæ ibi fortalitium erexit. Permanet loco nomen, vt vrbs Nouauicus dicatur, tunc extra vrbem, nunc velut in medio cõcluſus. Tanta eſt facta vrbi acceſſio.

CAP. 5.

ANNVS erat triceſimus quintus poſt mille ducentos, quum Imperator Fridericus tertiam duxit coniugem, Angliæ regis germanam, & menſe Auguſto nuptiæ celebrantur Moguntiæ. Ibi pater filium ſuum Henricum regno deſtituit, quòd grauiter & implacabiliter patrem offendiſſet: eumque in Calabriam miſit aſſeruandum, vnde nunquam rediit. Ibi quoque Otto dominus Brunſwickcenſis & Luneburgenſis dominium omne ſuum poſuit in manus Imperatoris: qui renouato titulo ducatum inde erexit, quem inſcribi iuſſit Brunſwickcenſem: deque illo Ottonem inueſtiuit, primum eius tituli ducem. Nec enim poſt tempora deſtituti aui ſui Henrici Leonis vllus erat ducatus in Saxonia, præter eum quem deſtituto Henrico memorato Bernardus accepit, & ex eo nunc tenet filius Albertus. Otto iam dux renouata quæſtione in vrbem Bremam (quam auus eius aliquando poſſedit) eam cingit obſidione: & extortis inde pecuniis, incendiiſque multis factis rediit. Arcem Ottersberge quidam ab eccleſia captam duci tradunt: ſed anno ſequenti facta inter epiſcopum & ducem reconciliatione, quędam feuda donantur ab eccleſia duci, & communi vtrinque cõſenſu Horneborg & Ottersberg arces euertuntur: quòd alteram teneret archiepiſcopus, alteram verò dux, in alternum præiudicium. Proximo anno beata Eliſabeth in Mersburgum tranſlata eſt pręſente Imperatore, multiſque principibus & infinita hominum multitudine. Per quæ tempora, quum à memoria I. Friderici, duraret ciuitatum Lombardiæ colligantia, Imperator illam rumpere conatus, vrbes eius ligæ non compotes ſibi deuinxit. Mediolanum, Brixia, Mantua, ac maior Romandiolæ pars in iis quæ vltra Padum ad nos ſunt, Verona, Vicentia, Padua & Taruiſium Imperatori reluctantur, quibus vrbs Veneta conſpirauit. In Friderici partibus Cremonenſes Bergomenſeſque, Parmenſes, Reginenſes, Mutinenſes,

…unſvvicenducatus ini…um.

tinenſes, & in alpibus Tridentum perſiſtebant. Cæteræ vrbes & oppida Lombardiæ ac Romandiolæ marchiæq; Taruiſinæ, pro varietate fortunę fauebant alternis. Quumque Imperator ex Germania magnum duxiſſet exercitum, prima Verona Ecelini viri nobilis opera conceſſit Friderico. Inde Mantuanum ingreſſus agrum oppida minora cepit, diripuit & incendit: & Cremonam circumſedens, nouem menſibus apud eam eſt moratus: ex qua quum eſſet moturus, obſidendam ſibi Mantuam comminatus, flexit in itinere ad Vicentinos: qui ex improuiſo circumuenti copiis, inierunt deditionis conſilium. Eaque fretus occaſione Fridericus, dum vltro citróque commeant oratores, vrbem dolo captam, ſolenni Kalendarum Nouembrium die diripuit atque incendit, ad eam tantiſper moratus, quoad populanır exercitus: deuaſtatq; Paduanum propinquum agrum: in Taruiſinos duxit, circumſeſſamque cepiſſet vrbem, ni Patauinus immiſſo milite ſubueniſſet. Dum autem in Taruiſina obſidione agit, reſciit Henricum filium, paternam abominatum in Eccleſiam impietatem, fœdera cum bello ſociis Lombardis conſtituta habere: quorum primores regni Germaniæ fuere ſuaſores. Itaque veritus ne ducenti aduerſus filium proceres populique Theutonum aduerſarentur, impudentia vſus inaudita, pontificem per nuncios orauit, vt in filium maledictionem diſtringeret. Pontifex (vt videtur) fœderis ignarus, conceſſit literas apoſtolicas, quarum vi regno ſubditi Alemanni patri in filium paruerunt. Vnde factum eſt vt antè filius in Apuliam relegatus, tunc à patre iubetur (vt ferunt) interfici. Cruentum Imperium, quod ſuis viſceribus non parceret.

Imperator exercitu Italiam inuadit.

Imperator filium hoſtem habet.

Cap. 6.

PONTIFEX autem de Friderici in Italiam reditu apparatuq; certior factus, Gregorium Montelongum ſedis apoſtolicę protonotarium ad illum miſit, orans obteſtanſque, vt ſi pacem eccleſiæ (vel potius Ieſu Chriſti) ſi ſuam ipſius beneuolentiam (quę proximis diebus in fauore aduerſus filium, & vxoria diſpenſatione teſtata fuerit) tanti faceret, quanti ſanè Chriſtianus princeps facere deberet: conſtituta cum Lombardis ab auo ſuo fœdera, quæ Henricus pater inuiolata ſeruauerit, impleret. Et quum aſſenſum pręſtare Fridericus videretur, miſit pōtifex vnū, in breui pòſt tres cardinales: qui re infecta (ſeu potius exaſperata) Viterbium ſunt reuerſi. Pontificem namque magis quàm Lombardos Fridericus anhelabat deprimere. Priuſquam autē cardinales Lombardia diſcederent, Fridericus in Montēclarum duxit Brixianorum oppidum, & expugnatū direptumque incendit. Brixianos deinde quum non poſſet trahere in ſuas partes, duxit in Mediolanenſes: qui cum exercitu & impedimentis illi in itinere occurrerunt, pugnatū eſt vtrinq; animis ardentiſſimis, & ſpe neutrobiq; inferiore. Sed quamprimū ſanguinem effundi, cadentéſque vtrinque calcari cernerent Mediolanenſes, acie plurimū ſunt delapſi: quorum exemplo quoque ſocij populi, vias in patriam ducentes vel notas ingrediebantur, vel ſtantes in acie proximos ita interrogabant, vt viderentur impendētem perniciem expauēſcere. Itaque (quod plerunque aſſolet) factum eſt vt maior pars minorem, exercitatiorq; rudem ſuperaret, melioreſq; è Mediolanenſium populo & ſociorum auxiliis (quos pudor & virtus in prælio continuit) partim cecidere, partim ad Corrocium conglobati, Friderico præſenti exhortantique ſeſe armis depoſitis permiſere: in quibus Venetiarum ducis filius, Mediolanenſium poteſtas & copiarum ductor primarius fuit. Nec ceſſit Friderico victoria incruenta, tam multis è ſuo exercitu interfectis vulneratiſque, vt potiundi Mediolani ſpe poſita (quæ haudquaquam tenuis apparebat) Cremonam redierit. Vnde Venetum Piſas & inde in Apuliam miſit, vbi in vinculis periit. Et ſub ipſum victoriæ nuncium Paduam allatum, non mediocriter ſe commouit Ecelinus vrbis dominus, in Azonem Eſtenſem. Pontifex autem arma ſpiritualia diſtrinxit in Fridericum, excommunicatione in illum ad diem cœnæ Domini promulgata, & omnibus iuriſiurādi religione ſolutis, qua Imperij regnique ratione tenerentur aſtricti. Cuius rei nuncium tertia die Paſchæ adiens eccleſiam accepit, quum Paduæ apud Ecelinum ageret: eius tamen rei fama Paduam totam prius peruaſerat. Iuſſit autem ſuarum magiſtrū epiſtolarum, magna (vt in illa ætate) facundia virum, ſermonē habere ad populū, ſuis laudibus, ſuiſq; de Ro. eccleſia deq; ſummo pontifice meritis redundantem: & tamē exercitu tum in paluſtrem Venetorū regionem ducere iuſſo, ipſe frendēs pręceſſit. Itum eſt in ſancti Hilarij monaſterium, & terra omnis Veneto ſubdita, Patauino contigua agro, vix ſuſtinuit operiētem ſe Romani Imperatoris exercitum. Superue-

Mediolanenſes ab Imperatore prælio ſuperati.

Papa Imperatorem anathemate ferit.

niens interim à Venetiis cymbarum ſagittariis plenarum multitudo, quæ aquas, ſicut equites terram, compleret, Fridericum te infecta redire compulit. Inde verò creſcentibus per Italiam malis, tota in commotione per tempora Friderici permanſit.

CAP. 7. SAXONIA interim ſub Ottone Brunſwickcenſi & Alberto Saxoniæ ducibus cõquieuit. Adolphus etiam comes Holſatiæ, rebus bene geſtis in prouincia, quum filiam ſuam Abel duci Sleſwickcenſi nuptam tradidiſſet, ipſe cũ vxore deuotionis gratia militaturus, ſe contulit in Liuoniam cum expeditis. Hic prorſus locus aperit, non eſſe tertium Adolphum, qui regem Daniæ vicerit, quíque in Liuoniam ad militiam ſit profectus: nam is hoc tempore (ſi vixit) non erat minor octogenario: cuius pater ad ſexageſimum quartum fuit cæſus apud Demynum, quum ipſe puer eſſet. Idem verò iſte Adolphus poſt duos annos reuerſus, quum ageretur annus Chriſti quadrageſimus poſt mille ducentos, rebus in Holſatia ad bonum modum conſtitutis (quum filij eius duo, Iohannes & Gerhardus, ſtudiis literarum Pariſio inſeruirent, tertius Luderus admodum paruulus eſſet) adminiſtrationem terrę permiſit Abel duci genero ſuo, ipſe ordinem Minorũ ingreditur, die Hippolyti in Hamburgo, cum duobus militaribus de Ghikow. Hic tum erat feruor in diuinam religionem apud nobilitatem. Equidem nouitas rei plurimum inuitauit. Deferbuit enim charitas in ſeculo, deferbuit in religionibus aliis approbatis, quo fuit conſpectior nouus ille in diuina religione calor. Ferunt eundem Adolphum, voto ſe aſtrinxiſſe, quum immineret hoc grande prælium in Bornehouede, vt ſi victoriam parti ſuæ permitteret altiſſimus, redderet ſe fratribus minoribus. Rebus quamprimum in terra conſtitutis, vouit & reddidit. Vbi ſacram veſtem accepit in laicatu domino ſeruiturus, cœpit (vt erat literis ſatis eruditus) ſecum cogitare ſi fortè poſſet apoſtolica diſpenſatione ad ſacros ordines peruenire. Eamq́ue cogitationem magis ac magis animo voluens, permittente guardiano ſuo, iter iniit (de more fratrum) pedes, vrbem Romam inuiſere, ſimul & catẽtia loca de recenti memoria diui patris Franciſci, in quibus adorare Dominum, maxima deuotionis pars fuit viſitare. Romam veniens, ſummo pœnitentiario omnem cauſam detexit de integro: quid in effuſione ſanguinis, dum præliis intereſſet, egerit, patriam repetens ditionem, & eam defendens, rurſus aduerſus infideles in Liuonia pugnans. Quæ quum planè expoſuiſſet, apoſtolicam ſupplex diſpenſationem petiuit, vt ad ſacros ordines permitteretur. Erat tum in apoſtolica ſede IIII. Innocentius, ſummus ipſe doctor, qui conſiliis iuriſperitorum non multum indigeret, ipſe omnium peritiſſimus. Perpenſa viri nobilitate & diuinæ zelo religionis, ſimul etiam de communione ſacri ordinis, quem tum gerebat, diſpenſationem promptus impendit, vt ſacros ordines & ſumeret, & vbi acceſſiſſet, etiam exequeretur. Quo impetrato, omnia ſe regna mundi aſſequutum reputabat: ita gaudio gaudens tripudiabat, quòd in ſortem domini admitteretur, ſubdiaconatum in vrbe capiens. Sacra deinde diui Franciſci loca inuiſit, à fratribus, qui tum locis præerant, perbenignè acceptus. Hîc, inquiunt, ſanctus orabat, hîc ſtigmata vulnerum Chriſti promeruit, ibi viſionem vidit, illic aliis claruit miraculis. Hæc quum oculis ſuis omnia illuſtraſſet, multum vbique lachymatus, valefacto fratribus in Holſatiam ſuam repedauit. Sacris deinde ordibus per ſua tempora aliis ſuſceptis, primum altaris miniſterium peregit in humillima capella, quam in profundiſſimo ſaltu fratres habuere, dum illac iter agerent, ibi orantes. Deinde publicè Hamburgi in conuentu fratrum ſuorũ miſſam cunctis collachrymantibus peregit: virum in ſeculo aliquando nominatiſſimum, nunc in abiectiſſima veſte mendicantem, & ad altare diuinum officium celebrantem mirari. Hęc eſt (inquiunt) mutatio dexteræ excelſi. Quis enim alius ex tam glorioſo milite ſeculi faceret tam humilem peditem Chriſti? Monaſterium ſui ordinis ipſe manibus multa molitus, in oppido Kiil, vbi nunc requieſcit, curauit erigere, eleemoſynas ſuorum quondam ſubditorum humiliter poſcens & accipiens. Curauit quoque eccleſiam in terra Aldenburgenſi (quæ noua dicitur) erigere in honorem diui Antonij fratris ſui ordinis: quamuis rerum ignari patrocinium deriuent ad Ægyptium Antonium. Quumq́ue multum ſolicitè laboraret in erectione dicti monaſterij in oppido Kiil, ibat hoſtiatim lac in hydriam mendicans, vt haberent operarij & fratres quo inter laborandum per æſtum reficerentur. Media iam platea, vbi declinare iter non poterat, ibat hydriam baiulans lacte plenam: & quum obuios habuiſſet filios ſublimes in equis, comitum more ſeculariũ, paſſus eſt hu-

Adolphus comes Franciſci cucullam induit.

Adolphus comes Franciſcanus presbyter efficitur.

eſt humanitus aliquid, vt rubore cœperit perfundi. Sed ille infremuit, & robur mentis aduocans, quum adhuc in conſpectu eſſent filij, hydriam leuatam ſuper caput euertit, ſeſe totum à vertice lacte perfundens, dixitq́; Infœlix erubuiſti Chriſti pauperiem, baiulare lac in manibus: nunc vel in capite oſtende quid portaueris. Quis non iure miretur tantam humilitatem, patientiam, fortitudinem? Vixit autem in religione annis quatuordecim, peruenitque ad annum Chriſti ſexageſimum primum, tumulatus ſub lapide quadro in choro fratrum in oppido memorato. Inde verò redeuntes exequamur quæ in medio fuere tempora ſub Imperatore Friderico ſecundo.

Se totum lacte ſupplicium ſibi irrogans, perfundit.

Cap. 8.

Imperator interim Fridericus à papa multis ex cauſis excommunicatus (quas in bulla declarauit) diu permanſit in ſordibus. Explicuimus autem cauſas in Metropoli, & quid inde Imperator cardinalibus reſcripſerit. Pontifex verò ſolicitauit archiepiſcopos & epiſcopos, vt Imperatorem excommunicatum cunctis denunciarēt: ſed epiſcopi Theutoniæ ne hoc fieret ſupplicarunt, veriti tyrannidem eius. In Francia autem, Anglia & Dania denunciabatur ſine timore. Quæ res interim inualuit, vt quum Imperator ſæuitiæ modum non poneret, crucem etiam in ipſum, quaſi Chriſto perfidum, papa faceret prædicari. Inde etiam principes electores ad alium eius loco ſurrogandum commonuit pontifex: ſed diu reſtitere, expectantes ſi fortè admonitus Fridericus reſipiſceret. Quo tempore maior etiam timor incubuit Chriſtianiſmo de Tartaris, gente Scythica; quæ more veterum nationum, finibus ſuis egreſſa populatur prouincias etiam Chriſtianas. Nam diuiſis agminibus, alij orientem, alij occidentem inuaſere: qui Poloniam Ruſſiamque oppugnantes, latiſſimos illos Sarmatiæ campos (quos vſque hodie tenent) occupauere. Ceſſere illis Poloni Ruſſique de aridis campis, vbi nullæ fruges, ſola pecora valent. Paſtoralis enim populus Tartari,

Tartari patria egreſſi Poloniā & Ruſſiam inuadut.

Qui lac concretum cum ſanguine potat equino:

Quod multo antè ſcripſit Virgilius de Gelonis. Singulare Dei flagellum de inundationibus populorum per terras, & quod à vetuſtiſſimis temporibus corrigēdo orbi Deus immiſit. Imperator interim, quum papa concilium prelatorum euocaſſet ad ſuccurrendū terræ ſanctæ, reuocatis cardinalibus de ſua quenq; legatione, omnes vias terra marique occupauit, & itinerantes ad vrbem captos protraxit in carcerem cardinales, epiſcopos, prælatos, nobiles, doctos cuiuſque generis & ordinis, ab orbe Chriſtiano ad ſummum pontificem miſſos oratores. Doluit Chriſtianiſmus tantum eſſe vulnus in viſceribus, ab eo præſertim qui tueri omnia ſuſceperat, & ſacramento ſe adegit, quum interim Turci & Saraceni premerent Chriſtianos in terra ſancta, & Tartari, noui hoſtes, Polonis Vngariſq; imminerent. Sed Imperator non quieuit, partium ſtudia in Italia excitās, quum naſcerentur noua illa nomina factionū quæ in hodiernum vſq; durant: quum ſtudioſi eccleſiæ Guelphi, Imperatori autem fauētes Gibellini vocitentur: à germanis fratribus (vt putant) initia ducentes, quorū Guelph eccleſię, Gibel Imperatori militabat. Sub qua de imo tartaro nata diſſenſione Italicæ ciuitates, per tot annos tumultuantes, miris circumuectionibus & vertiginoſo circuitu implicitæ, implacabili odio ſæuiunt in inuicē: neſcientes quidnam ea in re inſequantur. Non modò enim ſigna bellica habent aduerſa, ſed colores, terræ fructus, habitus corporum, ipſe hominum inceſſus, digitorum cōcrepitus & oris hiatus ſuam habuere partium ſignificationem. Brixiani Bergomenſeſq; allium (cuius apud eorum plebem frequens eſt vſus) quo ſcindas modo, plurimum à ratione partium exiſtimant intereſſe. Auditúmque aliquando eſt, fuiſſe in Bergomenſiū montibus, qui aduenas ex Calabris Apuliſve aut Hetruſcis viatores hoſpitio receptos, allium (quod ſuo ipſius hoſpitis iudicio, in nucleos naturam diſtinctos diuidi oportuit) gladio ſcindentes, tanquam diuerſarum partium interfecerint.

Fridericus in pontificem ordinem ſauit.

Guelphorum & Gibellinorum nomina Italiæ pernicioſiſſima.

Cap. 9.

Fridericus poſtquam ſuos vbique notos habuit, eorum qui aut diuerſarum cenſerentur partiū, aut qui neutris vellent conſentire, expugnata oppida locáq; populatus eſt, & diuerſarum partium patria pulſos, omnes in ſuam redegit poteſtatem. Nonnullos è veſtigio interfici, quoſdam effoſſis oculis in Apuliam relegari, quoſdam per diuerſa cruciatuum genera ad mortem vſq; fecit laniari. Et Piſani interea præſentia Imperatoris animati, tanto fauore animis tumefacti, nihil æquè anniſi ſunt quàm vt Genuenſes aliqua inſigni clade afficerent. Armauerunt claſſem triremium vltra centum, adeo etiam milite ex Friderici copiis ſumpto refertam, vt & celeritati pondus & pugnātibus

Friderici horrenda ſæuitia.

obſuerit preſſura. Sed hoc tum inter ſe Itali, Fridericus autem pontificem & eccleſiam fatigabat. Cruceſignati in ipſum aliquando ſe opponunt venienti: properanti namque etiam, vt portas murôſq; vrbis Romæ perrumperet, ampliſſimo exercitu cruceſignata cohors cominus eſt congreſſa. Ad cuius cōſpectum adeo territus, adeo in furorem veſaniamque eſt cōmotus, vt captos ad ſe viuos perduci cruceſignatos, in prima ipſe pugnans acie exclamauerit. Inde perductos ad ſe Romanos, partim quaternis ad crucis formam perfodit vulneribus, partim caput in crucis modum quadrifariam ſcidit, partim fronte eadem ferro cruce reddidit inſignitos. Clericos verò detonſam in vertice coronam, ferro cæſim in crucem vulneratam (vt dicebat) iuſſit ornari. Quorum vnus inflictum vulnus nimis patiēter tolerare viſus, in palearum cumulum funiculo eſt pertractus: & quum benedicere ac laudare Deum perſeueraret, igni ſuppoſito eſt crematus. Eam quum vidiſſet Fridericus populi Romani conſtantiam, tertio quàm aduenerat die, mœrens frendénſque, & omnia vrens deuaſtanſque in itinere obuia, tranſiit in Campaniam: vnde breui pôſt duxit Beneuentum: quam vrbem, partim dolo, partim vi captam direptámque, dimiſit mœnibus immunitam. Et in Picentes delatus, Aſcalim obſedit: in cuius fortiter reſiſtentis agro vaſtitas eſt magna commiſſa. Inde in Romandiolos ducere cupiens, Aetium filiū, Sardiniæ regē, agitandis ſibi de Piceno aduerſantibus ſubigendiſque dimiſit. A quo adoleſcente, patri ſimillimo, direptiones vbique incendia & vaſtitates ſunt cōmiſſæ: vt quicquid reſiſtere eſt auſum, ad calamitatem ſit maximā perductum: quum tamen miræ ſint, & raró aliàs auditæ crudelitates, quas per id tēpus Fridericus exercuit in legatos per regnū Siciliæ eccleſiaſticos: qui multos archiepiſcopos epiſcopoſque partim occiderit, partim carcere tenuerit, partim relegauerit: in quibus Catanenſis fuit epiſcopus, à quo ille ab infantia fuerat educatus.

Beneuentum à Friderico capitur.

CAP. 10.

Papa quomodo religionem reformarit.

QVVM interea pontifici ſatis ſupraque eſſet, eius cauenti inſidias, rem eccleſiaſticam reformare. Eo enim tempore decreuit pontifex, Salue regina certis diuinæ rei horis addi, campanáſq; ad euchariſtiæ confectionem, & laudes virginis Dei genitricis ſpeciali oratione in matutinalibus celebrari. Quibus eccleſiaſticis inſtitutis, rerumq; ſuarū ſaluti neceſſariis, fuit intentus. Nam Iacobum Columnam Præneſtinum epiſcopū cardinalem in Franciam, & Ottonem Montisferratenſem marchionū genere oriundum in Angliam miſit oratores, præſidia afflictis eccleſiæ rebus oraturos. Eaque dum curat pontifex, Friderici rem in Sicilia adminiſtrantes, in nullum ſacrum locum magis ſæuierunt, quàm in monaſteriū Caſſinenſe, diui Benedicti: aurea cuius & argentea vaſa fregerunt, quæ Fridericus conflata redegit in nummos: & monachis inde vi ac conuitio deturbatis, ſatellites ſunt in habitationē ruinámque præfecti. Et (quod impietatē auget) Saracenos adeo fouit Fridericus, vt eos mercede cōductos magis quàm cæteros Chriſtianos in militia charos habere ſit viſus: præterque arma tractātes, multos ex ea barbarie amplis per Italiā & Siciliam honoribus & magiſtratibus euexit. Eiúſque gentis amore in Chriſtianos vſqueadeo eſt debacchatus, vt Luceriā Apuliæ ciuitatem, eiectis populariter Chriſtianis, Saracenis dederit habitandam. Cuius facti memoria inde ad poſteros peruenit, quòd diu Luceria Saracenorū ſit appellata. Quacunque autem ratione ſit factum, pietate in Lucerinum epiſcopum vir alioqui ſceleſtus eſt vſus: quem cum Chriſtianis duodecim permiſit epiſcopium inhabitare. Sed legem in regione promulgauit, qua Saracenos adeo voluit ſaluos eſſe, vt contendentes cum illis, impune occiderentur: cæſorum autem Saracenorum quæſtio, ſi captus non eſſet qui vim attulerat, in vicinæ regionis populos haberetur, quæ æris ſumma ac totidem capitū ſupplicio punirentur. Quinetiam alia impietate atque inſania, vt Saraceno nō magis ſibi militāri quàm in Aphrica agenti commodaret, eſt vſus: qui forma præſtantiores per Siciliam mulieres & ſuum Italiæ regnum concupitas virgines, à parentū ſinu, matronáſque à maritorum complexu rapi & paſſus fuerit & curauerit. Tunetis Aphricæ regis fratrem, baptiſari volentem Panormi, prohibuit: eadem ratione tentum, ne Romam ad pontificem accederet. Creuit Friderici pertinacia: & interim Gregorio defuncto Celeſtinus ſenex ſufficitur. Quo intra viceſimum diem moriente, cardinales qui in vinculis erant, proteſtantur ne ſe abſentibus fieret electio: quæ res vacationē præſtitit ſedis apoſtolicę per menſes viginti: quum periculū eſſet ne Fridericus omnia perturbans, vrbē Romā capite carentem caperet. Fauentiam diu obſeſſam accepit deditam: inde in Bononiam agmi-

Fridericus Saracenos fouet.

[Se]des apoſtolica ampliùs ſeſ[qui]anno va[cat].

agmina conuertit. Studio literarum eam priuauit: quod tum primùm eſt Paduã tranſlatum. Et quum potiri vrbe non ſperaret, peruaſtato agro duxit in Mutinenſes atq; Reginenſes. Nec diu apud eos moratus, ſola agrorum vaſtitate contentus abiuit: præſertim quum properaret ducere in Parmenſes, à quorum nonnullis Placentinorum tradendæ ei vrbis ſpes erat oblata.

CAP. II.

SECVNDVS iam annus fluxerat latæ in Fridericum excommunicationis, quo in tempore ſedis apoſtolicæ nulla aut tenuis erat authoritas, aut minima fuit poteſtas, Gregorio ad poſtremos ſui pontificatus annos variis afflicto perſequutionibus, & ſede ipſa poſtmodum per tantum temporis vacante. Qua tempeſtate Balduinus Imperator Cõſtantinopolitanus & cæteri Latini in Romania agentes, meliora quæque amiſerant, adeo vt de retinenda Conſtantinopoli deſperarent: quam ſæpe apparuit in Græcorum poteſtatem redituram, niſi proprio Veneti impendio ſuccurriſſent. Non erat apud eos obſcurum auxilia Chriſtianis fruſtra expectari, aut peti poſſe, quibus mittendis Romani pontificis deeſſet & opera & authoritas. Dedit itaque Balduino (ſicut pleriſque laborantibus) ingenium neceſſitas, qui Raimundo comiti Toloſano ſociatus in Italiam eſt delatus, primumque, ſicut debuerant, ipſi principes adierunt Fridericum. Is enim Parmam vrbem à factione ſuarum partium introductus, aduerſarios numero plures quàm ſui erant, eiecit: hiq; populariter Placentiam commearunt. Impetrarunt verò Imperator & Raimundus a Friderico, cardinales prælatoſq; Amalphitano carcere liberari, fore polliciti vt illis ad collegium perductis, ad optatiſſimã pontificis electionem veniretur: cum quo ipſi coràm, Imperij & ipſius Friderici iurium & ſolidæ pacis haberent exactiſſimam rationem. Venientibus inde Romam Balduino & Raimundo, quicquid in vrbe fuit cardinalium, prælatorum, curialium, atque Romanorum, obuiam prodiit. Et quia miſſus Amalphim Friderici nũcius præceſſerat, tertio principis Conſtantinopolitani in vrbem aduentus die, ſubitò rumor vrbem peruaſit, liberatos cardinales Anagniam perueniſſe. Vnde nõ magis ex compoſito collegium eò acceſſit, quàm effuſam omnem curiam & Romanos primarios ciues eſt ſequutum. Quò quum Balduinus Raimunduſque acceſſiſſent, ilico de electione agi cœptũ: quæ Iunio menſe, quadrageſimo quarto poſt mille ducentos, apud ſanctæ Mariæ baſilicam eſt celebrata. Et Sinibaldus ſancti Laurentij in Lucina presbyter Cardinalis, Fiſcæa comitum Lauaniæ Genuenſiũ gente, in IIII. Innocentiũ eſt creatus. Placuiſſe ferunt Friderici nuncĩs apud Balduinum Imperatorem agentibus eius viri aſſumptionem, Friderico omniũ eius collegij & curiæ amiciſſimi: certatimq; Parmam dimiſſi ſunt equites acceleraturi, à quibus læto Fridericus nuncio afficeretur. Is autem mentis ſuæ conſcius fertur ex compoſito reſpondiſſe, bonũ ſe amicum cardinalem in acerrimum hoſtem Romanum pontificem permutaſſe. Ab Anagnia in vrbem vt eſt reditũ, de pace agi placuit: quæ cura Imperatorem Balduinũ & Toloſanum comitem, æquè ac ipſum pontificem cupientiſſimũ totos menſes quatuor die noctuque exercuit, Friderici oratoribus nunciiſque per dies variantibus, & nulli ſat formulæ, nulli oblatæ conditioni, ſine ſcrupulo adquieſcentibus. Et reſciit interea pontifex Fridericum in eius caput cum Romanis ciuibus machinari.

Balduinus Imperator Conſtantinopol. in Italiã venit.

1244.

Balduinus & papa de pace ſtudioſe agunt.

CAP. 12.

HVIVS quidem machinationis ea erat ratio conſtituta, vt accedens Ciuitatem caſtellanam põtifex, Fridericum ad ſe venturum expectaturus, in itinere caperetur. Quare veritus pontifex, ne ſi petitas negaret cõditiones, cõiurati ad facinus in ipſa vrbe proſilirent: & petitæ pacis conditioni verbo aſſenſus, & diem ſui acceſſus pauxillum remotiorem ex formula conſtituit. Interea petitas à Genua triremes, ad Centumcellenſem portum applicuiſſe certior factus, noctu adequitans ad illas delatus eſt, & nauigans Genuam incolumis peruenit: vbi periculoſiſſimam incidit valetudinem. Ex qua quum conualuiſſet, ad Philippum regem in Franciam ſe contulit. Ingreſſum Rhodano amne aduerſo Franciæ regnum pontificem Innocentium rex ſumma veneratione excipi curauit, deducique Lugdunum: qua in vrbe quum concilium celebrare pontifex conſtituiſſet, ſuæ primùm conſuluit honeſtati. Quoties enim ſermonem ad populum homeliamque habuit (quod vnoquoq; ſolenni die fuit) Fridericum alta inclamauit voce, illũ admonens, vt ad ea reſpondeat quæ aduerſum ſe pro iuribus eccleſiæ cõſequendis habeat: Lugdunum ſe conferret, futurum proteſtatus, vt ſi non acceſſiſſet, ſatiſque poſtulatis feciſſet, ipſe patrum vetere inſtituto conciliũ conuocaret. Quumq; aliquot elapſis

Papa in Franciam ſe cõfert.

oncilium Lu- duni cogi- ur.

menſibus nil ab illo reſponſionis haberetur, accerſiti ſunt ad cõcilium patres de iure & conſuetudine aduocandi (inchoauerat tunc ſextus quadtageſimus poſt mille ducentos annus, conuenerant verò maxima ex parte concilium inituri) quũ Fridericus Thadæũ Sinueſſanũ iureconſultum, & quidem præſtantiſſimũ, miſit oratorem, omnia (vt poſtea cõſtitit) diſturbaturũ. Cuius legationis apparens ſumma & quã præ ſe tulit, ea erat, Fridericum de reſua deq; omni iuſtitia coram patribus dicturum, breui affuturum: quem expectandum & rogabat, & de iuris pontificij rigore cum aduerſantibus contendebat. Nec moram grauiter pontifex patreſq; ferebant, quouſque reſcitum eſt Fridericũ Parmæ agentem, id maximè moliri enitique, vt Brixianos Mediolanenſeſq; bello diu meditato paratiſſimus inuaderet. Erant pontifici in Parma vrbe cõſanguinei & affines multi nobiles in regione primarij, quorum ſalutis ratione (dum fuit cardinalis) amicitiam cum Friderico ſeruauit. Eos nunc pontifex clam admonitos, iuſſit vel nudos Placẽtiam commigrare. Quod quamprimum eſt factum, ſententiam pontifex in Fridericum excommunicationis, depoſitionis priuationiſque pronunciauit, omnibus iuramento abſolutis quo illi tenerentur, & poteſtate electoribus attributa, nouũ (quem vellent) principem deligendi. Ad eam nunciationem iracundia (cuius erat impotens) Fridericus adeo excanduit, vt profugorum pontificis ne ceſſariorum ędes Parmę & villas rure ſpecioſiſſimas funditus euerteret. Paulo pòſt à quodam (vt creditum eſt) multa in pontificis oppreſſionem pollicente ſuaſus, Lugdunum accedere propoſuit, mouitque Parma, comitatum ducens non armatorum magis quam togatorum, qualem quantumque poſt ſtantis Romani Imperij tempora nullus aut domi habuerit, aut in itinere duxerit Imperator. Lombardiæ autem, & rerum Italiæ adminiſtrationẽ Henrico filio regi Sardiniæ commiſit: ea iniuncta conditione, vt ſeſe apud Parmam continens, quæcunque ingruerent remotius agenda, per legatos miniſtroſque curaret. Iam Taurinum Fridericus attigerat, quum Henricum pepulere Cremonenſes, vt oblata Quintiani Brixianorum oppidi furto aut prima oppugnatione capiendi occaſione, per ſuam ipſius ſolitam celeritatem diligentiamque vteretur. Sed illo haud quaquã impigriores fuere Parmenſes patria extorres, qui Placentinorum allata populariter ope freti, ad recipiendam patriam ſunt ingreſſi. Inerat Parmæ prætor Henricus Aretinus, cui dicendo iuri à Friderico pridem impoſito, Henricus in Brixianos ducturus, vrbis præſidiiq; regimen demandauerat. Iſque à factionis Imperatoriæ Parmenſibus impulſus, ſtructa acie extorribus ad Tarum obuiis cominus eſt congreſſus: & prælium hincinde viribus odio maiore commiſſum eſt, in quo Henricus Prætor & præſidij primores ſunt interfecti. Parmenſium autem Friderico ſtudentium non magna magis quàm crudeliſſima cædes cõmiſſa fuit, minimóque poſtea negocio extorres in patriam ſunt reducti.

mperator Lu- dunum tre ertus.

CAP. 13.

INGRESSVM iam alpes Fridericum petendi concilij (quod Lugduni agebatur) gratia, auditus Parmę caſus ad reditum traxit: futurum tantum exiſtimauit, vt eo in Galliis remotiſſimo, Parmenſium (ſi incolumes manſiſſent) exemplo multi de Italia rebellarent: vſuſque eſt conatu cæteris antehac omnibus maiore, copiis vndique contrahendis. Venit enim cum omnibus marchiæ Taruiſanæ neruis Ecelinus, aduenere ex Sicilia Apuliáque Saraceni: & millium ſexaginta copiis Parma eſt cincta. Præuenerat autem conſilio & prudentia frementem Fridericum, etiam priuſquam Taurino mouere poſſet, Gregorius Montelongus, apoſtolicæ ſedis in Lombardia legatus, quem Innocentius pontifex Aquilegienſi patriarchatu ornatum, apud Mediolanenſes Placentinóſque iuſſit permanere. Eo curante, hinc Placentini, Mediolanenſes, inde Bononienſes, Ferrarienſes, Rhegini, Mutinenſes præſidia immiſerant Parmam celerrima: vt Fridericus illorum eruptionibus pene quotidianis agitatus, caſtra remotius fuerit commu nire coactus. Quæ quidem caſtra in magnum circuitum foſſa vallóque, primùm caſu & præter intentionem munitiſſima, Fridericus in vrbem ædificata linquere cõſtituit, vt Parma (quamprimum caperetur) funditus diruta, hęc in eius locũ ſuffecta maneret: noménque nouæ vrbi Victoriæ fuit inditum, & tutelaris ſanctus (de more Chriſtiano) martyr Victor in baſilica cathedrali eſt nuncupatus, Victorinique in ea vrbe moneta fuere dicti. Continuatum eſt poſtea duos ferme annos bellum atrox variúmque, & Lombardiæ ac omnium Italiæ pernicioſiſſimum, omnibus quos per Italiam partiũ Gibellinæ & Guelphæ labes infecerat, auxilia nõ magis militũ quàm pecuniarũ, odio partium

Imperator armam obdet.

iſtoria no- vrbis.

partium

tium vtrinque contribuentibus. Et fuit vrbs Victoria vario gentium & rerum inuſitatarum commercio ac multitudine frequentata, quòd per ſingulos ferè dies ex Aphrica, Mauritania, Aſia, Ægypto noui homines, noua veſte, nouis moribus ſunt viſi. Animalia etiam vidit vrbs Victoria, quæ poſt theatrales ſtantis Romani Imperij ludos Italia non viderat, elephãtes, dromedarios, pantheras, leones, pardos, lynces, & vrſos albos: quum canes tunc viſi, hinc magnitudine viſuque horribili, inde extrema puſillitate feruntur: aues quoque & rapaces & cicures Fridericus curauit, præter vſitatas in Italia multas: in quis falcones chilnonesque, aſtures, & grifalci albi, & (quod eam decuit maieſtatem) immenſæ magnitudinis barbati bubones fuere conſpicui. Contraxitque eò Fridericus habitas prius, & tunc primùm captas ſpecioſiſſimas mulieres: quibus à ſpadonum grege cuſtoditis, viridaria, vineas, hortos & conſitiones cum villis apud Victoriam vrbem lautiſſimè procurabat. Qua tempeſtate, dum Tartari ſuis locis, & Groſſoni Arabes Hieroſolymam vaſtant, papa expeditionem molitur in Aſiam, Fridericus apud Parmam deſidet: res Germaniæ erant inquietiſſimæ. Nam electores Imperij, factæ de Friderico priuationi innixi, Landgrauium Turingiæ Romanorum regem deſignarant, cognomento Raſpen. Hic iuxta Herbipolim in Aſcenſione Dominica à Moguntino & Colonienſi archiepiſcopis & quibuſdam principibus in regem aſſumitur: & ſubitò crux à Moguntino prædicatur, & à proceribus multis expeditio in terram ſanctam cum cruce aſſumitur.

Noua vndiq; animalia Victoriã importata.

Landgrauius Turingiæ Romanorũ rex.

CA. 14.
1246.

HENRICVS Turingiæ landgrauius, aduerſus Fridericum electus, anno ſexto & quadrageſimo poſt mille ducentos, apud Francfordiam anno proximo curiam indixit. Sed Conradus Friderici filius, quem pater poſt extinctum Henricum conſtituit regem per Germaniam ſub ſe regnaturum, filius Iolæ, quæ hæreditatem afferebat patri ac filio, vt reges Hieroſolymorum dicerentur. Is collecto exercitu Henrico Landgrauio iam recens electo occurrit, quum ad indictum ferretur conuentum: collataque manu ſuperior factus Conradus, copias Henrici diſpulit, diſiecit & diſſipauit, multis capitaneis ac nobilibus de exercitu captis. Cœperunt deinde, quibus ea diſplicuit electio, contemnere Henricum, & irridentes dicere regem clericorum. Papa tamen omnes principes Alemanniæ per legatos ſollicitauit, vt Friderico & Conrado derelictis, Henrico parerent electo. Feruntur & literæ tum exiſſe ab Soldano ad ſummum pontificem, quarum exemplar in Metropoli poſuimus: quum tanto in Fridericum papa ferretur animo & feruore, vt illi non modò Chriſtianos, verùm etiam infideles principes auerteret. Fridericus interea in obſidione Parmæ, in noua ciuitate Victoria, ſecurum ſe obſidere arbitratus, didicit quid ſit hoſtem per incuriam contemnere. Poſtquam enim vi expugnandæ ſpem abiecit, & fame illam in deditionem cogere eſt adnixus, multa truculentiſſimè ſunt commiſſa. Captos nanque diuerſarum partium Reginenſes, Mutinenſes, Placentinos, Bononienſes atque Hetruſcos, ante vrbis Parmæ portas promuraliáque truncari laniarique, & baliſtis maioribus in vrbem ſemiuiuos proiici curauit. Nec a muliercularum pudore eſt temperatum, ſi quando pauperculæ in agrum delatæ, in Saracenorum & Friderici ſatellitum manus inciderent. Tandem anno obſidionis ſecundo propè exacto, Gregorius Montelongus legatus, & Philippus Vicedominus Placentinus ciuis, Lombardorum præſidio præfectus, oblata quam diu expectauerant occaſione ſunt vſi. Sagittarij Germani & Saraceni in magnum coacti numerum, ad Parmæ portas foſſásq; conglobati ſunt, id maximè adnixi, vt congredi auſos, aut (ſi nulli apparuiſſent) ſtãtes in propugnaculis quamplurimos vulnerarent. Tum legatus præfectusq́;, ſtructis in vrbe ordinibus, quanta maximè poſſunt celeritate erumpũt, nulla conficiendi ſagittariis (quod facile erat) mora adhibita. Id enim ſolum quod conſtituerant adnitebantur, vt vrbem Victoriam ex improuiſo adorirentur, & in ea ſecuritate, quam Friderici potentatus, & ſimul obſeſſorum Parmæ credita debilitas iam diu præſtiterant, viam quæ a caſtris in vrbẽ recta lataq; ducebat, ocioſi milites Friderici inermes deambulãdo compleuerãt, Friderici exemplo, quẽ qui interfuit, ſcortorũ gregi laſciuientem tunc per nemora colluiſſe affirmat. Ortus tamen à ſagittariis ad prima eruptionis ſigna clamor, in viam ſubitò portamq; relatus: quẽ accepta à furente vulnera, morientiumq; gemitus & fugientium trepidatio ingeminarũt, conuerſus ad vrbis Victoriæ portam quã frequentiſſimus fuerat. Sed inermes viſendi ſtudio ſe inculcãtes, hoſtẽ aduentare furentẽ ſanguino-

Landgrauius contemnitur.

Inaudita Friderici crudelitas.

Parmẽſes eruptione facta Victoriam occupant.

lentumq́; conſpicati,dum arma arripere properant,portam reliquere hoſtibus indefenſam,& confugienti ſagittariorum aliorumq́; inermium immixtus globo hoſtis, eam ardenti animo tenuit occupatam.Nec mora,in omnes ad eam perducentes vias & vicos pugnari truculentiſſimè cœptum erat,quum Fridericus, altero ſuper alterum portæ occupationem & hoſtem vrbe Victoria potitum nunciante, vnicam in fuga ſpem ſalutis arripuit. [*ridericus au- gıt.*] Qui præter alia accepta cladis damna, præter dedecus & ignominiam, aurea quoque & argentea,ac penè maiora quàm Imperatoria perdidit ornamenta.In quis corona fuit mirabilis precioſiſſimaq́; iaſpidum ornatu:eam enim pōdere ac forma maiuſculam,quàm quę capitis de Imperatorio noſtri temporis more geſtamen eſt,ad diuitiarum(quas certè maximas habuit)oſtentarionem in cubili ſemper conſpiciendam habebat.Ditatus tanta præda,quam particulatim referre operoſum fuerit, eccleſiaſticorum exercitus,Victoriæ vrbem glorioſè deuictam ſolo æquauit: nulla re magis alia damnandus,quàm q; in humani ſanguinis,nō magis barbari quā Italici effuſione modū exceſſit.

[*Cap. 15.*] Qvo tempore,quum Iohannes & Gerhardus,Holſatiæ comites,filij Adolphi,iam fratris minoris de ſtudio Pariſienſi (cui iam ſupra biennium incubuerant) non modico ſuorum deſiderio expectati,reuerterentur incolumes,die Iouis,quę fuit octaua Franciſci,cum maximo cleri ac populi tripudio ſunt recepti. Terram quidem in tumultu ſub bellicis motibus inuenerant,rege Daniæ Erico fratrem ſuum Abel, qui eam defenderet,impugnante.Anno deinde proximo Guncelinus Zwerini comes, & domini Wandaliæ,qui tum regi militarunt,aduerſus Iohannem Holſatię comitem exibant in pugnā, perueneruntque in Todeſlo(limes tum hic erat Holſatiæ atque reliquæ Wandaliæ) vbi comes ad tutandos fines ſuæ ditionis præſidium militum collocauerat. Sed fortiores venerant hoſtes,quàm poſſent à paucis ibi ad cuſtodiam conſtitutis militibus repelli. Capto ab hoſtibus oppidulo, quoſdam etiam ex Holſatis defenſoribus intercipiunt, nonnullos pertinacius reſiſtentes cædunt,alios fuga ſibi conſulentes abigūt.Fratres ipſi Holſatiam & paternam omnem ditionem adminiſtraturi,in eam venere ſententiam,vt hęreditatem partirentur,quando communibus auſpiciis gubernare non poterāt. [*olſatia do- inatus diui- tur.*] Euenitq́ue illis quod ſolet de gubernatione diſſidentibus,vt minimè communi conſilio in omnibus agerent.Igitur partitione facta,Iohannes natu maior Wagriā (ea eſt ditio ex Wandalis olim capta)Gerhardus iunior,velut paternam domum accepit Holſatiam Stormariamq́;.In Wagria autem pro magna parte pulſis & cæſis Wandalis, Adolphus ſecūdus Weſtphalos,Phriſios Hollandinos,Traiectenſes(quod ſuo loco diximus) collocauit.Ea complectitur Aldenburgum,Lutkenburgum,Nyeſtadium, vſque in Trauenam: inde Todeſlo,Zegeberg,Plone,& quicquid medium hæret.Stormaria à Stora flumine ad Bilenam in orientem porrigitur,ab aquilone Wagriam,ab occidente Holſatiam, à meridie Stormariam.Ea complectitur Reynoldesborg,Nyemūſter,Itzeho,& quicquid medium eſt,vſq; ad Wagriam & Stormariam. Stormaria verò inſigne & vetus oppidum Hamburgum habet,ab olim quidem anguſtum, nunc tribus quàm initio partibus magis amplificatum,& opibus non in poſtremis.Sed hac etiam quam nunc ſcribimus ætate,ſola diui Petri parrochia vrbem faciebat:cætera acceſſere per tempora,paluſtribus locis ad Albim iacto fundamento firmatis, vt ſuperædificaretur. Ea eſt diuæ Katharinæ portio.Ab occiduo verò prolatatis muris,includi cœpit non minima pars vrbis,quæ diuum Nicolaum habet tutelarem patronum.Nouiſſima acceſſit Iacobi ad orientem porrecta parrochia. [*atrū quoq; tiis rara*] Gerhardus iniquam ratus partitionem,fratri cœpit inuidere,quòd longè vberiorem ſua accepiſſet ditionem. Queſtus eſt amicis, quum per fraternam commonitionem nihil impetraret: perueniṫque diſſenſio in apertum bellum, vt Gerhardus ope Alberti ducis Saxoniæ ac Lubicenſium,arma extulerit in fratrem, obſidens oppidum Kilonenſe: de quo potiſſimùm contentio videbatur, quòd ipſum Iohannes teneret,quum potius Holſatiæ deputandum videretur.Sed nihil ibi per arma proficiunt, reuertunturq́; ſine fructu.Henricus interea Romanorum rex electus,quum anno quadrageſimoſeptimo finem viuendi feciſſet,papa Innocentius non ceſſauit Friderico nouum hoſtem opponere,miſitq́; in Alemaniam legatum Petrum Capuſium cardinalem diaconum ad Velabrum:qui euocatis principibus electoribus iuxta Coloniam, perfecit vt Wilhelmus comes Hollandiæ,vir impiger ad arma,rex Ro.eligeretur. [*... Roma- ... rex mor- Henrico.*]

[*A. 16.*] Wilhelmvs Hollandiæ comes in Nuſſia rex Romanorum declaratur. Aderar

rat inter multos principes, prælatos & nobiles, Iohannes comes Holſatiæ, & ab rege nouo (pro more) cum multis aliis cingulo militari decoratur, vt auratus inde miles vocaretur & eſſet. Quo tempore quum in eccleſia multæ pullularent hæreſes, pernicioſiſſima quædam ſurrexit in Suæuia, quæ in ſummum pontificem & cardinales os aperuit, grauiſſimè blaſphemans, Friderici Imperatoris & Conradi filij cauſam iuſtificans. Multi in eam ſentinam fluxere errores. Audebant dicere apud ſummum pontificem nullam reſidere authoritatem, neque cardinales & epiſcopos (quòd omnes vna labe ſimoniæ macularentur) quicquam tenere à Chriſto poteſtatis: quodque ſacerdotes in mortali con ſtituti neque ligarent, neque ſoluerent, neque conſecrarent: quòd nemo in orbe Chriſtiano interdicere poſſet diuinis officiis: quodque ſine diſcrimine ea audirentur & celebrarentur impune. Et in fine ſuæ prædicationis, indulgentiam, inquiunt, quam annunciamus, non à papa confictam, non à prælatis compoſitam, ſed ex Deo omnipotenti vobis irrogamus. Conradus rex quum hos tueretur prædicatores, ipſe penè incidit capitis periculum. Nam docti vndique viri aduerſus iſta tam friuola & ruſtica dogmata contendentes, effecere vt omnis nobilitas Conradum deſereret, ipſeque cogeretur clam egredi de prouincia. Interim Wilhelmus contenderat ad ſui coronationem: ſed Aquenſis vrbs ita Friderico inhærebat, vt non permitteret Wilhelmo primam ibi de more accipere coronam. Cruceſignati in hæreticos oppugnauere eam vrbem, vt compellerentur admittere principes ſolennia coronationis peracturos. Inde progrediens rex ripam Rheni legit, Imperij prædia in ſuam accipiens poteſtatem. Sed quum aliquantam ibi moram facerent, nec eſſent abunde commeatus, quibus regiam ſuam ſuſtineret magnificentiamque dignam Imperio impleret, in Hollandiam ſuam eſt regreſſus. Inde tamen proximo reuerſus anno quum auctis viribus incederet, plura quàm antè Imperij ſibi iura vendicauit.

Hæreſis quæ Papæ autoritatem abrogabat.

CA. 17.

Holſati fratres bellis cum Danis gerunt.

INTEREA Iohannes Holſatiæ comes, quum rex Daniæ Ericus fratres ſuos inſectaretur, pro Abel duce Sleſwici, ſororio ſuo, arma ſumebat in regem, fratremque Gerhardum vocabat in communionem belli, adunatis viribus & auctis per Bremenſem archiepiſcopum. Dum autem illi magnis itineribus ingentique apparatu veniſſent in Iutiam, rex cum fratre iam in gratiam rediſſe videbatur: nec poterant nec volebant qui armati venerant, fratribus iam vnum ſentientibus ſe interponere: vnde pacatum agmen reduxere. Sed anno deinde ſequenti, quum recrudiuiſſet bellum inter fratres, nihil moratus Iohannes comes iterum amicos ad arma vocabat. Archiepiſcopus Bremenſis & Simon Padeburnenſis electus auxiliaria illi facilè arma mittebant, procinctusq; mouebat in Daniam. Obſtitit illi propriis in finibus arx Reinoldesborg: quæ veteri memoria ſemper erat iuris Holſatici: ſed auus Iohannis Adolphus quum à rege Kanuto premeretur, nec aliter manib. eius elabi poſſe videretur (quod ſuo loco diximus) arcem regi conſignauit: eamq; rex & magis communiuit, & viris fortibus inſeſſam iuſſit cuſtodiri. Tum verò Iohannes cum commilitonibus acriter animoſeq; cœpit impugnare. Sed quum interea rex Ericus factione fratris Abel (quod in Dania diximus) interemptus nunciaretur, ipſeq; Abel ſororius comitum ad coronam vocaretur, ptoficiſceretúrq; & coronaretur, facilè reliquit Iohannes cœptam oppugnationem, cunctis iam ſtantibus ad nutū ſororij eius, pro quo ipſe cum amicis in regem Daniæ arma ſumpſiſſet. Wilhelmus autem Romanorum rex, iam magis ac magis in regno proficiens, affinitatem principum inſtitit inire, ductàque vxore filia Ottonis ducis Brunſwickcenſis: ea ſolennitas Brunſwici peragebatur in palatio Leonis. Ipſa nuptiali nocte, quæ fuit proxima diui Pauli conuerſioni, graue in palatio incendium exoritur (quum omnes quieti ſe permiſiſſent) incuria miniſtrorum, qui paleis fœnóque ignem incautè miſcuerunt. Pene rex & regina ſunt exuſti: vix nudi extracti periculum euaſerunt, regina ducente regem viarum non conſcium. Sartores qui incendio cauſam incauti præbuerunt, primi ſunt exuſti, perieruntque miſerabiliter per imprudentiam.

Gulielmi Romanorū regis inauſpicatæ nuptiæ.

CAP. 18.

FRIDERICVS autem Imperator, amiſſa Victoria noua vrbe cum multa (vt diximus) ſupellectile & armis, in Cremonenſem agrum de fuga ſe contulit: nec Cremonam rogatus accedere eſt auſus, maximè veritus (quod facillimè contingere potuit) ne populus tanta clade eius laſciuia atque imprudentia afflictus, pœnas ab eo ſuppliciúmque ſumeret. Cremonenſis enim militiæ flos cum carrotis in vrbe Victoria amiſſus, & odio

partium in primores quoſq; ſequitum erat. Reparauit tamen breui exercitum Fridericus, & in Placentinos ducens, monaſterium ſanctæ Columbæ ſecus Doninum oppidū demolitus eſt. Inde mouens in Hetruriam, Hencium filium cum parte copiarum in Fauentiam Rauennatumq; prouinciam, vt in poteſtate fideq; contineret, ire diſpoſuit iuſſitq;. Hetruria pene tota, præter Florentiam, magis illi ſubdita quàm partes ſequi videbatur: marchia quoq; Anconitana illi parebat. Nihil autem magis cupiebat, quàm exulcerati apud Parmam animi dolorem in opprimēda Florentia euomere, nec magni feciſſet Gibellinam partem ſuam vnà perdere, quæ longè minor erat: quod ſciens pars vtraque portas illi clauſit. Oppugnans tamen obtinuit, vt pars ſua eiectis aduerſariis dominaretur. Quod quum fieret, magna pars nobilitatis ad quoſdam ſe cōtulit comites vicinos, cum quibus ſtatim ab Friderico eſt oppreſſa. Hæc quum ageret Fridericus, accepit triſte nuncium de capto à Bononienſibus Hencio filio, a quibus diutiſſimè ille tentus eſt. Fridericus inde in Apuliam mouens morbo corripitur, à quo quum conualeſcere inciperet, à Manfredo filio, impoſito ori puluino oppreſſus à nōnullis memoratur: alij Panormi vita functum ferunt. Hoc conſtat, priuſquam decederet, Manfredo filio principatum Tarentinum cum quibuſdam deſignatis vrbibus, quæ antè ſub illum non pertinerent, donauiſſe: vt haberet egregius adoleſcens, formæ dignitate & ingenij magnis & multis dotibus præſtans, literis etiam imbutus, vnde æuum traduceret. Timebat enim illi ab auaritia fratris Conradi, qui legitimo iure in omnia ſuccedens, minimum fratri notho permitteret. Sed ille patre vita functo, aliorum fretus fauore, alibi vim obtendens, ad regnū Siciliæ aſpirabat, & iam penè maiorem partem occupabat: quum diu expectatus Conradus rex, ex Germania deſcendens, recepit armis quæ ille pridem occupauerat. Nec tamen diu ſupererat, veneno (vt apparebat) extinctus: reliquitq; filium Corradinū, ſiue (vt alij ferunt) ex fratre Henrico nepotem, quem ſcripſit hæredem. Sed nos tumulato Friderico in Saxoniam reuertamur. Erat tum annus quinquageſimus poſt mille ducentos, ad ſupputationem Euſebianam. Saxoniæ enim debitores ſumus ex profeſſo, quamuis Imperatorum res non iniuria illi miſceamus, quòd omnes inde ab Henrico I. Ottonis Magni patre, ad hunc vſq; Fridericum, ſanguinem traxerint Saxonicum. Inde ſumunt, qui aiunt præclaram Saxoniæ domum annis trecentis & quinquaginta Imperiū tenuiſſe. Ex illo enim tempore nullus eſt aſſumptus princeps ſiue ex Francis ſiue ex Sueuis, qui non Saxonica ſe domo prodiſſe gloriaretur: quod in Ottone I. oſtendimus, qui Suauiæ filium & Bauariæ fratrem præfecit, Franciſq; iunxit affinitatem, vt omnes per Germaniam domus illuſtriores Saxonicum ſanguinem cum laude teſtarentur.

[Margin: ...dericus mo...r. — ...250. — ...perium pe... familiam ...onicam ...m350.]

A. 19. OTTO dux Brunſwickcēſis, vnicum decus Saxonici germinis, nepos ex filio Henrici Leonis, quum iam eſſet in procinctu eundi ad curiam Francfordiæ indictam (quam Wilhelmus rex principibus conſtituit) diem ſuum clauſit extremum. Rex autem memoratus, Ottonis gener, ſatis difficulter honorem Romani regni ſuſtinuit, quū illi principes non parerent, & ab vicinis ſatis cumulatè impugnaretur. Nam inter Colonienſem archiepiſcopum & eundem regem tanta in oppido Nuſſia controuerſia vndecunq; exoritur, vt ignem Colonienſes applicarent regiæ in qua rex manſitabat, ita vt rex ipſe cum apoſtolico legato penè conflagraſſent. Comitiſſa Flandriæ per ea tempora cum rege ſimultatem de finibus patriæ ditionis habebat: quæ in apertum proceſſit bellum, ita vt nō contemnendas copias illa per mare mitteret in Hollandiam. Sed rex venientes ita excepit, vt non ſe veniſſe gauderent. Multos cepit, & pertinacius reſiſtentes cecidit, vt reſidui fugæ præſidium quærerent. Ad annum autem à Chriſto quinquageſimum ſextum poſt mille ducentos rex cum vicinis Phriſonibus bellum gerebat, in quos copias duxit expeditas, ruſticum & inermem populū facile ratus ſub iuga mittere. Sed eas ſenſit quas non putauit difficultates: nam circunfuſus ab hoſtibus, qui longis haſtilibus tranſuolare foſſata didicerant (quò equites peruenire non poterant) rex cum multis opprimitur: cæſumque abſcondunt in limo, vt ne hodie quidem ſciatur quo ſit loco tumulatus rex Romanorum. Ita clari nonnunquam viri obſcuros exitus aſſequuntur. Vacabat perinde regnum, quod Italici ab Friderico ad Rodulphum Suæuum vacaſſe ſcribūt. Nam mediorum principum nulla ſenſerant arma, ita aſſueti Germanorum gladiis, vt viuere aut regnare non crederent, qui in prouinciam ſuam non bello detonarent. Sed in Saxoniam redeamus. Otto moriens quatuor reliquit filios: Albertum, qui in honore ducatus maior

[Margin: ...manorum in parua ...autoritate. — ...256. — ...ta morte ...t.]

ior

ior natu patri ſucceſſit:& Iohannem,qui poſtea cum fratre partitur ditionem:Conradū Verdenſem,& Ottonem Hildeſemenſem epiſcopos. Quinq; quoq; filias ita collocauit, vt primam Albertus Saxoniæ dux,ſecundam Henricus eius frater,comes de Anehold, tertiam Landgrauius Haſſiæ, quartam Wenſlaus Rugiæ princeps, quintam verò Wilhelmus Romanorum rex coniuges haberent. Vnde latè propagata eſt nobilitas domus Brunſwickcenſis. Albertus autem dux congreſſus archiepiſcopo Moguntino,per occaſionem quam infrà memorabimus,cepit pontificem: quo captiuitatis vinculo laxari nō poterat,priuſquam à Richardo Anglico Cornubiæ comite,ad Romanum regnum aſpirante,redimeretur,impenſo magno ære:quod infrà memorabimus.

C A. 20.

Epiſcopi ſtrenui bellatores.

Per hæc tempora trahebatur diuturnum bellum inter Ottonem de Brandenburgo marchionem,& Willebrandum Magdeburgēſem archiepiſcopum, Ludolphumq; Hal berſtadenſem antiſtitem:quod bellum varia fortuna gerebatur. Captus ab Halberſtadenſi aliquando marchio ingenti pecunia redemit captiuitatem,imò libertatē ſuam, quam bello captus amiſit. Iterum congreſſi alios habuere exitus : nam tum marchio fugauit vulneratum archiepiſcopum,Halberſtadenſem etiam cepit, vt vicem illi redderet. Multi ſe interpoſuere principes vt rem pacarent, nec poterant. Poſt diuturnam vexationem,duo diuerſarum partium milites ſoli pacem repererunt, excogitantes quod multi inuenire non poterant:idq; placitum vtriſque firmauit pacem. Nec erat marchio illis tunc viribus quibus modò præditus manet,accedentibus modernis de Francia, de Bauaria non paruis ditionibus. Per idem ferè tempus magnum hoc bellum gerebatur inter Odoacrem Bohemiæ & Balam Vngariæ reges:magnis vterque apparatibus inſtruxere. Bohemo ſuppetias tulere Saxoniæ principes, Otto Brandenburgēſis marchio, qui in communionem eius belli traxit Albertum Saxoniȩ ducem,nepotem ex fratre ſuum, & Albertum ducem Brunſwickcenſem cognatum ſuum. Ferunt centum millia fuiſſe pugnatorum in parte Bohemi,millia ſeptem ferratorum, quorum etiam iumenta pro magna parte ferro tegerentur. Et tum conſtitit victoria Bohemo,multis Vngarorum ad vicinum pugnæ amnem,quum ferrum fugerent,aqua interceptis.

Bohemus & Vngarus bellum inter ſe gerunt.

CAP. 21.

Imperiū à papa aquilæ plumis emitur.

Interim morte Wilhelmi regis vacante Imperio, Alphōſus Caſtellæ Hiſpaniarum rex,& Richardus Cornubiæ comes,regis Angliæ frater germanus,in vanam ſpem Imperij Romani ſunt inducti. Alphonſus quidem vt fauorem ſibi Romanæ conciliaret eccleſiæ,duas Transpadanas vrbes illi permiſit,Taurinum & Alterā:facilè donans quod non habuit,& aquilam explumans. Sic agitur cum infœlici Romano Imperio, poſtquā auaritiæ nihil ſatis eſt,vt qui aſpirent ad regnum,promptè promittunt de non ſuo, vt cumulum rerum & faſtigium aſſequantur. Studuit huic principi Conradus archiepiſcopus per ea tempora Colonienſis, qui perductum Aquiſgranum de more coronauit: quod illius operæ ab antiquo,tanquam in ſua prouincia, apud diuum Karolum I. permittitur. Datur hoc memoriæ magni Imperatoris,qui ibi creber manſit, ibique tumulatus tubam expectat nouiſſimam. Audiens autem Richardus alios ex electoribus ęmulo ſtudere Alphonſo,magnam auri ſummam extulit Anglia ditiſſimo regno : & circunuectus,quos poterat ea ſibi re principes & magnates conciliabat. Mirum quæ res ſpem fecerit alienigenis principibus ad coronam aſpirare, quam tantis ſeculis ſola Germania, & præſertim Saxonicus ſanguis, promerebatur. Arbitror ſummam rerum tum maximè conſtitiſſe in archiepiſcopiſcopis Rheni : parum tum eius rei arbitrium permiſſum Saxoniæ principibus, marchioni atque duci : minimè verò regi Bohemiæ, cuius nomen inter electores non legitur ante quartum Karolum:qui eam rem non ſatis ordinatam redegit in bonum ac legitimum ordinem,qui vſque hodie per annos centum quinquaginta ſeruatur. Richardus ergo Anglicus tum requirebat Moguntinum archiepiſcopum in electione regis primarium. Erat is in carcere,captus ab Alberto duce Brūſwickcenſi, per hanc occaſionem. Albertus quidem princeps modeſtus, & animo ſatis tranquillus,aluit per manſuetudinem quorundam ſuorum militarium audaciam. Nam qui de excelſa arce traxere nomen (vt de Aſſeborg dicerentur) miniſteriales, in id temeritatis ſunt prouecti,vt ducem ſuum non modò contemnerent,ſed quibuſdam etiam in rebus contumelia non abſtinerent. Inſigne eorum quod clypeis præferebant,lupus erat, quum interim principes Brunſwici geminos à memoria Henrici Leonis in clypeo præferebant leones,quos ille ex Anglia referebat. Vt autem contemptum animi ſui facto

Imperij conferendi præcipua penes epiſcopos poteſtas

Albertus Brūſwickcenſis cō temptum ſuū vlciſcitur.

proderent, in clypeis figurabant leonem, cuius tergori lupus immineret. Ea res quum non eſſet obſcura, neque interpretatu difficilis, mouit tranquillum principē, quòd contemptui ſuo iunxiſſent facti contumeliam. Itaq; leo per aures tractus expergiſcitur: arma producit in contemptores, & obſeſſa diu arce Aſſeborg oppugnataq; tandem expugnauit: & eiectis illis inexorabiliter de terra, arcem ſibi ſuiſq; iuribus deſumpſit habitandam. Vix tandem exulantes, ipſi per amicos impetrarunt vt ad oppidum Brakel ſinerentur commanere. Quum autem in eius arcis expugnatione dux Albertus hæreret, Tidericus comes de Euerſteen, tracto in armorum ſocietatē archiepiſcopo Moguntino, terrā inuaſit Gottingenſem, prædis & incendiis omnia miſcens, non ſatis antè more militari denunciatis hoſtilibus. Reliquerat dux in ea terra præfectum cum expedita manu, quæ ſufficere videretur terræ tutandæ. Cui tamen in aperto congredi tanto exercitui conſilium non erat, quòd impar eſſet viribus: ſed collecta equitum quanta ex tempore potuit ala, magnam ruſticę plebis multitudinem ſecum traxit leui armatura, & clanculo ſequutus hoſtile agmen, obſeruabat vbi caſtra poneret. Quieuit autem prima nocte ad curtem monaſterij: exercitu enim foris tendente, archiepiſcopus ipſe curtem ipſam ingreditur. Præfectus ducis quum explorata teneret omnia, & quieta cunctis viderentur ſilentia, noctu irruens in quietos, capit archiepiſcopum & comitem, & qui ſe commouerant repreſſit. Trahit vtrunque captiuum in caſtra ducis: archiepiſcopus Brunſwicū mittitur, ibiq; anno integro ſeruatur: comitem verò, quòd violator eſſet ſacramentorū, quibus duci ſuo aſtringeretur, erecta trabe iuſſit appendi per pedes: vt exquiſito cruciatu finiret, qui execrabile ſcelus in dominum ſuum commiſiſſet. Hæc eſt illa captiuitas archiepiſcopi Moguntini ab duce Brunſwickcenſi.

[M]oguntinus [b]ello captus.

CAP. 22. RICHARDVS ergo Cornubiæ in Anglia princeps, quum per hunc archiepiſcopum aſpiraret ad regnum, ingenti exprompta duci Brunſwickcenſi pecunia, archiepiſcopum è carcere liberauit. Quocirca redemptus redemptori ſuo inclinabat. Peruenere ergo ambo Alphonſus & Richardus, titulotenus ad regnum: ſed non vltra progreſſa eſt vllius authoritas. Nihil enim adminiſtraſſe leguntur, niſi quòd Alphōſum Colonienſis, & Richardum Moguntinus fouerent archiepiſcopi: & cōtinuit alterum alterius metus, ne quid attentarent: ſiue id modeſtiæ deputemus, quòd viri ſenſati lacerare ſe mutuis viribus pro alieno Imperio iudicabant indignum: nuſquam enim referuntur in inuicem arma aut acies produxiſſe, contenti glorioſo nomine. In quo Richardus magis eſ ſerbuiſſe cernitur: nam Alphonſus vbi ſenſit ſibi ortum æmulum, intra regni ſui ſe limites continuit. Et quoniam nihil magnum in regno peregerunt, Italici ſcriptores per eorum (vt diximus) tempora vacaſſe ſcribunt Imperium. Interim verò, quum per annos octo & decem nemo in Romano ſe commoueret Imperio, qui magnopere publicam videretur curam admittere, res Aſianæ factione ſtultiſſima Italorum ſunt periclitatæ. Ptolemaide enim domini Veneti & domini Ianuenſes, inuicem tumultuantes pro ſola ſuperbia, locum fecere Ethnicorum irruptioni, vt finaliter omni Aſia Chriſtiani exturbarentur. Gyrationes ſuas inſanas & vertiginoſas, quas in Italia conceperant, vſque in terram ſanctam efferebant. Nam per ea tempora ſæuiit in Italia, illa tartarea & ab imo barathri prolata diuiſio Gibellinorum atque Guelphorum: quæ neque hodie penitus extincta fumat. Sed hæc Blondo commemoranda relinquentes, in noſtram Saxoniam reuertamur. Ille enim, quaſi nihil in reliquo terrarum orbe rerum commemoratione dignarum geratur, in ſolis illis Italorum ſuorum diris gyrationibus commemorandis multum temporis impendit, aureum ſuæ orationis filum fœdiſſimis tumultuationibus ſuorum comprouincialium commaculans.

[D]uo verbo Im[p]eratores, neu[t]er re.

Venetorū & Ianuenſiū bel[l]um Aſia Chri[ſt]ianos expu[l]it.

[B]londi ſcripta

CAP. 23. PER quæ tempora Adolphus, dudum comes, nunc frater Minor, zelum diuinæ religionis ferueſcentem magis atque magis in diem protulit vſqueadeo ad omnes, vt ad viſitandos quoſque religioſos vnà cum prælatis aſciſceretur. Speculum ſtatuere patres in oculis omnium mundo crucifixorum, vt in eo ædificarentur, qui viderent & audirent ex comite ſeculi principem in religione: effecitq; vt fratres noui monaſterij, iam familiarius quàm religioni ſuæ par erat, mulierculis adhærentes, procul à ſe dimittere cogerentur. Sic in aliis reformabat, quod ipſe ſeculi caſus internoſcens pernicioſum ſibi comprobauit. Interim filij eius Iohannes & Gerhardus Holſatiam gubernabant, quum Iohannes coniugem ſibi aſciuiſſet filiam Alberti ducis Saxoniæ, Gerhardus autem filiam

[A]dolphus mo[n]achorum a[m]antiſſimus.

Iohannis

Iohannis principis Obotritorum: quem illa ætate, recenti memoria, lingua Wandalica Kneſe Ianike ſui vocitarunt. Iohannes autem comes ex vxore tres ſuſtulit filios, Iohannem, Adolphum & Albertum, & filiam vnam, quam duxit coniugem Otto Brandenburgenſis marchio. Maior filius Iohannes ad nuptias peruenit filiæ Danorum regis Erici. Ea tum fuit comitum æſtimatio in nobilitate. Adolphus filiam accepit Meſtiwoi Pomeranorum. Albertus autem eccleſiam ſibi ſponſam delegit, factus Hamburgenſis præpoſitus. Gerhardus quam prolem reliquerit, diligentius intra explorabitur. Interim verò Waldemarus, Abelis primùm ducis Sleſwickcenſis, deinde Daniæ regis filius, comitum memoratorum ex ſorore nepos, quum de Pariſienſi gymnaſio patriam repeteret, ab archiepiſcopo Colonienſi neſcio quid in coronam Daniæ referente, detentus eſt pro captiuo: nec abire potuit, priuſquam Iohannes Comes auunculus ſex argenti marcharum millia pro redimendo numeraret. Crebra erant his comitibus pro ſororio ſuo (vt diximus) in Daniam bella, dum ſupereſſet Ericus Abelis frater. Quum autem Chriſtophorus, cæſo in Phriſiis Abele (quod in Dania diximus) ad regnum perueniſſet, non æquo erat animo in comites memoratos, quòd Abelis filios in ducatu Sleſwickcenſi tuerentur.

Colonienſis Vualdemarũ incautum captiuum tenet.

HIC Iohannes quum ad arma ſtrenuus, ad omnem humanitatis gratiam modeſtus comiter ſe ſemper aduerſus ciues Lubicenſes gereret, plurimum familiaritatis cum illis inibat: nonnunquam laxandi animi gratia ciuitatem ingreſſus. Quum autem aliquando eius rei gratia intraſſet, vidit in conſpectu ſuo quendam militaris generis Burchardum Boet, quem pridem ob demerita ſua expuliſſet Holſatia. Is quum in oculis comitis pertinaciter obambulans verſaretur, quaſi exprobraret impunitatem ſuam, & illuderet potentiæ nihil audentis in ciuitate: non tulit comes temeritatem inſultantis. Ira concitus, arrepto gladio ſequitur fugientem: quem vbi curſu non deprehendit, gladium teli more vibrauit in tergum fugientis, confoditq; morientem. Ciues etſi ami ſſimo eſſent in comitem animo, arbitrati tamen ſuæ ciuitatis iuribus non mediocriter derogaſſe comitem, inſequuti fugientem, tenere conabantur. Ille vulgi iram declinans, quum ad manũ ſtratum non haberet iumentum, paucis ſuorum inſequentibus vrbis portas pedes petiuit. Inde obſiſtentibus auerſus ciuibus, eccleſiæ maioris turrim, quam patentem reperit, ingreditur: contenti non aufugiſſe comitem, ſeruauere circunſiſtentes. Ille ſe manibus proconſulum permiſit, pollicitus iturum quò vellent. Illi orant, vt placandæ multitudinis gratia prætorium cum illis adeat. Ibi inſtituta pro tempore manſione & quietis locum oſtenderant, & paucorum dierum patientiam orabant, donec ira vulgi deferueſcat. Deferbuit indies motus ciuium, & cœpta eſt haberi cuſtodia negligentior, ex ſententia maiorum. Ipſo meridie, quum omnium fores prandentium clauderentur, adduxere comitis miniſtri ſtratum iumentum, deq; feneſtra ſubmiſſum comitem in eo collocantes, propere abierunt, nemine inſequente: quum gauderent vrbis præſides comitem in ſua rediſſe incolumem: quod ad ciuitatis honorem pertinere videretur, poſtea cum illo ex tempore tranſacturi. Sed tamen irrogatam ſibi vim diu memoria retinens, obſeruauit tempora, ſi quando parem gratiam populo referret.

CA. 24.

Lubicenſes ius ſuum etiam erga hominem amiciſſimum tuentur.

NON erat longum tempus in medio, quum rex Daniæ Chriſtophorus Ericum Abelis filium Sleſwico exturbare conatus, ingentem in ipſum produxit exercitum. Comites Holſatiæ nepoti ex ſorore ſuppetias laturi, quanta poterant arma contraxere, & Eydoram limitem tranſgreſſi, copias ſuas iungunt memorati ducis exercitui: mouenteſque in vlteriora, regem habuere obuium cum expedito agmine, in loco qui dicitur Loheide: ibiq; collatis viribus & armis, mars diu communis erat. Cæſi multi, capti nonnulli: ſed tandem victoria Holſatis inclinabat. Captus rex Chriſtophorus perducitur Hamburgum, ibiq; fida cuſtodia aſſeruatur. Qui fugam inire poterant, cæteris videbãtur fortunatiores. Iohannes autem comes, priuſquam copię quas ductabat diuiderentur in ſua quiq;, orabat vt iniuriam ſuam in Lubicenſes vindicaturi, arma ſecum verterent in illos: nec multis erat opus precibus. Id enim hominum genus, vbi gregatum eſt, facilè ad prædam & incendia inuitatur. Duxit ergo in prædia ciuium & propinqua vrbis, gladio & igne ſæuiens, nec paruam prædam abducens. Lubicenſes ciues, tum excurſionem facere non auſi, patienter vim tulere. Inde verò, quum auxilia comitis dilapſa eſſent, Albertum ducem de Brunſwico inuitarunt, vt armis ſuis, vindicandæ incurſionis gratia,

CAP. 25.

Danus bello captus.

Albertus Brũſwicenſis Lubicenſes iuuat.

illis adeſſet. Venit cum expedito agmine, & iunctis armis ad copias quas educere ciues potuere, ingreſſus Holſatiam hoſtilia omnia facit. Vicum tunc olim florentem, vrbem veterem, cum præſidio ſuo in deditionem capit, vndiq; prędam aceruans. In oppidum Kiil, vbi manſionem comes aduerſarius haberet, ducentes, obſidionem firmauere per menſem: magis eruptionem eius expectantes, quàm vel armorum vel famis ſperarent expugnationem, aditu à mari patentiſſimo intercludi non potente. Inde reducentes exercitum ciues, ducem magnificè remunerati ſunt. Sed Iohannes breui pòſt in fa-
1264. ta conceſſit, ad annum Chriſti milleſimum, ducenſimum, quartum & ſexageſimum, tumulatus in Reyneuelde primus omnium comitum: quod monaſterium auus eius Adolphus, eius nominis III. fundauit, quum primo tempore ex ephebis euadens, ad gubernacula perueniſſet: fratres de Locken, vicino ditionis de Scowenborg monaſterio educens, præſidiis & paſcuis honeſtauit.

CA. 26. OPERÆPRECIVM fuerit comitum de Scowenborg & Holſatiæ lineam retexere, quantum permittitur ex priuilegiis & literis repertis: nam ſcriptorum nemo fuit qui eam diligenter referret in literas. Vnde veniam debet lector huic ſcribẽti, ſicubi fortaſſe in eius lineæ commemoratione impegerit. Igitur initium huius nobilitatis eſt ex induſtrio & forti viro militari, Adolpho de Salingſleue: qui dum cœtus Imperij ageretur in Minda, frequens aderat in concilio Imperatoris. Annales Mindenſium commemorant Conradum III. ſed ratio temporum non patitur: nam iſte Conradus Imperator inſtitit Adolphum ſecundum Holſatia pellere: quod ſuo loco diximus. Erat ergo Conradus II. Imperator, ſub quo Adolphus meruit honorem comitis, inſtante Mindenſi epiſcopo: cui plurimum apud Imperatorem aderat conſilio & auxilio, pro iuribus eccleſiæ. Dedit illi pontifex feudum, de quo eum inueſtierat Imperator. Inde eſt, vt vſque hodie progenies eius non recognoſcat ſupra ſe principem, citra Imperatorem. Poſtea vacante Stormaria & Holſatia, Luderus tum dux Saxoniæ Adolpho eius nepoti, aut forte pronepoti (interceſſerant enim anni plures quàm centum) contulit eam quoque ditionem. Huius filius minor Adolphus ſucceſſit in vtraq; ditione: nam maior Hartungus in expeditione Bohemica periit. Hic eſt Adolphus, qui cæſus eſt à Wandalis in obſidione vrbis Demyn. Huius filius Adolphus, primi in Holſatia nepos, vir erat magnificus: qui pulſus Holſatia, militauit in terra ſancta: reſtitutus, iterum pellitur ab rege Danorum, factus eſt comes Stadenſis, finiuit in Scowenborg. Huic erant filij Bruno, Conradus, Adolphus. Bruno præpoſitus Magdeburgenſis fit epiſcopus Olomucenſis: Conradus ſucceſſit in Scowenborg: Adolphus rediit in Holſatiam, puer (vt Holſati ferunt) impetratus à nobili domina: quod diximus. Sed Mindenſium annales tradunt illum ab Holſatis vocatum, quum iam paulatim vires reſumerent. Hic eſt qui victoriam obtinuit in Bornehouede, fugato Danorum rege: idem militauit in Liuonia: in fine ingreſſus eſt ordinem Minorum. Huic erant filij Iohannes & Gerhardus, qui ditionem Holſatiæ ſunt partiti: nam Conradus patruus tenebat Scowenborg, Iohannes Wagriam, Gerhardus Holſatiam cum Stormaria acceperunt. Viſa eſt Gerhardo iniqua partitio, quòd longè vberior eſſet pars Iohannis: bello rem dirimere tentabant. Sed interuenit compoſitio, in qua veriſimile eſt Gerhardum de ſucceſſione patrui in Scowenborg (qui prolem non reliquit) quietatum. Nam filij Gerhardi illam ditionem poſtea tenuerunt. Ex hoc loco ſcinditur amborum linea: Iohannes in Wagria (quæ ab Oldenborg in Lubicam, per Todeſlo, Plone, Zegeberg comprehendit vberiorem totius ditionis partem) permanſit. Filium reliquit Iohannem cum aliquantis fratribus: in quibus Iohannes ſecundus reliquit tertium cum multis fratribus, cognomento Largum. Ex his fratribus erat Adolphus in Zegeberg cæſus: tertius Iohannes reliquit Adolphum, in quo ſtetit linea: cuius morte ditio Pinnenberg cum pertinentijs venit ad comites in Scowenborg: quod ſuo loco referemus. Ad lineam Gerhardi multipliciorem tranſeamus. Genuit Henricum & Gerhardum. Henricus in Holſatia permanſit, multa gerens: Gerhardus peruenit in Scowenborg, & diu viuendo cæcitate percutitur: vnde nomen contraxit, vt cæcus cognominetur: rediit in Holſatiam Lubicæ finiens vitam. Reliquit filios, Gerhardum, Adolphum, Henricum, Ottonem: duo nouiſſimi in Scowenborg remanſere tumulati in monaſterio Rintelen: Henricus reliquit Henricum filium eius nominis tertium: Gerhardus autem tertius

Holſatiæ familiæ origo.

quum

quum eſſet præpoſitus Lubicenſis, ſubdiaconus, apoſtolica diſpenſatione mortuis fratribus duxit vxorem, & genuit ex ea Iohannem: in quo ſtetit illa linea. Adolphus genuit Adolphum, Ericum, Gerhardum: ex quibus Ericus, magno labore & armorum contentione, aduerſus ducem Brunſwici Henricum, obtinuit epiſcopatum Hildeſemenſem: Adolphus manſit in Scowenborg: Gerhardus in Holſatia. Hic eſt ille Gerhardus, qui cum Iohanne fratruele Gerhardi tertij filio, in Thietmarſia pugnauit infœliciter, anno viceſimo ſecundo poſt mille trecentos. Henricus tertius genuit Gerhardum cum multis fratribus. Hic eſt qui cognominatus eſt pro rerum claritudine Magnus: adoleſcentia eius tenuiſſima fertur fuiſſe, vt præter venaticos canes, nihil poſſideret, Rendesborch moratus. Vidit in eo ſpecimen magni ingenij vir militaris, (vt fertur) idem qui Adolphũ in Zegeberg perdidit, qui traditis Gerhardo iumentis, eum inſtruxit ad militiam: cæſus eſt in Iutia. Adolphus in Scowenborg, quum ſe interponeret bello fratruelium ſuorum in Holſatia, ibi capitur, & ære ſuo redimitur. Is genuit Adolphum, Gerhardum, Simonem, Bernhardum & Ottonem, Ex Adolphis (incertum quis) erat qui ducta vxore filia Meſtiwoi ducis Pomeraniæ, ſe ducem ſcriberet Pomeraniæ: vt teſtantur quæ extant literæ cum ſigillis. Adolphus primogenitus ſuccedit in ditione patri in Scowenborg: Gerhardus fit epiſcopus Mindenſis. Ambo perierunt itinere in terram ſanctam, diuiſis locis & temporibus: Simon haſtiludio infirmatus moritur: Bernhardus fit præpoſitus Hamburgenſis: Otto patriam ditionem gubernat. Magnus Gerhardus reliquit filios, Henricum cognomento Ferreum, & Nicolaum, vindices paternæ necis. Nicolaus filium non reliquit: ſed fratri ſuperſtes peruenit ad ea tempora, vt morte Adolphi in Wagria, interuentu principum (præſertim ducis Saxoniæ, & multorum nobilium, & militarium) daret comitibus in Scowenborg tres præfecturas ad Albim, Hatesborg, Pinnenberg, Bermſtede: vt Wagria iungeretur Holſatiæ. Henricus reliquit filios, Gerhardum, primum Sleſwici ducem ex hoc genere, Albertum, Henricum. Albertus ſine prole periit. Henricus eligitur Oſnaburgenſis epiſcopus, ſed non peruenit ad conſecrationem: Otto in Scowenborg genuit Adolphum, & Wilhelmum in pueritia morientem. Is accepit (vt coniicio) ditionem primus in Holſatia, genuitq; filias quinq;. Adolphus filius is eſt, qui militauit fratruelibus in Holſatia, quum magnam de Danis aſſequerentur victoriam in Holſatia. Gerhardus dux periit in Thietmarſia: & reliquit filios, Henricum, Adolphum, Gerhardum, & filias, quarum vna denupſit Theoderico de Oldenborg comiti, ex qua nati ſunt, Chriſtianus, Mauricius, Gerhardus. In Scowenborg Adolphus genuit Ottonem. Is moriente Adolpho duce, in Holſatia contendit ad ſucceſſionem: ſed Chriſtianus de Oldenborg, iam Danorum rex, præceſſit eum vt potentia, ſic fauore: vnde factum eſt vt Otto accepta pecunia conquieſceret. Filij eius multi, Adolphus, Ericus, Erneſtus epiſcopus Hildeſemenſis, Otto, Henricus epiſcopus Mindenſis, Bernhardus, Antonius, Iohannes. Viuunt hodie, Otto in Pinnenberg, Henricus, Antonius, Iohannes: hic ſolus filium habet Iudocum. Chriſtianus reliquit filios, Iohannem Danorum regem, & Fridericum Holſatiæ & Sleſwici ducem. Hic eſt ſtatus rerum præſentium. Nõ te moueat lector, ſi qui præteriti ſunt ſine nomine: ſucceſſio quæſita eſt. Nunc geſta temporum ordine ſuo percurramus. Gerhardus ille I. Adolphi filius, interfuit & præfuit bellis omnibus, quæ in regem Daniæ pro filiis Abelis ducis Sleſwickcenſis, poſtea etiam regnantis, communiter a ſe & a fratre gerebantur. Moriente autem fratre, necdum laxatus rex. Hamburgi in ditione Gerhardi ſeruabatur. Albertus autem dux Brunſwickcenſis, eius rei gratia profectus cum aliquantis amicis in Sleſwicum, vt cum Erico duce (ad quem res primum pertinere videbatur) ageret ſuper rege relaxando. Sed non erant illæ conditiones in manibus eiuſdem Alberti, ſine quibus redemptio non procedebat: qua de re fruſtratus in ſua rediit.

QVO tempore idem Albertus dux arma contraxit quanta potuit, ac duxit in Marchionem Miſnenſem. Iuſtis de cauſis, ſed quas ſubducunt annales, hi principes diſſidebant. Non minori animo, quem petebat, Albertus ipſi eum expeditis copiis obuiam eſt profectus: collataque manu ſtatim inclinabat fortuna marchioni, factusque Albertus prælio inferior, capitur cum aliquot comitibus & inferioris ordinis militibus: à qua captiuitate poſt annum & dimidium ſuo ære redimitur. Interim frater eius Iohannes, necdum adminiſtrationem aliquam ſortitus (quòd indiuiſus ducatus apud Albertum CA. 27. *Albertus Brũſvicenſis capitur.*

permaneret) inita affinitate cum Gerhardo Holſatiæ comite, filiam eius accepit vxorem. Quo tum annitente, rex Danorum Chriſtophorus, magno ære perſoluto, & quanto pro regio capite luendo opus erat, in libertatem rediit: ſed non diu ſuperſtes ſuæ liberationi, mox vt in regnum reuertitur, finem viuendi fecit, filium ſuum Ericum regni linquens ſucceſſorem: quod in Dania diximus. Memorabile autem eſt ex hoc Iohanne ducis fratre, quòd ille primus operam impendens ſalinæ Luneburgenſi (quæ vſque ad eius tempora tenuis fluxit) nouam illi venam aperuit, longè ea quæ pridem fluxit vberiorem. Erat autem tum annus poſt natum Chriſtum ex milleſimo ducenteſimo nonus & ſexageſimus: & proſperatum eſt opus in manibus eius vehementer.

Salina Luneburgenſis.

1269.

Quum autem principes Saxoniæ vicinorum inuidiam proſpicerent, conuenerunt in cœtum, vt vnum ſentientes & pacem inteſtinam firmarent, & hoſtibus in circuitu fortiores occurrerent. Conuenere in Quedelinborg Albertus & Iohannes de Brunſwico duces, Otto de Brandenburgo marchio, & de Miſna quoque acceſſere marchiones: Gerhardus & Henricus fratres de Holſatia, & Iohannes, & Adolphus de Wagria, itidem fratres comites, cum multa vndecunque conuocata nobilitate. Quia vacabat Imperium, nec erat qui de vniuerſo curaret, ipſi inter ſe principes concilium habuere, de communi vbique quiete & pace temporum conſeruanda. Ibi etiam interueniente Ottone marchione, qui ducum de Brunſwico erat auunculus, Albertus & Iohannes duces, ſua diuiſere dominia, titulum tamen communem retinentes: quod vſque hodie conſeruatur. Nam quamuis Albertus ſenior ditionem omnem Brunſwickcenſem (quę etiam Gotringenſem terram complectitur) acceperit, & Iohannes ſolo diſtrictu Luneburgenſi contentus abiret, vterque tamen titulum retinebat, vt dicerentur ambo & eſſent duces Brunſwickcenſes & Luneburgenſes. Brunſwickcenſis autem ditio pòſt ſequutis ætatibus aliquoties ſciſſa eſt in eam quæ modò in fratribus apparet diuiſionem, in terram citra & vltramontanam: quod vbi primum euenerit, ſuo loco commemorabimus. Quo tempore floruit Iohannes Semeca Theutonicus, inſignis iuris doctor (qui Herculea audacia primus aggreſſus eſt gloſſare Decretum, quod ante eum nemo, & poſt eum excellentius nullus facere potuit) præpoſitus ſancti Stephani Halberſtadenſis: qui Clementi IIII. ſummo pontifici, tum per Germaniam (ſicut Galliam) decimas à clero in redemptionem terræ ſanctæ exigenti, appellationem oppoſuit: quem pro ſua (vt dicebat) papa temeritate excommunicauit, priuauitque præpoſitura. Sed erant magni in Germania viri, qui Iohannem deſerendum non putabant. Quæ autem impendere videbantur mala, mors ipſa diremit, quæ tam pontificem quàm Iohannem breui ſuſtulit de medio. Per quod etiam tempus quum mortuo Erico, Sleſwici duce, rex Daniæ Ericus pro paruulis, quos dux reliquit filiis, adminiſtrationem ſuſcipere conatus, arces & dominia cœpit occupare. Ea res iterum noua bella conciuit. Nam comites Holſatiæ Iohannes ſecundus de Wagria, & Henricus de Stormaria, cum exercitu prodeuntes, Eydoram trangreſſi regi ſe obiiciunt, paruulosq́; tuentur, quorum de magno agebatur præiudicio. Nam tutela quidem verbo ab rege præferebatur: cæterùm quomodo ducatus denuo coronæ adunaretur, quæri videbatur.

Imperio vacante ſibi quiſque conſulit.

Decreti gloſſator clero immunitatè aduerſus papam tuetur.

Cap. 28. DVO interim Alberti duces florebant in Saxonia: alter titulum Saxoniæ præferẽs, Bernhardi filius, eius quem primus Fridericus (deſtituto Leone) ex comite de Anehold ducem fecit Saxoniæ, attributis illi ditionibus ad Albim & in terra Wittenborg. Meditullium verò prouinciæ, tanquam peculiare patrimonium relinquitur Henrico Leoni & poſteris eius: quos II. Fridericus creauit duces Brunſwickcenſes. Qui etiam Fridericus diremit controuerſiam inter Ottonem Wilhelmi filium, Leonis nepotem, & hunc Albertum ducem Saxoniæ: vt eſſet Otto cum poſteris ſuis dux de Brũnſwico & Luneburgo, attributis ei armis, quæ auus eius Henricus extulerat Anglia, duobus fuluis leonibus, pro ditione Brunſwickcenſi, & alium laſurij coloris leonẽ, adiectis in clypeo maculis, de terra Luneburgenſi (quæ erant olim arma Hermãno duci & poſteris eius) cum titulo ducatus Saxoniæ. Vetera autem arma Saxoniæ, ab vſque Wedekindo ducta, pullus erat equinus candidus, quem Brunſwickcenſes duces, vt veram monſtrarẽt lineam antiqui generis, tranſtulerunt in conum galeæ. Albertus autem Bernhardi filius titulum tenebat Saxoniæ, retentis armis quæ comites de Anehold maiores ſui prætuliſſent, ſtratoria ligna, fuluo nigroque variata, per clypei tranſuerſum (quæ illi à loco

Balen-

Balenſtede,qui primus eorum erat titulus,tenebant) ſuperiecto,quod fertur feciſſe primus Fridericus,ruteo crinali,quum Bernhardus diſcrimen armorum poſceret à fratribus. Hic ergo Albertus Saxoniæ dux cum poſteritate ſua in primogenito ſeruauit ius & dignitatem Imperialis electuræ,donec memoria auorum noſtrorum marchio Miſnenſis,vera excluſa poſteritate,illam auferret dignitatem:quod ſuo dicetur loco. Alius verò quem diximus,tum erat Albertus, cognomento Magnus, pro magnitudine rerum geſtarum,dux de Brunſwico:qui cum fratre Iohanne partitur patriam ditionem,vt dominium Luneburgenſe proueniret Iohanni,Brunſwickcenſe remaneret Alberto:cæterùm & arma & titulus communiter indiuiſa manerent vtriſq;. Hic Albertus(vt diximus) magno labore humiliauit militares de Aſſeborg:comitem de Euerſteen captum excelſa de trabe iuſſit appendi: Archiepiſcopum Moguntinum captum tenuit,donec magno ære de manibus eius erueretur. Idem oppugnauit iuſtis de cauſis comitem de Peyna, aſſumpto in ſocietatem eius belli Iohanne Hildeſemenſi epiſcopo. Durante autem arcis ſuę obſidione,cogitauit comes(id quod erat)ſe hoſtibus ſuis parem non eſſe,fame ſe per diuturnitatem expugnandum. Et quum hæredem non haberet, incidit ei conſilium de religione,vt comitatum omnem beatæ Mariæ & perinde eccleſiæ Hildeſemẽſi permitteret:idq; clanculo egit apud pontificem Iohannem, vt obſidio ſolueretur. Inuenta eſt per epiſcopum via ſoluendi procinctus. Reduxit exercitum Albertus, ignorãs quid inter epiſcopum & comitem ageretur. Poſtea quum reſciſſet,indignatus dux parabat renouare bellum. Sed tum Iohannes epiſcopus mortem obiit:&,vt placaretur dux, fratrẽ eius Ottonem aſſumpſere pontificem in locum demortui. Quumq; nec ſic quieſceret dux,rogabat fratrem Otto,vt ad tempora vitæ ſuæ permitteret eccleſiæ comitatum: idque annuebat germano. Quumq; ſuperſtes maneret Otto fratri, permanſit in hodiernũ in eius ditionis poſſeſſione. Huius etiam Alberti tempore vrbs Embica,quę erat comitũ de Daſſel,quum ſe quereretur vltra ſolitum à comitib. grauari,ſubdidit ſe Alberto: permanſitq; in ditione Brunſwickcenſium ducum ad diem hunc. Indeque facta eſt diuiſio principatus:quod ſuo tempore dicemus.

Facultatũ aucupium epiſcopus exercet.

Albertvs dux Saxoniæ, princeps elector, multos ex coniuge ſuſtulit filios: in primis Albertum, ſibi cognominem, qui in ditione & honore dignitatis electuræ illi ſucceſſit. Inde Rodulphum,& Ottonem:qui & ipſi acceptis vxoribus poſteritatem reliquere. Nam Rodulphus ex Anna filia comitis Palatini de Rheno genuit filium Iohannem:Otto frater eius ex Loſia filia regis Dalmatiæ prolem non accepit:Iohannes autem (quod poſtea dicemus)& ipſe poſteritatem reliquit. Sed electiua dignitas mãſit in linea & ſucceſſione Alberti ſecundi,qui patri Alberto ſucceſſit,& illi Rodulphus filius: quod per temporum tractum cum rebus geſtis commemorabimus. Sed hîc naſcitur ex annalibus mirabilis perplexitas,ex ſupputatione quam faciũt:nam Alberto ſecundo memoratur in electiua dignate ſucceſſiſſe Rodulphus,non filius, ſed abnepos. Ponitur Albertus iſte ſecundus, ad annum penè ſexageſimum poſt mille ducentos, & ſuperuixit filiis, Rodulpho & Ottoni,Iohanni ex Rodulpho nepoti, & Iohanni pronepoti ex Iohanne, & Iohanni tertio abnepoti, Albertoq; fratribus. Ex quo Alberto natus commemoratur Rodulphus,qui tritauo Alberto ſucceſſit in electiua dignitate. Rarum ætatis exemplũ, ſed tamẽ quod fieri potuit, vt videret Albertus II. filios filiorum in quintam generationem. Interminabiles vocant ſacræ literæ genealogias: ſed tamen principum honori referturiſta fideliter detegere,ſi modò fidelia nobis documenta proferantur:nam de ſola coniectura ſcribere diuinationi proximum eſt. Per temporum autem ſucceſſiones recordabimur eorum qui temporibus incidunt principum. Cap. 29.

Albertus nepotes nepotum vidit.

Rodvlphvs interea ad annum Chriſti ſeptuageſimum ſecundum poſt mille ducentos,comes de Habsburg,à principibus ad regnum prouehitur Romanorum, vir bello acerrimus,& qualem turbata reſpublica depoſceret: quum Richardus mortuus, & Alphonſus longè poſitus regnum tueri non poſſent. Gregorius x. nouus pontifex cõcilium tum Lugduni agebat,in quo multa de electione ſummi pontificis, de vnione orientalis eccleſiæ,de recuperanda terra ſancta eſſent conſtituta. Pontifex Italiam repetiturus obuium habuit Alphonſum Caſtellæ regem, multa querentem, quòd in ſuam iniuriam noua de Rodulpho Sueuo facta electio eſſet comprobata. Quumq; pontificis deſuper ſatisfactionem acciperet, omni ſibi competenti iuri in caput Rodulphi refuſo, Cap. 30.

1272. Rodulphus Romanorum rex creatur.

Romanum regnum ſtatuit in reliquũ poſthabere: approbauit autem papa factã de Rodulpho electionem, in fauorem terræ ſanctę. Sed papa quum Karolo Andegauenſi, iam regi Siciliæ, vicariatum Imperij per Hetruriam commendaſſet, potentiamq; illius quotidie creſcentem ſuſpiceret, egit cum Karolo rege memorato, vt quoniam Rodulphus in ſubſidium terræ ſanctæ imploratus, cauſaretur ſibi deeſſe vnde tantam expeditionẽ ordiretur, quum Italia teneretur ab aliis, Karolus vicariatum Rodulpho recipienti relinqueret, ipſe rex Rodulphus viciſſim, quæ eſſent eccleſiaſtici iuris ab Friderico II. occupata, dimitteret. Quumq; breui Romanorum rex poſt factam de ſe electionem in Bopardia vrbe Rheni maneret, lancea Imperialis dominica cum corona illi præſentatur, qua non longè pòſt Aquiſgrani ſolenniter coronatur: quod nulli regum à memoria diui Karoli fertur contigiſſe. Nam argenteam ibi primam ex conſtituto ſolet accipere coronam. Ferunt teſtatum eſſe quàm ſanctè à grauibus viris, coronationis tempore viſam auream crucem ſupra eccleſiam ſanctiſſimæ virginis, in qua miniſterium implebatur, idq; coram ſummo pontifice & patribus in concilio expoſitum. Hoc tempore, quũ paſſagium nouum in terram ſanctam inſtitueretur, Henricus dominus Obotritorum, princeps egregius, inter alios ſumpta cruce ſanctam iniit peregrinationem, & perueniens in terram, quum Chriſtiani tum infœliciter pugnantes in Soldanum Damaſcenorum vincerentur, captus inter alios Henricus annos vigintiſex in captiuitate permanſit, creditus à ſuis mortuus. Sed hoc ad Wandaliam, in qua expoſuimus, rectius pertinebit. Nam hîc Imperij & Saxonicarum rerum ſolam rationem habemus.

[...]ntum me[...] [...]on.

CAP. 31. [...]onia quie-

Svb huius Rodulphi Imperio aliquandiu quieta erat Saxonia, quum Albertus Saxoniæ dux ad Albim fluuium tranquillam rem & curaret & ageret: ſimiliter Albertus & Iohannes germani fratres, de Brunſwico & Luneburgo duces, iam in ſua quiſq; ditione rem ſatis pro arbitrio ſuccedentem læti viderent. Prior Iohannes ad annum ſeptuageſimum ſeptimum poſt mille ducentos in fata conceſſit, relinquens Ottonem patrio vocabulo filium, cui ad ſua tempora Ludouicus Palatinus Rheni filiam dedit coniugem: ex qua ille tres ſuſtulit filios, Ludouicum, Ottonem & Wilhelmum. Sed de his poſtea. Albertus autem Iohannis germanus, duobus illi ſuperuiuens annis, quum moreretur, filios reliquit Henricum & Albertum, cognomento Pinguem. Albertus autem pater princeps optimi nominis, filiis reliquit locupletiſſimam hæreditatem, vt ſi virtutem eius imitentur, à boni patris tramite non declinantes, optimam & ipſi famam mittant ad poſteros. Ille enim Albertus Guncelinum Zwerini comitem, quòd mercatoribus in nemore paludoſo Lubicam atq; Hamburgum interiacente inſidiatus diceretur, omni poſſeſſione, quam vltra Albim ad auſtrum habuit, exuerat: quæ hodie quoq; ditio ſeruit ducatui Luneburgenſi. Per ea tempora prælium hoc ingens in terra Magnopolenſi initum eſt, vbi minor & numero militum & apparatu bellico pars, victoria de cœlo præſtita ſuperauit, aduerſus de Brandenburgo deq; Miſna marchiones, contra duces de Saxonia deq; Brunſwico, & comites de Holſatia, innumera multitudine ingruentes dominis de Magnopoli, olim Obotritis, filiis Henrici principis, qui in captiuitate manens Aſiatica credebatur extinctus. Inopinati pugna exitus, vt pauci non ſolùm ſuſtinerẽt, ſed etiam vincerent plures. Prodiiſſe eam ruinã crediderim (vt aſſolet) ex contemptu hoſtiũ: qui vbi ſe immiſcet, dormitat prouidẽtia, regnat incuria, & quæ nõ ſperatur, ꝓperatur infœlicitas.

[...]ti à pau- [...]perantur

CAP. 32. [...]m de ſa- [...]otio.

Erat ea tempeſtate grauiſſimum in Saxonia bellum, de archiepiſcopatu Magdeburgenſi. Duo erant in diſcordia electi, Ericus de Brandenburgo frater Iohannis & Ottonis marchionum, & Buſſo de Queruorde comes canonicus. Poſt plurimam luctam, interuentu principum ceſſere ambo. Erico ſoluitur impenſarum nomine pecunia: dedit ille cum fratribus literas quòd conquieſceret. Aſſumitur Gunterus comes de Sualenberg. Sed marchiones renouant bellum: quibus aderant Albertus dux Brunſwickcẽſis, & Albertus dux Saxoniæ, cum aliquantis comitibus. Is Saxoniæ Albertus tenuit arcem Aquenſem: ſed inde à Magdeburgenſibus exturbatur, capto comite Holſatiæ, qui militabat Alberto. Marchiones magno exercitu conflato conſederant in Vroſe. Occurrit illis Gunterus archiepiſcopus, non minori apparatu, cum militaribus, ciuibus, & omni manu quam educere potuit. Conſeruntur manus: capitur Otto marchio cum trecentis militaribus. Sed tamen, quoniam erant in hac parte qui aduerſæ fauerent, ſine magno ære laxatur. Deinde quum Staſforde à marchionibus obſideretur, Iohannes

[...]iepiſco- [...]ratio ſu- [...]r.

marchio,

marchio, percuſſus in fronte iaculo, diu ferrũ geſtabat in capite. Gunterus autem, quũ perſentiret ſuorum in ſe perfidiam, ceſſit epiſcopatui: ſucceſſit illi Bernhardus de Welpe comes. Sed non quieuere marchiones, quibus fortiter inhæſit Albertus dux Brunſwickcenſis. Archiepiſcopo tulit ſuppetias Hildeſemenſis epiſcopus Otto aduerſus fratrem Albertum, & ſtabat in hac parte Albertus marchio contra fratrueles ſuos, Ottonẽ & Iohannem. Durum bellum diu trahebatur. Captus de parte marchionum Theodericus, & ipſe marchio de Landesberg, laxatus autem multa incommoda irrogauit eccleſiæ. Magno deinde prælio cõflato victa eſt pars eccleſiæ & inextricabili damno percuſſa: capta arx Gebekenſteen. Sed interuentu communium amicorum, omnibus cõpacatis redditur eccleſiæ arx ſua: nec diu ſupererat Bernhardus. In locum eius aſſumitur Ericus marchio toties antè reiectus: ſed ciues tumultuantes iterum eiecerũt illum, vix effugientem manus ſæuientium. Pòſt tamen res in meliorem ſtatum rediguntur, vt Ericus tranquilla pace cum omnibus ageret. Albertus autem quem dixere Magnum, dux Brunſwici, ad annum Chriſti ſeptuageſimum nonum poſt mille ducentos defecit, reliquitque filios tres, qui primùm partitionẽ patriæ ditionis inierant, quę durat in hunc diem. Nam Henricus ſenior inuitus accepit Tranſſyluanam regionem: in qua Embica, Grubenhagen, Hamelen, Oſterrode, Duderſtat, comitatus de Luttersberge: Gottingenſem terram deſumpſit Albertus natu & nomine ſecundus, cognomento Pinguis: terram Brunſwici cum pertinentiis ſuis accepit iunior Wilhelmus, qui non diu ſuperfuit. Fratres pro paruulo adminiſtrationem ſubiere: ciues autem ſoli paruulo prꝙſtitere ſacramenta. Quo deficiente Henricus ſenior, cognomento Mirabilis (quòd intractabilis videretur) cogitur cedere: & paruit terra Alberto ſecundo. Ex his autem principibus magna & longa ſucceſſio propagatur. Nam Henricus reliquit filios, Iohannem in Embica præpoſitum, Wilhelmum in infantia mortuum: Henricus & Erneſtus diuiſerant paternam hæreditatem. Albertus genuit filios ſex, Albertum epiſcopũ Halberſtadenſem, Henricum Hildeſemenſem, Iohannem Magnum ordinis Theutonicorum in Pruſſia magiſtrum. Otto Largus, Erneſtus, & Magnus terram poſſederunt, de quibus infrà ſuo loco.

Eccleſia vi[cta] militans.

HOLSATIÆ per hæc tempora comites, Henricus in Stormaria, & Iohannes in Wagria præſidentes, antiquam de terra Thietmarſiæ quæſtionem renouantes, eã ſuis iuribus attribuendam crediderunt. Contradixit populus, & ad libertatem proclamabat: veruntamen Bremenſis eccleſiæ archiepiſcopum inuocabat, cuius ſe ditioni ſubeſſe profitetur. Accepit Giſelbertus, tunc archiepiſcopus, populi confeſſionem: & quã petebant, opem promptus indulſit. Miſit enim in terram, alioqui inuiam, viros belli gerendi peritos, qui populum infrunitum (ſi fieri poſſet) in ordinẽ digererent, vt eſſent excipiendis hoſtibus inſtructiores. Comites autem quanta poterant armata multitudine à terra ſua, de continenti in paluſtrem promouerunt agmen: & ordine incedentes, terram hoſtilem pleni fiducia petiuere. Ridiculum omen, primi agminis leporem viderũt per viam tranſuerſo itinere diſcurrere: & ſublato venatico clamore, beſtiolam exagitarunt. Qui in poſtremo erant agmine, ab hoſtium incurſu excitum clamorem interpretati, fugam primi inierunt: & iam hoſtes erant in conſpectu, qui turbatum inuaſere cuneum. Mixtus inde timor pudorq́ꝫ pugnauere, & à poſtremis orta fuga peruenit ad medios. Fuere qui dicerent, nonnullos militares, inuitos in populum iſtum pugnantes, fugam volentes iniiſſe: qui etiam poſtea à comitibus terra propulſi, exilio culpã diluerunt. Sed tum cæſis captisq́ꝫ plurimis maior ſibi numerus fuga conſuluit, quòd necdum paluſtrem ingreſſi terram, in arido eiuſdem regionis congredi cœperunt. Eam verò controuerſiam archiepiſcopus diremit, quòd Henricus comes Holſatiæ coniugem acceperat filiam domicelli de Brunckhorſt, qui germanus erat archiepiſcopi memorati. Erat verò, quum iſta gererentur, annus nonus & octuageſimus poſt mille ducentos. Infauſto ſemper auſpicio in eam gentem Holſati pugnauere. Semel Adolphus tertius, Hartwico II. archiepiſcopo Bremenſi tum militans eccleſiæ auſpiciis, gentem ſuperauit. Cæterùm quoties ſibi comites terram ſubigere ſunt conati, improſpero vſque in hũc diem exitu fruſtrati abierunt: quod ſequentia deinde tempora docebunt. CAP. 33

Acies à lepor[e] in fugam ve[r]titur.

1289.

OTTO Iohannis filius, dux Brunſwickcenſis, qui poſt patrem terram tenuit Luneburgenſem, coniugem per hæc tempora duxit Ludouici filiam comitis de Rheno Pa- CAP. 34.

latini, neptem ex filia Rodulphi Imperatoris, ex qua ſuſtulit filios, Iohannem Mindenſem, Ludouicum Magdeburgenſem epiſcopos, Wilhelmum, & Ottonem terrę gubernatores. Poſt quorum interitū rediit omnis illa Luneburgēſis ditio ad principes Brunſwickcenſes. Hoc autem tempore inuentus eſt qui ſe diceret Fridericum Imperatorem II. qui ſe clàm diceret ſuis ſubduxiſſe faſtidio rerum, vt quietior viueret, & mortuum ſubdidiſſet, quem pro ſe vulgus hominum tumulaſſet, paucis conſciis concilij ſui. Se per annos triginta peregrinatum, nunc reuiſere terras Imperij. Tanta proferebat ſecretorum indicia, vt quibuſdā fidem faceret, præſertim Landgrauiis Thuringiæ. Rodulphus Imperator, quum veritatem in ea re compertam haberet, confeſſionem falſitatis expreſſit quæſtionibus. Fatebatur enim aliquando ſe in Cæſaris curia ſeruiuiſſe, inde prę cognita ſibi quæ narraret. Imperator eo tempore ingreſſus Erphordiam, multis comitatus principibus, iudicium inſtituit in tumultuantes ciues. Conuictos iuſſit gladio cædi, pace reparata inter omnes. Aderant Moguntinus, Saltzburgenſis, Magdeburgenſis archiepiſcopi: de Bamberga, Hildeſem, Halberſtat, Nouenborg, Miſnēſis epiſcopi: rex Bohemiæ, Albertus Saxoniæ, Albertus, & Henricus Brunſwickcenſes, Otto de Luneburgo duces, Tilo Marckgrauius de Brandenburgo. Magnum verò bellum, quod geſſit Imperator iſte per hæc tempora in Bohemia, ſcripſimus in Wandalia. Inde verò ceſſit in fata anno XC. poſt mille ducentos, fecitque locum electioni nouæ.

[I]gnotus quidam ſe pro Friderico II. ge[rit].

290.

CAP. 35. ADOLPHVS de Naſſow, tum inter electores, vt Alberto filio Rodulphi Imperatoris proximi anteferretur, obtinuit. Contentus autem (vt plerique alij) regia corona (quam Aquiſgrani promeruit) Imperialē non accepit, quòd Italia tumultuans iam contemnere videbatur regem Romanorum. Nec Adolphus illum viderat fructum, vt omnibus regni viribus Italiam penetrans, papam in Vrbe conſalutaret. Sederat tum in ſede apoſtolica IIII. Nicolaus, natione Lombardus, religione Minor: cuius eſt memorabilis exitus, ſi verus. Tradunt illum, quum ſe deceſſurum intelligeret, conuocaſſe in vnum cardinales, & ratione temporum ſuorum coram eis reddita, omnes de plenitudine poteſtatis, dignitate qua præditi fuerant, abſoluiſſe, vt in reliquum priuati viuerent. Iidem primùm ſtupuiſſe cardinales de eo quod acciderat: deinde quaſi moti capitis hominem, qui ad exitum inſaniret, reliquiſſe. Illum totidem ſui ordinis fratres euocaſſe, illos titulis cardinalium inſigniuiſſe, iureiurando, ne quem ſe moriēte, niſi ex ſuo numero pontificem crearent, néue vllum in ſuum adoptari ſinerent collegium, niſi ſui fratrem ordinis adegiſſe. Hoc teſtamento condito, ad ſuperos euolaſſe. Mira res, ſi vera relatio. Exinde vſque ad tempora Sixti IIII. occultum in fratribus minoribus fuiſſe papam, qui in perſona eius defecerit, quum in manifeſtum pontificem aſſumeretur. Egardum quendam annalium ſcriptorem eius rei tradūt authorem: ſed apud Italos ſcriptores totum ſuper ea re ſilentium agitur. Hoc tempore Otto dux Brunſwickcenſ. Honouer oppidum improuiſus irrupit, & ciuibus captis, ingens inde argentum emunxit. Dilapſi è ciuibus multi ad Sifridum Hildeſemenſ. epiſcopum ſe contulerunt, nec perſuaderi poterant vt domino ſuo redeuntes parerent. Sic ſe res habet. CRESCENTE oppidorum munitione, creſcit & ciuium in principes contumacia: quare laborat ſine fine omnis nobilitas, vel vrbium vires eneruare, vel penitus obruere. Si tamen iſti per modeſtiam imperarēt, & illi per manſuetudinem parerent, nihil ſanctius in terris hominum cœtibus, quæ (vt ait Cicero) vrbes appellantur. Sed dum ſibi principes omnia nata putant, ſeruireque cœlum & omnem naturam, imperioſis iuſſibus finem non faciunt, non dicam pauperum oppreſſionibus. Inde eſt illa anxia vrbium oppidorumq́; munitio. Adulphus Ro. rex, cum in nonum annum regnū ſuum multo labore produxiſſet, Albertum ducem Auſtriæ, filiū Rodulphi prædeceſſoris ſui, venientem agmine magno vt illum opprimeret, prælio excipit. Initur conflictus, fuitq́; exitus qui formidabatur: nam inclinatis rebus omnibus in Albertum, Adolphus fortiter pugnans cecidit.

Imperatores [c]lerique à con[ſe]cratione pa[p]ali Romæ ac[ci]pienda ſuper[ſe]dent.

[P]rincipum & [c]iuitatum du[r]a amicitia.

[A]dolphus Ro. [re]x in prælio [ca]dit.

CAP. 36. ALBERTVS dux Auſtriæ, Rodulphi filius, victor magno prælio, in quo oppreſſus eſt Adolphus, ab electoribus rex Ro. (id quod voluit, & neceſſe fuit) declaratur: Aquiſgrani coronatur: & miſſis in vrbem Romam oratoribus, voluntatem de ſe electorum principum pontifici Bonifacio VIII. iuſſit intimari, vt electionem de ſe factā confirmaret. Celebrauerat iam papa iſte primus à ſe inſtitutum iubileum magno ad vrbem concurſu: vſque ad illum pontificibus non venerat in mentem tam feſto negotio commouere

[Iu]bileum pa[pa] recens in[ſti]tutum.

mouere Chriſtianiſmum. Legationem ad ſe factam ab electo rege animoſius inſinuatam, reiecit pontifex animoſior longè, quòd ſine ſua authoritate electio facta robur nõ haberet: nam vtriuſque penes ſe vnum gladij poteſtatem manere affirmabat: quod ipſo apparatu in eo qui (vt diximus) tum agebatur in vrbe iubileo, ſolenniter fertur oſtentaſſe. Primo quidem ſolenni die in pontificalibus apparens populo, apoſtolicam illis benedictionem impartitur: poſtera autem die imperiali habitu, inſula nihilominus Cæſarea inſignis, gladium ante ſe nudatum iuſſit deferri, & ſedens alta voce teſtatur: Ecce duo gladij hîc. Vides ô Petre ſucceſſorem tuum: & tu ſalutifer Chriſte tuum cerne vicarium. Vide quò aſcendit ſuperbia ſerui ſeruorum tuorum. Sequenti tamen anno Alberti electionem comprobauit, eo pacto, ſi regem Franciæ impugnans, ſe regem gereret & Rom. & Francorum. Implacabiliter enim rex Franciæ pontificem offenderat, quòd nuptias Eduardi Anglorum regis, & filiæ comitis Flandriæ diſturbarat, quodque pragmaticam ſanciens, apoſtolicæ ſedi ſuum per Franciam minorauit honorem. Quo tempore Albertus Alberti filius, dux Brunſwickcenſis, quum contumaces experiretur Brunſwickcenſes ſuos, tacitus arma plurima contraxit aliena ſpecie prætenſa. Tum per molendinarium ad portam ſancti Andreæ effecit vt ex qualibet cauſa, nemine ſentiente aut quicquam ſuſpicante, noctu illi cum exercitu pateret ingreſſus. Crediderim non ignorantibus in populo maioribus rem geri, quòd infrenis populus tumultuaretur aduerſus principes & maiores ſuos. Neque tamen ingrediens dux permiſit ſuis aut cædem aut vllam prædam: ſed oportunis locis exercitu diſtributo, conuocatos ciues primùm de contumacia coarguit: inde quid fieri vellet inſinuans, quum illi non refragarentur, dimiſit exercitum. Senſere tum manſuetudinem principis ſui, qui quum arma teneret, poſſetque cogere quoduis, ſolitis contentus obſequiis, iuſſit quenque ſuo ordine permanere. Tradunt alij huius irruptionis hanc fuiſſe cauſam: Brunſwico tumultuata plebs in patres conſtituit duodecim Gildæ magiſtros (conuenticula ſic vocant) quibus authoritatem attribuerunt ſuper omnes. Multorum in ciuitate malorum inde origo fuit. Quumque moreretur Wilhelmus puer, primi Alberti filius, factionis magiſtri, vt in potentatu permanerent, Henricum inter fratres ſeniorem accepere dominum. Indoluit vrbs vniuerſa, in Albertum eius fratrem propenſior. Igitur effectum eſt vt noctu ingreſſus Albertus (vt diximus) dictos magiſtros capi iuſſit. Decem ex his ſuſpendio necauit, vndecimum gladio iuſſit feriri, duodecimus clam euaſit ſupplicium. Ita conſtituto in vrbe rerum ordine, permanſit ille princeps Brunſwici, fratre fugato in Tranſſyluanam regionem.

Papa in theatro iubilei duplicem fabulã ſaltat.

Tantæne animis cæleſtibus iræ?

CAP. 37.

Reges pontificem bellorum facem ſapienter negligunt.

BELLVM autem quod volente pontifice Albertus Romanorum rex ſuſcepit aduerſus Philippum regem Francorum, quum ſe ex decreto papæ ſcribere iuberetur regem & Romanorum & Francorum, deſiit in nuptias. Nam reges inuicem, miſſo pontifice facto, affinitatem inierunt ſecundo poſt iubileum anno, quum Philippus Alberto filiam ſuam daret coniugem. Celebratæ ſunt nuptiæ regales ſplendidiſſimæ in vrbe Pariſiorum. Aderat Gerhardus Gerhardi filius, Holſatiæ comes, tum admodũ adoleſcẽs, literis (vt ea ætate conſueuere nobiles) inibi inſeruiens: & aſſequutus eſt breui Lubicẽſem præpoſituram eum ordine ſacro. Sed quum fratres eius morte deficerent, per apoſtolicam diſpenſationem, vt ſtirps propagaretur, accepta vxore filios reliquit: quod ſuo loco cõmemorabimus. Interim verò quum Holſatiæ comites, Gerhardus & Henricus fratres, in Stormaria: Iohannes cum fratribus, in Wagria manentes vnanimi conſenſu, quoſdã ex militaribus non ſatis dicto audientes, terra eieciſſent, quodque in nouiſſima expeditione in Thietmarſia, hoſtibus quàm dominis propenſiores, vel concitaſſent vel primi iniiſſent fugam: ad Albertum Saxoniæ ducem ad Albim cõmorantem ſe contulerunt: & contracto vndique armorum auxilio de Magnopoli deque Saxonia memorata, ad turmam octingentorum equitum, ex diſtrictu Saxoniæ mouentes in Holſatiã, tranſito flumine Bilena, vſque ad Trauenam, omnia vaſtauere: illoque flumine per vada tranſito, vlteriora petiere, ferro & igni omnia deformantes. Quumq; regredi iam pararent præda onuſti, comites ad vadũ fluminis quod tranſierant, quodq; repetendum illis intellexerant, arma quanta poterant contrahentes, illis ſe obiecere. Lubicenſes autẽ ciues, tam duci quàm comitibus peræquè affecti, amicabiliter medios ſe interpoſuere. Et quãuis primo certamine multi ex Saxonũ agmine cecidernt, pauci ex Holſatis, treugæ

Holſatiis dominos rebelles.

tamen, quæ per inſtantiam Lubicenſium interuenerant, effecere vt comites hoſtem in ſuo concludentes, pro ſua voluntate re compoſita, & captiuos & omnem prædam reciperent, dux cum propulſis, magno ſuorum diſcrimine rediret in ſua. Manſit tamen inter Holſatos & Lubicenſes radix amara, quòd ciues magnæ prędæ occaſionem Holſatis interuertiſſent. Vnde factum eſt, vt concurrentibus nonnullis differentiarum capitibus, militares Holſati in ciues Lubicenſes acriter inuecti, multos ex his oppreſſerint ad vicina Stubbendorpe. Quo tempore nonnulla ſunt viſa de cœlo prodigia, quũ in Marchia Brandenburgenſi, ad oppidum Vredeland, die Remigij ceciderint è cælo igniti in morem grandinis lapilli, & incenſis prædiis, & quibuſque rebus in agro comprehenſis, ingentia damna ruſticæ plebi importarint. Hoc eſt illud tempus, quo Ericus rex Daniæ princeps pacificus, vocatis vndecunque de conterminis finibus omnium graduum principibus, generalem terrarum pacem firmare conſtituit. Profecit autem plurimum: nam inter comites Holſatiæ & ciues Lubicenſes pacem reformauit, interque ducem Saxoniæ Albertum & comites memoratos. Quo merito ciues Lubicenſes in eum pronenſiores facti, deſenſorem illum ſuum fecere (quod multis vicinis fortuna illorum ſtimulos iniecit inuidiæ) annuaſque mille marchas in decennium illi conſignarunt. Nec parua fuit eius rei vtilitas, quòd longè ab Imperio poſiti modicam inde ſentiant protectionem. Otto enim dux Brunſwickcenſis & Luneburgenſis nuper ex qualibet cauſa, immiſſis trecentis equitibus, igne & ferro cuncta circum vrbem prædia deformauit: vt ad excurſionem ciues elicerentur. Magna equitum parte in inſidiis manente, minor ſe cohors hoſtium oſtentabat: qua fiducia ciues cum ſuo præfecto raptis armis egreſſi, inſidiis excipiuntur. Cecidit in primis præfectus, & captis aliquot cæteri ſe fugæ commiſerunt. Ea re & ſimilibus inducti Lubicenſes, protectorem ſuum regem Daniæ Ericum conſtituerunt.

odigia è cæ

gna homi-
pacifico lau
.

CAP. 38.

HOLSATIÆ autem militares necdum quieti, dominis ſuis comitibus ex prioribus cauſis bella renouarunt, & cum Thietmarſis fœdera iungentes, arbitrati ſunt ſe pares futuros comitibus. Ingentem autem manum de paluſtribus Wilſtriæ & Thietmarſiæ contrahentes, in Vterſten villam conueniendum ſibi edixerunt. Comites autem cum reſidua militariũ manu, & copiis quas de proximo deq; propriis finibus contraxere, obuiã rebellibus profecti prœliũ inierunt. Pertinax diu pugna fuit: ſed inclinauit comitibus fortuna, captuſque hoſtium primipilarius cognomento Peltz cum aliquot ſeditioſorum primoribus, morte mala mulctati publico iudicio perierunt. Memoratus verò primipilarius, quadripartitus, velut patriæ proditor, poſt extremum ſupplicium coruos pauit. Qui verò fuga euaſere militares, Lubicam protinus, interpoſita primùm publica fide petiere, & ingreſſi diu ſeſe ibi continuere. Gerhardus comes eam rem tulit ægerrimè, hoſtes publicos, ab iis quos ſibi duxit amicos receptari: erat quod ciues ſuo facto in purgationem prætendere poterant, vmbraculum, ne deterius aliquid admitteret deſperatio. Sed id à comitibus minimè tum probatur. Qua de re Gerhardus infeſtus ciuibus, oſtium Trauenæ obfirmare conſtituens, præſidium fixit ad mare. Ciues autem vt erant in fœdere cum Alberto duce Saxoniæ, quum haberent etiam in ſua parte Holſatos militares cum amicis (à quibus ſuborta eſt comitum in ciues indignatio) bellum publicum indixere comiti Gerhardo. Crudeſcebat bellum, & longius progreſſum auxilia multorum inuenit. Acceſſit Lubicenſibus dux Sleſwici Waldemarus, à rege proculdubio Erico, ciuium defenſore, ad hoc inſtitutus. Comiti tulere ſuppetias Henricus Magnopolenſis dominus, cum patruelibus ſuis. Gerhardus copias ſuas in nemore ad villam Zuartow occultius fouit, ibi caſtra communiens, vt excurſionibus crebris fatigarent ciues, ſimul vt præſidio eſſent in tempore fortalitio quod ad mare firmauit. Hẽricus autem Magnopolenſis Trauenam ex diuerſo latere inſedit, in loco Priwalk (angulus eſt terræ illius ad exitum fluminis) ibique firmato præſidio exitum & ingreſſum ciuibus interclufit. Ciues verò communierunt naues ſuas trabibus, vt ictus contemnerent incurſantium, & magnis laboribus ad mare & à mari peruenerunt. Vere autẽ primo turmatim egreſſi ciues, impedimentis aduectis, Henrici primum oppugnauere à dextris præſidium, & multo labore diu defenſum, labefactatum crebris ictibus deiecerunt. Nec minor conatus ad turrim altera de parte Holſatiæ prominentem. Ericus interim rex Daniæ, vt erat zelator pacis, & ciuibus nihilominus ex pacto conſtrictus, medium

olſati denuo
belles cadun
r.

bica miſe-
perfugiũ.

ardi comi-
cum Lubi-
ſibus bellũ.

dium ſe interpoſuit, & inuentis vndecunque compoſitionis mediis, firmat pacem inter diſſidentes. Reconciliati militares Holſati comitibus, & rurſus, Lubicenſes in gratiam & amicitiam Gerhardi comitis rediere.

Cap. 39.

Hic locus nobis diligentius attrectandus, quòd pro multitudine comitum in Holſaltia, & obſcuritate annalium non ſatis explicantium cuiuſque conditionem, perplexitates aliquot enaſcuntur. Hic Gerhardus qui rem geſſit de qua proximè, filius erat Gerhardi: filium nihilominus & iſte reliquit Gerhardum cum aliquantis fratribus, qui tamen omnes ante virilem ætatem defecerunt: ita vt Gerhardus ille, relictis ſacris (quibus erat initiatus) & præpoſitura Lubicenſi (quam tenebat) vxorem duxit, ex qua reliquit Iohannem filium: qui (vt literę eius declarant) ab anno viceſimo ad triceſimum, & circa, ſupra milleſimum & trecenteſimum rem gerebat: in quo, quia prolē non reliquit, defecit linea Gerhardi. Gerhardus autem cæcus fratrem habebat Henricum, qui bellū in Thietmarſia infœliciter adminiſtrabat, & in compoſitione rerum quæ interuenit, vxorem duxit de domo domicellorum de Brunckhorſt, filiā fratris Giſelberti archiepiſcopi Bremenſis: ex qua Henricus ſuſtulit filios Gerhardum & Iohannem, quibus initio res tenuis erat. Ille autem Gerhardus, pro magnitudine rerum à ſe geſtarum cognomen Magni promeruit: initia verò fuere puſilla. Interim verò in Wagria dominatur Iohannes ſecundus, qui multis erat filiis oneratus magis quàm ornatus. Diuidebat cuique partem ſuam, vt haberent vnde familiam alerent & iumenta. Nam alium præfecit in Todeſlo, alium in Zegeberge, alium in Bramhorſt cōſtituit rerum præſidem. Sic enim locum commemorāt annales, incertum ſi fortè per errorem, pro Branſtede Branhorſt deſignetur. Ipſe Iohannes Kilonem inhabitabat. Dum verò terra multis premeretur regentibus, ſingulorum ditio breuis, & prouentus erat tenuis. Inde factum eſt (vt fert militare ſtudium) quòd ex indigentia rapacitas, & ex ea conſurgit aduerſitas: factumq; ferunt, vt Adolphus Iohannis filius, qui Zegeberg teneret, triturantes miſerit in horrea cuiuſdam militaris cognomento Spliit: cuius genus & nomen ad noſtra tempora durauit. Ille impatiens iniuriæ & irrogatæ in ſua violentiæ, triturantes correptos pedibus truncauit, remiſitque ad dominum mutilatos. Ex Thietmarſia, quæ ab olim commixtos habuit militares, à memoria comitum ibi præſidentium, familia de Reuentlow ſeſe in Holſatiam collocauit: in quam ſimul irrogata iniuria excitauit virum in ea primarium Hartwicum, vt vindictam aliquando meditaretur in Adolphum. Duplex inde fama eſt, quæ cauſa virum illum in tam atrox facinus impelleret. Commemorant nonnulli, Gerhardum comitem Henrici filium (eum qui cognomem Magni promeruit) tum Rendesborg habitaſſe, caſella granaria, ſatis rerum omnium inopem: qui præter venaticos canes nihil ſuum poſſideret. Nam adoleſcentiæ prima tempora in literis cōſumpſit, expectans hortatu auunculi ſui archiepiſcopi Bremenſis, aut epiſcopatum aut magnam in eccleſia dignitatem. Quumque auūculus eius defeciſſet, nec eſſet magnopere qui in Gerhardum reſpiceret, ille ſe in Rendesborg, venatione contentus, continebat. Hartwicus Reuentlow, vir primarius, comitis deteſtatus negligētiam, quòd à cunctis præteriretur, iumenta ſua illi permiſit & arma, vt comitis honore procederet in publicum. Quumque accederet iniuria quam Adolphus comes de Zegeberge intuliſſet Hartwico, meditatur arcem capere Gerhardus, quem rebus gerendis idoneū proſpexit, in manus tradere. Igitur ſecreto calle, quem ille per decliuia mōtis pene ſolus agnouit, nocturno ſilētio iter cum paucis ingreditur, & muris tranſcenſis in arcem ſe recipit, Adolphumq; in loco quietis deprehenſum capere connititur. Ille expergefactus gladiū arripit, & in defenſione virili capi non paſſus, ab inuito cæditur Hartwico: perinde arx capta traditur Gerhardo. Adoleſcentulum (de more) camerarium Adolphus habuit eiuſdem Hartwici filium, quem, ne proditor domini putaretur, pater necans coniunxit Adolpho. Amborum viſuntur hodie in eccleſia monaſterij monumenta.

Ampla patrimonia multis heredibus diuiſa.

Literarum ſtudia ſacerdotij ſpe aluntur.

Probitas præpoſtera.

Cap. 40.

Est & alia in eundem exitum aliorum narratio. Tradunt Hartwicum memoratū Adolphi comitis fuiſſe arcis præfectum, cum omni familia demorantem in arce. In eum quum Adolphus atrocem irrogaſſet iniuriam, oblitus fortè pudoris in eius coniugē aut ſobolē. Res enim non ſatis explicatur: ſed pro magnitudine facinoris, veriſimile eſt non vulgarem fuiſſe iniuriam, cui tantā vir militaris impendiſſet vindictā. Exulceratus Hartwicus quum doloris eſſet impatiens, primo mane fores pulſat cubantis comi-

tis, properatu eſſe opus, vidiſſe magnum ferarum gregem, quem facile ſit concludere indagine, ſi properetur. Comitem tum venationis perçupidum reſeraſſe fores: ingreſſum Hartwicum confodiſſe nudulum,& illi (vt diximus) ſimili cæde iunxiſſe proprium filium. Hæc prima calamitas in filio Iohannis comitis Wagriæ: qui prouectioris ætatis relictam Erici regis Daniæ reginam, vxore defuncta duxit coniugem, ex qua ſuſtulit filios Chriſtophorum atque Iohannem Largum (res enim obſcura eſt, & in annalibus non ſatis explicita) captum ſenem vel à filiis vel à militaribus Iohannem patrem tradunt è Bramhorſt in Kilonem eſſe perductum, ibique diu tentum. Qua ex re ducor in ſententiam, vt vim illam perpeſſum à filiis ſenem crediderim. Inuenit tamen fideles, qui clam laxatum nauigio Lubicam abduxere: ibique per annum permanens, re inter diſſidentes compoſita reducitur in Kilonem. Iactauit fortuna comitem illum variis caſibus,& nunc regalibus nuptiis (vt diximus) extulit, inde à ſuis habitum contemptui deiecit. Sedebat ad menſam in arce Kilonis, quum inter ioca plurima mimus exaſperatur ab adoleſcentibus, qui de more ſeruiunt nobilitati. Conuerſus in eum inſanus ille, qui improbius illi inſtaret, oſſe proiecto, comitē altero lumine exoculauit. Filius eius Chriſtophorus regi Daniæ, fratri vterino cognominis, quum ad feneſtram in arce ſublimiorem ſtaret, incertum ab alio impulſus, an ſuo decidens infortunio, in foſſatum corruens ceruices confregit. Ita factum eſt, vt Iohannes ex multis filiis ſolum relinqueret ſuperſtitem Iohannem tertium, quem cognominauere Largum.

Comes vtranque fortunam expertus.

Cap. 41. Gerhardus cæci filius quum audiret caſus fratruelis ſui Iohannis, & multiplicem in filiis calamitatem, ſingulariter motus atroci exitu Adolphi, rebus compoſitis Lubicam ingreditur cum filiis, ibi (vt confidebat) ſecurior futurus: quòd amaritudinem ex priſcis bellis conſediſſe vereretur apud nonnullos in opportunitate vindicaturos. Eius (vt diximus) filius Gerhardus, ſolus parentibus ſuperſtes, ab eccleſia redibat in ſeculum: apud quem inſtitiſſe ferunt Chriſtophorum Daniæ regem, vt qui in vrbe Lubica commaneret, accepta pecunia, Iohāni adoleſcentiori fratrueli ſuo, regis vterino fratri, permitteret in Stormaria ſuam ditionem. Recuſabat Gerhardus, quòd & illi filius eſſet Iohannes, & nonnulli fratrueles propiores ex fratre Henrico. Creuit autē Gerhardus, qui poſtea dictus eſt Magnus: nam arcē Reynoldesborg ille poſſedit, in qua turrim exædificaſſe dicitur eius commodis Bremenſis archiepiſcopus Giſelbertus, eius auunculus, eam quæ etiam nunc cernitur rotunda. Geſſit autem ille rem in Holſatia cum Iohanne fratruele Gerhardi filio, qui præfuit Stormariæ. Sed (vt fieri ſolet) multitudo fecit præſidum, vt tenuis fieret cuiuſque ditio. Henricus tamen pater Gerhardi vectigal conſtituit in Hamburgo de mercibus exterorum: quod etſi ciues non grauaret, diu tamen reſtitere, arbitrati hoc ipſum rebus eorum incommodari, quòd extranei mercatores fugiunt ea loca quæ vectigalibus nouerint onerosa. Sed præualuit comitis in ea re

1310. voluntas. Erat autem annus poſt mille trecentos decimus, quum Albertus Romanorum rex pacato agmine per Rheni ripam deſcēderet, & à fratris filio nepote ſuo, quum nihil illum formidaret, improuiſus opprimitur. Adoleſcens erat egregiæ virtutis, quem rex negligere viſus eſt, vt nullo ductu, nulla adminiſtratione, nulla ditione à patruo honoraretur. Id dolens nimium acerbè & immaniter, ſuo vindicauit periculo, atrociſſimo in regem facinore.

LIBRI OCTAVI FINIS.

ALBERTI KRANTZII SAXONIÆ LIB. IX.

HENRICVS comes de Lutzenburgo in Lotaringia, vir ad arma ſtrenuus, rex Romanorum poſt Albertum ab electoribus Francfordiæ deſignatur, Septimus eius nominis. Aderant Itali Gibellini, vrbibus ſuis pulſi: qui expectantes electionem noui regis, oſtenderunt quibus per Italiam modis res proſperè Imperatori futuræ viderentur. Summus tum pontifex Auenione agebat. Miſſi oratores ab Imperatore ad pontificem, oſtenderunt electionem de Henrico factam, vt illam papa comprobaret. Non aliter fertur annuiſſe, niſi vt intra biennium Romam peteret, coronam ibi accepturus Imperij. Non expectabat biennium Henricus, ſed miſſis ad Italiæ vrbes oratoribus, tranſitum ſuum docuit futurum. Ad Florentinos autem, quos ſciebat in primis Imperio reluctari, iuſſit ire ſuos, & apud illos renouare iura Imperij: quibus rectè facerent ſi non reluctarentur, ſcituri cum illis rem eſſe regi, niſi quæ ſe digna, quæ Romano Imperio debita facerent. Reſponſum inde retulere non ſatis placidum. Sed rex copiis vndecunque pro dignitate & rerum neceſſitate contractis, contendit in Italiam: & primùm Mediolanenſes aggreditur: qui vbi arma viderunt, quibus pares eſſe non poterant, Turrianis eiectis Vicecomites regem in vrbem admiſere. Quum autem primam Aquiſgrani de more dudum coronam accepiſſet, ibi promeruit ſecundam, non Modoetiæ, vt veteres. Lippoldus Auſtriæ dux cum Germanorum cohortibus, in Vicecomitum gratificationem vrbi præſidio imponitur. Audita autem Mediolani deditione regi facta, omnes Lombardi circumſedentes, præter Alexandrinos, fidelitatis ſeruandæ ſacramento ſeſe Imperio obligarunt: & quum ſinguli vicarios accepiſſent regios, nullus fuit aut populus liber, aut in ciuitate aliqua tyrannus & factionis primarius, qui eiectos prius aduerſæ factionis conciues in patriam, iuſſus à vicario non admiſerit. Henricus interim ferream Imperij corollam Mediolani (vt diximus) ſuſcepit: cuius muneris exequendi celebritas maiore facta eſt impendio, quàm cui ærarium Mediolanenſe ſuffecerit. Vnde hinc atque inde, annitentibus diuerſæ factionis in vrbe principibus, inſolito ciuitas eſt grauata tributo. Fuit id plebi moleſtiſſimum, & murmur primùm, poſtea etiam aperti clamores auditi ingeminatique ſunt, auctam eſſe Mediolanenſi populo ſeruitutem, non introductam diu ab imperio ſperatam libertatem: & manum rapinis Germani non cohibuerunt, quos factioſi rerum nouarum cupidi adiuuarunt. Tandem ad arma eſt ventum. Germani initio territi, quum cędes in ſuos & vulnera edi cernerentur, introductis quæ in ſuburbiis & in agris diſperſæ erant copiis, aperto in vtranque factionem prælio decertare cœperunt. Sed Galeatius Vicecomes, magno vſus aſtu, Matthæo genitore domi tanquam ad arcem ſuam ſeruandam relicto, Lippoldo duci & Germanis ad eum conglobatis adhæſit, ne (quod timuit) in ſe quoque verterentur: tumultus & plebeiæ audaciæ ac temeritatis cauſam omnem & culpam in Turrianos referens, tyrannidem affectantes. Bonus artifex culpam propriam deriuat in aduerſarios, vt illos reiiceret. Nec fuit difficile furentes ſua ſponte Germanos accendere. Pari ergo odio Germani & Gibellini in Turrianos feruntur. Erant illi magna parte populi cõſtipati, in platea ædi virginis ſubiecta, quid agerent dubij, quòd Imperio & populo pariter aduerſari, & ſtultum & nefarium dicerent. Ad primum itaque impetum admirabundi ac prope amentes diſſipati ſunt. Pugna deinde ad vicos relata, cædes vtrinque promiſcua fuit. Guido Turrianorum princeps omnium primus, inſidias Vicecomitum recognoſcens, cum filiis in fugam eſt verſus, quem ſuorum pars maxima eſt ſequuta: profectique Vercellenſi porta, omnes cũ pueris & vxoribus Vercellas petiere. Debacchatique in aduerſam factionem Vicecomites, ad triginta illius primores (in quibus quatuor ex Turrianis fuere) Imperatoris militum Germanorum auxilio interfecerunt. Ad eum exciti tumultum nonnulli Lombardiæ populi à promiſſa Henrico obedientia receſſerunt: primique & eodem die Cremonenſes & Cremenſes, impoſitum à rege vicarium & Gibellinos, armis non ſine cæde eiecerunt. Magiique Brixiani Guelpharum partium duces, aduerſæ factionis principem, paulo antè iuſſu re-

CAP. I.

Henricus VII. Romanorum rex.

Prima corona.

Secunda ferrea.

Mediolani tumultus oritur.

Turriana Mediolani factio.

gis reductum, interficere quum quæſiſſent, fuga ſe contulit ad Henricum. Pariter Parmæ factum: qui paulo antè rege iubente reducti ſunt, tunc eiiciuntur. Ita tartarea illa erynnis & amor dominandi regnat in populo vertiginoſo Italiæ: vt nihil aliud dies cogitent ac noctes quam dominari, & in aduerſos vindicare. Huic vni ſtudio & temporalem & æternam ſalutem promptè impendunt, nihili pendentes omnia ad dominandi vindicandique comparationem.

Itali vindictæ exercendæ cupidiſsimi.

CAP. 2. HIS quæ tot in locis fiebant audiris rebellionibus, Henricus, vrbe Mediolano Vicecomitum curæ & cuſtodiæ relicta, exercitum tum primùm coactum in Italia, duxit in Cremonenſes: cuius vrbis Guelphi reſiſtere diffiſi, Brixiam cum vxoribus, pueris, & aſportata leuiori ſupellectile, emigrarunt. Cremenſes verò deditione facta, mitius agi ſecum ſupplices impetrauere. Sed Cremonæ à Gibellinis deditæ, mœnia portaſque & Guelphorum domos quum Germani euertiſſent, Cremam quoque reddiderunt minori excidio immunitam. Ad eius facti terrorem, Parmenſes Gibellini, eiectis Guelphis, accerſitum & precibus impetratum regis vicarium habuerunt. Duxit paulo pòſt in Brixiam Henricus, ad quam vrbem cum propriis alienigeniſque Guelphis probè defenſatam aliquandiu ſedere coactus eſt: editaque in agro omnium quæ excindi, vri euertique poterant vaſtitate, adhibitæ oppugnationibus machinæ, cuniculi ſunt acti: & tandem fugientibus in montana Guelphis, dedita à cæteris vrbs, murorum portarumq; muniriones amiſit: nec aliter ibi quàm Cremonæ, à Guelphorum ædibus, vel excidio vel incendio eſt temperatum. Ad Placentiam verò quum ducere pariter iratus pararet Henricus, cardinali de Fliſco intercedente, Placentini eiecto armis Guelphorum duce contraria ſentiente, Imperialem vicarium admiſere. Papiam nonnulli in partibus Henrici conſtanter duraſſe, & fœdera à principio per Philippum comitem cum illo icta obſeruaſſe: nonnulli poſt rebellionem afflictam fuiſſe contendunt. Interea dum Henricus primùm oppugnanda, deinde euertenda Brixia occupatus eſt, oratores quos ad Venetos miſerat, redeuntes, paratam eſſe eam rempublicam nauigium quod poſtulaſſet præbere, quo ad regiones vrbi Romæ propinquiores cū omni exercitu tranſportaretur, nunciarunt. Per quod tempus Veronenſes, Vicentini, Patauini & Taruiſini miſſos ad ſe vicarios acceperunt, præſidia pariter, quæ danda crediderant, admiſſuri. Sed Henricus copias integras ad vrbem Romam ducendas retinere maluit: & vicarium Anſpurgenſem comitem, Lombardiæ præſidem inſtituens, copias illi non magnas attribuit, quibus prouinciam conſeruaret. Ipſe, deducentibus qui apud eum erant aſſidui, Amodæo Sabaudiæ comite, & Piſanorum Genuenſiūq; oratoribus, per Placentinos Genuam ſe contulit: qua in vrbe eum adiit Richardus Gambatoſa, Roberti Neapolitani regis orator: adieruntque pariter Friderici Aragonis Siciliæ regis nuncij, amicitiam & fœdera aduerſus Robertum regem, vtique hoſtem offerentes. Quibus benignè Henricus reſpondit, oblatis aſſentiens fœderibus, quæ quum eſſet Romæ, initurum ſe ſpopondit. Gambatoſa igitur, pro vanis ſimulatione redundantibus quę afferebat, verba ab Henrico ſimulata recepit. Certum enim Hēricus habebat à Ianuenſibus Piſaniſque relatum, regem Robertum, Romæ & per Hetruriam impedimenta & aduerſarios, ſuis conatibus & coronationi pro viribus præparaſſe. Nam præter confirmatas per Hetruriam Guelphorum partes, quamprimum Neapoli agens Henricum Brixiam obſidere intellexit, veritus ne illa vrbe potitus, per Bononiam duceret in Hetruriam, Digotionem mareſcallū, attributo duorum millium equitatu, miſit, qui Ferrariam Bononiamq; primò, pòſt Floretinam & Hetruriam defenſando (prout neceſſarium in tempore) in partibus conſeruaret: Digotioq; intelligens Henricum Ianuam acceſſiſſe, Florentiam & inde Lucam cum copiis eſt delatus.

Italiæ oppida Henricus vaſtat.

Sic ars deluditur arte.

CAP. 3. ANNVS erat vndecimus poſt mille trecentos, quum Clemēs v. pontifex Romanus concilium apud Viennam, Narbonenſis Galliæ vrbem, celebrauit: in quo ad alterius anni medietatem protracto, templariorum omnino nomen extinxit, deque ſubueniendo Hieroſolymæ multa in eo verba iactata ſunt, quę in irritum cecidere: & decreta promulgauit extantia, quibus de illius nomine Clementinis appellatio perſeuerat. At Henricus quum menſem Ianuæ egiſſet, maris quā expectauit tranquillitate oblata, triremibus quadraginta Ianuenſiū Saonenſiumq; Piſas petit, equitatu terra per Lucenſes præmiſſo, quibus vaſtitas eſt commiſſa maxima. Digorionis verò & additæ à Florentinis

1311.

Templariorū nomen extinctum.

tinis ſociiſque Guelphis copiæ, numero longiſſimè Germanis inferiores, minori quàm erat opus Lucenſibus præſidio fuere. Præmiſit ex illis Henricus Ludouicũ Sabaudienſem Amadæi filium, quingentos equites ducentem, qui Romam ad Stephanũ Columnam accedens, in ędibus Lateranenſi palatio contiguis ſe continuit: idque gentem Vrſinam ad inuidiam nouiq; Imperatoris ſuſpicionem plurimam cõcitauit. Et Florentini poſt Henrici in Italiam aduentũ, plurimam exulum ſuorũ manum reuocauerant, confirmandiſq; ſocietatibus à Roberto rege inſtitutis fuerunt intentiſſimi. Quare agentis apud Piſanos Henrici, & vaſtantis Lucenſem Miniatenſemque agrum, Germani, equitatus pericula vt cauerent, neminem extra vrbem agere, & oppida ac caſtella conſpici curauerunt. Tres cardinales à Clemente pontifice miſſi, ad coronandum in Vrbe, apoſtolica vice & authoritate Imperatorem. Ad quos ilico Robertus rex Iohannem germanum ſuum, magno ſtipatum ſed inermi comitatu, venire curauit, vt nouo Imperatori vel ſimulatè gratulatus, pompam redderet ſua præſentia ornatiorem. Profectus Piſis Henricus Plumbinum ſecus, per oram Hetruriæ maritimam, Viterbium ſe contulit: ad quem clerus omnis, Romani populi pars maxima, quum veniſſet, deduci inde cœptum eſt pompa in talibus conſueta. Perductus in Lateranenſe palatium rex, quod Viterbij audierat de Vrſinorum à ſe alienatione, voluit intelligere. Omnes igitur vrbis primores & honeſto natos loco inferiores, ad conuiuium inuitauit: vt qui malo in eum eſſent animo, abſentia notarentur. Veneruntque præter aliam multitudinem Stephanus Columna, Nicolaus Miletus, Hanibal, Hanibaldus, Iohannes Sabellus, Theobaldus de Campofloræ, vt ſola eius ſeculi primatibus defuerit gens Vrſina: quæ ſub ipſum Henrici aduentum partem vrbis infimam, ædibus ſuis contiguam, & circumadiacentem Tiberi, pontique Traiani continentem, ad viarum exitus repagulis communierat: magis verita ne aduerſa factio quicquam in eos machinaretur, incautóſque inuaderet, quàm quòd motus intentare quæſiuerit.

Henricus Romam coronandus venit.

Vrſini ſibi ab Henrico metuunt.

CAP. 4.

AD epuli finem Henricus de ſuo aduentu in hanc ſententiam eſt loquutus, iuſſu ſe & pactione à pontifice Romano Clemente coactum veniſſe Romam, cùm aliàs certò ſciri à Romanis poſſe, tum maximè trium cardinalium ibi præſentium teſtimonio: qui & confirmationi electionis de ſe factæ præſentes Auenione fuerint, & Romam ad eius coronationem legati veniſſe conſpiciantur. Non tamen tam longi itineris laborem ſibi fuiſſe grauem, conſyderanti ſuos ſe Romanos amatiſſimum ſibi populum viſurum, cum quo lætos iucundóſque aliquot dies, cum quo ludos & conuiuia ageret. Sed falſum ſe iudicio & opinione, hoſtes in ea & ſine cauſa aduerſarios inueniſſe: quos nedum verbo, minus vnquam facto læſerit, ſed inter primarios Vrbis (vt ſunt) habere & in amicitiam recipere conſtituerat. Hinc quos viderat inimicitias ſe cum gratis oſtentare, eorum inſidias quin caueat, ac pro poſſe repellat, temperare non poſſe. Quæ quum dixiſſet, ad ſuos qui circumſtabant conuerſus, adigendos eſſe fidelitatis ſacramento omnes qui aderant Romanos, poſcendáſque & in cuſtodiam recipiendas Vrbis arces, demúmque tenendos omnes imperauit. Iurarúntque omnes, & ſolus Theobaldus de Campofloræ quum affines & conſanguineos ſuos, ſua ſequi conſilia ſolitos (ſicut & cæteri fecerant Romani ciues) tenere ac obligare id iuramentum voluiſſet, ſolos excepit Vrſinos, de quibus conſanguineis ignominioſè loquutus eſt: nec illi ſatis fuerunt maledicta in ſuos adulanter iactata, vt (quod quærebat) cum Stephano Columna datis obſidibus abire permiſſo liberaretur. Arces verò Vrbis quas Imperator petiuit, ædes erant in theatris, thermis & vetuſti operis ædificiis, in arcis formam (quod etiam nunc facilè intelligitur) communitæ: quibus tunc Germanorum præſidia ſunt impoſita. Vſus eſt etiam alia tunc maiore Imperator imprudentia: qui præter centos (de quibus eſt dictũ) ciues, tributa popoſcit à populo ſolito ſemper antea, vel vicatim vel diſperſas in multitudinem pecunias, ab aliis qui coronabantur accipere. Commota eſt itaque in tumultum ciuitas, & omnis vtriuſque factionis populus ad Vrſinos confluxit: primúmq; in deturbatos occupatis arcibus, pòſt in alios Vrbem perambulantes Germanos, impetus cum cæde & ſanguinis effuſione eſt factus. Eo exaudito tumultu, datos à Piſanis ſagittarios à nauibus vocari iuſſit, quibus paulo prius fuerant adducti: in quos à naualibus quæ ſub Auentino ſunt, vt Lateranum accelerarent, mouentes, Iohannes Roberti regis frater turmas nauales impetum facere iuſſit: qui eodem die Neapoli venientes, in eadem na-

Romani in Henrici verba iurant.

Romani in Henricum tumultuantur.

ualia, attractis triremibus ſe receperunt. Iohannesq́; oppreſſis dolo Piſanis, turmas ſuas omnes eo vectas nauigio, & equitatum ob id in propinquo Vrbi loco paratum, in Vrbẽ Henrico rebellem duxit. Augebatur interim commeatuum inopia. Imperator & pecuniarũ carentia in odiũ Romani populi erat inductus. Quare cardinalibus facilè aſſenſus coronã (cuius in baſilica apoſtoli Petri de more accipiendæ ſpes omnino ſublata erat) in Laterano accepit, Tiburque migrauit. Eò cum copiis Vrbe profecto, cardinales Iohannem quoque Roberti regis fratrem, cum ſuis copiis (quæ multiplicari cœperãt) Vrbem purgare iuſſerunt: paxque & quies vrbi Romæ reddita, tertio decimo die poſtquam Henrici imprudentia tumultuari cœptum erat.

CAP. 5. HACTENVS proſpera ſatis omnia fuere Henrico, nunc Imperatori. Nam priuſquam in Italiam veniret, initio regni ſui Bohemia rege caruit, morte ſceptro vacuato: moriens autem rex filiam ſuperſtitem reliquit. Eam futuram cum regno pro dote coniugem ambiebat nepos Alberti Romanorum regis, inque eam ſpem regnum cum non contemnendo ingreditur exercitu. Sed Henricus tum Romanorum rex, euocata Spiram puella, Iohanni filio ſuo de voluntate magnæ partis procerũ coniugem dedit, eundemq́; filium parato quem tenebat exercitu perduxit cum coniuge in regnũ, eiecto per arma Alberti regis nepote. Vndo Iohannes filium ſuſtulit Wentzlaum: qui quum auo Henrico longè poſtea in Imperio ſuccederet, dictus eſt Karolus IIII. Sed hæc poſtea. Hoc autem tempore Albertus Saxoniæ dux, princeps pacificus, & qui ſingulari zelo inſectaretur latrones inſidiantes publicis itineribus, mortem obiit: viuax nimirum ſenex, & qui ſupra centum annos (ſi numeres) victitaſſe inuenitur. Ilico autem erexere caput quos ille preſſos tenuit, arcemque Linow dudum armis Lubicenſium deiectam, memorati ducis accedente fauore, prædones inſtaurant: priſtini quæſtus negotium repetunt, publica iterum itinera tenent infeſta, merces cum mercatoribus inuadunt, nudant, cædunt, & (niſi ceſſerint) etiam occidunt. Succeſſit illi in ditione Rodulphus filiorum ſuorum nepos: tum tamen ætate, vt princeps eſſet elector. Nam Albertus diu viuendo, filiis & nepotibus & pronepotibus ante ſe defunctis, Rodulphum in quinta generatione nepotem habuit electiuæ dignitatis primum ſucceſſorem. Intercurrerant multi principes, Iohannes, Erici, Ottones, Alberti, qui ditionem patriã diuiſerant. Quorum ſucceſſiones quodam in loco vberius inſtructi explicabimus: nunc hoc dixiſſe cõtenti, quòd Albertus ille grandæuus filios genuit Rodulphum atque Ottonem, ante patrem defunctos. Otto filios non reliquit: ſed Rodulphus Iohannem, qui etiam auum moriens reliquit, & Iohannem filium, qui & ipſe ſuperſtitem fecit proauum, relinquens filios Iohannem & Albertum, quorum vterque reliquit prolem maſculam. Sed mortui ſunt & illi, auo ſuperſtite Alberto. Nam per omnium horum tempora ſuſtinuit ille ſolus dignitatem electuræ, quam reliquit Rodulpho huius Alberti filio. Sic monſtrant annales, ſi non aberrant. Peruenit autem diu viuendo in decrepitam ſenectam. Iſte tamen Albertus tertius, Rodulphi pater, hæc tempora quæ in manibus ſunt tetigit, aut vicina. Rodulphus reliquit Rodulphum filium electorem, & ille Wentzlaum: de quibus poſtea. Iohannes quoque tertius reliquit Ericum filium, & ille Ericum cum Alberto. Multæ ſunt laudes quoque huius Alberti, quòd odio latronum multa fecerit perpeſſuſq́; ſit. Quo ſine prole maſcula moriente, Ericus frater, iam ſacris præditus ordinibus, apoſtolica fretus diſpenſatione vxorem duxit, paternam ditionem gubernauit, & filium reliquit Ericum III. patrem Bernhardi, Erici, Alberti Magni: quorum Bernhardus noſtrã tetigit ætatem, pater Iohannis, nunc ſuperextantis: cuius filius Magnus hodie ducatum inferioris Saxoniæ adminiſtrat. Electiua dignitas permanſit in linea Rodulphi, cuius ſucceſſio fuit in principatu ſuperioris Saxoniæ, in terra de Wittenburgo. Sed ea deficiente, iuſto ordine rediſſet ad proximos agnatos, inferioris huius Saxoniæ duces: qui detruſi ſunt fauore & gratia marchionum Miſnenſium: quod ſuo loco non tacebitur. Sed in viam digreſſi redeamus.

[B]ohemi filia [H]enrici filio [n]ubit.

[L]atrocinia in [G]ermania.

[C]elibatus lex [pa]pa arbitrio [l]igatur.

CAP. 6. HENRICI Imperatoris res non ſine cauſa Saxonicis miſcemus, quòd in viciniam horum temporum ſemper Saxonicum genus imperauerit: quorũ per Imperiũ res commemorantes, nunc fini propinquantes, relinquere qui reſidui ſunt, ſine culpa nõ poſſumus. Igitur agentem Tibure Henricũ, nuncij adierunt Friderici Aragonis, Siciliæ regis, cum quibus promiſſa apud Genuã fœdera tam cupidè conſtituerat, vt affinitatẽ quoq;

[Im]perator fœ[dus] cum Sici[liæ] rege init.

regi

regi Siculo honeſtiſſimam vltro obtulerit: actumq; imprimis vt bellum Fridericus ſubitò vicinis Siciliæ Calabris inferens, claſſem educeret quàm poſſit maximam, Piſanæ & Genuenſi coniũgendam, quas Imperator ad ſe potentiſſimas nauigare curaret. Ipſe paulo pòſt Tibure profectus, per Sabinos Vmbroſque, Peruſiam & inde Aretium (amiciſſimam tunc ſibi vrbem) delatus, vallis Arni ſuperioris oppida & caſtella, nemine omnino reſiſtere auſo, vi cepit. Confluxerant enim ad eum omnes Gibellini, & Albæ partes Florentini, ac cæteri Hetruriæ exules: quibus deducentibus edocentibuſque bellum illud Imperator gerebat. Ductum eſt inde ad vrbem Florentiam, & caſtra ad monroſam illius partem, nondum muro cinctam, firmata ſunt. Erat tamen foſſa & vallo, firmiſſimis plancis, pluteis materiaque ſpiſſo vrbs tam communita, vt facilè à multitudine quæ inerat defenſaretur. Nam Lucenſes, Miniatenſeſque & Senenſes immiſere ſuppetias & auxilia. Bononienſibus autem & Ferrarienſibus regis Roberti venerat equitatus. Quare Imperator oppugnatione abſtinens, quam cerneret inefficacem futuram, incubatione potiri & obſidione conſtituit: hinc ſede ſibi ad. S. Saluij monaſterium, tertio ab vrbe ſtadio in prætorium ſumpta, vicina oppida nullo grauauit onere, quàm vt com meatus in caſtra ferrent. Ad menſem inde vnum & dimidium, hyemis aduentu rerum penuria in caſtris laborari cœptum: & quum hominum ſuſtentationi neceſſaria, ingenio & induſtria importandi ſpes aliqua oſtenderetur, nullus alendi iumenta & equos in illa ſterilitate ſoli modus apparebat. Motis ergo per Nouembrem caſtris Imperator, ad Donatianum oppidum, via Senenſi, octauo à Florentia milliario conſedit: & præfecti ex Gibellinis extorribus Florentinis duo, vnus ad Scarpariam, alter apud Inciſam, attributis Germanorum cohortibus relicti, capta de Florentinis ſeruauere, & ſimul vrbẽ incurſionibus infeſtare curarũt. Moratus apud Donatianũ menſes duos Imperator, poſtquam ſementis faciendæ ſpem omnino prę teriiſſe, & agrũ penitus vaſtatum vidit, excedens dixiſſe fertur, Florentinos, vel ſociorum vrbi incluſorum auxilio, ſatis ſufficere indigentiæ & famis ita cumulandæ, vt ante æſtatis initium, ſe qui in deditionem recipiat, pariter vocare & orare cogantur. Sed illi aliis armis pugnare ſtatuerunt.

Florentia obſidetur.

Imperator pabuli penuria exercitum abducit.

Cap. 7.

PROFECTVS Donatiano Imperator, primis ad Bonicium caſtris peruenit: vbi oppidum reſtituit, quod dudum antè Karolus rex exciderat. Dumque hyberna ibi ducit, Senenſes & proximiores ſibi Miniatenſes Collenſeſque, vaſtatione agrorum, & illatis quandoque in erumpentes cladibus agitauit. Intellexerant interea Florentini abeſſe non poſſe, quin vel fame coacti inimico Imperatori futura ęſtate dederentur. Quare petitum ſæpenumero auxilio Robertum regem, quum vt amicis ſubueniret, peruincere non potuiſſent, deditum vrbis dominium, vrbem vt conſeruaret, impulerunt: nihil in ſubiectitios conditionibus acto expreſſius, quàm ne exules quouis tempore, quacunque cauſa & ratione reduceret. Nec tamen alia tunc præſidia rex immiſit Robertus, quàm quæ à Bononia (vt oſtendimus) & Ferraria aduenerant. Nouo enim bello ipſe agitari cœperat, quòd Fridericus rex Siciliæ, tranſmiſſo cum copiis freto, & capto Rhegio tunc intulerat: agentique ad Bonicium Imperatori de Friderici in Calabros aduentu, & Piſanorum Genuenſiumque parata (vt iuſſerat) claſſe, fuit nunciatum. Quare vt cum Roberto in Neapolitanum regem à Romano pontifice inſtituto iure ageret, Piſas ſe contulit. Quam vrbem præclaram & (vt dicebat) liberam, Robertum regem, obiectis ſe purgaturum, edicto adire ter repetito admonuit. Interea tamen Lucenſes Miniatenſeſque tantis affecit cladibus, vt Lucenſes, amiſſis agri oppidis, apparuerit eo anno ſimul cum Florentinis in deditionem fuiſſe venturos. Acta igitur in hunc modum maxima æſtatis parte, Imperator per Senenſem agrum vbique vaſtatum contulit ſe Aretium. Qua in vrbe quum magnis honoribus eſſet acceptus, Robertum regem priuatum regno pronunciauit, & hinc claſſem in illum iuſſit nauigare. Inde in Senenſes ipſe profectus eſt, confiſus, dum eam obſideret ciuitatem, Florentia per deditionem Lucaque potiri. Quum eſſet ventum ad montem apertum Senarum vrbi ad tertium (vel circa) lapidem proximum, & Florentina clade nobilitatum, Imperator incidit in ægritudinem: ex qua vt conualeſceret, medicorum conſilio balnea adiit Maceratenſia. Quo in loco certior eſt factus, Clementem Romanum pontificem cenſuiſſe, & literis declaraſſe, regno priuare Robertum non potuiſſe, qui ad loca nõ tuta fuerit euocatus. Quum autem Imperator ea balneorum lotione minus recreari & conualeſcere videretur, me-

Florentini ſe in Roberti Neapolitani fidem dant.

Imperatoris morbus & mors.

dicis item conſulentibus purioris aeris loca petere voluit: itumque eſt Bonconuentum: quod oppidum duodecimo à Senis miliario diſtans dum obſidione incipit premere, diem obiit. Signa veneni in cadauere apparuiſſe multi ſcribunt. Ptolemæus verò Lucenſis affirmat veneno eum periiſſe, à prædicatorum ordinis fratre in euchariſtia dato: aliuſque addit id Florentinorum procuratione factum: Ipſi fratres multa in purgationem ſui fratris congeſſerunt. Hic fuit exitus Imperatoris ſatis alias fortunati, & qui per Italiam videbatur (ſi longior vita fuiſſet) Imperij iura potuiſſe reſtituere. Sed arma Florentinorum occultò præualuerunt.

Eucharistia veneno inſici deleterio po[…]iſt.

Cap. 8.

Igitur comperta Henrici Imperatoris in Italia morte, Germaniæ principes electores in duos æquè Imperio regnoque dignos principes vota contulerunt, Ludouicū Bauariæ ac Fridericum Auſtriç duces. Qui copiis de repente contractis prælio concurrerunt: in quo cædes vtrinque, ſed in Auſtralibus maior fuit, Fridericuſque ſuperatus & captus, in carcerem ibat victoris. Ludouicus verò ea elatus victoria, pro rege ilico ſe geſſit, multa diſponens concedenſque, quæ confirmatum coronatumque decuit Romani pontificis conſilio iudicioq́; ſubiicere. Erat autem annus poſt mille trecentos de-

[I]mperij competitores prælio certant.

1316. cimus ſextus, quum ad Iohannem XXII. pontificem in Gallias mitteret Ludouicus oratores, electionem nunciantes, poſcenteſq́; Romani pontificis aſſenſum. Quē ille protinus negauit, quòd Ludouicus ſupra impietatem, quam in ſecum electum, & eodē iure nitentem commiſerit, multa peregerit, quæ nullus regum, niſi Imperatoria dignitate ornatus conſueuiſſet. Aluit tamen idem Ludouicus Vicecomitum Mediolani tyrannidem, vt tum primùm auſi ſint palam mores in plebem tyrannicos oſtēdere. De electione autem huius regis mira quidam recordātur annales, quæ operæ precium erat poſteris ad memoriam commendare. Electores principes ſeculi, indignum rati quòd ab eccleſiaſticis ſolis ea poteſtas expectaretur, non expectatis tribus archiepiſcopis electoribus Ludouicum elegerunt. Archiepiſcopi autem contemptum ſui reputantes, nullam eſſe electionem proteſtati ſunt de Ludouico ſine ſe peractam. Nam & Rodulphus dux Saxoniæ, qui elegiſſe diceretur, non ad eam pertineret, ſed dux inferioris Saxoniæ Ericus foret aduocandus. Præterea Waldemarum marchionem non præſentem, ſed per nuncium dediſſe vocem, non in eum quem ipſe voluerit Fridericum, ſed in eum quem falſò nuncius de ſuo ſenſu nominauerit Ludouicū. Ferunt enim ſubmiſſum à marchione militem, qui quum videret principes in Ludouicum propenſiores, ſuamq́; vocem, quam ex mandato marchionis pro Friderico daret, futuram inanem: ſtudebat & principi ſuo & propriis commodis, quòd Ludouicus marchioni propior, & commoda plura amicus, & incommoda poſſet inferre maiora inimicus marchioni: quum & ipſe nonnihil exinde commodi ſperaret, ſi ſuo poſſet obſequio vacillantem principum ſententiam, marchionis ſui voce deducere in optatum. Hæc tum obiecere archiepiſcopi primæ de Ludouico electioni, ipſique Fridericum delegerunt. Ferunt marchionem vehementer exaſperatum in militem nuncium ſuum, quòd non de domini ſui mente, ſed propria voluntate electionem perplexiorem reddidiſſet: redeuntemq́; diu carcere maceraſſe, & demum extinxiſſe fame, quum pomum in eius ſemper aſpectum iuſſiſſet appendi, ſed quod tangere non poſſet: ſeratoque carcere ſub vltimo vetuiſſe ſupplicio, ne vllum cibi genus vincto immitteretur: vt doceat ille pœnæ ſuæ exemplo, diſcantq́; minores mandati fines nulla in re præterire. Interim verò Ludouicus ſatis omnia pro rege gerebat, etſi nullum ſummi pontificis conſenſum, nullam ab archiepiſcopo Colonienſi (qui primam Aquiſgrani in ſua prouincia coronam dare ſolet) pro ſuo iure ſuſcepiſſet conſecrationem aut benedictionem.

[E]lectores inter ſe contendunt.

Cap. 9.

Annus erat poſt natum mundo Chriſtum viceſimus poſt mille trecentos, quum

1320. Holſatiam gubernarent inde Iohannes tertius, cognomento Largus, in Wagria, hinc verò Gerhardus Magnus cum fratre Iohanne. Erat alius quoque tum Iohannes Gerhardi filius, qui in Stormaria rerum potiebatur. Hi magnis rebus in Holſatia Daniaque geſtis ſua tempora reddiderunt inſignia. Aliquando quidem adunatis viribus commune bellum fratrueles gerebant: nonnunquam diuiſis armis Iohānes cum rege ſenſerat, fratre ſuo vterino. Sed iſta narrantes ſeponamus, cuique tempori ſua geſta tribuentes. Prima Iohannis expeditio fuit in Daniam. Nam moriens Ericus rex mandauit proceribus, ne fratrem Chriſtophorum regno ſuis demeritis exactum, regē vllo modo pateren

[Ioh]annis Largi in Daniam [ex]peditio.

tur:

tur: fortè ad filios proprios ſucceſſionem deriuabat. Sed erant inter proceres qui Chriſtophoro ſtuderent. Illi adiuti armis Iohannis Holſatiæ comitis, Chriſtophorum in regnum prouexerunt. Idem Iohannes vicina pacari percupiens, quum ſciret patribus ſuis multa fuiſſe ab Lubicenſibus incommoda de oſtio Trauenæ, euocatis eiſdem Lubicenſibus in villam Zuzel, tranſegit cum illis, vt accepta ab eis pecunia permitteret portum immunem, villamque Trauemunde pateretur eiſdem aſcribi, cum iure vadi ſuo in loco, ſineretque Trauenæ liberum fluxum: ita vt ius haberent demoliendi, ſi quis in poſterum arcem, aut præſidio ripam fluminis occupare tentaret. In quã rem accepit quatuor millia monetæ Lubicenſis marcharum. Erat iſte comitate & humanitate plurimũ conſpicuus, vt cognomen Largi reportaret. Nam vni ciuium non pro magno in ſe merito donauit gurguſtium piſcium, in quo multi per vniuerſum annum eſoces capiuntur. Gerhardus autem, quem Magnum dixere, accepta coniuge filia Iohannis ducis Saxoniæ, primordia militiæ eidem ſocero ſuo impendit efficaciter. Nam quum quereretur idem Iohannes quòd frater Ericus iniqua in ſe partitione patriam ditionem diuiſerit, erecta arce ad terminos Saxoniæ compulit Ericum, vt Alberto Iohannis filio, ſororio ſuo, aliquot relinqueret prædia, villas & agrorum iura, in ſortem ſuam. Iohannes breui conceſſit in fata, prouenitque Alberto ſororio Gerhardi principatus. Sed vigebat adhuc in corde Iohannis Wagriæ comitis mors Adolphi fratris ſui conſanguinei, quam Gerhardo imputabat. Vnde factum eſt vt idem Iohannes, quadam exuſcitata controuerſia, euocaret Adolphum comitem vltra Albim in comitatu de Scowenborg agentem, vt vindictam ſumeret de Gerhardo & Iohanne fratre eius. Venit Adolphus expedito ſuorum agmine, vlturus fratruelis Adolphi necem. Gerhardus non ignarus tranſitus eius, cauit in primis ne agmina ſua iungeret armis Iohãnis. Quo factum eſt, vt quam potuit expedita militari manu, euocauit de Wilſtria deque paluſtribus eius ruſticam multitudinem, expectans venientem Adolphum in Bramſtede. Et quum propinquare cerneret expedito ſuorum ordine Adolphum, occurrit illi in apertis ad eum vicum campis: collatiſque armis, diu ſteterunt pertinaciter obnixi. Sed inclinauit fortuna Gerhardo, vt cæſis captiſque plurimis fugaret Adolphum. Ille ſub pontem elabitur, abſconſus, vt ſperabat: ſed inde extrahitur. Centum & viginti illo capti prælio feruntur, qui omnes ſe ſuo luerent ære. Hæc prima Gerhardi in Holſatia victoria, in die decollationis Baptiſtæ, anno decimoſeptimo poſt milletrecentos.

Adolphus à Gerardo ſuperatus capitur.

Thietmarſi illa tempeſtate ſtuduere Iohanni, cui ſuppetias in Gerhardum & Iohannem fratrem eius ferebant. Illi agmine facto, de ſua terra obuias parrochias, Scheneuelde, Nortorpe, Nyenmunſter, igne & ferro fœdauerunt, & Kilonem vſque peruenerunt. Iam ſuperato equeſtri agmine, vſui non videbantur pedeſtres copiæ. Onerosi autem facti ciuibus, per ingenium oppido dimiſſo, iubentur ire ad prædam, per aliam regionem reuerſuri in patriam. Tranſierunt per diſtrictum Bornehouede: in qua villa quum reperiſſent ex illis nonnulli recens excoctum in dolio liquorem (ceruiſiam vocant) illi pro balneo per inſolẽtiam ſunt abuſi: & tranſito riuo Bunſing in merica pernoctarunt. Sciens Gerhardus, primo diluculo iuſſit omnes ſuos ramum præ ſe ferre virentem, ne accedere viderentur, imò vt tardius conſpicerentur latitantes in ſpecie nemoris, vt imparatos occuparent. Proceſſit ſtratagema: & nihil opinantibus Thietmarſis ſuperuenere Holſati, & cæſis ad quingentos, alios in riuum mergi coegerunt. Ea victoria parta eſt Gerhardo die Alexij, anno prænotato.

Gerardi ſtratagema.

Nec longum tempus in medio, quum necdum exaturatus vltione in Thietmarſos Gerhardus, arma vndecunque contraxit, de dioceſi Bremenſi deque Magnopoli: cuius princeps ipſe aderat Henricus, de Wunſtorp deque Gutzkow comites. Inerant arma Iohannis ducis Saxoniæ ſoceri Gerhardi, & comes ipſe de Rupin, multi quoque nobiles inſignes numero quatuordecim: Gerhardus ipſe cum fratre Iohanne in his erat. In vigilia natiuitatis Mariæ Thietmarſiam ſunt ingreſſi per viam Suderhamme perque vadum Hemmingſtede, totuſque peruenit exercitus in paludem Norderſtrand, ad cor Thietmarſiæ. Ibi primùm adunati Thietmarſi, aciem oppoſuere venientibus: bis hoſtibus ceſſere primo prælio, cæſique ſunt ex illis mille ſeptingenti viri. Fugientes eccleſiam in Oldenworden apprehenderunt, eámque in morem caſtelli, vt poterant, communierunt. Et quum ignem inijcere pararent hoſtes, Thietmarſi deditionẽ obtulerũt, ſubditos ſe Gerhardo fore in reliquũ pollicentur. Ille verſutiã gentis veritus,

Thietmarſi prælio victi, victores poſtea delent.

nec fidem habens verbis, iuſſit propius ignem admoueri. Vbi iam ſtillante plumbeo tecto periculum ſenſerant, extrema experturi, turmatim proruunt (*Eſt vbi dat vires nimius timor*) obſidentes inuadunt: aderant etiam aliunde Thietmarſi de latibulis prodeuntes. Et iam animum reſumentes, impugnauere hoſtes, interceptosq; ad internecionem deleuerunt. Solus Gerhardus comes & Henricus de Magnopoli princeps, qui ad ſigna pro more militiæ agmen tenuerunt, ſuperſtites fuere cum ſuis: omnis reliqua nobilitas, cum copiis tantis, ad numerum duorum millium intercidit. Gerhardus & Henricus Magnopolenſis, cum ſuo agmine repedarunt triſtes. Annus erat viceſimus & (vt alij addũt) ſecundus, poſt mille trecentos, quum ea Holſatorum in Thietmarſia fieret ruina.

Cap. 10. OBIERAT per ea tempora Ericus Sleſwici dux relicto filio Waldemaro, matre nato Gerhardi germana. Qua de re Chriſtophorus rex, quod multi ante eum reges tentauere, ducatum adunare quærens coronæ, ſpecie adminiſtrationis pro paruulo, arces ducatus cœpit poſſidere. Et cæteris quidem iam in manu regis collocatis, ſola Gottorp arx munitiſſima reſtabat. Gerhardus comes pro nepote arma ſumens, eam tueri aggreditur: obſedit rex magna ſuorum manu arcem memoratam. In equino monte (Heſterberg vocant) caſtra locauit. Gerhardus vndecunq; contracta auxilia duxit in regẽ, obſidionem ſatagens ſoluere. Solebat ille pugnaturus imaginem ſacratiſſimæ virginis collo appenſam circunferre in omnia pericula. Quod ne cui nouum videatur, tradunt Romani ſcriptores Syllam dictatorem geſtaſſe ſemper in prælio ſtatunculam Iouis aut Apollinis: quam periculoſo prælio victor exoſculans ait, Pene ego tecum, & tu mecũ concidiſſes Iupiter. Gerhardus igitur hanc imaginem deuotus ſemper virgini geſtans, ter fertur ceciniſſe, Nos hac die tibi gregatos ſerua virgo. Alteram tum in prælio manum imagini ferunt deciſam, quam nullus denuo poterat aptare artifex: hodieq; monſtrant virgunculæ in Itzeho, memoratam Virginis ſtatunculam. Exterior tum Holſatorum habitus, quem paludamenti loco præferebant, in omni exercitu candidus erat: quod de longinquo Dani proſpicientes, irriſione militari notarunt, mulieres in ſe ducere per cõtemptum aſſerentes. Tum quidam ex miniſtris Holſatus genere, Danis (vt fit) militans, Si bene, inquit, noui Holſatos, ſentiemus non eſſe fœminas quæ properant: video collucere inter candidas veſtes arma fulgentia. Conſerunt acri prælio manus: & vbi cæſis vtrinq; plurimis pertinaciter ſtabant acies in inuicem, Holſati ſublato clamore perſonant, Fugiunt, fugiunt Dani: ſic formidinem incuſſuri poſtremis. Et profecerunt: nam fictam fugam in veram concepta formidine verterunt, ſolutaq; eſt obſidio in die illa. Eam verò arcem dux Waldemarus auunculo Gerhardo ex illa die permiſit in pignus, pro impenſis quas abſumpſit expeditio proxima: ſimul vt inde tueretur ducatum pro virib. Quum autem Chriſtophorus rex omnium ſuorum in ſe odia prouocaſſet in regno (ita vt eiicere illum conarentur) auertiſſetq; à ſe fratrem vterinum Iohannem Wagriæ comitem: Danorum proceres in regem prouocauere comites Holſatiæ: qui expeditione inſtituta, primam Fioniæ inſulam apprehenderunt: arcem eius Nuborg oppugnantes, breui expugnabant. Rex autem cernens intus & foris omnia in ſe ardere conflagrandum, magno ære ſumpto nauigauit in Germaniam: & Roſtockium applicans, principibus Wandaliæ tunc (vt nunc) parentem, cum principibus Magnopolenſibus egit vt cõducto exercitu in Daniam armis reduceretur. Armauit claſſem, & rediit in regnũ. Sed tanta fuit conſpirantium manus, vt nihil proficeret: iterumq; armis eiectus eſt. Tum Daniæ proceres communicato cum Holſatię comitibus conſilio, Waldemarum Sleſwici ducem, puerum duodennem regem creauerunt. Is nouus rex, habito in Fionia regni conuentu, Gerhardum comitem auunculum ſuum creauit pro ſe ducem Sleſwici: Iohanni comiti permiſit Lalandiam, Falſtriam & Cimbriam, inſulas minores in regno tres. Gerhardus in arce Lalandiæ Werdingborg, militem quendam reperit Germanum: quam arcem ſolutis quatuor marcharum millibus de manu illius recepit, & donec ſolueret ſummam memoratam, in pignus tradidit arcẽ Zegeberg: vnde tamen capta breui pòſt tempore eadem arce, per nocturnas inſidias eſt eiectus. Pertinet enim ad diſtrictum Wagriæ, quam gubernabat paterna ſucceſſione Iohannes comes antedictus.

Virginis imaginem in collo appendi Sylla exemplo.

Dani ab Holſatis fugantur.

Danus ſuis inuiſus regno cedit.

Cap. 11. IIDEM comites Iohannes & Gerhardus, vbi vnum ſenſere, iunctis armis regẽ Daniæ Chriſtophorum, Iohannis (vt diximus) vterinum fratrem, eò perpulerunt, vt Lubicã deſcendens, cum eiſdem per interpoſitos amicos tranſigeret, vtq; illi acceptis octuaginta mil-

ta millibus argenti marchis regnum illi permitterent incolume,& pro viribus illi aſſiſterent in rebelles,reddentes terras cum arcibus quas tenerent: vtq; Waldemarus iunior, quem regem creauere voluntate Gerhardi (ex cuius arbitrio adoleſcẽs totus penderet) in ducatum rediret. Arbitratus rex,ſi comitum illi accederent,Danorumq; decederent partibus arma,facilè ſe obuiaturum aduerſantibus.Et quoniam argentum, quod ex formula promptum appenderet non erat,dedit comitibus pignus pro eo Syluam Danicã, cum parrochiis octo non contemnendis, quoad numeratum ſolueret. Quibus ex ſententia conſtitutis,regem comites reduxere in arcem Werdingborg.Qui autẽ ex proceribus contraria ſentiebant,regem in arce circũſedere. Sed tum fuit ea potentia rex,quũ ſibi comites deuinxiſſet, vt facilè Danis ſuperior eſſet. Iutiæ tamen proceres, indignè quod gerebatur ferentes, & regi, & duci ſuo, ſimul & comitibus auſi rebellare, arcem Gottorpe iterum obſidione cinxere. Aberat per id tempus Gerhardus comes. Sed Iohannes contractis quæ poterat armis,properat obſidionem ſoluere:inuadit obſidentes, & magno prælio victor,nongentos ex his capit,multos proſternit, cæteros vertit in fugam. Chriſtophorus deinde rex vir inquieti animi, iam fratri ſuo Iohanni per fœdera iunctus,renouata pro nihilo duxit Gerhardum aduerſantem ſuſtinere. Igitur magno iterum exercitu conſcripto in Waldemarum Sleſwici ducem mouens,arcem Gottorpe (quæ ſola oculos eius offendit,quòd clauis videretur in Holſatiam) conſtituit expugnare:quod vt promptius fieret,in grandi vallo (Danicum opus vocant) in conſpectu arcis memoratæ,cohortes quantis opus videbatur,conſtituit,vt aditum obſeruarent, ne Holſati tranſgreſſi ſoluerẽt obſidionem quam inſtituerat.Non potuit ignorare tantam Gerhardus molitionem.Ille quoque emiſſis ad amicos nunciis vltra Albim nobiles, in diœceſim Bremenſem,perq; Weſtphaliam,vſque ad Rhenum, & à domo de Brunckhorſt (quam materna ſtirpe tangebat)arma contraxit auxiliaria. Conuenere omnes in Reyndesborg,& priuſquam educerentur interpoſita mora,ſumptus non mediocres in oppido fecere aduenæ. Iam educendi erant,nec tamen ciues egredi ſinebant niſi ære perſoluto.Comes rerum ignarus,aut quòd fideret illos ſequuturos, facilè ciuibus quietatis egreditur cum ſuis. Aduenæ vt iura & fidem hoſpitij non violarent, cum Burchardo de Itzehude milite, qui comitis nomine forenſes introduxit(quum Gerhardus quod pro ipſis promptum ſolueret,non haberet)in oppido remanſere. Burchardus is erat cui ſigna in acie præcipua erant commendanda. Quid faceret comes? Hoſtes perurgebant: ſine diſpendio famę cedere non poterat. Equites erant cum comite quadringenti, aduerſus duplo maiorem numerum. Sed initum certamen magnis animis. Satis videbatur tantam hoſtium manum ſuſtinere,nec vinci. Vberius aliquid fortuna comiti contulit: etiam vicere pauci multos, & peracta multorum ſtrage rex fugam iniit. Et quia in Sleſwicum declinare non poterat, quòd hoſtes media tenerent, Kilonem verſus iter inſtituit ad Iohannem:qui tum agmina ſua præparata tenebat in Todeſlo, ibi oppoſiturus ſe iis quos venire Gerhardo ab ea parte cognouiſſet:nec proſpexit tam celerem inclinationem fortunæ. Interim Burchardus capitaneus præfatus, audiens eſſe congreſſos,ſed exitum neſciens,permittentibus ciuibus cum aliquantis egreſſus eſt, vt quid factum ſit auſcultaret.Peruenit in locum Seſtede, & iam noctu equites accelerare audit. Vbi propius venit,Danos intelligit: & hoſtiliter incurrens,facilè paucos exterruit. Omnes ilico capit,in quibus rex erat Chriſtophorus. Et nulla interpoſita mora cum captiuis Gottorp contendit,perueniénſque portas pulſat importunus. Prior comes de ſtratu ſuo quamuis vulneratus exurgit (nec enim curæ nec vulnera quietem permittunt) magni aliquid in nuncio nocturno, vt erat, interpretatus. Quid eſt? inquit: quis pulſat fores? Agnoſcens miles vocem comitis,proclamat, Ecce domine grauiter vulneratus & inſuper captus ſum: quid ſpei præfers? Cui comes, Serua breuem patientiam (agnouit enim & ille vocem loquentis militis) multos Dei miſeratione teneo captiuos: celeriter redimêris. Et ille ſecum, Magno,inquit, tuo commodo molliter reſpondiſti. Tum elatiore voce miles, Maioris & fœlicioris rei tibi nuncius aduenio: ecce affero captum regem Danorum. Surge, laxentur portæ, vt aſſeruetur. Nihil moratus comes iubet aperiri. Regem captiuum pro fortuna ſalutat, iubet curâtque cuſtodiri diligentius. Non ſum ignarus apud alios referri, regem non captum, ſed bello profugum veniſſe Kilonem. Sed tamen hic erat rerum exitus, vt Iohannes comes, regis frater

Danus regni pecunia redimit.

Dani fides fluxa & varia.

Danus in fugam vertitur, deinde capitur.

vterinus, interpoſita opera captiuos omnes, data in poſſeſſionem Gerhardo Fionia & aliquot arcibus, captiuitate laxauit. Dani interim, iniquo ferentes animo tantã in ſe Holſatorum inſolentiam, quotquot repererunt in oppido Lunden, facto impetu omnes peremerunt. Arcem Helſinborg, quam Gerhardus tenebat, obſidentes capiunt: & deinde alias, quotquot ille de manu regis tenuit, pulſis cuſtodibus recipiunt. Sed quum per propinqua tempora rex Chriſtophorus excederet rebus humanis, relictis filiis Ottone & Waldemaro, Ottoni natu maiori, quum Gerhardus comes in Iutia ad vicina Wiburgi collata manu congrederetur, comesq; Holſatorum proſperante fortuna ſuperior eſſet, multis in medio cæſis Ottonem regis filium cepit, captumq; ſecum duxit in Holſatiam, & eum in Zegeberge arce munitiſſima, per viros fidiſſimos cuſtodiri iuſſit.

...ni mortui ...us bello ca... ...s.

CAP. 12.

NIHIL propitia fortuna perpetuum, imò ne diuturnum. Inuidiſſe fortis viri proſperis ſucceſſibus fata crediderís. Gerhardus quum recuperandæ in Dania præſertim ditionis ſuæ gratia, exercitum haberet ex longinquis conductum (Ghunshower tum dixere, quòd breui admodum habitu ad omnem rem expediti viderentur) eum ducens per Iutiam, victor vbiq; & vndiq; redibat, nec erat qui aciem auderet obiicere: omnia iam adusq; Randershuſen ſubdita tenebat. Erat miles his in locis, vir potens & locuples, iam tamen cum cæteris in ditionem concedens comitis vbique victoris. Negels Iepſen Dani, noſtri Nicolaum Iacobi dixere. Is quum iram & indignationem in comitem iam dominum ſuum collegiſſet, ſiue fortunæ viri inuidens, ſiue patriæ libertati ſtudens, noctu cum ſatellitibus oppidum ingreſſus, comitem in ſtrato ſuo quieſcentem opprimit, & euadit. Mœror & luctus, quum dieſceret, in exercitu inconſolabilis: attamẽ filij, quos tres reliquerat, Henricus, Nicolaus, Iohannes, vt viros decebat, luctum in vltione conſtituerunt, peractisq; ſolennibus funeris in Itzeho tumulandum miſere. Hoc verò monaſterium Gerhardus, Adolphi religioſi filius, antè ſitum inter Albim & Storam, in paluſtribus Wilſtriæ in villa Vlete, in eum tranſtulit locum, in quo prioribus annis inexpugnabile erat Holſatorum præſidium. Quo in loco primus ille Gerhardus ſepulturam accepit, & poſt eum filius eius Henricus, & nepos iſte Gerhardus Magnus. Nicolaus quoque filius eius ibi vitam finiens, ad patrem tumulatur, & Henricus frater, cognomento Ferreus: Gerhardus dux primus ex hoc genere Sleſwici, & Albertus Henricusq́ue eius fratres, inſuper Henricus, Gerhardus, Adolphus duces, Gerhardi ducis filij, hoc loco tumulati, expectant nouiſſimam tubam. Hartwicus de Reuentlow, qui manus iniecit comiti Adolpho in Zegeberg, limina petiit apoſtolorum, pœnitentiam accipiens, omnia ſua in manus pauperum tradere iuſſus. Fertur refectorium ſubtus & dormitorium deſuper, extruxiſſe: adiecitq; Nicolaus comes multa huic loco donaria. In Reyneuelde autẽ monaſterio Ciſtercienſium conditi ſunt tres illi de Wagria, Iohannes, cum fratribus & filiis: cæterùm in Hamburgo in maiori eccleſia duo nouiſſimi Adolphi, cum aliquot fratribus. Ille autem primus Adolphus, qui dono primus accepit terram à duce tum Saxoniæ Ludero, quia eius temporibus in omni ea terra nulla erat ſolennis præter Hamburgenſem eccleſia, nullum adhuc vſquam monaſterium, in Hamburgo creditur terræ cõmendatus. Nam filius eius ſecundus Adolphus relatus eſt à Demyn in Myndam: vt ſuo loco diximus. Tertius verò defunctus in dominio ſuo Scowenborg. Quartus in ordine Minorum ſepulturam promeruit inter fratres ſuos, in Kilone, à ſe fundato monaſterio. Libuit ſepulchra ſcrutari nobilium virorum ad perpetuam memoriam.

...rardus in ...lo quieſcens ...erficitur.

CAP. 13.

HENRICVS & Nicolaus comites, cæſi Gerhardi filij, in vltionem patris iuſto exarſere dolore. Nam Henricus accepta parte copiarum nauigauit in Zelandiam: Nicolaus perſequitur reliqua belli in Iutia. Sed quum compertum haberent, parricidam illum in Scaldingborg cum magna manu conſidere, in eam arcem primùm ducentes, feruentiſſimè oppugnauerunt, & (quoniam nihil inuium fortibus) etiam expugnauerũt: duo millia inibi Danorum cæſa feruntur. Extractus de medio inſignis parricida, nõ vulgari mortis genere dignus mori, quadripartitus totidem rotis domini ſui, & cui ſacramentis erat obnoxius, proditor & mactator imponitur, coruos paſturus. Si Holſatorum primores eius facti conſcij fuere, in obſcuro manſit: ſed tamen compertum erat, magnam illuſtris viri fortunam inuidia non caruiſſe. Ingentem eius ſpiritum multi admirati ſæpe rogarunt, vnde tam multis diu cumulata ſolueret ſtipendia. Reſpondit, victores ſe in Thietmarſiam miſſurum: vbi ſi res ex ſententia procederet, prædis locupletati inde ſibi ſtipen-

...rardi inter... ...tor luit pa... ...

dia

dia deſumerent: ſin cæderentur, nihil eſſe opus ſtipendiis. Sed tamen is erat exitus multorum, vt vacui redirent & inanes, nihil præter arma portantes. Henricus autem in Zelandia proſperatus, oppida, quæ facile fuit (vtpote immunita) occupare, arces etiam aliquot obtinuit, & iuxta ritum terræ impoſitis capitaneis: cæteri rure degunt, affuturi vbi opus eſt. Quum interim exorta ruri inter Danos & Holſatos (vt facilè fit inter militantes) contentione ex cauſis leuiſſimis, quidam ex primoribus Danorum multis charus opprimitur ab Holſatis: ea re breui per longinquum diuulgata, conclamatur ad arma. Execratur omne nomen Holſatorum, & cæſi ſunt, tumultu multitudinis exorto, trecenti vna nocte viri. Quæ res exterruit multos, ita vt Henricus quoq; comes impoſitis opportuno loco præſidiis ipſe abiret. Erat autem annus poſt mille trecentos quadrageſimus ſecundus. 1342.

CA. 14.

LVDOVICVS interim Bauarus Romanum adminiſtrabat regnum, nec vllis potuit conditionibus placari, vt æmulum à ſe captum Fridericum ducem Auſtrię captiuitate ſineret laxari. Nulla eum magnitudo promiſſi æris permouit, nulla profuit amicorum interuentio: omnia fruſtra pertentata euanuere. Vbi iam multis fruſtra conantibus nihil potuit effici, ipſi inter ſe principes ſoli conuenere, vt Fridericus interpoſito iuramento de nunquam reſiliendo, omne ius ſibi competens permitteret Ludouico, liberè cedens & renuncians. Literis interuenientibus, omnia roborantur. Non mirum quòd his vſus ſit Fridericus conditionibus ad ſui laxationem: ſed mirum quòd his ad ſui ſecuritatem credidit Ludouicus. Duxit interea coniugem idem Ludouicus rex filiam comitis Hollandiæ, nuptiis Coloniæ celebratis. Interim papa excitato rege Neapolitano Roberto, exercitum miſere in Mediolanum Imperio detrahendum. Sed egreſſi ciues male mulctauere venientes, vt nemo ſe gauderet aduentaſſe. Interim pontifex Iohannes, ſolennibus inſtitutis proceſſibus, Ludouicum regno pellere annifus eſt. Ludouicus ad appellationem conuolauit: quam inſigniter conceptam vbique fecit publicari. Nos, inquit, Ludouicus Romanorum rex, proponimus aduerſus Iohannem, qui ſe dicit eſſe papam, quòd Chriſti teſtamentum de pace male exequitur, publicam Chriſtianitatis pacem perturbans. Nec reminiſcitur, à ſancto Conſtantino id, quicquid nunc habet honoris, latitanti Syluestro permiſſum: male gratus Romano Imperio, vnde deſumpſit omnem quo nunc abutitur ſplendorem. Et reliqua in hunc modum plurima, quæ proſequi & longum eſſet, nec omnino poſteritatis oculis ſubiicere prouidum, vnde ſcandala puſillorum orirentur. Iohannes interea comes Holſatiæ in Wagria luctantem cum Danis Gerhardum cum filiis, deſerendum putauit, & terræ ſuæ componēdæ induſtrius inſtabat. Conſiderauit ab arce Linow in primordiis inferioris Saxoniæ ſitæ (quæ ſemel ac iterū euerſa inſtauratur) multa prouenire latrocinia per publica itinera mercatoribus, intra præclaras vrbes Lubicam, Hamburgum ac Luneburgum. Indignè (vt debuit) perferens, arcem firmauit in loco Trittowe, non longè à Bilena fluuio defluente, limitemque faciente vtriq; ditioni, Saxoniæ ac Holſatiæ. Locus in quo fundatur, iuris erat religioſorum in Reynfelde: ſed comes compenſatione facta monaſterio tantundem alibi rependit, aſcribens de ſuo villas Arnsfelde & Woldehorne iuribus monaſterij memorati. Et tamen malum ferunt eſſe loci fatum geniumque peſſimum, vt nihil ibi gignatur membris omnibus incolume, ab homine vſque ad cicures beſtias. Hic Iohannes fortunatus & locuples, quum terram ſuam pacatam haberet, nulli ſe deinceps voluit immiſcere bello. Sedit, & aſpexit conflictus patruelium ſuorum: ipſe paci nullam rem duxit præponendam. Reliquit autem filium Adolphum, in quo (vt ſuo dicetur loco) linea eius ſucceſſionis penitus defecit.

Papa Imperatorem dignitate exuere ſtudet.

Imperator papam accuſat.

Malus loci genius.

CAP. 15.

LVDOVICVS interea Romanorum rex vocatus venit in Italiam, excipiturq; per benignè ab Gibellinis, qui partes fouerent Imperij, peruenitque in vrbem Romam, excipientibus eum proceribus Romanis, ſolenni apparatu. Habebāt autem primores Romani magiſtratum quem appellauere Vicariatum, quem tum Stephanus Columna gerebat. Is à clero & populo interpellatus, coronam Ludouico dedit imperialem. Qua ille percepta, quum aliquandiu gyrationes vertiginoſas Italorum in ſuis partialitatibus ridens conſpexiſſet, in Germaniam reuertitur, conuentúque regni cōuocato permagnifico in Francfordiam, ad quem etiam vocauerat reges Imperio non parentes. Venerat rex Angliæ, Imperio nihil debens: aderat rex Bohemiæ Iohannes, Henrici ſeptimi

Ludouicus Romæ coronatur

filius,cæteriq; regni tam ſpirituales quàm ſeculares principes. Ibi conſtituta ſunt multa, quæ ex dignitate Imperij tum ſunt viſa:inter alia verò,quòd electus à principibus, aut à maiore aut ſaniore parte,adminiſtrationē habeat citra aſſenſum pontificis:nam ea quæ præter hæc introducta ſunt,nec diuino iure nec vlla patrū ordinatione,ſed blanda quorundam aſſentatione,& Romanorum ſpontanea ingeſtione pontificum prouenerint. Electus inſinuetur Romano pontifici,quòd ſit princeps catholicus, iuſtus, Imperio dignus,petaturq; coronatio:quæ(niſi obſtiterit manifeſta cauſa)ſi negatur, ſumatur conſecratio à quouis catholico pontifice. Nam omnes illæ ſolennitates per eccleſiam introductæ fuerunt. Quis enim Romanus pontifex conſecrauit Conſtantinopolitanos Imperatores?& quis ante Karolum multos Chriſtianos Cæſares? & ante Conſtantinum Ethnicos quis ſacrauit Imperatores? Deinde ordinatum eſt quòd Imperator præſtabit pontifici & eccleſiæ defenſionis,deuotionis & humilitatis,non fidelitatis,homagij aut ſubiectionis iuramentum:quia temporalis dominij papa Imperatori nihil tribuit, imò eccleſia ſumpſit omnia illa ab Imperio. Gladius enim vterq; nihil habet commune, quum alter animam,alter ſolum corpus conficiat. Ibiq; decreto firmatum eſt,quòd vacantis Imperij adminiſtrationem pontifex habeat, nulla ſcriptura, nulla ratio, ſed ſola vſurpatio introduxit. Hæc tum principibus in cœtum Imperij congregatis viſa fuere in rem Chriſtianam obſeruanda. Sed luit Germania pœnas diuiſionis ſuæ:quæ ſi vnum ſentiret,pareretq; ſuo capiti(quo modo in Anglia & Francia principes regi) rectè illi omnia procederent: nunc verò experitur quod verbo Veritatis diſcere & cauere debuit, Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur.

[P]apæ nimia [i]n Imperatore [c]onfirmando [p]oteſtas circūſ[c]ribitur.

[G]ermania v[n]i parere debe[t].

CAP.16.

QVVM per hæc tempora Ludouicus Brandenburgenſis marchio, Ludouici Imperatoris filius (iam enim,quod in Wandalia diximus, feudum redibat ad Imperium) Lubicam veniſſet,adierunt eum comites Holſatiæ Iohannes & Henricus, oſtendentes Danici regni longam diuturnamq; tumultuationem, expedire vt aliquando compoſitis rebus ad tranquillitatem redigatur. Nam filij Magni Gerhardi,dum antehac mortem patris ſui magnificè vlciſcerentur,factum eſt plurimo labore vt omnia regni negocia fierent perplexiſſima. Audiuit marchio perbenignè quæ à comitibus dicerentur: effecitq; vt Waldemarus Sleſwici dux,cum comitibus memoratis anniteretur, quò ea res competentibus ad pacem conditionibus ad effectum perueniret. Polliciti operas comites, regem Waldemarum in regnum reduxerunt. Dux Sleſwici germanam illi ſororem ſuā coniugem dedit,vt omnis de medio fieret memoria ſimultatis. Erat tum annus quadrageſimus primus poſt mille trecentos. Waldemarus autem dux male gratus comitibus, qui rei componendæ ſtuduerunt,bellum illis cœpit intentare, quamuis eſſet Henrici & Nicolai conſobrinus,natus ſorore patris amborum. Illi autem arma vertunt ad inſidias, obſeruantes tempora venationis,cuius erat ille ſtudioſiſſimus:quod non ignorabāt. Captumq; in venatione perducunt in Fioniam, quæ adhuc in manibus erat Holſatorum: bienniòq; tentum,grandi ære luere ſuam captiuitatem coegerunt. Magnæ verò & multæ tum fuere in regno turbationes,à capite quā maximè ſubortæ. Ludouicus marchio, Ludouici(vt diximus)Imperatoris filius,quum primam Danorum regis filiam coniugē morte amiſiſſet,de ſecūdis nuptiis cogitauit. Erat Margareta Stiriæ ducis vnica filia,iam nupta Wentzlao Iohannis regis Bohemiæ filio,puella inſigni facie: quæ maritum ſuum ad vota nuptiarum accuſauit impotentem:ſecretiusq; literis egit apud Imperatorem Ludouicum,vt marito ſubducta eunucho,eius traderetur filio coniunx, etiam eccleſiæ iudicio(quòd mater eſſe vellet)diuortianda. Placuit Imperatori puellæ nobilis & diuitis, quæ dotem afferret ducatum,in filium eius propenſio. Sed filius vbi intellexit, rem non probauit,raptu ſibi coniugem quærere non eſſe Chriſtiani principis. Verùm ſtimulante patre,quum etiam iuriſperiti rem licitam dicerent,conſenſit: & puellam rapuit volentem. Nam repugnante marito aliter fieri non potuit,vt eccleſiæ iudicio apud illum manens,diuortio abiungeretur. Ad tam atrox facinus vindicandum omnis Bohemia Vngariaq; & Francia commouentur:bellum ingens conflatur, producuntur acies ob raptam puellam,Troiani belli renouantur initia. Confligitur acerrimè:ſed Ludouicus non inferior diſceſſit. Is tamen erat belli exitus,vt Wentzlaus ſibi cohabitare fœminam nolentē dimitteret:quamuis papa multis literis fœmineam procacitatē arguerit, vtpote qui Imperatoriæ domui ſemper aduerſaretur. Tenuit Margaretam Ludouicus:ſed tamen non

[D]aniæ res com[p]onuntur.

[V]xor maritū [mut]arè quærit.

facilè

facilè obliuiſcitur iniuriam Wentzlaus. Nam longè pòſt prouectus ad Imperium, marchioni excitauit aduerſarium: quod ſuo loco in Wandalia commemorabitur.

C A. 17.

Dania aliis tumultibus inflatur.

HOLSATI iam in regno Daniæ multis laboribus & (vt putabant) benemeritis pacem ſperabant: ſed vrebat Danorum oculos cernere in regno Theutonicos, qui arces & oppida poſſiderent alienigenæ. Arcem Callingborg inter alias Henrici comitis fideles tenuerunt. Rex Waldemarus, iam à comite reductus, facit quod ſolet mus in pera: obſedit arcem memoratam, & oppugnat. Superuenit Henricus manum ducens expeditam: obſidentes inuadit, ſternit, capit, fugat, perinde ſoluēs obſidionem: captos ſecum perducit in Holſatiam, magno ære laxandos captiuitate. Sed inceſſit tum comitibus, Nicolao atque Henrico fratribus, controuerſia grauis ad vicinas vrbes Lubicam atque Hamburgum, quòd mercatores quererentur latrocinia multa fieri, non ſine intelligentia & diſſimulatione, ſiue conniuentia militarium vicinorum. Et quoniam res per occultos fauores ageretur, omnes inſimulati innocentiam ſuam, vt poterant, detexere verbiſque propugnauere. Videbantur & comites pro ſuis zelare militaribus, & rem obſcuram in dexteriora (vt fieri par eſt) conati ſunt inflectere. Quid multa? Comites ipſi dum ſuorum tuentur honorem, de occulto facinoroſorum fauore inſimulantur. Res ad apertam indignationem proceſſit, & videbatur de proximo imminere militaris in aduerſos expeditio. Iohannes comes Wagriæ, pacis zelator, rem ſub neutralitate paſſus eſt abire, nulli ſe parti immiſcens. Orant ciuitates permitti ſibi oppidum Zegeberge, vt inde rebellium & violentorum greſſus obſeruent. Permittit Iohannes. Ducentos cum armis equos ambæ vrbes hoc oppido conſtituerunt. Vt autem facilè annueret Iohannes comes rem fratruelibus aduerſam, effecit arcis eiuſdem præfectus, ſua perinde commoda procurans. Fortalitium ille erexit ad vada (locum vocant Ton Steghen) vnde in reliquū tempus, donec ſubuerteretur, multa procurata & defenſa ſunt latrocinia. Sciebat ille vrbium gubernatores eam inſtructionem non paſſuros, ſi non eius tum opera indigerent. Procurrebant ergo de Zegeberge vrbium ſatellites, & fatigabant Holſatos male ſuſpectos. Henricus comes, vir acris ingenij, impatienter tulit tantam ciuium in Holſatia violentiam: interpellat fratruelem ſuum Iohannem. Quandoquidem, inquit, ciuibus permiſeris tantam in noſtros facultatem, patere vt nos quoque tua pauliſper vtamur conniuentia. Ille ſe cunctis rebus indifferentem reſpondebat: veruntamen, inquit, mallem ad omnes pacem videre. Hac permiſſione fretus Henricus, vſus etiam fauore oppidanorum, nocte ingreditur oppidum memoratum: ducentos equos abducit, capitque ſatellites & ciues, quos reperit negotio intentos, inque ſua perducens clauſtra, vſque ad redemptionem plenariam emungit ære.

Latrocinia reprimuntur.

C A P. 18.

Lubicenſes auxilium ab Imperatore petūt.

SED hoc bellum latius quam ſperabatur ſerpit. Nam Lubicenſes querimoniā detulerunt Imperatori Ludouico, & marchioni eius filio, itidem Ludouico, ſuper nominibus Henrici & Nicolai, quòd non ſolùm receptatores, ſed etiam defenſores viderentur eorum qui publicis viuerent latrociniis. Imperator permiſit eam rem filio curandam, propius intuenti omnia de ſuo. Is immiſit Lubicenſibus militem quendam in armis ſtrenuum, Fridericum de Locken, ducentis cinctum equitibus, qui mareſchallus Imperij tueretur ciues memoratos, & vindictam faceret in aduerſantes. Hunc ſequuti ductorem ambarum vrbium ciues, Holſatiam peruagantur, vbiq; ſæuientes, nec erat qui obuiam prodiret. Ad Danicam vſq; ſyluam progreſſi (quæ adhuc pignoris iure parebat comitibus) ingenti præda vndecunq; aceruata Lubicam redibat miles cum his quos ductabat. Magnus interea Suediæ rex, quòd crebrius vteretur opera Henrici comitis Holſatiæ in bello, commonitus ab eodem Henrico, mercatores Lubicenſes in regno ſuo diuerſantes rebus & corporibus iuſſit detineri. Ciues in vrbe ſua vicem reddidere Suedis inibi negotiantibus, & merces ſuas verſantibus: & ęquata videbantur vtrinque incommoda. Fridericus miles memoratus, à ciuibus doctus eſſe magnum rerum gerendarum in Scania pondus piſcaturæ tempore, eò nauigans cum expeditis, quòd multi è Suedia eò piſcarentur, poſſe arbitratur compenſationem fieri ad eos qui in Suedia detinerentur. Quum eſſet magna ſuorum atque ciuium manu cinctus, facilè ſuperior erat inermibus. Congreſſus prælio conglobatis Holſatis, Danis, Suedis, omnes cepit, Lubicam in vincula præmiſit aſſeruandos: ipſe ſequutus cum copiis victricibus. Satis illum magnificè remuneratum pro labore & fide, in ſua remiſerunt. Inde quum rebus finis nullus eſſet, Im-

Suedia rex bello ſe immiſcet.

perator pro ſe Gunterum de Zuartzēborg comitem,& marchio Henningum de Buch militem miſere Lubicam cum mandatis,vt rebus primùm intenderent per æquas conditiones pacandis: alioqui armis ciues tutarentur. Vbi venere parato in vrbem Lubicā agmine,primùm leges pacis pertentandas putauere.Id infrunita plebis multitudo & vulgus promiſcuum interpretatur(pro ſuo more)in fauorem fieri nobilitatis.Nam arma potius expectabat ea colluuies,exterminandis (vt voluere) comitibus:& vbi de pace non conuenit,ad arma. Nec tamen ea ſeueritate inſtiterunt propugnatores, quam popularis multitudo cupiebat. Sic enim moribus & propenſione naturæ comparatum eſt, vt nobilitas nobilitati propenſior videatur. Succlamat vulgus,non ex fide rem agi. Cæterùm viſum eſt commiſſariis principum expedire vt res tranſactionibus potius quàm armis finiantur. Inſtitutis iterum tractatibus,multo labore terminata cōtrouerſia eſt,cum detrimento,vt ciues putauere,ſuo: quanquam hoc ipſum de ſua parte comites quoque quererentur. SIC rerum depoſcit neceſſitas, vt vtriuſque partis detrimento iunganrur diſſidentes. Quo tempore,per mediam ferme æſtatem circa feſtum Magdalenæ, tanta facta eſt aquarum inundatio, de montibus deq; fluminibus vndique intumeſcentibus, vt crederentur apertæ iterum cœli cataractæ,aut de occultis cuniculis ebullire fontes aquarum. Viſurgus præcipuè hanc ſumpſit increſcentiam ſine modo: pons deiicitur ad Myndam,per maiorem eccleſiam ad forum vſque aquæ aſcendunt: oppidum Lemegow etiam montibus diſcluſum à flumine,nec muris potuit vndas excludere. Rapti viri & mulieres perierunt, paruuli vagientes, domus rurales innatare vndis cernebantur, & in domatibus homines, galli, mutilegi: mirum & miſerandum per omnia ſpectaculum.

Nobiliū et plebes penè nulla amicitia.

In pace conſtituenda vtriſque cedendu.

CA. 19. ERICVS Erici filius,dux inferioris Saxoniæ, quum patre mortuo teneret gubernacula,creditus eſt conniuere prædatoribus & per vias publicas inſidiantibus: merces enim curribus prouectæ inter vrbes Lubicam,Hamburgum ac Luneburgum crebrius incurſiones pertulere.Capta inde plurima ad ſatietatem vſque latrocinantium: mercatores,ſi ſua tuerentur,cæſi.Ea res quum in caput Erici ab omnibus inculpatum intentaretur,Albertus fratruelis eius,interpellatus ab vrbium rectoribus,oſtendit ſibi non placere fratruelis infamiam.Videtis,inquit,vires meas:ſi arma veſtra iunxeritis,efficiam vt cuiuis facilè perſpicuum fiat,latrocinia publica & itinerum turbationes non placere. Emiſere quæ poterant arma ciuitates: Albertus iunctus omnes ductabat. Itum eſt in terram Erici memorati:vltrice flamma & gladio vindicatæ ſunt,ſed in pauperes, maiorum improbitates:munitiones autem & receptacula violentorum deiecere.Captos prædones,vt repererunt,in proximas appenderunt arbores. Sed inuidit fortuna vrbibus ſenſatum principem è vicino: nam proxima quadrageſima idem vita exceſſit, anno ſalutis quarto & quadrageſimo poſt mille trecentos. Operæprecium eſt agnoſcere quis ille fuerit Albertus,& quem fratruelem ſit perſequutus Ericum: cuius rei occaſione rememoranda eſt linea ducum Saxoniæ ſuprà proximo libro attacta, ſed non ſatis explicata. Bernhardus filius Alberti marchionis de Brandenburgo, comitis quoque de Berneborg,& Anehold,ſtipes eſt & origo ducum Saxoniæ:quē I.Fridericus Imperator(quòd materno genere tangeret lineam antiquorum Saxoniæ ducum,& nouiſſimi Magni)ducem creauit,ex cuius filia natus eſt Albertus pater eius. Brunſwickcenſes autem annales hunc Bernhardum(ſi diis placet)nolunt agnoſcere, quòd deſtitutionem ſui principis Henrici Leonis patienter non agnoſcunt:quum tamen in omnibus conuentibus Imperij,& in cunctis maioribus Germaniæ rebus,iſte Bernhardus memoratur dux Saxoniæ: & vidit Ottonem Leonis filium in Imperio,illiq; adhæſit in finem:durauit autem ad annum Chriſti vndecimum poſt mille ducentos.Hic primus inuexit inſignia de lignis ſtratoriis nigro fuluoq; variatis:intercedente crinali ruteo:quæ arma nunquam antea agnouit Saxonia,quæ tenuit ex Wedekindo equinum pullum candidum, quem illi Karolus Magnus pro nigro commutauit. Sed poſtquam Henricus Leo deſtitutus eſt ex Saxonia,ex Anglia quum rediret,fuluos leones duos in clypeo præferebat,equinum pullum transferens in conum galeæ.Vetera autem orientalis Saxoniæ arma fuere tres ſemicirculi, cum aliquantis intus angulis circulorum rubris. Iſte autem Bernhardus ſtipes Saxoniæ principum nouus, reliquit Albertum filium poſt ſe ducem Saxoniæ: à quo incipiunt numerare annales Brunſwickcenſes, mendosè aſſerentes Albertum eſſe

Supplicia de prædonibus ſumuntur.

Ducum Saxoniæ origo.

Saxoniæ ſtemmata non ſemel commutata.

Henrici

Henrici comitis de Anehold filium: quum reuera fuerit eius frater, ſed ętate minor. Tanta enim fuit conflictatio de ducatu Saxoniæ per Henrici Leonis poſteritatem, vt mallet Henricus ſenior quietum comitatum quàm perturbatum ducatum: & erat ab initio inſtituti Bernhardi ducatus iſte maior nomine quam ipſa re. Nam poriores eius ducatus partes Henricus Leo ſibi retinuit, materni generis ſucceſſione, quòd eſſet natus matre, quæ filia erat Luderi ducis Saxoniæ, poſtea imperantis. Hic Albertus Bernhardo patri deficienti, ad annum decimum poſt mille ducentos ſucceſſit, & filium reliquit Albertũ, elector electorem: qui Albertus ſecundus peruenit ad vndecimum poſt mille trecentos, qua vitæ longęuitate multis poſteris ſuis filiis, nepotibus, pronepotibus, etiam abnepotibus fuit ſuperſtes: vt (ſi fides ſit annalibus Brunſwickcenſium) primus Rodulphus, ſecundi Alberti trinepos, fuerit poſt illum princeps elector: quia dignitatem viuentis Alberti nemo potuit illo viuente contingere. Ergo ſecundus Albertus, qui genuit Rodulphum & Ottonem filios, illis fuit ſuperſtes: Rodulphus genuit Iohannem, & ille ſecundum Iohannem, & iſte tertium cum Alberto fratre. Albertus genuit Rodulphum, qui primus poſt ſecundum Albertum, tranſcenſis mediis fuerit princeps elector: qui ad electionem Ludouici & Friderici in diſcordia electorum fuerit aduocatus: quum inter Ericum tertij Iohannis filium, & hunc Rodulphum de iure eligendi contenderetur, & alter Ludouico, alter ſuffragium dederit Friderico. Poſtea tamen in linea Rodulphi permanſit electura, donec transferretur in Miſnenſes, ad iniuriam veræ ſtirpis Saxonicæ. Potuit autem Albertus viuendo attingere ætatem Rodulphi huius, cuius pater ſexageſimum poſt ducentos, ipſe facilè vndecimum poſt trecentos attigerit: vt Alberti ſecundi filius Rodulphus annorum vigintiquinque genuerit Iohannem primum, & peruenerit ad annum Chriſti ſeptuageſimum poſt mille ducentos: primus Iohannes genuerit II. ſimili ætate qua pater, & peruenerit ad annum octuageſimum: & iterum ille II. genuerit Iohannem cum Alberto fratre: quorum vterque vel alter pertigerit ad trecenteſimũ poſt mille: mortuus Albertus ille, Iohannis frater, anno decimo ſuperſtitem reliquerit Albertum abauum: qui vndecimo demum anno ſit mortuus, vt ferunt annales: & ideo ad neminem præcedentium peruenit dignitas electiua. Primus ergo Rodulphus, huius tertij Alberti filius, fit elector: cum quo tamen concurrens fratruelis Ericus contenderat. Hæc idcirco, vt oſtenderem fieri potuiſſe, vt inter Albertum ſecundum, & Rodulphum trinepotem, nullus fuerit medius elector. Quòd ſi omnino peruincere contendens, non tot nepotibus potuiſſe fieri ſuperſtitem Albertum, fieri & illud potuit, vt quoniam à quinquageſimo ad penè centeſimum, ſoli archiepiſcopi de regibus conſtituerunt, non euocatis principibus ſecularibus, neminem inter duos Saxoniæ elegiſſe ante Rodulphum: & ideo nulli poſt Albertum ſecundum eſſe ante Rodulphum attributam eam dignitatem. Dabis veniam candide lector curioſitati ſcrutantis, ſi verboſior ac debuit erat.

Archiepiſcop. ſoli res imperi arbitrio ſuo regebant.

NECDVM tamen compertum eſt quod quærebatur, quis fuerit Albertus à Lubicenſibus hac ætate aduerſus Ericum imploratus. Progrediendum nobis in enumeratione ſtirpis huius. Ericus primus Iohannis tertij filius, qui circa annum decimum tertiũ poſt mille trecentos elegit cum Rodulpho in differentia, reliquit filios Ericum, & Albertum: qui proculdubio tangunt hanc ætatem. Potuit ergo inuocari Albertus contra Ericum fratrem, non fratruelem, vt ſit erratum in vocabulo: quod pro eo habet veriſimilitudinem, quòd ambo habitauerunt ad Albim inferioris Saxoniæ. Nam Saxoniæ ſuperioris ducem quomodo longinquum inuocarent Lubicenſes? Teſtanturq; annales noſtri, Alberto ſine filiis morienti ad annum quadrageſimum quartum ſucceſſiſſe fratrem Ericum eius nominis ſecundum: quanquam ſit & alius Albertus huius Erici fratruelis in linea Rodulphi. Quam quia lineam ſumus proſequuti, ad finem exequamur. Rodulphus primus poſt ſecundum Albertum elector, genuit Rodulphũm & Ottonem. Rodulphus ſenior aſſequitur poſt patrem dignitatem. Otto memoratur in Louenborg habitaſſe. Vbi ergo erat dominium Erici & Alberti filiorum Erici primi? Hic Otto genuit Albertum: qui ſi inuocatus ſit in Ericum fratruelem, quæro vnde ſit euocatus, vbi habitauerit. Peranguſtam fuiſſe per multitudinem principum cuiuſque ditionem eſt veriſimile. Ille Albertus quoque tranſiuit ſine prole. Lineas ergo Rodulphi & Erici exequamur. Rodulphus II. elector, electoris filius, genuit Wentzlaum & Wilhelmum. CA. 20.

Wilhelmus ſine prole exceſſit: Wentzlaus elector genuit Rodulphum, Wentzlaum, Ericum, Albertum. Rodulphus maior natu elector, genuit Rodulphum, Wentzlaum, ante patrem mortuos. Wentzlaus quoque & Ericus fratres Rodulphi ante illum moriuntur: & ideo peruenit electiua dignitas ad Albertum fratrem: à quo moriente ſine prole, transfertur per Sigiſmundum in nepotes ſuos Miſnenſes, præteritis legitimis ſucceſſoribus: quod hodie quoque queruntur. Ericus ſecundus genuit Ericum tertium, & ille Bernhardum, Ericum, Albertum Magnum: qui epiſcopus primùm Caminenſis, deinde Hildeſemenſis erat. Bernhardus genuit Iohannem hodie ſuperſtitem: qui genuit Ericum, Bernhardum, eccleſiaſticos, Colonienſes canonicos: Magnum, qui nunc gubernat: Iohannem & Rodulphum. Hæc de Brunſwickcenſium annalium deſcriptione ſumpta ſunt: ſi quid vel obſcurum aut dubium aut falſum habent, fides referatur in authores. Cæterùm poſteri curent, quæ inuenerint, ab aliis è ruderibus purgata reddere purgatiora.

CAP. XXI. *Brunſvvicenſiū ducũ ſeries.*

REDDAMVS & Brunſwickcenſibus ducibus illam diligẽtiam cum honore ſuo, vt lineam eorum exequamur. Henricus Leo, author generis, reliquit filios, Ottonẽ IIII. Imperatorem ſine prole: Henricum Palatinum, ſine maſcula prole decedentes, & Wilhelmum, qui reliquit Ottonem filium, ſpem generis: qui (vt diximus) ſub Friderico II. primus obtinuit titulum ducatus, vt cum poſteris diceretur dux Brunſwickcenſis. Otto reliquit filios quatuor, Ottonem Hildeſemenſem, Conradum Verdẽſem, epiſcopos, Albertum, & Iohannem: qui retento indiuiſo titulo (vt ambo cum poſteris duces Brunſwickcenſes & Luneburgenſes dicerentur) diuiſerunt tantùm ditionem, vt Albertus Brunſwicum cum ſuis pertinentiis, Iohannes Luneburgenſem ducatum adminiſtraret. Hic Iohannes reliquit filium Ottonem, & ille ſubinde filios Iohannem Myndenſem, Ludouicum Magdeburgenſem epiſcopos: Ottonem, & Wilhelmum: quibus ſine virili prole deficientibus, rediit terra ad Brunſwickcenſes, Magnum videlicet, qui cognominatus eſt de Zangerhuſen, eo quòd in dotem acceperit marchionatum de Landeſberg, & aliquandiu habitauerit in Zangerhuſen, eius dominij præcipuam arcem. Albertus Brunſwickcenſis dux, qui pro magnitudine rerum geſtarum cognominatus eſt Magnus, reliquit filios Albertum, Henricum, Wilhelmum: qui primi diuiſerunt ducatum in tria membra, vt Henricus ſenior acciperet Tranſſyluanum ducatum in Embica, & Grubenhagen: Albertus Gottingenſem ditionem: & Wilhelmus iunior Brunſwicum cum pertinentiis ſuis. Moriente Wilhelmo in adoleſcentia, imo penè impubere, Albertus & Henricus fratres de Brunſwico contenderant: ſed (quod ſuprà oſtendimus) Albertus obtinuit. Henricus dux in Tranſſyluanis cognominatus Mirabilis, reliquit filios Henricum & Erneſtum. Henricus genuit Ottonem, qui militans in Italiam peruenit ad nuptias Iohannę reginæ Neapolitanæ: & Balthaſarem, qui ſequutus eſt fratrem in Italiam, & ibi defecit: ambo ſine prole. Melchior horum frater factus eſt epiſcopus Zwerinenſis. Ita defecit linea Henrici. Erneſtus frater genuit Albertum & Fridericum. Fridericus genuit Ottonem ſine prole decedentem: Albertus genuit Ericum: Ericus genuit Henricum, & Albertum. Henricus genuit Henricum: & ibi quieſcit hodie linea. Albertus genuit Iudocum, Philippum, Ericum, Erneſtum. Hæc eſt ſucceſſio Henrici Mirabilis. Albertus Pinguis eius frater, Brunſwici & Gottingen dux, genuit Iohannem magiſtrum in Pruſſia ordinis Theutonicorum: Albertum Halberſtadenſem, & Henricum Hildeſemenſem epiſcopos: inſuper Ottonem, Erneſtum, & Magnum. Otto dictus Largus ſine prole tranſiit: Erneſtus genuit Ottonem: Otto genuit Wilhelmum, in pueritia deficientem, Ottonem monoculum: qui ſine prole defecit. Magnus autem propagator eſt generis: nam ex eo deſcenderunt duces qui hodie rebus præſunt. Is Magnus quum duxiſſet vnicam marchionis de Landesberg filiam, cum ea coniuge accepit in dotem principatum. Cuius temporibus moriente Wilhelmo, vltimo eius lineæ duce Luneburgenſi, ab eo deſignatus eſt ſucceſſor in illo principatu. Vnde eſt hodie querimonia ducum Tranſſyluanorum, quòd vel in partem vocari debuerint eius ditionis, quum fuerint in gradu pares, ambo in tertio. Magnus genuit Albertum archiepiſcopum Bremenſem: Ludouicum, qui peruenit ad ducatum Luneburgenſem, non diu ſuperſtes: Conradum, qui mortuus eſt in Italia: & Magnum, qui poſteritatem auxit, quique ducatum Luneburgenſem aliquandiu tenuit: ſed inde abactus eſt,

vt ſuo

vt ſuo loco dicemus. Is Magnus genuit Ottonem Bremenſem archiepiſcopum: Fridericum, qui cæſus eſt iuxta Friſlariam: Bernhardum & Henricum, qui ſoli poſteros reliquere. Nam Bernhardus in ditione Brunſwickcenſi reliquit filios, Fridericum & Ottonem: qui cum fratruelibus fecere ditionum ſuarum permutationem, vt acciperent Luneburgenſem pro Brunſwickcenſi. Otto ſine prole moritur: Fridericus reliquit Bernhardum & Ottonem: Bernhardus tranſit ſine prole. Otto reliquit Henricum nunc regentem, qui iam habet paruulos ſuos. Henricus Bernhardi frater genuit Henricum & Wilhelmum. Henricus obiit ſine prole: Wilhelmus reliquit Fridericum & Wilhelmũ: Fridericus tranſit ſine prole. Wilhelmus hodie ſuperſtes habet filios Henricum & Ericum: qui patriam ditionem diuiſere, patre paucis contento: Henricus Brunſwickcenſem, Ericus Gottingenſem adminiſtrant ducatus. Henricus iam numeroſa prole gaudet. Maior natu Chriſtophorus adiutor eſt eccleſiæ Bremenſis, ſpe certa ſucceſſor. Ericus necdum ſpem poſuit naſcituræ ſibi poſteritatis.

ANNVS erat quadrageſimus octauus poſt mille trecentos, quum principes inſtitere apud Ludouicum Imperatorem vt conuentum indiceret in Francfordia principum, ſpecie quidem vt pacaret archiepiſcopum Moguntinum, diſſidentem à patruele eius, re autem vera, vt legitimè conuocati, deſtituto Ludouico alium ſibi regem deligerent. Initio quidem latebat Imperatorem principum in ſe conſpiratio. Fecit quod voluere, conuocauit principes: ipſe aderat cum tribus filiis, Ludouico marchione, Wilhelmo, Romulo. Rodulphus dux Saxoniæ, Wilhelmus marchio Miſnenſis, Gunterus Landgrauius Turingiæ aduenerant. Paulatim innotuit Imperatori, & circunſpectans quid faceret, arma quanta potuit contraxit. Reſcierat interea Bohemus inſidiator coronæ, prodiiſſe conſilium conſpirationis, Imperatoriq́; patuiſſe. Non aduenit: ſed in Bunnã concedens, ibiq́; quos poterat electores conuocans, effecit vt eligeretur rex nouus Wentzlaus Morauiæ marchio, Iohannis Bohemiæ regis filius. Viuebat in corde Iohannis vulnus, & recruduit obducta cicatrix, de abducta filij coniuge. Ideo quanta potuit machinabatur ad humiliandam Imperatoris Ludouici domum. Quo tempore dux Saxoniæ Ericus arcem Linow de manu militarium, qui tenuere, redemit: quia ſermo erat in ore omnium inde fieri excurſiones & latrocinia. Illi accepta pecunia terram paluſtrem in Darſing ſunt mercati, vbi veterem quæſtum inſtituentes, à dominis Magnopolenſibus & duce Luneburgenſi Ottone propulſi ſunt & effugati de terra. Ludouicus autem Imperator, quum ad menſam haberet Burggrauium de Nurenberga, qui illum comiter ſolebat adire, ſenſit ex more veneni punctiones: quod ei (vt ferunt) non tum primùm accidit. Crebrius enim hac arte tentatus, ad vomitum ſe prouocans euaſit periculum. Sed tum vomitus prodeſſe non poterat, ſuperante vi toxici. Ad venationem conſurgit, vt agitato & incaleſcente corpore, venenum ſuperaretur. Ibi quum vrſum ſequeretur fugientem, equo delapſus, grauiter læſo corpore peruenit ad extrema. Compunctus tamen corde breuit efflauit ſpiritum, regio faſtigio tumulatus eſt in Monaco.

Cap. 22. *1348.*

Imperator veneno moritur.

HENRICVS interim Holſatiæ comes, vir ad arma natus, poſtquam in Dania martem fatigauit, peruenit in Suediam, ibiq́; diu regi militauit, vt etiã arces in eo regno mereretur: Calmeren vocant fortalitium quod à rege tenebat. Phinni rebellionem regi ſuo oſtenderunt. Mittitur Henricus à rege ad gentem edomandam. Tranſierat ille cum exercitu locum Waſteen, vbi tum claruit domina Brigitta, opinione ſanctitatis etiam viuens iam celebris, ſpiritu prophetiæ multis multa prænuncians. Commonetur Henricus adire ſanctam fœminam, & belli exitum perſcrutari. non recuſauit. Vbi venit in conſpectum, interpellata reſpondit humiliter, Si vis, inquit, terram arbitrio tuo ſubiicere, inermis ingredere. Potuit ſpiritu commonita intelligere quòd manſuetudine populus facilè flecteretur: neq; tamen negauit id armis fieri poſſe. Henricus conuerſus ad circunſtantes ſuos, Hæc, inquit, mulier huius eſt nationis, nihil ad eam pertinebit ſi pereamus: arma quæ ferimus, vertamus in hoſtes. Ita contempto eius conſilio proficiſcitur: armis gentem ſubegit, & in pace reuertitur. Audit iamdudum grauiſſimum eſſe bellum inter reges Angliæ atq; Franciæ, quòd mortuo ſine prole maſcula rege Franciæ, proximus ſanguine agnatus coronam occuparet: quam rex Angliæ, coniugem tenens filiam defuncti regis, ſibi putauit deferendam. Henricus comes pro robore & inuicta virtute Ferreus cœptus dici, eò contendit, regiq́; Angliç Eduardo militauit. Grauiſſimum tum immine-

Cap. 23.

Phinni in regem ſuum rebellant.

Brigitta fatidica.

Anglus ius ſibi in Francia regno vendicat.

bat prælium,cui ambo reges aderant. Regem autem Franciæ ſequebantur Iohannes Bohemiæ,licet iam cæcus,Petrus Nauarræ,& Biſantius Maioricarum reges. Cruentus diu mars volitabat. Cæſus Iohannes rex Bohemiæ,qui vbi fortunam ſuæ partis audierat inclinare, ductorem ſuum interpellat, vt ſe eò dirigeret quò confertiſſimi hoſtes pugnarent:ibiq; fortiſſimè pugnans cecidit. Adolphus dux Lotharingiæ, Ludouicus comes Flandriæ vnà interierunt. Rex ipſe Franciæ captus,per manum (vt ferunt) Henrici comitis Holſatiæ,qui copias ductabat,ad Eduardum protrahitur. Sed Franci regem ſuum captum negant:(alioqui bello finis eſſet,quod multa deinde tempora durauit) fugiſſe fatentur. Alij regem Bohemiæ Iohannē duabus catenis aureis,quas collo gerebat, ab Henrico captum extractumq; acie ferunt: ſed inuidiſſe Anglos gloriæ fortis viri, in manibus Henrici regem ferunt extinxiſſe. Hoc tamen certum eſt, Henricum Holſatum, eam in prælio nauaſſe cum ſuis militibus operam, vt regi Angliæ in reliquum percharus eſſet, acceptis ab eo literis, vt Henricus cum omni poſteritate annuos acciperet à rege quadringentos aureos maiores (Nabulos vocant) ſi modò per ſingulos annos ille ſuiq; regi ſua præſentarent obſequia. Hoc enim tempore compertum eſt, noſtra ætate Henrici Ferrei ſucceſſores prætendiſſe literas, & intercedente tranſactione, inde diu controuerſiam continuatam expiraſſe. Multa ſunt apud Anglos de virtute, fide, conſtantia huius viri rebus geſtis præclara teſtimonia: quorum quædam commemoratione digna ſubnectemus.

[C]A. 24. HENRICVS cognomento Ferreus,comes Holſatiæ, quandiu regi Angliæ militaret,regi pro virtute ſemper fuit commendatiſſimus. Vrebat id Anglicorum alioqui inuidæ gentis oculos,quòd alienigena charior eſſet regi indigenis. Inſidiis perinde ſæpe expetitus, vt ſubuerteretur,ſed euaſit per induſtriam:nam circunſpectio ſingularis, & militare robur,& Deus innocentiæ & fidei amator,illum eripuere malis. Iniuriam facientes Anglici,primi venerunt ad querimoniam apud regem: ſed ille ſuæ gentis morem non ignorans,occluſas aures habuit accuſationibus Henrici. Aberat Eduardus aliquandiu,& in arce manebat Henricus, vbi erat & regina. Delatores reginæ ſuggerebant, Hunc,inquiunt,Saxonem Theutonicum rex multis prætulit nobilibus Anglicis, quem quis credat eſſe nobilem,tam longè ſeruientem? Suggerunt mulieri vt de leone periculum faciat,quem rex tenebat incluſum. Ferunt beſtiam internoſcere nobilem ſanguinem à degeneri. Solebat Henricus ante lucem auras captare, & intra arcem obambulās ſcrutari portarum clauſtra. Id ſcientes Angli, voluntate reginæ leonem noctu laxant, vt Henricum ignobilem ante lucem laceret. Ille de more, ſola ſuper nudo diſcinctus talari, balteum cum gladio collo appenderat: deſcendensq; gradu quum nihil timeret, obuium habuit leonem rugientem frementemq;. Ille interritus, Quieſce, inquit, quieſce ferox canis. Ad durius hoc verbum leo pedibus eius proſternitur. Mirantur qui de latibulis proſpexere: leonem reduxit in caueam. Ferunt alij ſtantē aliquando ad cancellos leonis cum Anglicis Henricum dixiſſe, Si quis inter vos eſt nobilis, imitetur faciens quod facio. Ingreſſus, ferociori ex omnibus leoni crinale ſuo capiti detractū impoſuit, & exiuit nihil reſpectans. Stupuit leo immobilis. Tum conuerſus ad Anglicos, Si quis, inquit, fidit ſtemmati ſuo, referat crinale quod intuli. Illi rubore perfuſi abierunt. Cui rem ætate noſtra ſimilem aiunt contigiſſe in curia Matthiæ regis Vngariæ. Erat Polonus regi militans, viribus inſolens, & qui iactanter ſæpe Vngaros ad luctam, ad pugnam, ad haſtam euocaret, multosq; ſæpe viciſſet: ſed iactantia illum fecit odioſum. Stabat in ferratis clauſtris immanis leo. Quis eſt, inquit Polonus, qui famelico leoni auſit carnem auferre, quā ore comprehenderit? Quum nemo præſumeret, Cernetis, inquit, quod dico. Illi fame per diem excruciant leonem: poſtera die ouem proiiciunt quadripartitam. Leo immurmurat apprehenſæ carni incubans: Polonus ingreditur, & leonem iam vorantem, diuaricatis cruribus incluſum, pugno ferit in os, dicens, Offam dimitte canis. Vocem intrepidam leo exhorruit, exeuntemq; viſu ſolo ſequitur. Audax facinus quum ad regē perferretur, non probauit: euocatumq; Polonum pro more donatum, domo ſua iuſſit excedere: vt qui venalem ita vitam circunferret, nō neceſſariò ſed ad ſolam iactantiam obiiciens ſe periculo: quid non auſurū propoſito præmio? Phyſici tradūt leonem feram nullius niſi impauidi hominis vocem cōtremiſcere. Sed Henricus comes inuiſum ſe tot inſidiis peti cernens, regem adiit. Pro fide & labore plurimo rex inclyte, inquit, non me

[margin: ...ricū Hol... ...ru leo no... ...m agnoſcit]

[margin: intrepidos ...rmidat.]

exigen-

exigendum canibus domo tua ſperabam: ſed quando ea Anglorum in me (quã cerno) ſiniſtra affectio, cedendum eſt. Rex illum magnis conditionibus detinere conatus nihil profecit: abeuntem magno donat auro, additis literis de quibus diximus: quas alij probabilius ad ſummam aureorum centum maiorum ferunt fuiſſe.

CAP. 25.

NICOLAVS autem Henrici germanus frater domi ſedẽs, dum ille peregrinatur, in fide continere curat omnia, præſertim ea quæ ſub corona Daniæ fratres tenebãt. Arcem Hakeſow in Fionia Henrico de Aleuelde cõmendauit: arces autẽ quas in Iutia tenebat, cuidam eius gentis militi (Vitulum ſua lingua Dani vocitarunt) permiſit. Nam ille ſe comiti ſacramentis alligauit, duas arces quas tenebat, comiti ſe ſeruaturum: comes plurimum illi habens fidei, tertiam quoq; illi cõmendauit. Sed quum interim rex Waldemarus ætate procederet conualeſceretq́, arces regni paulatim tentauit recipere, iure an iniuria, parum penſitabat. Tentatus à rege miles Calff, facilè tranſiuit à comite ad regẽ, oblitus decoris & iuriſiurandi. Cuius factũ ipſe rex dignum riſu putauit, dicẽs circumſtantibus, Bonus vitulus boui cõparandus: cum duobus arcibus abibat, tribus pręditus reuertitur. Quo etiam tempore arcem Dorning tenebat domina quædã hæreditario iure, iam vidua: nupſit autem viro forti de Holſatia, Nicolao Leembeken militi. Qui quum ex more prædia dotalia circuiret, inuiſens ſubditos, contemptum ſe à Danis vir Theutonicus deprehendit. Id quum renunciaret vxori, illa reſpondet, Fœmina ego ſum, menſalia poſſum apparare, & epulis inſtrare: tuum eſt adducere qui menſas compleant, & exaturati faciant quæ iubeantur. Intelligens vir prudens quid mulier moneret, familiam ex Holſatis ampliauit, longo deinde ordine famulorũ incedens, vt à ruſticis contemni non poſſet. Hunc virum magnis opibus præditum viſus eſt rex ſuſpectum habere. Iuſſit greſſus illius obſeruari in eius perniciem. Rex aliquando iuramento fidelitatis, quòd in Iutia habitaret, virũ volebat adigere. Ille ſe dominis ſuis comitibus aſtrictum aſſeuerabat. Vbi rex vehementius vrgebat ſibi quoque iuſiurandũ præſtari, quòd in ſuo habitaret: circumſpiciens Nicolaus, quum ſe ſatis tutum amicis videret, Quando, inquit, rex iuramentum depoſcit, iuro me nunquam regi futurum fidelem. Rex ad hæc ſtatim, Verum, inquit, & indubitabile nobis iuraſti. Sed inſedit altius regio cordi, quod tum diſſimulanter cum riſu videbatur excipere. Extabat cauſa quam rex prætenderat, vt ſalua fide publica, ſe militem ſequi iuberet in arcem Werdingborg. Ille nauim perarmans nihil dubitauit fidem regiam ſequi. Iam arcem petiturus, à quodam obuio adoleſcente, cui res ſuboleuit quæ pararetur, monetur vt vitæ ſuæ caueat: p[illegible] eſſe illum in caſſibus. Ille non contemnens, retro in nauim redit: nec reuocatus ſuaderi poterat vt fideret. Hic eſt ille qui quum regem terrere vellet, aliquanto pòſt tempore in aurem ſuſurrat epiſcopo, quem ſciebat non taciturum, Eſt, inquit, ſecretum quod perfero quod omni fide oro etiam atque etiam vt celetur. Et quum attonitum feciſſet epiſcopum, ait, Regem toxico petunt multi: ſed rogo ne quouis pacto ſecretum exeat. Ille tacuit donec ad regem veniret. Rex ſibi timens, diu regnum exiit peregrinatus: quod in Dania commemorauimus.

Fœmina viri ad inſolentiã impellit.

CAP.

KAROLVS interea eius nominis IIII. antea dictus Wentzlaus, filius Iohannis regis Bohemiæ, nepos Henrici Imperatoris VII. electus eſt rex Romanorum paulo ante mortem Ludouici, annitente Iohanne eius patre, & Balduino, magno eius patruo, archiepiſcopo Treuerenſi, qui frater erat Henrici Imperatoris memorati. Quum in eam rem Gerlacus Moguntinus, & Henricus Colonienſis archiepiſcopi, & Rodulphus dux Saxonię anniterentur, papa hanc electionem non cunctanter approbauit, quòd aduerſaretur Ludouico Bauaro ſibi reluctanti. Iohannes quoque rex Bohemiæ pater eius, ſua voce filij iura roborauit: quamuis contendant nonnulli Bohemiæ regi eligendi ius non eſſe, niſi paribus inuicem vocibus cæteri diſſideant. Ego facilè adducor, vt credam, ante Karoli IIII. tempora, nihil iuris fuiſſe Bohemo in electione regis. Sed hic Karolus iam Imperator factus, bulla deſuper edita, declarauit Bohemiæ regem, primam inter ſeculares principes vocem habere. Ferunt tamen multis largitionibus effectum vt ea fieret electio: neque enim pater neque filius profuſionibus perpercere, quominus ad optata peruenirent. Sed comes Palatinus Rheni, quum illam electionem improbaret, vocatis ad electionem nouam cunctis electoribus, & nullo archiepiſcoporum comparente, quũ nec Bohemiæ rex, nec dux Saxoniæ Rodulphus adeſſe cura-

Bohemi quid iuris ſit in eligendo Imperatore.

[F]rancfordia-[n]orum vis & [p]riuilegium.

rent: ipſe Palatinus, euocato Ludouico marchione Brandenburgenſi, & Erico duce inferioris Saxoniæ, elegerunt hi tres Gunterum comitem de Zuartzenborg regem Ro. Gunterus autem quanta maxima potuit manu militari contra Franckfordiam petit: ſed vrbe excluditur, quòd dicerent ciues, ante hominum memoriam hoc ſe priuilegio communitos, regem diſcordia electum, qui competitorem patiatur, non antè admittere in vrbem, priuſquam nouem ſeptimanis obſidione perurgeat: vt per hoc tempus digladietur inter ſe reges, & ſuperior vel iure vel gladio factus in vrbem ſuſcipiatur. Tentauere multi concordiã, & rem omnis controuerſiæ tractatibus intercepere: ſed Gunterus non ſinit, iure & gladio ſe ſperans profecturum: nec tamen Karolus in eum duxit. Alio autem telo quum ſe petitum ſenſiſſet (toxicum videlicet accepiſſe) admiſit qui de pace agerent. Pactus multam à Karolo pecuniam, ſibi aut hæredibus ſoluendam, à iure ſuo reſiliit, & in Karolum transfudit, ipſumque regem conſalutauit, nec diu pôſt viuendi finem fecit. Karolus autem omnium primum Palatinum Rheni ſibi duxit conciliandum, accepta eius filia vxore. Quumq; nec in Saxoniam nec in Bohemiã ſecurus propter marchionis potentiam ire poſſe videretur, ſubmiſſis amicis, colloquium depoſcit cum Ludouico. Conſtitutus eſt locus in Iſenaco Turingiæ oppido. Ibi ſoli duo in quodam fratrum prædicatorum conclaui incluſi, per horas ſex tractauere, nemine quid ageretur ſciente: ſed exitus declarauit. Nam Ludouicus Karolum conſalutauit regem, & ab ipſo Bauariæ & Carinthiæ ducatus, marchionatúſq; Brandenburgenſis feudũ accepit: remiſitque rex illatam iniuriam de abducta coniuge, Ludouicóq; permiſit habendam Margaretam. Quo ordine magni per Germaniam motus conquieuere.

[Im]perii ãmu-[lu]s Carolus ve[ne]no interce-[ptu]s.

Carolus vxo-[r]em ab altero [h]aberi aſſen-titur.

Cap. 27. Erat autem quadrageſimus nonus poſt mille trecentos, quum Karolus aditus à dominis Magnopolenſibus, Alberto & Iohanne, duces illos creauit. Quo tẽpore Waldemarus Daniæ rex, de Lalandia exturbare volens Holſatos, obſedit Werdingborg. Iohannes autem Wagriæ comes eò contendit nauigans, vt obſidionem ſolueret: & diu colluctati, per Magnum Suediæ regem in has conditiones compoſiti cõſentiunt, vt Iohannes comes accepta pecunia, in ſumma octo millium marcharum argenti, regi permitteret Lalandiam. Adulterinus tum Waldemarus marchio vigebat, quem Albertus Magnopolẽſis iam dux defenſitabat. Quapropter in gratiam Ludouici marchionis rex Daniæ inſulam Pole Magnopoli ſubiectam vaſtauit. Sed Albertus Wiſmaria mouens facilè coegit in ſua redire, nec tamen mox rediit: nam audiuit in Holſatia rem geri inter Henricum comitem & quoſdam de Hummesbuttel militares. Querimonias multas comes accepit, latrocinia & deprædationes publicorum itinerum fieri per excurſiones de præſidio Hogenſtegen. Quocirca comes auctus viribus ciuitatum oppugnauit fortalitium. Rex autem, quum militatibus illis iam pene deficientibus immittere cuperet auxilia, nec poſſet, obſidionem etiam ſoluere in terram tranſgreſſus non ſatis fidebat: propter quod immiſſis oratoribus rem cœpit compoſitione qualicunque terminare. Tractatum & conuentum eſt, vt militaris ille primarius, dominus fortalicij, acceptis à comite quinque marcharum millibus terra excederet, comiti omnia ſua relinqueret prædia, præſidium deiiceretur, ſoloque æquaretur: quæ omnia ordine quo dicta ſunt implentur. Sed tum conſpirarunt de militia plures, indignè ferentes quòd per comites eiicerentur alter poſt alterum: adeóque cœpit rebellio ingraueſcere, vt confiderent comitibus dominis ſuis ex aduerſo ſatis futuros. Vrbes autem vicinæ Lubica & Hamburgum, cernentes laborare comites, quòd publica itinera cuperent eſſe innoxia, deferendos non putabant, ſed immiſere illis ſua ſponte auxilia. Vnum enim ſenſerant in hac re Iohannes Wagriæ, & Henricus cum Nicolao fratre præſidentes Holſatiæ. Arcem Reynoldesborg tenebat Marquardus Weſtenzee primipilarius rebellantium. Cœpta eſt obſideri à comitibus & auxiliis eorum, & expugnabatur. Lakenzee vocant fortalitium, quod ſimiliter expugnatur. Woltorp præſidium aggreſſi, facilè deiecerunt. Iohannes autem comes, auctus armis dictarum vrbium, pernicioſiſſimum latronum præſidium Linow, ſæpe petitum & deiectum, & in perniciem publicam reſtitutum, iterum petit: nec difficulter expugnatum terræ coæquauit. Qui inerant, ad Albertum ducem Magnopolenſem ſe contulerunt: queſti deſuper ciues, quòd publici hoſtes receptarẽtur, & in conſpectum Alberto duci ſatis cum contumelia obiiciunt: quum etiam ille durius pro transfugis reſpondiſſet. Semper, inquiunt, princeps egregie fouiſti innocentiam, dilexiſti

1349.

[A]lterum præ-[lium Holſati]anum bellũ.

dilexiſti iuſtitiam, mercatores ire voluiſti immunes, perſequutus atrociter latrones: nunc auctus honore ducali, mores vertis in deterius, defenſans improbos, quos antè inſectabaris. Quibus ille, Cinctus vndique hoſtibus, clauum clauo retundere compellor: vt arceam improbos, improbos admitto. Altius ſedit animo ciuium quàm putabatur ea reſponſio. Sed tamen breui inter eos rebus ad bonũ modum compoſitis, vnum (ſicut ſemper antea) iterum ſentire cœperunt, vnanimiterque ſunt inſectati publicorum itinerum inſidiatores: qui maximus ſemper labor fuit, ex die increſcentis Lubicæ mercaturæ.

Principes mu[l]ta quæ nõ probant, fieri ſinunt.

Cap. 28.

Per idem tempus quum epiſcopus Halberſtadenſ. aduerſus comites de Regenſteen bellum ſuſcepiſſet, inuicem ſibi multa (vt fit inter hoſtes) intulere damna. Quod nemo præſumpſit, nemo timuit, auſi ſunt comites memorati. Nam aucti viribus vndecunque contractis, nocte ſacra Dominici natalis, quum omnes fideles intenti deuotioni diuino intereſſent officio, ipſi per occultas, quas nouere, vias ad murum ciuitatis penetrantes, aliquot locis perforatum ingrediuntur, & nihil opinantibus ſuperuenientes, ciues multos capiunt, reſiſtentes cædunt, & captiuis quos voluere extractis, redibant per anguſtias quibus introierunt. Vrebat epiſcopum contumelia & ſuorum inſigne detrimentum. Præfectum armis habebat virum fortem, & prælio audentem, qui multa ſępe damna comiti irrogaſſet. Quàm ſanctè iurabat comes, illum, vbi caperet, arbori quam proximam cerneret, appenſurum. Tum ille, Quid ſi legem patiaris quam tuliſti? Non abibat annus: obuij ſibi æquis viribus in campo fuere: congreſſi præliantur: comes ſuperatur. In arborem volens appendere comitem præfectus, nullam reperit. Ergo gladio transfoſſum, lanceæ in terram fixæ velut appenſum alligauit: non iniquo iudicio paſſus ab hoſte, quod prior ipſe irrogaturum ſe perduellioni ſuperbus minitabatur. Qua ætate ducatum Luneburgenſem tenuere Otto & Wilhelmus, filij Ottonis, qui coniugem haberet filiam Ludouici quondam Romani Imperatoris, aut regis. Res in ambiguo eſt. Nam ſunt qui illum negant Imperatorem, quòd à ſummo pontifice nec approbatus nec benedictionem aſſequutus ſit, contentus accipere coronam de manu laica, Stephani de Columna, qui tum Romani Imperij vicariatum gerere diceretur. Sed Otto cum Wilhelmo ſancti Michaelis monaſterio, tum in monte ſito, contulerunt centum marcharum redditus annuos de ſalina, cum ſtolis ad cultum Dei amplificandum. Nec diu ſuperfuit Otto decedens, fratri Wilhelmo principatum ſoli reliquit, anno quarto & quinquageſimo poſt mille trecentos. Per quæ tempora 1354.
Henricus de Brunſwico dux, Alberti filius, contemptor ſuperûm, qui eccleſiaſtici nerui vincula diu diſſimulans tolerauit, eccleſiæq; Hildeſemenſi grauiſſimus incubuit: erat enim in ea electus epiſcopus. Hoc tamen tempore de mandato Innocentij VI. à vinculis excommunicationis abſolutus exiuit, non ſine ſcandalo multorum in eccleſia: qui perinde eccleſiaſticæ diſciplinæ neruum cõtemptiorem habituri videbantur, quũ tot pontificum cenſuras pertinaciter diſſimulatas, pontifex accepta pecunia, ſine præuia ſatisfactione laxaret. Ferebantur enim aliquot aureorum millia cameræ apoſtolicæ perſoluta. Quo tempore etiam Hamburgenſes ciues, per annos duodeuiginti, ſacris interdicti, diuina officia reſumi viderunt, quinquageſimo ſexto. Cauſa tanti mali libertatis eccleſiaſticæ minoratio, quòd poſſeſſiones clerus tenere in vrbe vetaretur. Immiſcuere ſe (vt fieri ſolet) nonnullæ iniuriæ. Ceſſit capitulum loco: induruit populus cum plebe. Patres ipſi miſere rebus componendis ad archiepiſcopum Burchardum, cum pleno mandato conſiliares oratores. Concluſum ibi, quum conueniret de legibus pacis, deinde miſſis ad eundem literis ratificationis ſuper omnibus concordatis: & tamen inde reſilierunt. Extant cauſarum regiſtra. Præualuit in cauſa clerus: tamẽ magno detrimento in fine rebus compoſitis, per non magnas perſonas, in vrbem redierunt perſonæ capitulares quæ liti ſuperextabant. Hoc eſt illud tempus quo triſtis vbiq; regnabat erynnis. Nam & mercatores orientales Brugis in Flandria reſidere conſueti, propter quaſdam tunc exortas inter ſe & oppidanos cauſas, populariter emigrarunt, in Dordracum Hollandiæ ſe conferentes. Sed Flandrenſes in vrbem Lubicam miſere oratores, & cauſa ad plenum liquidata complanataque, per quoſdam in Flandriã remiſſos, de Lubica deque Turriano Pruſſię vrbe, totius nationis oratores in Flandriam ſunt reducti mercatores.

Comes necem quã alteri minatur, poſtea patitur.

Papa in diſciplinã peccat.

Hamburg cultus diuinus diu intermiſſus opum cauſa.

Cap. 29. Karolvs Romam profectus, à duobus ibi cardinalibus ad hoc miſſis conſecratur. Iam Imperator in plenitudine poteſtatis euectus quum videret multa in conuentu Imperij ſine ordine geri, nec ſatis ad liquidum conſtitit, quo quiſque more res in cœtu adminiſtraret: reformanda omnia curauit, ſibique deſumpſit, multa conſtituens quæ vſque in hodiernum obſeruantur, & aureo ſigillo deſuper literas decernens, appellari iuſſit conſtitutionem Imperialem, Bullam auream: quæ quoniam paſſim legitur vbiq́ʒ, nihil opus putaui huic inſerere operi. Sed hunc inſtituit ordinem, quòd in ſeſſione publica Imperatoris, archiepiſcopus Treuerenſis archicancellarius per Gallias (hoc eſt omnem Imperij prouinciam vltra Rhenum, quæ olim non paruâ fuit) & regnum Arelatenſe, è diuerſo à fronte Imperatoris conſideat. Moguntinus autem in prouincia ſua & cancellariatu per Germaniam, à dextris: & item Colonienſis, in prouincia & cancellariatu ſuo à dextris Imperatoris: & viciſſim à ſiniſtris, alter è duobus. Nam vt Moguntinus per Germaniam, ſic Colonienſis per Italiam primatum tenet. Rex Bohemiæ à dextris archiepiſcopi, & illum ſequitur eodem latere comes palatinus Rheni. A ſiniſtris archiepiſcopi dux Saxoniæ, & illi marchio Brandenburgenſis. In publicis autem proceſſionibus eodem ordine incedent: Treuerenſis ante Imperatorem, & alij archiepiſcopi à latere, iuxta modum dictum. Rex Bohemiæ ſine medio ſequitur Imperatorē. Quòd ſi Imperialia deferuntur inſignia, dux Saxoniæ enſem portans, ſtatim ante Imperatorē, medius inter ipſum & Treuerenſem: à dextris ducis comes Palatinus aureum malum: à ſiniſtris marchio cum ſceptro. Nam ducem marſcallum vocant, hoc eſt belli adminiſtratorem, Palatinum dapiferum, marchionem camerarium. Officia ſua in regis coronatione exequentur hoc ordine. In regia vel Imperiali curia, quæ de magnificentia regni vel Imperij publicè & ſolenniter peragetur, primus dux Saxoniæ marſcallus plurimam auenam publico loco iubeat effundi: eam iumento ſedens ingreſſus, argenteam menſuram, cum cylindro ſimili metallo, ſimul duodecim argenti marcharum in pondere præferat: primus auenam menſuret: eam tradat primùm venienti. Abiens dux vicemarſcallo (is eſt ſenior domus de Pappenheym militarium) equum cum menſura & cylindro, vſibus eius & lucro deputanda relinquat. Marchio deinde camerarius equo vectus inſigni, iumento deſiliens, lauacrum ex argento duodecim in pondere marcharum argenti teneat, aquamq́ue det manibus regis vel Imperatoris. Tollet mox vicecamerarius de Frankenſteen equum & lauacrum ſuis vſibus. Inde Palatinus dapifer, iumento inuectus, quatuor argenti ſcutellas duodecim marcharum inferat, & iumento deſcendens principi inclinans anteponat. Magiſter coquinæ de Nortenberg iumentum ſuis vſibus & ſcutellas tollat. Demum rex Bohemię ſi adſit, equo ſimiliter inuectus, poculum argenteum duodecim marcharū præferat regi vel Imperatori, inclinans porrigat. Inde excipiat vicepincerna de Limborg militaris, regis equum cum poculo ſuis vſibus ſeruitura. Sedente iam rege ad menſam procedent tres archiepiſcopi, is medius in cuius prouincia res geritur, cæteris latera eius ſtipantibus: præ ſe ferant baculum argenti marcharum duodecim in pondere, in quo ſigilla regalia vel Imperialia, ad præſentiam accubantis præferant: quæ ille accipiens, reddat illi maius qui rem medius geſſit, quod appenſum collo geſtabit in hoſpitium. Baculus Imperiali cancellario proueniet: ad quem etiam ſigillum referetur ex archiepiſcopo. Si tamen vicarij prænominati non aderunt, ceder abſentium prouentus conſuetus curiæ miniſtris. Menſa regalis vel Imperialis, ſex pedibus ſublimior cæteris. Si adſit regina vel Imperatrix, eius ſit à dextris accubitus, tribus cæteris ſublimior gradibus. Electorum ex ordine ſeptem menſæ, ſic æquali paſſu ſtatuentur quomodo eſt conſeſſus eorum. Ad eorum nemo principum menſam accedat, nec liceat cuiquam accumbere, quamdiu fuerit aliquid ſuperagendum ex comprincipibus.

[B]ulla aurea à [K]arolo Impe[r]atore conſti[tu]ta.

[O]rdo electorū [in] pompa & [c]onuiuio Im[pe]ratoris.

[M]arſcallus, [D]apifer, [C]amerarius.

Cap. 30. Wilhelmvs dux Luneburgenſis hoc tempore cum Mauricio adminiſtratore diœceſis Bremenſis Aldenborgenſi comite, non ſatis cōcorditer egit, quum diſſiderent de finibus & limitibus ditionum. Extruxitq́ue dux fortalitium ad riuum Wummena, ad incurſandam (quoties opus videretur) diœceſim memoratam: appellauitq́ue de nomine familiæ ſuæ Pontem leonis. Magna per idem tempus inceſſit controuerſia ducibus, Erico Saxoniæ & Alberto de Magnopoli. Ibat cū exercitu Ericus expugnare oppidum Plawe: in qua expeditione proſperatus, fecit quod conſtituit. Sed tum rex Da-

niæ Waldemarus rem intercipiens, compoſitionem inter diſſidentes peregit, vt Ericus dux memoratus reddita arce Plawe reciperet ab Alberto Boyceneborg. Sed quoniam niſi in diem reſtitui non potuit, in pignus interim acciperet Godebuſch. Hæc erat compoſitionis tũ formula, ore regis pronunciata. Nõ putauit fore Ericus vt tam magno interuentore fraus vlla intentaretur. Reddidit expugnatam nuper arcem: ipſe tamen neque pignus neq; promiſſam arcem meruit recipere. Rex pro ea quam fecerat inter duces compoſitione, ab Alberto pro miniſterio magnificè remuneratur. Nam arcem Helſingborg, quam nuper regi militans pro donatiuo acceperat, reſtituit. Ericus autem dux vbi ſe comperit deluſum, quum non ipſe prior à pactis receſſiſſet, rediit ad arma. Albertus illi aciem oppoſuit. Initum eſt prælium paribus animis: ſed fauit fortuna fraudato. Ericus factus ſuperior, ſupra quadringentos ex copiis Alberti cepit, inter quos milites militares non pauci. Hanc occaſionem obſeruantes comites Holſatiæ Henricus & Nicolaus, quòd eſſent controuerſiæ, mouent abſente duce in eius diſtrictum, obſidentes Crummeſſe. Sed finium cuſtodes à duce relicti, ruſticam manum contrahentes, comitibus ſe obiicere ſunt aggreſſi, & inito conflictu propiciam ſunt experti fortunam. Nam ſexaginta equites ex Holſatorum numero ceperunt, & in Louenborg captos adduxerunt. Ita duobus in locis proſperæ tum fuere res Erico.

Ericus Alberti verbis credulus decipitur.

CIRCA hæc quoq; tempora Wilhelmus dux Luneburgenſis, quum neſcio quid cauſæ prætenderet aduerſus Ericum Saxoniæ ducem, tranſmiſſo Albi mouit in paluſtria Gammæ. Viuebat adhuc pater Erici ſenior, & ab annis inutilis armis, quum audiret arma moueri in Ripenborg (vbi quietus ſenex conſederat) prono flumine Albi deuectus, properabat ire in Nyenborg, oppidum de Hoia comitum: quòd is gener eius filiam teneret coniugem. Sed properabundus ſenex quum trepidus feſtinaret, delapſus iumento ita ſenili corpore debilitatus eſt, vt breui viuendi finẽ faceret. Wilhelmus autem dux nemine obſiſtente, Ripenborg pręſidium facilè expugnauit, & deditum accepit, arcem nouam firmans in angulo Gammæ: Gammerodt etiam hodie vocant. Opportunè, vt putabat, ad Albim loco ſtabat præſidium. Inde rediens vltra Albim, Ertteneborg deditum oppidulũ in ſuam recepit poteſtatem, præſidiumque ibi firmauit, quod appellauit Vigenborg. Idem tamen dux interuentu Iohannis comitis de Hoia, qui ſororius (vt diximus) eſſet iuniori Erico, recõciliari patitur eidẽ Erico, reddito fortalitio in Erteneborg, demolitoq; quod erexit in Gammerodt: accepitq; nouiſſimã vxorẽ (quùm ante hanc tres aut quatuor habuiſſet) filiam eiuſdẽ ducis Erici: ſed ex ea prolem nullam excitauit. Deditq; illi propter nuptias donatione arcem Ripenborg, quã priſtino bello tuliſſet patri eius, perpetuo iure deinceps ſeruiturã domui Saxoniæ. Sed pręmortuo dudũ fratre eius Ottone, quum neuter virilẽ prolẽ relinqueret, ipſe tamen Wilhelmus duas filias haberet: alteram dedit cõiugem Ottoni duci ſuperioris Saxoniæ, alteram verò Ludouico Magni ducis Brunſwickcenſis filio, quem etiã moriens ſibi deſignauit in ducatu ſucceſſorẽ. Iſte verò Magnus quem dicimus, quum marchionatũ de Landesberg in dotem accepiſſet, cognominatus de Zangerhuſen, ad principatum Brunſwickcenſem redibat poſt patrem: magno fratruelium ſuorum murmure, qui ad illũ aſpirabant, quòd dicerent Henricum patrem ſuum, Alberto Magni patre natu maiorem: & ideo vacuefacto morte Wilhelmi impuberis ducatu, non Albertum, ſed Henricum iure ſuc ceſſurum. Et quoniã paſſi ſunt ſuo tempore Albertũ in ditione, illo moriente iam ſe meritò admittendos putauerunt in Brunſwickcenſem ducatum. Sed fauit virtuti Magni omnis nobilitas, vt primùm filius eius Ludouicus cum Wilhelmi filia acciperet Luneburgenſem principatum, inde ipſe in perſona reciperet hæreditatem patrum ſuorum. Filius autem eius Albertus ad archiepiſcopatum peruenit Bremenſem. Extant hodie, qui querantur eſſe iniuriatum principibus Tranſſyluanis, quòd ad Brunſwicum non ſint admiſſi vel cum Magno vel ante Magnum. Nam de Luneburgo non eadem ratio eſt: quòd Ludouicus Magni filius, per Wilhelmi filiam coniugem, illam acceperit ditionem: quæ ex illo ſine prole moriente, optimo iure peruenerit ad fratrem Magnum, licet apud illum non diu permanſerit: quod infrà oſtendetur. De Brunſwickcenſi autem ducatu ad Magnum patrem reuerſo, quid miramur ſi ſuccedat filius patri? quum fuerit prior Magnus Alberti Craſſi filius, qui à ciuibus, & primùm à militaribus prælatus eſt in eo principatu fratri Henrico. Accuſent immoderantiam Henrici cognomẽto

CAP. 31.

Mirabilis, qui frater erat Craſſi Alberti: nam modeſtia eiuſdem Alberti fecit vt à cunctis fratri præferretur. Hanc paucis in apologiam deflexi, ad obſtruenda multorum ora, qui quid culpent ignorant. Hoc etiam tempore Nicolaus comes Holſatiæ, quum adhuc a rege Daniæ Fioniam teneret in pignus, arcem inibi Bramberg, quòd imperata facere recuſaret, cum ducentis obſedit. Rex ſuperueniens facilè diſpulit tantam paucitatem, aliquot proſternens, multos capiens. Vix cum paucis comes elabitur, ibi oculum amittens: votoq; emiſſo in magnis periculis, concepit in honorem ſummæ Virginis in ſua terra cœnobium erigere. Magnis vix ereptus periculis, conſentiente Adolpho Iohannis Wagriæ comitis filio, in Arnsboke conſtruxit, & prouentibus dotauit, euocatiſque de Poretze, de Itzeho virginibus ſacris: quod cœnobium poſtea, annuente Gerhardo duce, anno ſecundo & quadringenteſimo poſt mille, annitēte domino Alberto Rodenborg, canonico Lubicenſi, viro locuplete & prouentus augente, commutatum eſt in domum fratrum Carthuſienſium, qui tenent vſque hodie.

Cap. 32.

Henricvs autem Holſatiæ comes, iam paſſim dictus Ferreus, quum peregrinans militiam multis in terris egiſſet, vſque ad Italiam & Calabriam varia ſorte prouectus, fortunam fatigauit ſuam. Iam tamen de ſucceſſione cogitans, quum videret fratrem ſuum Nicolaum hæredes non habere, animum coniugio applicuit, duxitque cōiugem filiam Henrici ducis Magnopolenſis: cuius germanam ſororem Adolphus itidem comes in Holſatia, ſed Wagriam poſſidens, vxorem accepit. Anna fœmina nomen, quæ Adolpho nupſit, in ſterilitate permanſit, nullos marito reddens liberos. Vtraque ſoror Alberti regis poſtea Suediæ. Hic erat Adolphus Iohannis filius, vir ad arma ſtrenuus, & optimo patre dignus filius, publicorum inſidiatores itinerum odibat: quocirca vicinis ciuitatibus affectus, & ipſæ viciſſim illi, in tranquillitate plurimum agebat. Huius tēpore Kilonenſes, incertū vnde cōciti, apprehenſis duobus è familia Hēneken, Leembelzen tanquā publicæ pacis turbatores, & in itineribus latrocinantes, vltore gladio ceciderūt: quos criminum impactorū innoxios dominus clamitabat. Indignatus ergo grauiter eius oppidi ciuibus, obſeruabat tempora quibus ad nundinas in Eklenforde proficiſcerentur. Multos occidit, aliquot captiuos abduxit. Indignati comites Adolphus atque Nicolaus, quòd tale aliquid auderet nulla prius apud ſe accuſatione inſtituta, hoſtilia nunciauere. Suberat ducatui Sleſwickcenſi, qui iam vacabat, relicta vidua gubernabat ditionem. Ea tueri viſa militem ſuum, hoſtilia ſenſit. Comparatis armis ad rem gerendam comites duxere in Iutiam. Adolphus obſedit Tunderen, & Nicolaus Hardeſleue. Vtrique impigrè inſtantes, arcem quiſque ſuam expugnabant. Acceſſere igitur iure victoriæ arces illæ comitibus iterum Holſatiæ: Dorning inexpugnabile pręſidium reliquerunt. Henricus autem comes memoratus Ferreus, ſolicitus erat de germana ſorore Eliſabeth ad nuptias collocanda.

Henrici Ferrei ſoror Suediæ regis filio nubit.

Puella erat annorum circiter duorum & viginti, quæ Magni regis Suediæ Aquino filio, iam regi Norwagiæ, circa carniſpriuium eſt deſponſata: & proxima æſtate, miſſo ad hæc ſolenni nuncio, Hermanno de Vitze milite, in arce Plone, ſtans inter brachia Henrici fratris & Adolphi fratruelis, eidem regi in perſona dicti militis, ad hoc ſpeciale mandatū præferentis, memorato regi per verba de præſenti eſt coniunx ſubarrata, reginaque Norwagiæ conſalutata. Fratres germanam magnifico apparatu & rege digno inſtruxere, non iam ſponſam, ſed reginam regi mittendam. Nauigium aptauere præcipuum, familiam honeſtam vtriuſque ſexus conſignauere, & omnibus rite prouiſis tradunt in manus militi memorato, vt domino regi reginam & aſſeruaret, & fœliciter perduceret. Suſcipit ille commendatam, profunda iam hyeme Sabbatho quatuor temporum ante Chriſti natalia. Trauenam relinquentes, Suediam petiere. Sed aduerſi venti, & tempeſtates per brumam ſolitæ nauem impegere in littora Daniæ.

Danus ſponſam Noruuagię hoſpitio ſuſceptam retinet.

Waldemarus rex hoſpitaliter accipiens venientes, iure quidē hoſpitij ſpecietenus prætenſo: ſed vbi quid ageretur intellexit, diligentius aductos iubebat cuſtodiri, iam animo ſecū voluens quid de nuptiis puellæ conſtitueret. In proximā ęſtatem emiſſis antè nūciis ad reges Ericum & Aquinū, patrem ac filiū, oratores facit vt ad colloquium opportuno loco deſcendant: rem eſſe magni ponderis, & quæ trium regnorum non dubiam præferat ſalutem, quam cum illis eſſet tractaturus. Interim aſſeruantur hoſpites in Dania. Reges vbi conuenerant, inter ſe ſtatuunt, omiſſa puella Holſatiæ, Aquinus filiam accipiat Waldemari regis Daniæ. Facilè hoc impetrauit ingens

gens dos regnum Daniæ. Erat enim Margareta vnica patri filia: nam Chriſtophorus nuper filius bello conciderat. Id præmetuens Henricus comes, nec ignorans varium gentis ingenium, nuptias ſororis ſuæ, illis antè conditionibus firmauit, vt non facile eſſet à pactis nuptiis diſcedere. Nam Henricus, ſi ſua parte diſſilirent, arcem Calmeren in regno Suediæ, quam magno tenebat impignoratam ære, mox amitteret, & ſexaginta millia argenti marchas regi perſolueret. E diuerſo, ſi rex ipſe reſiliret, mox procerũ ſuorum omnis obligatio laxata ad Henricum tranſiret: idque iureiurando procerum eſt firmatum. Quum autem Waldemarus tum præualens filiam Aquino etiam in thorum afferret, mœrens puella Eliſabeth ſeculo renunciare conſtituit: & qualicunque regum ordinatione in Suediam perducitur, fitque domina in Waſteen monaſterio ſanctę Birgittæ. Sed tum Henricus comes ſponſionem regis de illius parte irritatam impugnauit, immittens validiora præſidia Calmeren arci: & ſub honore ſui pacto, & fide iurata, proceres per literas admonuit, vt quod polliciti ſunt adimplerent. Venerunt epiſcopi & milites de regno, Henrico ſe offerentes, illique regium deferentes honorem. Recuſabat ille, cauſatus ætatem: remiſitque illos ad Henricum Magnopolis ducem, cuius è tribus filiis quem ipſi deligerent, in eum ſuum ius omne refunderet. Veniunt: excipiuntur perbenignè: cauſam detegunt, productis in conſpectum filiis. Propoſita illis optione, medium Albertum eligunt, vt rex fieret. Pater cum filio iniit nauigationem in regnum. Citatur rex obiectis reſponſurus: non comparet, deſtituitur. Albertus iunior in locum conſtituitur, conſecratur, & armis aliquando collatis Magnus cogitur angulum deligere, inque eo conſeneſcere. Hac Henrici comitis opera factus eſt Albertus Suediæ rex. Quæ idcirco breui commemoratione percurro, quòd plenius in Suedia & Wandalia ſint commemorata.

KAROLVS Romanorum rex per hæc tempora iter ingreſſus in Gallias, peruenit Auenionem ad ſummum pontificem, cõſecrationis gratia. Excipitur magnificè ab Vrbano, omni curia eius tripudiante, quòd illum honorem duorum eccleſiæ principum, illam viciſſitudinẽ venerationis nemo recordabatur: nec vlla in literis ſimili de re mentio à memoria Friderici II. per annos ſupra centum. Erat autem ſexageſimus quartus poſt mille trecentos. Ibiq; ſolennibus ob quæ venerat Karolus peractis, redibat in Germaniam, ibi priuſquam Bohemiam ſuam repeteret, res cõpoſiturus. Terra eſt Aduocatorum non longè à Saxonia ſuperiore, quam primus Henricus Romanorũ rex ſubiecit monaſterio dominarum in Quedelenborg, conſtituens quatuor per terræ angulos totidem aduocatos nobiles, qui barones dicũtur, de Wida, de Ghera, de Ruſſe, de Plawe. Hoc autem tempore Karolus Imperator egit cum tribus, vt arces ſuas inexpugnabiles illi permitterent. Quartus id ęgerrimè ferens, Rutenus de Plawis, quum ſciret tres ſuos conſortes vnà conueniſſe in horreo quodam ſecretius, crudele iniit cõſilium. Nam ſuperueniens conſultantibus, firmatis vndiq; clauſtris, igne iniecto illos cõcremauit, pœnam ſumens trangreſſæ (vt dicebat) fidei. Inde enim animatus Karolus proceſſit in Bauariam, multis vrbibus & arcibus inſidiatus, multis vim afferens, oppugnans in primis Burgrauium Nurenbergæ. Erat ea tempeſtate graue bellum inter epiſcopum Hildeſemenſem Gerhardum, & Ottonem ducem Brunſwickcenſem: qui in ſocietatem belli pertraxit archiepiſcopum Magdeburgenſem, Theodericum, cognomento Kagelwiid, quem Imperator de monaſterij infimo ſumptum officio, per gradus euexit ad archiepiſcopatum, comperta hominis incredibili induſtria. Albertus quoque Halberſtadenſis epiſcopus in his erat partibus. Congreſſi contulerunt manus iuxta Dinkeler, & inclinabat victoria Hildeſemenſi, captis ibi plurimis, inter quos Albertus Halberſtadenſis. Hic erat inſignis ea ætate logicus, qui ingenij ſui teſtimonia etiam nunc inter ſcholaſticos habet. Erat Gerhardus non in poſtremis rhetor, exiuitque in prouerbium inter diſciplinares, tum Logicam ſuccubuiſſe Rhetoricæ, quum Albertum Gerhardus vinctum haberet. Hoc tempore Gregorius papa Auenione commoratus pòſt tempora Vrbani V. quum epiſcopum quendam, quòd eccleſiam ſuam deſereret, ſequereturq; curiam, increpitaret, ille, vbi per familiaritatem licuiſſe credidit, reſpõdit, Eadem mea quæ tua eſt cauſa maxime pontifex, quòd ego meam tuque Romanam deſerimus eccleſias: rectè me increpatum agnoſco. Deſcendit altius ea reſponſio in pectus pontificis, cogitabatque ex ea die vrbem Romam repetere: quanquam & prædeceſſor Vrbanus idem

Margin notes: CAP. 33. — 1364. — *Carolus Imperator Auenione cõſecratur.* — *Albertus Logicæ peritiſſimus.* — *Papa in alio damnat quod ipſe admittit.*

in animo haberet, inque eam rem profectus Romam cum paucis, palatia in Monte Faliſco & in Vrbe veteri (declinādi grauioris in Vrbe gratia aeris) iuſſit apparari. Sed Gregorius ſe rediturum multis ſæpe nunciis pollicetur. Quum hoc Romani crebrius efflagitaſſent, & magnis conditionibus expromiſſis apud pontificem expetiſſent: nunc ſecretò id offerente pontifice lætiſſimi audierunt. Sed multa opus erat prudentia in ſede transferenda. Si enim Gallis ſuboleuiſſet, aliquid tentaſſent, hoc ne fieret. Sed ille tum rediit. Per quod tempus Mauricius & Chriſtianus de Oldenborg, in Blexem terra Phriſiæ oppreſſi, cum ſeptingentis perierunt. Sed dictu horrendum quod ſequitur. Gerhardus comes de Mansfelde, monaſterium Ciſtercienſium Setichenbeke, cuius fratribus erat infeſtiſſimus, funditus euertit, quòd hoſtibus ſuis fauiſſe, hiſque hoſpitium non negaſſe dicerentur: quum tamen hoſpitalitas illi ordini iniuncta, & qui venerant armati, facilè coegiſſent, ſi non promptè impetraſſent. Abbatem loci (dictu horridum) petitæ alligatum, inter duos iuſſit ignes torreri, fratribus per diuerſa ſupplicia crudeliter enecatis, quòd Fridericum Miſnæ marchionem in ſe ducentem, & cum exercitu de obſidione Illeuæ redeuntem excepiſſent: qui (vt diximus) cogere poterat ad hoc quod precibus maluit impetrare.

Crudele Gerardi in monachos facinus.

CAP. 34.

Brandemburgenſis ditionis declaratio.

BRANDENBVRGENSIS marchia ab olim inſignis pars Saxoniæ, à nobis hactenus commemorata niſi perfunctoriè non fuit: quòd moderni principes altiorem trahentes ſpiritum, Saxones ſe dici non ſinant, Bauaris, Francis, & cæteris ſuperioris Germaniæ principibus ſanguine immixti. Sed tamen quoniam in Wandalico ſolo omnis ille principatus ab origine manet, in Wandalia noſtra crebrius attigimus, præclara eius facinora non prętereuntes. Sed quod nunc commemorationem depoſcit, compertum tenemus, morte Waldemari marchionis, qui legitimum ſui corporis, & (quod eſt mirabilius) ſui ſanguinis hæredem non haberet, quum tamen ante paucos annos nouem ſupra decem numerarentur marchiones huius tituli de Brandenburgo. Sed nunc ita placitum eſt ſuperis, vt omnibus morte ſubtractis nouiſſimus eſſet Waldemarus. Beneficium ergo ad Imperatorem reuolabat: & primus Ludouicus Ludouici Imperatoris filius eo fruitus, marchionatum ſub patre & aliquandiu poſt patrem adminiſtrabat: iſque exaturatus illo principatu (quòd in Bauaria mallet agere) Romulo fratri illum permiſit. Nec ille diu in eo ſuperuixit: vnde peruenit principatus ad Ottonem quendam, cuius originem ſubducunt annales. Erat autem iam tum in Imperio Karolus IIII. cuius tempora nunc attigimus. Hic Otto (vt ferunt) marchiam omnem vendidit Imperatori memorato, vili ſatis æſtimatam pretio, pro oppidis Lanſe & Herſprinck cum ſubiecto territorio, non longè à Nurenberga. Sed nos huic marchionatui debemus, vt alio loco exequamur. Sed hæc in Wandalia requirantur. Otto interim princeps Brunſwickcēſis, de Leina cognominatus, vir in armis ſtrenuus, & formidabilis princeps, oppido Aluelde (quod ad eccleſiam Hildeſemenſem etiam hodie pertinet) inſidiatus, primo mane ante lucem captū explumauit diripuitque, quū nihil ab illo hoſtile ciues formidarent. Idem quum Turingiæ vrbes Erphordia cum conterminis, ſequutæ Henricum de Honſten comitem, arcem Honſten receptatricem latrocinantium expugnare ſtatuiſſent: prius habito interloquio cum duce memorato, vt ille quietus manens illos agere ſineret, & ille (vt rebantur) promiſiſſet ſe ad omnia futurum neutralem, inſtitere oppugnationi: vt arce capta, latrunculis merita præmia perſoluerēt. Iam aliquot oppugnationibus intentatis, quū de foris nihil hoſtile formidarent, ecce Otto, magna ſuorum manu collecta irruit in oppugnantes, & à tergo cecidit: cepitque multos ex obſidentibus, aliis qui pertinaciter repugnarent, oppreſſis, omnia clauſtra ſua captiuis repleuit. Senſere diu vrbes memoratæ vulnus illius captiuitatis. Otto tamē (vt ferunt) grauius nomini ſuo maculam inuſſit, labe notatus inſigni, quam multa non perluat aqua. Graue eſt enim fidem fallere. Per quod etiā tempus Conradus de Aldenborg comes, iam vindicare properans in gentē Phriſonum ſibi contermină, quòd ſuperiori anno tātam nobilitatē perdidiſſent, vocatis de Weſtphalia deq; vicinis locis, quotquot contrahere poterat, auxiliariis, Phriſiam ingreditur. Conſerunt manus, & malo omine ingreſſi, quum infœliciter pugnarent, ad quingentos ex ſuis amiſerunt, valde paucis ex acie Phriſonum cadentibus. Ea eſt vetus nobilium & militarium in terris paluſtribus ſortuna: quam crebrius experti, necdum vltionis ſpiritum poſuerunt. Quid enim poſſunt inter crebras

Conradus aduerſus Friſios male pugnat.

vora-

voragines & continuata terrarum fragmina equeſtres turmæ? Volant paluſtres homines in lanceis ſuis, eques in iumento periclitatur.

CAP. 35.

Magdeburgenſium in ſacerdotes ſæuitia.

COMMVNE Magdeburgenſe hoc tempore ſæuiit, nondum ſanguine, quem in archiepiſcopo ſuo Burchardo optimo viro innoxium fuderant, exaturati: quam rem in Wandalia diximus plenius. Decanum nunc eccleſię maioris, quòd vocantibus eum in prætorium patribus primariis non paruerit, manu carnificum & miniſtrorum iuſtitiæ exequutorum, in vincula publica cōiecerunt, eumque ciuitate eiectum perpetuò proſcripſerunt. Temeritas inaudita. Nec minor quæ ſequitur procacitas ciuium Barlinenſium. Archiepiſcopi Magdeburgenſis Theodorici, ſuprà memorati, ſcriba tabellio, qui tum ſequebatur ducem Saxoniæ, ſederat in ea vrbe ad mēſam principis memorati. Immiſſi ciuium communis iuſtitiæ miniſtri, manu valida, vt obſiſti illis ſine magna pernicie non poſſet, ſcribam corripiunt, & mox pertrahunt ad ſupplicium, publico cædentes gladio, nulla prætenſa alia cauſa, quàm quòd nuper quum ad balneum properaret, obuiam ſibi dominam notā familiariter per iocum ſollicitaret, vt balneo ſecum vteretur: nec vim aliam inſerebat, recuſantem cum riſu dimittens. Pulchra nimirum ſanguinis & vitæ diſpendio cauſa vindicanda. Sed qui ſequuti ſunt caſus ab vtroq; gladio, facilè obtinuerunt vt pœniteret ciues pertinaciæ ſuæ. Qui autem cecidit, non reuixit. Nunc pœnas ſoluunt pertinaciæ multiplicis, ſub aquila pulli degentes. Secta tum inualuit Beguinarum & Sueſtrionum, pertinax hominum genus. Sed ardebant hominum ſtudia improbam euertere colluuiem. Proditi vbiq; pertinaces perierunt, igne conſumpti: multi autem pœnitentiam amplexi, ad vitam ſeruabantur. Per quæ etiam tempora Karolus Imperator, antè ſibi notam cum exercitu introiuit Italiam. Sub patre enim Iohanne rege Bohemiæ, qui ſui quoque patris Henrici cœpta proſequebatur, Karolus militauit in prouincia: poſteaquam auus eius Henricus interemptus non reliquit Gibellinis defenſorem. Quam ſectam proſequutus Iohannes rex, filium Karolum ſub ſe copias ducentem, diu in Italia verſari iuſſit. Nunc autem maximo ad ſeptuaginta millia exercitu cōſcripto, Mediolanum, iam eius imperio rebellem vrbem conſtituit humiliare. Increuerat enim dominatus Vicecomitum ſub Ludouico Bauaro, in eum modum, vt iam contemptis omnibus nemini pareret. Auxit ſummus pontifex Imperatoris copias, vt rebellionem pertinaciſſimæ vrbis molliret. Sed tātus exercitus per æſtum ſiri laborabat magis foris, quàm obſeſſi intus. Imperator verò, vtcunque res peracta eſt, exercitum ſuum ſine fructu reduxit, eccleſiæ copias paſſus ire quò vellent.

Procacitas dictum grauiter vindicatum.

Beguinarum ſecta igne punitur.

Imperatoris vana in Mediolanenſes expeditio.

CAP. 36.

MAGNVS dux de Brunſwico, Magni filius, quum de conſilio maiorum in terra etiam ad ducatum Luneburgenſem adminiſtrandum vocaretur. Viuebat adhuc pater, qui ad vtrunq; ducatum ſuo iure peruenit: ſed filium tum in Luneburgenſem deuocatum ire permiſit. Venit animoſus iuuenis, & circumſpexit ſi qua illi grandis belli gloria monſtraretur. Initia eius fuerunt optima, & adeo cunctis probabilia, vt nemo deſyderaret aliam nouiſſimi Wilhelmi ducis poſteritatem: nemo etiam Ludouicum eius fratrem, qui gener eſſet Wilhelmi memorati requireret, iam morte abſumptum: cuius relictam dedere coniugem Ottoni de Scowenborg comiti, quæ Magno fuit exitij cauſa: quod ſuo loco dicemus. Sed paulatim inſolentia eius creuit, vt cogerentur de alio principe proceres ac incolæ terræ cogitare. Interim pater eius, audita inſolentia filij, multis literis, pluribus etiam nunciis eum commonuit vt ad ſanam mentem rediret: nec profuit. Ad extremum minis eum voluit exterreri, fune (vt aiunt) ſemper ad manum habito: vt quocunque filium in aperto campo obuium haberet, militariter ſuperatum in proximam arborem appenderet. Filius, quòd eſſet manu promptus, & ad omnia pericula interritus, eas patris minas riſu fertur excepiſſe, catenam argenteam in collo ſemper præferens: vt pater omnino iugulare filium conſtituens, non ſubere ad ſe iugulandum, ſed argenteo vteretur. Vnde ductum eſt illi cognomen, vt dux catenatus diceretur. Albertum ducem Magnopolenſem idem Magnus in bellum concitauit, de finibus ditionum cum illo altercantem: initia (vt ſolet) de iurgio, ſed inde bellū enaſcitur. Vtrique arma parant in inuicem: concurrunt, & manibus conſertis fortiſſimè præliantur. Diu anceps volitauit victoria: tandem ad Alberti ducis ſigna volauit. Nam de exercitu Magni ſexcentos cepit viros militaris generis, multos in illis: quibus poſtea laxandis ſex millia marcharum argenti expendere debuit. Eam mutuò à ciuibus Luneburgi pecu-

Filius patris minas contemnens.

niam accipere voluit: & quum vel non poſſet, vel non expediebat hoc fieri, indignatus oppido, male minatur. Effectum eſt autem apud Imperatorem Karolum, vt mandaret militaribus, vrbibus & oppidis terræ Luneburgenſis, vt omiſſo Magno parerent Alberto Wentzlai Saxoniæ ducis filio, Wilhelmi nouiſſimi ducis Luneburgenſis ex filia nepoti. Qui receptus in prouinciam, ab omnibus merito attollitur honore: Magnus autem eiectus, & armis ſe vindicare, & nihilominus apud Imperatorem iure experiri contenderat. Albertus ſua arma obiecit, repellens inſultantem: & in iudicio Cæſareo contra ſe ſententiam Magnus reportauit, declarantem nullo iure Magnum ad ducatum Luneburgenſem, ſed occupatorem fuiſſe. Qua de re perpetuum illi in iudicio ſilentium indicitur.

CAP. 37. MEMORABILEM per hæc tempora memorant annales rem, ſilentio nõ transeundam: cæterùm fides ſit apud authores. Karolus Imperator bellum tum gerebat in Philippum Auſtriæ ducem. Comparat quiſque vires in hoſtem: agmina educuntur in inuicem ad congreſſum de proximo. Vidit Imperator longè hoſtem ſuperare multitudine ſuas copias: & ideo cui viribus par non erat, ingenio illum ſuperare contendit. Euocari clam iubet per amicos tres hoſtilium duces copiarum: & magno ære expromiſſo, cum illis agit, vt duci ſuo timorem incutiant, hortenturque ad fugam.

Imperator Philippũ Auſtrium dolo ſuperat.

Dolus an virtus quis in hoſte requiret?

Illi operas pollicentur. Ad dominum ſuum reuerſi, referunt ſpeculatum abiiſſe copias hoſtiles, & pro comperto habere Imperatoris exercitum triplo eſſe ſuo maiorem, certam omnibus eſſe perniciem, niſi fuga in tempore ſibi conſulant: nunc illum quid faciat ſecum conſtituere. Quando, inquit, in ſola fuga (vt aſſeritis) præſidium eſt, conſulamus ſaluti, expectantes rei gerendæ idonea magis tempora: non eſt indecorum nobis ceſſiſſe maiori noſtro. Ergo collectis armis noctu Philippus fugit nemine perſequente, & in ſua ſe ſecurus recipit. Tres illi viri boni promiſſione corrupti, ducem ſuum prodentes, ad Imperatorem reuertuntur, proditionis præmia accepturi. Prouiderat Imperator adulterinam aureorum monetam, quæ in valore viceſimam non haberet: eam iuſſit numerari. Illi alacres tanto ære ditati, redeunt in ſua: & iam expendere conati, repererunt eſſe falſatam monetam. Redeunt ad Imperatorem, argentarium & monetarium eius incuſantes. Imperator toruis oculis illos reuerberans, Abite, inquit, furciferi in meritam crucem, merita proditionis præmia, niſi protinus ex oculis euaneſcatis, accepturi. Quam aliam meretur pecuniam veſtra proditio atque perfidia? Adulterinum aurum adulterino compenſatur operi: abite in malam crucem. Illi protinus confuſi ex omnium oculis in latibula abierunt.

Proditores adulterinã pecuniam præmij loco accipiunt.

CAP. 38. ANNVS erat poſt natum Chriſtum ſeptuageſimus primus à milleſimo triceteſimo,

1371. quum ciues Luneburgenſes, iam de Imperatoris mente, deque iure domini Alberti & contraria Magno ſententia facti certiores: quum tamen inuictam arcem montis apud oppidum Magnus teneret, & illi non pauca quotidie perſentirẽt ex ea incommoda, ſtatuiſſentq; rem viribus agere: famulum equitem cum literis hoſtilia nunciãtibus, diſpoſitis, ad reditum per omnia celerius agendum, tribus in opportuna loca iumentis, emittunt in arcẽ Cellenſem, vbi dux Magnus manſitabat. Nuncius obſeruato tempore quo erat ad menſam recumbendum, literas exhibuit, quas ſciebat non placituras: & prandere iuſſus, feſtinabat, expediendę in oppido rei gratia, reditum pollicitus: mox iumentum conſcendens, celerrimè ad ſecundum, & iterum prouectus tertium, ſe antè etiam expectatum recepit Luneburgum. Ciues quũ horas omnes numeraſſent, in vigilia purificatæ Virginis, quaſi veſpertinum in monaſterio montano de more audituri officium conſcendunt, ſub conſuetis veſtibus armati: & primum arcis & portæ cuſtodem obtruncant, cæteros ad arma currentes proturbant. Segebando militi nomen erat, qui pro tuenda commiſſa arce diu ſtabat: ſed par eſſe non potuit præparatis ad rem peragendam. Igitur eiectis religioſis, & ſcholaribus in oppidum, ſi vellent, deſcendere iuſſis, ciues arcem occupant. Dux autem literis per interuallum perlectis exclamat, adeſſe iubens qui perferebat nuncium. Abiſſe refertur. Indignatus ille, quòd non, vt iuſſerat, renuiſſent, mittit expeditiſſimo iumento qui admoneat militem arcis cuſtodem. Prouectus ille qua poterat celeritate, media nocte ad latera montis obequitans, clamore vigiles infeſtat. Ciuium vnus clamanti reſpondit, quid afferret? Quum ille domini ſui fidelem

Luneburgenſium dexteritas & induſtria.

fidelem arbitraretur, Dic, inquit, verbis domini ducis Segebando militi, diligenter arcem tueatur: nam ciues periculum capitis & hoſtilia nunciauere. Tum ciues emiſſo de bombarda lapide, Hunc, inquiunt, teſtem referto duci tuo, rem in tuto eſſe. Ille protinus intelligens ſerius ſe veniſſe, confuſus redit. Ciues autem arcem & monaſterium ab imo demoliuntur: fratribus in oppido locum dederunt noui cœnobij extruẽdi, in colle (quo nunc quoque manet) ad montis magni pedem. Euocantéſque Albertum Saxoniæ & Luneburgi ducem in vrbem, mox illi ſacramenta dedere, cum magna parte militarium terræ. Inde Albertus, exercitu contracto duxit in Winſen. Et oppidum quidem facilè cepit, ad arcem laboratum eſt. Superueniens Magnus, maiori ſuorũ agmine ſoluit obſidionem. Sed quum ambo validas copias haberent, inuaſit Albertus: defendit vt poterat Magnus. Arcem Louwenrode non longe ab Honouer, Albertus oppugnans cepit, inque ea communita conſedit. Quum autem Magnus minimè quieſceret, ante omnia indoluit arcem ſibi Luneburgum inſidiis ademptam, inſidiis oppidum recipere tentauit. Septingenti erant viri qui negotiũ ſuſcepere oppidi per inſidias mixta virtute recipiendi. Vndecim millium virginum feſta nox erat, quum hoſtes iam antè præparatis rebus, vel muro excindendo, vel ſcalis conſcendendo, oppidum ante lucem introiere. Qui habitauere ciues, perſentiebant aliquid hoſtem moliri, & ideo totis ad mane noctibus peruigilabant. Idque aliquot iam noctibus erat actitatum: tum ea qua iam res imminebat nocte, decurſa in peruigilio, iam omnia tuta putantes Burgimagiſtri (qui & ipſi circuibant) ciuibus interpellatis, quum in mane res vergeret, nihil eſſe periculi rati, nocte tranſacta, ciues ad quietem permittebant. Subitò rumor per oppidum currit, hoſtes eſſe in foro. Arma ciues corripiunt, & in primis Burgimagiſtri (qui authores erant populo ad quietem redeundi) veriti ne occultæ cum hoſtibus intelligentiæ inſimularentur, primi ad arma concurrunt. Vir erat militaris generis, qui ſtipendia faciebat in oppido. Is primus ad hoſtes peruenit, parcendum ait ſanguinis effuſioni. Dicerent quas victi leges acciperent. Oppidum iam eſſe in eorum poteſtate, nuncium ſe ad ciues iturum, vt ſine ſanguine faciant imperata. Id potiſſimùm molitus, vt ſe colligendi tempus ciues haberent: tempus ille triuit colloquio. Vbi iam ſatis armatos putauit, loqui ſe ciuibus & conditiones perferre pollicitus, relaturumq; quid in animo eſſet, promiſit. Vbi ad ciues venit, hortatur pro libertate pugnent, victoriam indubiam habituros, hoſtes eſſe in caſſibus. Tum redit in forum, referens ciues nullis modò conditionibus aſſentiri, pro libertate pugnaturos. Initur mox conflictus. Vrgentur hoſtes, & ad egreſſum pugnantes contenderunt. Ibi duo ex Burgimagiſtris, qui primi pugnabãt, procubuere: loca extant hodie inſignia. Ex hoſtibus quoque multi periere: cæteri capti, & in vincula coniecti. Erant in eis multi ex oppido proſcripti, aliquot latrociniis publicatis infames. Hos publico cæſos gladio pœnas dare iuſſerunt: cæteri hoſtili more capti, dato ære libertatem redemerunt. Albertus deinde dux cum copiis ſuis circumuolitans, arcem Pattenhuſen expugnauit, quotidie viribus increſcens. Magni autem res paulatim minorantur.

Luneburgum nocturno impetu occupatũ, unius prudentia ſeruatur.

MAGNVS autem dux quum relictam fratris Ludouici nobili viro Ottoni de Scowenborg comiti deſpondiſſet, oborta eſt inter eos ex quibuſdam cauſis grauis controuerſia, quæ in apertum bellum exiuit. Mundum muliebrem & fœmineam ſupellectilem dicta domina iubebat ad ſe ex ducatu in Scowenborg perduci. Non eſt paſſus Magnus: ſed immiſſis equitibus omnia diripi iuſſit. Flebat illuſtris domina affinis ſui in ſe iniuriam. Conſolabatur eam maritus Otto. Nihil, inquit, te conturbet: charior eſt mihi integritas tua omnibus corporis ornamentis: facilè inuenies, quo pro dignitate foris orneris, moribus ornata & illuſtri ſanguine. Quumque res ad expeditionem hoſtilem perueniret, auſus comes cum copiis obuiam ire duci, occurrunt inuicem ſibi cum copiis in merica (vt ferunt) Luneburgenſi. Conſerunt manus: varia aliquandiu fortuna pugnatum eſt. Dux comitem requirit in agmine, iumentoque congreditur, deturbat equo comitem: ſequutus ipſe in pedes, vt capiat. Dimiſſo ergo iumento hoſti proſtrato incumbit, vitam eius quæritans. Superuenit nobilis ex auxiliariis comitis. Is ducem hoſti toto corpore incumbentem perfodit. Hic erat exitus Magni, quem ferunt iuraſſe illa ſe nocte futurum in hoſtica terra. Quod vbi comiti retulere victori, ille ait, Non notabitur periurio affinis noſter. Ducamus eum in noſtra, & inde remittamus ſuis ad ſepultu- CAP. 39.

Bellum obratum mundi muliebrem.

Magnus in prælio interficitur.

ram. Reliquit Magnus quatuor filios: actumque eſt inter duorum ducum communes amicos, vt Albertus dux Luneburgenſis, accepta coniuge, quam reliquit Magnus, ſui ducatus limites teneret, permiſſo Brunſwickcenſi diſtrictu filiis Magni, iam priuignis ſuis, Friderico, Bernhardo, Henrico, Ottoni. Otto factus archiepiſcopus Bremenſis, fratribus terram permiſit inter ſe partiendam. Cęſo quidem Magno iam videbatur Brunſwickcenſis ducatus vacuefactus. Erneſtus igitur dux Gottingenſis, cum Ottone filio, patruus Magni (quem Ottonem Armipotentem dixere) cepit arcem Wulfenbuttel, & omnem ditionem Brunſwickcenſem. Id ſiue ſuo nomine, ſiue pupillorum tutorio fecerint, non ſatis compertum eſt: niſi quòd exitus declarauit, veri ſit ſimilius, hæc illos tutorio nomine feciſſe: alioqui difficile fuiſſet Magni filios, quos ille (vt diximus) quatuor reliquit, ad paternam ditionem rediiſſe. Per quæ tempora in vrbe Brunſwico, ſæuiente incondito vulgo in primores, pernicioſus tumultus exoritur. Nam vulgus indignatione vndecunque concepta, concilium vrbis patres ipſos inuadit. Vrbe quoſdam eiiciunt, alios in tumultu opprimunt, nonnullos ſpecie iuſtitiæ publico gladio cædunt. Inter quos vnum ex proconſulibus, virum & ætate & mole corporis grauem, quum vires inflectendis genibus non haberet, in ſua recumbentem obtruncant ſede. Hanc patribus cauſam obiiciunt, quòd populum & vniuerſam plebem exactionibus grauent, & maiori quàm vlli principes impoſito onere dominentur: idque literis ad vicinas & longinquas vrbes perſcripſere. Nouum concilium ex mechanicis viris erexere, clamoribus, non conſilio, rem omnem egere. Cæteræ bene moratæ vrbes rem miſerandam, & ipſo exemplo pernicioſam, putauere non impunitam relinquendã. Non ſunt paſſi mercatores eius vrbis in emporiis diuerſari. Hoc vocant Hanſa eiicere & proſcribere, quum illis priuilegiorum vſu & communione interdicitur. Sed qui intus manſere, contempſere eam animaduerſionem, quæ paucos attigit.

Plebis aduerſus patres tumultus.

Cap. 40. Oppidvm Aldenborg in terra paluſtri ſitum ad Phriſiam, per ea tempora de Depholt comes, adiunctis nonnullis (in quibus erat decanus Bremenſ.) quum ſimultatem grauem gereret aduerſus Conradum de Aldenborg comitem, noctu ingreſſus cepit. Ingreſſi via non longinqua ab arce, ad Veterem, vt vocant, ciuitatem perueniunt. Erant qui peruigilantes ad ludum tota nocte ſederent talorum. Hi primi, hoſtilem experti tumultum, ad nolam procurrunt, ſignum capti oppidi dantes. Sono exciti ciues per noctem inſolito, quum hoſtes adeſſe ſentirent, tecta domorum petunt. Ianuis obſeratis, & coctilibus inde lapidibus proiectis, cogunt hoſtes ad exeundum quod cœpere oppidũ. Quingenti erant qui venere. Ciues concepta fiducia ſequuntur egredientes, & aperto iam campo manum conſerunt: inde alacriores quòd oppido eieciſſent, iam acie pugnant. Vincuntur à ciuibus hoſtes, cæduntur militares nõ pauci. Capitur decanus Bremenſis, & ad Conradum comitem cum aliquantis concaptiuis pertrahitur. Ille docuit, non hoc eſſe oppida capere, quod chorum adire. Quo tempore oppidum quoque Honouer grauiter infeſtatur à vicinis militaribus. Hominem infœlicem conduxere quidam pretio, qui ignem quatuor locis collocatum vnà curaret inflammari, vt occupati ciues reſtinguendo incendio, minus attenderẽt murorum cuſtodiam: illi interim iuxta conuentum Minorum introirent, rebus antè comparatis. Deprehenſus infœlix ille in conatu, ad ſupplicium pertrahitur, nihil aliud faſſus, quam à fratre religioſo ſe pretio conductum. Ita res permanſit infecta. Exemplum autem Brunſwickcenſium ſequuti ciues Northuſenſes. Nam initio in carcerem coniecere vrbis ſuæ concilium, & media deinde nocte fere omnes cæduntur gladio.

Proh! vulgus, pelagus, indeclinabile virus.

Omni beſtia crudelior & immanior ſæuit ira popularis.

LIBRI NONI FINIS.

ALBERTI KRANTZII SAXONIÆ LIB. X.

CAP. I. 1375.

ANNVS erat à Chriſto nato ſeptuageſimus quintus poſt mille treccentos, quum Imperator Karolus, qui omnes regni partes colluſtrabat, Wandaliam quoque videre venit:& in primis Imperij vrbem Lubicam inuiſere conſtituit,venitq́; magnifico ſtipatus comitatu. Aderat Fridericus archiepiſcopus Colonienſis,Otto marchio Brandenburgenſis,Albertus Magnopolenſis,& Albertus Luneburgenſis,iam infeudandus ab Imperatore dux: Wilhelmus marchio Miſnenſis,Iodocus marchio Morauiæ,Henricus & Nicolaus de Holſatia, Gunterus de Rupin, comites, & multi præterea barones,milites militaresq́;. Aderat regina. Omnis iuuentus ex vrbe Lubica in equis obuiam effuſa proficiſcitur,vt cum honore dominum ſuum deduceret & introduceret. Duo ſoli Romani Imperatores Lubicam videre: primus Fridericus, qui armatus obſedit,& per deditionem accepit:& iſte Karolus,qui pacificus venit. Iam vrbi propinquans cum imperatrice,capellam diuæ Gertrudis ingreditur, vbi imperialibus ornamentis decorantur:ſublimes conſcendunt equos. Adſunt tentoria ſerico auratiſq́; pannis intexta: baiulantes iuuenes ex robuſtiſſimis quatuor,veſtibus & ornatu viſuntur inſignes. Duo proconſules frenum imperatorij iumenti ex latere venerabundi apprehendunt. Duo inſuper conſulares ad imperatricis fræna inceſſere, quum & ibi ferrent papilionem quatuor ex fortunatioribus iuuenes. Ante omnes ibat in equo vir conſularis,portarum claues in pertica baiulans,dominij imperialis in vrbem ſignum euidentiſſimum.Principes ſuis functi ibant miniſteriis. Marchio ſceptrum baiulabat, Albertus Saxoniæ ducis filius,patris vice enſem præferebat: proximus illi Imperator. Hunc ſequitur Fridericus Colonienſis archiepiſcopus,ante imperatricem malum ferens aureum. Illam cæteri principes ſuo ſunt ordine inſequuti. Ad primum portæ ingreſſum ſtabant vtrinque ciuium vxores,cultioribus ornatæ indumentis,Imperatorem cum Imperatrice excipere paratæ. Introgreſſi excipiuntur à choro pſallentium clericorum & religioſorum. Extulerunt reliquias & Dominicam crucem: quam Imperator & regina deoſculati,deducuntur ſolenni per vrbem pompa ad eccleſiam vſque maiorem: ibique concinitur,Ecce aduenit dominator dominus: cum verſiculo, Deus iudicium tuum regi da. Imperator interim orationi inſtitit priuatim: qua expleta,ſolenni pompa redibat per regiam plateam,& in hoſpitium magnificè apparatum deducitur. In acie eius vici,quo deſcenditur ex tranſuerſo ad monaſterium ſancti Iohannis, factoque tranſitu ſublimi ſupra plateam in domum oppoſitam, excepere quàm poterant magnificè imperatoriam maieſtatem. Stabant in conſpectu eius Burgimagiſtri cum conſulibus: quos intuens ait, Gratias non mediocres vobis perſoluimus dominis Lubicenſibus, qui Imperij honoribus pro debito obſequentes,nos magnificè exceperitis. Venimus videre vrbem noſtrã & facies veſtras, gratulantes proſperis ſucceſſibus veſtris, quibus cooperari ſtudebimus,commendatiorem habituri in reliquum hanc vrbem, quæ tales edat viros noſtro dignos conſilio. Tum ſenior Lubicenſium Burgimagiſter, Sereniſſima maieſtas nos pro exilitate noſtra debito nos exoluere cupientes, quantum potuimus, non quantum voluimus debuimusque,oſtendimus imperatoriæ celſitudini,cui non mediocriter nos noſtraque debemus: immortales gratias habentes dignationi tantæ, quæ etiam quod parum eſt, accipere dignatur pro magno. Quod ſolitæ clementiæ & benignitati (vt par eſt) deputamus, rogamuſque vt inter poſtremos nos ſuos aſſeclas numerare dignetur tanta maieſtas. Ad quæ Imperator, Non in poſtremis vos gerimus, ſed loco veſtro dignamur: recipientes in ſacris archiuis, quæ à noſtris prædeceſſoribus de hac vrbe ſunt conſtituta: quæ nos non ſolùm ſuſtinere,ſed etiam amplificare pollicemur. In hæc verba dimiſſi abierunt cum alacritate.

Imperatores duo duntaxat Lubicam ingreſſi ſunt.

Imperatoris & Lubicenſium colloquium.

CAP. 2.

ADERANT comites Holſatiæ, querimoniam deferentes aduerſus Hamburgenſes,qui & ipſi aderant,rei exitum videre cupientes. Comites deuocabãt eos in ſuum ius, vt ab antiquo ſemper habitum fuerit. Illi imperialem deſuper declarationem audire cupientes,inuenire ſe aſſeruerunt in priuilegiis,q, comitibus prope nihil debentes, exẽpti

Hãburgẽſes comitibus Holſatiæ Imperator parere iubet.

cenſerentur,quodq; à nonnullis imperialis aulæ aſſeclæ imperatorij haberentur: ſe in vtrunque eſſe paratos,modò intelligant Cæſareæ maieſtatis deſuper ſententiam. Nam diui Friderici primi priuilegia multa illi oppido contuliſſe videbantur, quæ tum edebantur. Imperator interloquutus,iuſſit Hamburgum oppidum comitibus parere, ſaluis libertatibus,quas ab Imperiali culmine promeruerunt. Illi domum redeuntes, Rolandi ſtatuam,quam pro ſigno libertatis in ponte(qui hodie nomen tenet)ab olim erectam habuere,deiiciunt,comitibus ſuis deinceps(vt ſemper) coniunctiſſimi. Imperator autem per dies decem Lubicę commoratus,oppipare habitus eſt: Milites ac militares ludis ſuis forum tenebant occupatum,haſtis quotidie concurrentes. Quo etiam tempore Gregorius papa XI. decimam ſollicitauit ab eccleſiaſticis,per omne Imperium. Sed archiepiſcopi tres ad Rhenum obuiam vadunt,ſe opponentes (vt debuere) emunctioni cleri ſui. Interim moritur Moguntinus, & papa eccleſiam donauit Ludouico Bambergenſi epiſcopo, fratri Wilhelmi marchionis Miſnæ: capitulum autem elegit dominum Adolphum de Naſſaw,imò poſtulauit, quòd iam teneret epiſcopatum Spirenſem. Imperator ſtuduit Ludouico, & obſedit Erphordiam, in qua erat Adolphus poſtulatus. Vaſtauit vicinam Turingiam:ſed nihil potuit aduerſus vrbem. Adolphus enim prædia & arces eccleſiæ tenebat in manibus. Dura tamen conditio,quòd poſtulatio ſoli gratiæ pontificis innititur.

Papa pecuniã imperatã deneagant põtifices Germani.

CAP. 3.

Imperij euiſceratio.

KAROLVS interea multa peregit,vt filius eius Wentzlaus, rex Bohemiæ,& Romanorum quoque rex eligeretur. Inde euiſceratum eſt Imperiũ. Rheni vectigalia,quæ pro patrimonio erant Imperio, inde partita ſunt, vt vnuſquiſq; electorum non modicũ quid acciperet. Deplumata eſt aquila,vt in reliquum cæteris ſit animantibus contemptui:quid enim poteſt ſine pennis?Perfecitq; vt ab archiepiſcopo Colonienſi Friderico, Aquiſgrani rex Romanorum coronaretur. Per quæ tempora quum caſtellani de Dannenberge receptarent populatores itinerum & itinerantium, Imperator ipſe Karolus mandauit ducibus Alberto de Luneburgo,ac Rodulpho duci Saxoniæ de Wittenberge germano eius,vt eam arcem obſidentes caperent perpetuo deinceps iure poſſidendam ducibus de Luneburgo:quod ita factum eſt. Confœderat autem Imperator in Tangermunde,iuſſitq; in expugnatione arcis memoratæ Lubicenſes adeſſe: qui ſexcentis productis ſtipendiariis, bombardiſque duabus grandioribus, expugnationem pro ſua virili properarunt. Imperator eo loci commanens, inter duces Saxoniæ ſuperioris de Wittenberge,& inferioris in Luneburgo,eam dicitur ſtatuiſſe concordiam, vt alternis vicibus electioni intereſſent,vtrique archimarſchalli ſacri Imperij ſemper habẽdi. Nam Ericus(quod conſtat)iam duabus vicibus interrerat eligentibus, quum aſſumeretur Ludouicus Bauarus,& quum Gunterus de Zwartzenborg Turingus. Sed nunc eò ventũ eſt,vt non patiantur ſuperiores aliquid in ea re iuris remanere ducibus inferioris Saxoniæ:quòd Miſnenſes,qui per Sigiſmundum ſunt aſſequuti ſuperiorem,detrudant legitimos ſucceſſores,vix illis titulum permittentes ducibus Saxonię:quod infrà plenius memorabimus. Interea idem Imperator Karolus(neſcio ſi ad interpretationẽ verbi quam nunc faciunt) bene Auguſtus, Imperij neruos exhauſit, viresque conſcidit. Sedecim in Suæuia vrbes,ſine medio recognoſcentes Imperium,vendidit vicinis principibus. Aliæ quatuordecim quum intelligerent, conſpirarunt inuicem, fœdere mutuo ſe conſtringentes,vt non ſe patiantur in morem pecudum venales exponi. Plurimum enim intereſt,hâc vel illam ſupra ſe agnoſcere poteſtatem. Imperator ex eis vnam indignatus, obſeſſam niſus eſt expugnare ad terrorem cæterarum : cæteræ ad arma concurrentes obſeſſis opem tulere. Tum quoq; nonnulli ex his ſalua libertate ſolita, principibus Auſtriæ ad protectionem ſe commendauere,non vt dominis pariturі, ſed vt protectoribus viciſſim obſequuturi:quæ res diu permanſit ad tempora noſtra. Albertus dux Luneburgenſis per ea tempora ſenſit,militares,qui in Horneborg arce paluſtri Bremen. diœceſis, ad confinia terræ Luneburgen. demorantur,quęſtum facere vel menſtruum vel annuum, de terra memorata. Et quum finem non facerent, duxit in eos, cogitq; vt ſponderent in reliquum ſe æquo iuſtoq; per omnia pariturоs. Qua in re & fidem verbis habuit, & per modeſtiam nihil vltra tum putabat extorquendum.

Saxoniæ duces alternis vicib. eligunt. quod paulo poſt ſublatum eſt.

Marmoreum Imperiũ, paulatim lateritiũ redditur.

Vrbium protectores.

CAP. 4.

WENTZLAVS Bohemiæ rex, iam patre viuente & plurimũ annitente,rex quoque Romanorum creatus,cœpit vtrunq; regnum ſine magna ſollicitudine adminiſtra-

re-

re. Nec enim anniſus eſt Imperij coronam accipere, quam etiam in reliquum non promeruit, vir animo non ſatis ad Imperium idoneo: qui (vt ferunt) ventri deditus, omnia poſthabuit. Aliquantoq; melius actum eſſet cum Imperio, ſi neq; pater neq; filius in eo fuiſſent. Nam pater largitionibus, vt filium extolleret, filius ignauis diſſimulationibus, Imperium attriuere, inq; eam tenuitatem quæ nunc cernitur, adduxere. Auguſtos ſe amant interpretari, quaſi augendo inſtantes Imperio: ſed longè ab hac interpretatione patris largitio & filij ignaua diſſimulatio. Eius enim incuria cœpit in regno Bohemiæ illa Chriſtianiſmi cruenta diuiſio, quum Bohemi per audaciam Romanæ eccleſiæ obedientiam retraxere. Sed ea in Wandalia explicatius. Per ea quoq; tempora, ne quid vſquam lætum eſſet aut proſperum, in Romana ſede, illa per vniuerſam ſerpens eccleſiam, ſurrexit ſchiſmatica dimembratio, quum ſe duo pro ſummis gererent pontificibus. Alter Romæ creatus Vrbanus, alter à cardinalibus Gallis Gallus euectus Clemens. Iam enim Itali veriti, ne ſi ex Gallis crearetur pontifex, in Auenionem rediret: idq; cauentes Romani proceres conclaue obſederũt, per impreſſionem & concuſſionem moliti vt Italus crearetur Vrbanus VI. epiſcopus antè Barenſis, vir acris ſeueritatis. Hanc ergo electionem cardinales Galli ab Auenione pridem introducti, quum & perſona electa propter ſæuitiam, & forma electionis propter concuſſionem diſpliceret, ſimul vt haberent pontificem, ſub quo eorum natio (vt pridem) imperitaret, foras Romam euecti in ciuitatẽ Fundanam, Clementem ſuum extulerunt, cum eo in Auenionem cõtendentes. Bicipitem dudum aquilam Romani Imperatores in armis ſibi prætulerunt, & præferunt vſque hodie: quamuis dudum orientis Imperium euanuerit, à Chriſtianiſmo tranſlatum in perfidos Mahumetanos. Nunc bicipitem infulam incipiunt adorare Romani pontifices. Sed non eſt ea iocandi materia, quæ peſſimum Chriſtianiſmo inuexit ſchiſma. Nos pro inſtituto noſtro in Saxoniam reuertamur.

Bohemi ab Eccleſia Romana deſciſcunt.

Duo papæ æmulæ.

Imperium orientale Mahumetani occupant.

CAP. 5.

ALBERTVS interim Luneburgenſis, princeps optimi ad iuſtitiam zeli, vocatis ad arma auxiliaria ciuibus vrbium Magdeburgi & Brunſwici, arcem Twiſeling receptatricem ſceleratorum hominum, qui itineribus publicis inſidiantes, eò conuexere quæ variis locis quæſiere, obſedit & expugnauit, captamq; funditus euerſam, æquauit ſolo. Circa quæ tempora ciues Brunſwickcenſes, quum communionem Hanſæ Theutonicæ deſiderarent quærerent pro ſuis mercatoribus obtinere, ad cor reuerſi, in congregatione Lubicana oratorum ab vrbibus dictæ communionis, ſolennem expleuere pœnitentiam, non veriti perinde infamia notati videri. Quum interim Fridericus Magni ducis de Brunſwico filius, cum fratribus relictus adoleſcens ſub tutela patruelis ſui Ottonis de Leyna ducis (erat enim Tranſſyluanæ ditionis ille princeps) quum per contemptum haberetur in arce Wulfenbuttel, cerneretque multa non rectè adminiſtrari, adduci vndecunq; captiuos mercatores in publicis itinerib. captos: quum primum per ætatem ſapere inciperet, ciuibus ſuis in Brunſwico prudentioribus rem queritur: quid conſilij, quidve ab illis, ſi quid intentaret, auxilij ſperaret. Bonam ſe conſolationem præſtituros dixere, vbi rem ex animo viriliter cernerent intentari. Hoc reſponſo firmatus rediit in arcem, obſeruans tempora, quibus præfectus Ottonis cum maiori ſatellitum parte in tabernam de more deſcendiſſet, paucis fidelium in concilium adhibitis. Claues tulit de caſa portarij: pontem eleuans carcerem aperuit, & vinctos laxans iuſſit ſtare pro muris: nunciumq; concitò mittens Brunſwicum, iuſſit promiſſa auxilia properare, quũ quo in loco res eſſent oſtendiſſet. Venientes non cunctanter intromiſſi ſunt in arcem: cœpitque ex illo die Fridericus rem ſupra ætatem prudenter agere, excluſo Ottone patruele, curatore eius fratrumque ſuorum. Virile nimirum principium ab adoleſcente: cui bonus ſucceſſus & optimus exitus ab omnibus bonis nuncuparetur. Erat autem octuageſimus ſecundus poſt mille trecentos. Quo tempore Vrbanus papa inter Ludouicum & Adolphum de eccleſia Moguntina contendentes, perfecit, vt Ludouicus frater Wilhelmi de Miſna marchionis, ad archiepiſcopatum Magdeburgenſem transferretur, Adolpho apud Moguntiam permanente. Exitus autem memorati Ludouici cladẽ attulit inſignem. In oppidum Caluen multam eccleſiæ euocauit militiam. Aderant euocati cum vxoribus & filiabus, diem feſtum cum ſuo acturi pontifice. Prætorium quod erat in oppido ſpacioſum, illis vſibus inſtructum, deſumpſere ad vanitates ducendasq; choreas: vt eſt hoc hominum genus motu leue, cantu ſolutum, & luxui paratum.

Prædonũ bellum.

ontifex cum n tripudiãs ina domus rruitur.

Ducebant in gyro vertiginoſam & ridiculam circuitionem. Saliebant ad manus dominarum alacriter, vt immenſo pondere victa domus ſubſidere minaretur, crepitum grandem præmittens. Archiepiſcopus apprehenſa ad manum quæ proxima ſtabat domina, gradus inter primos abiturus, periuit. Vbi iam deſcendere cœpit, lapideus ille antè ſolutus gradus concidit, & archiepiſcopum cum conſorte, & nonnullis aliis, ruinæ inuoluēs miſerabiliter extinxit.

CAP. 6. OTTO dux de Leina, iam ad cor poſt deuia reuerſus, Albertus Magdeburgen. archiepiſcopus, & Albertus Halberſtaden. præſul, Fridericus dux Brunſwickcenſis, Albertus dux de Salina, Buſſo de Regenſteen, Henricus de Honſten, Gunterus de Stalberg, Conradus & Theodoricus de Werningrode, comites, & multi prætereà nobiles, barones, milites, interuenientibus placitis aliquando in commemorationem adducebant, quid ſit quòd vbiq; terrarum innoxij mercatores vadant & redeant, vectigalia ſoluentes principibus per opportuna & conſtituta loca: cur infœlix Saxonia, nulli prouinciæ vel opibus vel fortiſſimis viris cedens, non illo poſſit bono perfrui, vt publica ſecuritate præſtita, incolumes per itinera vadant commeantes. Conſtitueruntq; vt in reliquum ea pax eſſet, & innoxia via mercatoribus, maximis pœnis in contemptores & violatores conſtitutis: communibus odiis inſectaturi prædatores & receptatores. Quæ res effecit, vt aliquandiu Saxonia hoc genus graſſandi neſciret. Wentzlaus per ea tempora floruit, qui poſt Albertum Saxoniæ & ipſe dux ſuperioris, in terra Luneburgenſi dominabatur: eſſetq; necdum extinctus liuor inter Brunſwickcenſes & eoſdem de Luneburgo duces, quòd ille principibus Brunſwickcenſibus debitus putaretur. Quocirca communi principum placito ita ordinatum eſt, vt Fridericus & Bernhardus fratres, duces Brunſwickcenſes iuniores, duas Wentzlai filias acciperent coniuges: vt mixto vtrinq; ſanguine & maior interim concordia, & terris pax redderetur. Quo tempore cœpit ille curſus in Wilſenacum oppidum Prignillæ, per occaſionem, quam in Wandalia deteximus. Viuebat adhuc Albertus dux Saxoniæ atq; Luneburgi, quum Wentzlaus fratruelis eius, eam cum ducibus Brunſwici, quam diximus, iniit affinitatem. Nam per eam tempeſtatem in arce Ribeling oppugnauit milites de Mandeſlo, multa terris incommoda inuehentes. Ibi dux dum vrgeret oppugnationem, ictus bombarda crus amiſit. Moriturus aurem præcepit ſuis, ne abirent niſi expugnata arce. Illi paruerunt, vſqueadeo prementes obſeſſos, vt deditionem facerent, pacti abire incolumes, & terra excedere vſq; ad gratiã ducis Wentzlai, qui Alberto fratrueli in ditione ſucceſſit, recuperatã. Ita tum arcem deſeruere, quam deditam milites duci ſuo ſeruauere, vt eius arbitratu vel excinderetur, vel alteri mandaretur.

rebra per Saxoniam latrocinia.

CAP. 7. OSNABVRGENSES tum rem habuere cum comite vicino de Tekeneborg. Quumq; rem verbis tranſigere non poſſent, quòd ciues ab eo contemnerentur, quandiu epiſcopus conquieſceret: ſed vbi ad arma ventum eſt, auxilio illis fuere ciues Monaſterienſes: perpuleruntq; comitem in eas rerum anguſtias, obſeſſa arce Lingen (quam etiam de proximo capturi videbantur) vt ad placita & tractatuum diſceptatiuos veniretur. In quibus ita armis edomitus videbatur, vt in æquas cum illis conditiones deſcenderet: poſitoq; nobilitatis faſtu, ciues in ſuo iure & gradu recognoſceret, ſineretq; perfrui vetuſtis & longa conſuetudine probatis libertatibus. Quo tempore memorabilis exequutio facta eſt iuſtitiæ, ex ſententia principum & omnis Saxoniæ nobilitatis. Conſtituerunt (vt paulo antè diximus) Saxoniæ principes, iuraruntq; pacem, quam Theodericus de Werningrode comes violaſſe diceretur. Quocirca vocatus à quibuſdam eorũ qui exequutionis mandatum à cæteris haberent, Alberto de Querforde comite, archiepiſcopo Magdeburgenſi, Ottone duce de Leina, Henrico de Honſten comite, cęteriſq; comitibus & nobilibus, accuſante Buſſone de Regenſteen comite: ſuſpendio condemnatus eſt. Sententia dicta euocarunt ex militaribus eius quendam, quem præcepto adegerunt vt primum capiti eius vulnus infligeret. Paruit ille ſub honore ſuo admonitus: mox circunſtantes gladiis eum ſuis confixerunt. Inde fręno equi ſui alligatum ſuſpendio finiiſſe volebant interpretari. Eam mortem (vt fit vbi in fabulas res venit) alij culpis eius, alij quòd coniurationi nollet conſentire, deputarunt. Hoc etiam LXXXVI. poſt mille trecentos anno, Lupoldus dux Auſtrię, Zwiceros, quos alij dixere Zwitenſes (olim dictos Heluetios) quòd arces pridem illis impignoratas ad redemptionem reddere duci

heodericus ...en violator ...pitu ſuppli... affícitur.

1386.

detrecta-

detrectabant,bello inuaſit.Populus ad arma natus,ipſis ſuis in montibus induruit. Auſi aciem opponere venienti,exiere obuiam viri tria millia. Hos exceptos in planis dux fatigauit,multisq́; ex ipſis cæſis,cæteri pedem retro ferre videbantur. Aderat in montibus agmen triginta millium:qui facta extenſione agmen ducis incluſerunt,& circulo circun ſeptos omniquaq; aggrediuntur. Cæſus eſt dux cum omni agmine, decem & octo inſignioris nobilitatis viri,pauci ſupererant capti. Hæc ſecunda Auſtralium penè omnium nobilium cædes:nam primam Vngari fecere anno Chriſti MCCXLVI. Sed hoc tempore Bernhardus dux Brunſwickcenſis,quum rebellionem (vt ſolent) oſtenderent militares de Steenberge,eccleſiæ Hildeſemenſi parentes,ad arma peruenit. Auſi concurrere duci in acie manus conſerunt, & fortuna illis plaudente, etiam repugnantem victores ducem capiunt:abductumq́; tamdiu habuere vinctum, donec ſeptem aureorum millibus ſuam redimeret ab illis libertatem. Quo etiam tempore Otto de Leina dux Tranſſyluanus cum Gottingenſibus non bene conſenſit. Quumq́; ciues non cederent vel poſcenti vel præcipienti,ille obſidione vrbem cinxit,magis fame quàm armis ſperans expugnare munitum oppidum. Firmauit foris opportuno loco præſidium, quò inſolentiã (vt ille dicebat)ciuium edomaret. Diu diſſimulauere ciues, timorem oſtentantes. Vbi iam in contemptum adducti videbantur,erupere:& paratis ad eam molitionem rebus neceſſariis,nouam arcem fundo verterunt,quaruntq́; ſolo. Tum res in colloquia cœpit conüci: & æquis conditionibus illi ſuo principi cedentes paruerunt.

Auſtriæ dux ab Heluetiis cæſus.

WENTZLAVS interim Saxoniæ & Luneburgi dux cum Friderico Brunſwici principe rem cœpit in controuerſia agere,quæ ad arma peruenit. Nam idem Wentzlaus, firmato ad Alram fluuium præſidio, crebris inde excurſionibus terram infeſtauit Brunſwickcenſem. Winſen nomen loco eſt in ditione Luneburgenſi, vbi firmatum erat fortalitium,cuius hodie nulla extant veſtigia. Alius interim Wentzlaus in Romano ſolio deſidebat:cuius frater Sigiſmundus Vngariam obtinuit,per Ludouici proximi regis filiam,quam coniugem tenebat. Ea fœmina magnitudine dotis quam regi afferebat, ſublata in ſuperbiam cœpit regem contemnere: & vocato argentario iuſſit auri monetam de ſuo nomine cudi, cum inſcriptione, *Maria rex Vngariæ*. Rex manſueti animi princeps, verbis caſtigari ſatis putauit fœmineam inſolentiam:quam illa non muliebri leuitate ſuſcipiens,ipſam ſe repreſſit. Erant tum in aula qui regi male vellent,arbitrati optimam accepiſſe occaſionem eius ſubuertendi per reginam: quam ſciebant amariſſimè ab rege increpatam. Arbitrati fœmineam ſuperbiam in ea furere, auſi ſunt aggredi tentantes animum eius. Scimus,inquiũt,regem maligno in te animo pridem grauiſſimè euectum, quem tu regem in regnum prouexiſti. Si te vindicare conſtituis,& ab eius ſolui nexibus, ſcito procerum penè omnium auerſum ab illo animum:ſi quid audes,facilè proſperabe ris. Stupuit fœmina: ſed prudenter diſſimulauit,vt omnia exploret conſilia. Tum ait, Quis rerum modus tibi videtur, vt illum amoueamus? Ad hæc ille, Inueniemus qui cubantem tecum regem opprimant, modò intelligamus quando erit tecum in cubiculo: nam viuentem deturbare regno plurimi laboris eſt. Tum illa, Arbitror nocte proxima cubiturum:etiam,ſi aliud ſentiar,facilè inuitatus parebit. Hæc illo omnia dicebat conſilio, vt ſe proderent coniurati. Qui rem ſuggeſſerat, ita abit, vt fidem reginæ imploraret, omnia ſecretò agenda. Non abnuit ipſa. Sed vbi primùm conuenit regem, Stupefacta,inquit,rem affero grãdem,quæ tui capitis,niſi caueris,habet perniciem. Ira mecum quidã conuenit,vt proxima nocte te inuitem ad cubile:aderunt,& ferrum tibi intentabunt. Tu verò anime mi,vt ſe prodant coniurati, ſimulabis noctis mecum quietem habiturum,ſecretius abiens. Probat rex conſilium:res geritur ex cõſtituto. Iam noctis erat conticinium,& cõiurati irrumpũt regis cubile. Regina quæ nullũ pro periculo ſomnum admiſit, profundo ſe ſimulat ſopore ſtratam. Vbi ſolam vident, Hæc,inquit, vnus ex his,proditrix conſilia noſtra nudauit:voluitq́; in eam ſęuire. Tum alius, Noli,inquit,innoxiam perdere. Scio grauiter expoſtulaſſe cum illo ante paucos dies: vt facilè quis intelligat illam non amare. Et exeuntes in ſecreta ſe ſua recipiunt, nihil tentaſſe ſimulantes. Sed ante lucem apprehenſi pœnas dederunt.

CAP. 8.

Fœmina in maritũ proterua.

Coniuratio regi indicata.

HOC tempore comites Holſatiæ, Nicolaus, Adolphus & Henrici iam præmortui filij, Gerhardus, Albertus, Henricus, coram Margareta Danorum & iam Normannorũ regina conuenerunt, totius Daniæ procerum voluntate, vt ducatus Sleſwickcenſis

CAP. 9.

Pactũ procerũ Daniæ cũ ipſo rege.

vni eorum, quem ipſi deligant, iure feudi permittatur ad ſucceſſionem legitimam: vtq; comites perpetuo fœdere iuncti maneant in fide coronæ Danicæ, nec per vllam occaſionem ad bella quiſquam proſiliat: ſed quum aliquid inuicem natum fuerit quæſtionis, Dani ex Holſatis, & viciſſim illi ex Danis binos eligant, qui rem in controuerſia poſitam dirimant. Quòd ſi non poterunt, habeant facultatem quintum aſſumendi: cuius votum alteri parti accedens, rem omnem abſoluat. Ducatum verò quum ea tempeſtate Nicolao ſeniori deferrent, ille cauſatus ætatem recuſabat. Nec Adolphus Wagriæ comes magnis ſe rebus, vir modeſtus, voluit implicare. Ventum eſt ad Gerhardum Henrici pri-
1388. mogenitum. Eum ſolenni iure regina inueſtiuit, ducemque Sleſwici appellauit, anno octuageſimo octauo poſt mille trecentos à Chriſto nato. Sed priuſquam in latiorem Saxoniam reuertamur, hic nobis eſt Holſatiæ angulus excutiendus. Henricus comes, cognomento Ferreus, quum crebras & longinquas militans peregrinationes iniſſet, Nicolaus interim frater domi ſedens nidum aſſeruabat, ruſticam plebem ad arma erudiuit, per ſingulas villas communibus omnium impenſis, vnum armigerum iuſſit expediri: minoribus villis permiſit vt binæ iunctis viribus, & equum & arma cum pugile prompto ſemper haberent. Tenebat coniugem Nicolaus matrem Alberti ducis Saxoniæ ac Luneburgenſis, qui cum Magno duce Brunſwickcenſi (vt diximus) diuturnum bellum habebat. Arcem Horburg quum ille expugnare ſtatuiſſet, Nicolaum vitricum ad arma vocauit: nec cunctanter ille paruit. Wilſtriæ incolas ducentos expoſcit mittere ſubſidiarios. Illi tam prompto erant in comitem animo: mille emittunt, quorum forti opera vſus Nicolaus, priuigno ſuo dictam arcem ſubiecit. Cum rege Waldemaro ſæpe pugnauit, ſæpe victor, ſemel victus. In Fionia monte Manberg Nicolaus caſtra fixit: rex Nuborg oppugnauit, & multis vicibus oppugnatione intentata fruſtratur, comitem aggreditur iam alijs rebus intentum. Funus Holſati tum ducebant: nam Benedicti de Aluelde militis defunctam coniugem extulerunt. Cuius rei occaſionem rex obſeruans, irruit in eos. Diſturbati Holſati, difficilè ſe collegerunt: cæſi aliquot, capti plures, in quibus etiam Nicolaus, qui amiſſo in pugna oculo, à Dano quodam equo deturbatur, & capitur. Arma victori victus tradit: ipſe abire permiſſus, vix in ſua magno labore reuertitur. Rex quum prædam recenſeret, vidit loricam Nicolai comitis, quam facilè diſcreuit in manibus cuiuſdã. Interrogatus à rege cuius eſſet lorica, & vbi illum reliquiſſet. Abire, inquit, fide præſtita permiſi, Nicolaum ſe de Redensborg vocitabat. Vero, inquit rex, ſe nomine appellabat. Tum primùm intellexit qui ceperat, comitem fuiſſe quem dimiſiſſet. Flensborg oppidum mari expoſitum, & monte munitum rex ſæpe obſedit. Nicolaus montem communiuit: ciuibusque permiſit vt muro cingerent oppidum. Dorning arcem Henneke Lembeke tenuit: eam rex magnis copiis circũſedit. Intus erat præſidium pluſquam trecentorũ: quo citius ad inediam redigi poterant. Immiſit Nicolaus aliquando ſecretos nuncios in conſolationem obſeſſorum, ſed commeatus inuehere non poterat. Ad extremum, quum iam fames vrgeret, conuenit vt deintus obſeſſi erumpẽtes, deforis comes, incurrerent vnà obſidentibus, nihil formidantibus tum mali qui obſederãt. Subitò apertis portis proruunt, magno clamore vociferantes, *Holſtenland frowe van hem melricke*: & deforis comes non minore impetu incurrit. Et exterritis Danis, quid agere- tur ignorantibus, agmen vnum, cui per medium riuum ſuccurri non poterat, facilè diſpulerunt, multis captis. Ita obſidione ſoluta, & commeatus habuere fugientium, & reliquum agmen non diu pòſt ſe ab obſidione retraxit. De Wenſtenzee potens militarium familia, illa ætate defecit, vt ſupereſſet ſolus ex genere mamzer. Rogatus comes vt illi arma ſui generis permitteret, ne tanta familia penitus interiret, reſpondiſſe fertur, Miſericors Deus, Aſpriolus non denuo conſcendet in arborem. Ea enim erant inſignia familiæ de Wenſtenzee. Pertinaciam eorum expertus, non amauit propaginem.

CA. 10. IAMDVDVM Henricus Ferreus, Nicolai frater, multis vbiq; laboribus exantlatis, ad annum Chriſti octogeſimum primum poſt mille trecentos finiuit, ſepultus in Itzeho, relinquens (vt diximus) filios, Gerhardum, Albertum, Henricum. Gerhardus ducatum aſſequitur Sleſwickcenſem: Albertus in comitatu partis ſuæ remanſit: Henricus eligitur epiſcopus Oſnaburgenſis: ſed propter ſchiſma, quod tum pernicioſè ſerpebat in eccleſia, ſine conſecratione permanſit, diu præſidens temporalibus: donec fratribus defunctis, ad rutelam nepotum, filiorum Gerhardi ducis, in Holſatiam (quod ſuo loco dicemus)

Schiſma epiſcopi conſecrationem impedit.

cemus) reuerteretur. Thietmarſi, populus in perpetuam Holſatis poſitus palæſtram, difficulter ab iniuriis temperat: quòd ſe omnibus nobilitate (vt ferunt) & robore (vt putant) anteponunt, nec ſe patiuntur æquari cæteris. Occiſos de ſua gente magno licitantur: ſed quos ipſi ex aliis cædunt, nullo æſtimant pretio. Iniuriantes primi veniunt ad querimoniam, difficulter conquieſcunt: niſi duplo maiore damno aduerſantibus illato, iram nõ ponunt. Simultatẽ tum (vt ſæpe aliàs) habuere cum vicinis Holſatis: & paſſi neſcio quid (vt aſſeruere) vel moleſtiæ vel damni, turmatim egrediuntur, magnam ex Holſatia prædam ante ſe agentes. Nunciatur Nicolao comiti Thietmarſos in terra graſſari. Ille coactis vix triginta equitibus, vicinos ruſticos iubet exciri: & armis quæ poterat contractis procedit in hoſtes. Præmiſit ſpeculatum qui de numero & ordine referret. Reuerſus ille renunciat tantam eſſe manum, vt paruo agmine inuadere non ſit conſilium. Cui comes, Miſericors, inquit, Deus: cur nos terres? mitte conatus in timorem. Sequimini me: ad minus videndi ſunt qui noſtra diripiunt. Prouectus, vt in conſpectu haberet hoſtes in loco qui dicitur Tiperſlo, ſuos compellat, in eos conuerſus. Perpetuum, inquit, erit dedecus nomini noſtro, ſi nobis videntibus noſtra hoſtes abigant. Hæc eſt puellarum il la chorea, quam ſæpe iactatis. Dei nomine ingrediamur. Non erit noſtro deinceps dignus conſortio, qui ſe ſubtraxerit ex hoc congreſſu. Dixit, & haſta infeſta concurrit oppoſitis. Idem fecere qui aſtitere miniſteriales. Diſturbato primùm globo ruſtica manus ſuperuenit, & diu paribus eſt certatum viribus. Inuentus eſt ex Thietmarſis, qui hanc ſibi gloriam arrogaret congrediendi ductori comiti: cumq; manu aggreſſus, niſus eſt equo deturbare. Sed Nicolaus, vbi vidit ferocius inſtantem, gladio ſuo caput demetit, diſcinditque. Eius exemplum ſequuti conſortes, illa die magnam illam manum non ſolùm ſuſtinuere, ſed etiam repulere. Inde in communia placita res decurrit, vbi æqua ſe manu euaſiſſe Holſati, Thietmarſi verò ſe ſuperiores gloriarentur. Conuenit vtrinque, vt ſublatis differentiis, certis locis Holſatiæ Thietmarſi (vt ab antiquo) immunes vectigalibus abirent: cæterùm iniurias quas prætenderent, non pro ſuo more mox manu vindicarent, ſed legitimis accuſationibus perferrent ad comitem. Eaque res datis inuicem literis placito conſtitit. Vir erat hic comes & manſueti animi, & circunſpectæ prudentiæ, qui ruſticam plebem non contemneret, ſed ipſe querulantem audiret, ſi quid in præfectos deferrent. Nihil erat opus alterius interuentu: ipſe qui grauabatur, dominum quæritabat, & placidas aures reperit. Inde factum eſt, vt ad iniurias non tam promptè proſilirent ruſticæ multitudinis militares: ſed æquo iuſtoq; contenti manebant.

Thietmarſorũ ingenium & clades.

Boni principis vera effigies.

CAP. II.

OTTO per idem tempus dux Brunſwickcenſis, Henrici Tranſſyluani de Embica & Grubenhagen filius, qui Exfeldiam, Duderſtadt, & pleraque Moguntino archiepiſcopo vendidit, per Italiam Karoli Imperatoris tempore & Wentzlai filij eius copias ductabat. Quum inter Vngariæ & Hiſpaniæ reges, mixtis Gallis, res de regno Neapolitano eſſet in controuerſia, longa inter primores Italiæ conuerſatione & militiæ vſu, ad familiaritatem Iohannæ reginæ peruenit: & ab illa etiam principatu donatus Tarentino, thalamum (vt nonnulli ſunt authores) eius reginæ promeruit. Viuebat præſidebatque tum in Roman. eccleſia Vrbanus VI. qui ex epiſcopo Barenſi ad ſummum tranſlatus pontificatum, eò rem ſua ſeueritate perduxit, vt cardinales (quod antè diximus) Galli, innouata electione Clementem ei æmulum obiicerent, in magnum Romanæ eccleſiæ & totius Chriſtianiſſimi detrimentum. Quum adhuc epiſcopatum idem ageret, Ottoni Germano Brunſwickcenſi principi perfamiliaris erat. Inde factum eſt vt in ſummo quoque pontificatu adiretur ab illo pro quibuſdam cauſis: & iam in collegio cardinalium diu ſupplicem ſibi paſſus eſt Vrbanus manere Ottonem, quòd diſſimulans pontifex aliud ageret. Cardinales autem nobilis viri perſeuerantiam cernentes, in pontificem verſi, Pater ſancte, inquiunt, tempus eſt vt dato reſponſo vir nobilis non ſe contemptum arbitretur. Sed ea magni faſtus prætenſio multos Vrbano auerterat. Huius Ottonis frater erat Melchior, ad epiſcopatum prouectus Zwerinenſem: ſed breui ſuorum in ſe odio concitato periit toxico: quod in pontificum illorum dicemus catalogo. Otto autem ſumpto magno ſecum virorum de Neapoli prudentum comitatu, Vrbanum iterum adiit, tentans ſi duritia eius emollita, cardinales diſſidentes ad eum inclinaret. Simul etiam Montisferrati iuuenem marchionem eidem pontifici ſtuduit commendare, cui deſponſata erat puella regni Trinacriæ hæres: vt illum pontifex de illo re-

Vrbanus papa non tolerãdus faſtus & tyrannica crudelitas.

gno inueſtiret. Sed non potuit ille reflecti pontifex durus: iam enim de nepote ſuo in regnum prouehendo cogitabat. Erat inter ducis conſiliarios vir magnificus, ac iuris peritiſſimus, Nicolaus de Neapoli: qui multis rationibus & allegationibus inſtitit flectere & inclinare pontificem Ottonis poſtulatis: quæ commoda inde ſperarentur, quæ rurſus incommoda, ſi contempta illa eſſet, formidarentur, oſtendit. Sed nullis ille rebus permouetur. Vnde factum eſt vt Nicolaus memoratus exinde cardinalium partem iuſtificaret, auerſus pontifici. Otto autem in ſuam verſus ditionem, etſi illum verum Petri ſucceſſorem & crederet & tueretur, à familiaritate tamen viri ſe retraxit. Quoſdam ex cardinalibus ſuis vinxit in carcerem, & examinari mandauit quæſtionibus grauiſſimis: deinde archiepiſcopos Rheni creauit cardinales, retentis eccleſiis ſuis, epiſcopum quoque Leodienſem, & nonnullos genere & literis ex Germania præſtantes. Sed illi honore illo abſtinuere, contempto pontifice, propter violentam eius dominationem. Captos cardinales miſerabiliter excarnificauit: in equuleum ſuſpenſos quæſtionibus interrogauit, vir ſanguinarius, tyranno ſimilior quàm pontifici: apud Genuam nonnullos aquis iuſſit mergi. Longam inde tragœdiam ſcripſit qui vidit, Theodericus de Nyem ſecretarius apoſtolicus. Sed Vrbanus breui fecit finem viuendi.

Epiſcopi cardinales creati, eccleſias retinere nō debent

CAP. 12.

GERHARDVS dux Sleſwickcenſis, Nicolaus & Adolphus comites Holſatiæ in oppido Todeſlo, cum vrbium Lubicæ & Hamburgi oratoribus ad tractatus euocati, de communi pace deq; itinerantium ſecuritate egerunt. Quum interim conglobati plures ex hoc genere latrocinantium, facto agmine, in contemptum eorum qui (quod ſciebāt) de illis excludendis deliberarunt, prouecti ad eius loci vicina, pecora eius oppidi abegerunt. Intelligentes qui tractabant, quid ageretur, arma ſua circunſpexere, quæ non in pugnam videbantur opportuna: nam ad negotia pacis exibant. Audientes tamen quia Lubicenſium præfectus cohortem habens in campis expeditam, quanta poterant manu exeuntes inſequuti ſunt hoſtes: & vbi propinquauere, viribus & armis coniunctis, inuaſere abeuntes. Et primùm quidem recuperauere prædam: deinde etiam poſtremos agminis inuaſerunt nōnullis proſtratis. Alij verò per fugam vix ſunt elapſi: vt eſt ſaltuum in nemore infinita profunditas, quam equites penetrare non poſſunt. Quo tempore Tremonia bellum ſuſtinuit aduerſum ſibi vicinum comitem de Marka, qui à veteri memoria dicebantur de Altena. Is comes adiutus armis archiepiſcopi Colonienſis, infeſtos tenuit agros ciuium, vt egredi non ſinerentur. Ipſi aliquantis vicibus arma in eum produxere: omnis deinde controuerſia hoc modo tractatibus finitur, in eam compoſitionis formulam, Vt Tremonienſes in reliquum annuam comiti pro tuitione pecuniam (vt prius) non ſoluerent: ipſe arces nouas, quas ſub nomine archiepiſcopi Colonienſis erexerat, demoliretur: ciues comiti viginti florenorum aureorum millia mutuò darēt, quæ non ipſe quoad viueret, ſed hæredes eius ſoluere tenerentur. In eum modum rebus cōpoſitis vtrique quieuere. Vades erant vicinæ vrbes, Suſatum, Vnna, Hamma, vt omnia ex fide implerentur. Bernhardum interea Brunſwici ducem à militaribus de Stenberge captum, Albertus dux Saxoniæ & Luneburgenſis moriens ictu bombardæ, ſuaſit Luneburgenſibus vt dominum aſſumerent. Sed quum ille captiuus diu teneretur, Wentzlaum Alberti fratruelem ducem accepere. Interim Henricus dicti Bernhardi & Friderici germanus frater, pro fratre captiuo ſatisfacere cogitauit, vt adminiſtraret ditionem capti fratris. Sed gemina illi difficultas erat: armis videlicet occurrere Wentzlao (quem militares dominum delegiſſent) & fratrem vinculis laxare. Sed Henrico obſtitere omnes. Ille tamen Friderici fratris viribus multa tentauit. Arcem nouam in ripa Alræ fluminis Wentzlaus obſedit: ſed ibi toxico periit. Artem ſubuertendi principes in Germania nouam, mirum quomodo tam frequentarent ab Italis acceptam. Habuit autem in expeditione illa dux Wentzlaus auxiliaria multorum arma, Epiſcopi de Mynda, de Scowenborg, de Regenſten, de Hoya comitum: milites multi, militares non pauci acceſſere. His ſuperuenere Henricus & Fridericus de Brunſwico duces, & manu collata victoriam reportauere. Vires autem exercitus ſui habuere ex vrbe ſua Brunſwico. Sed tum fortuna ducum illorum, quæ hactenus tenuis erat, creuit vehementer: vt magno ex captiuis ære conflato, & fratrem Bernhardum vinculis exuerunt, & arces ſuas pignore obligatas, in ſuam recepere ditionem. Hac inſuper victoria conſequuti ſunt duces memorati, vt Bernhardus iam liber, in ducatum Luneburgenſem

Principū conſtio aduerſus latrones.

Comes de Marka.

Veneficium artis Italica.

& ſolenniter introduceretur, & cum ſumma beneuolentia reciperetur. Luneburgenſes autem huius rei authores, belli huius exitum diu ſenſerunt: nam eorum pecunia dux laxatur. Vnde tantum æris alieni contraxerunt, vt in longum tempus non luerent. Erat au- 1390. tem tum annus MCCCXC. à nato Chriſto.

Cap. 13.

ADOLPHVS Wagriæ in Holſatia comes, vberioris eius prouinciæ partis dominus & poſſeſſor nouiſſimus eius lineæ, ab Iohanne primo Adolphi religioſi fratris Minoris filio, in fata conceſſit. Quæſitum eſt autem de proxima eius ſucceſſione, quum legitimos ſuos hæredes non haberet: inuentumq́; eſt quòd comites de Scowenborg vel eodem cum Nicolao, vel vno gradu ipſi defuncto eſſent propiores. Quod quum pro comperto omnes haberent, Nicolaus, vt terra vno regeretur deinceps dominio, comitibus de Scowenborg ex formula conuentionis magnam perſoluit pecuniam, deditq́; perpetuò poſſidendam eam iuxta Albim terræ portionem, in Pinnenberg, Hatesborg, Bermſtede, tres (vt aiunt) præfecturas: quas in hodiernum vſque tenent comites memorati. Extant deſuper conuentionis mutuæ literæ: nec alieni dehinc Holſatiæ fuerunt comites antedicti, ſanguinis nexu & perinde armorum ſocietate ſemper deuincti comitibus, & iam principibus in Holſatia dominantibus. Brandenburgenſem inde marchiam, quam (vt diximus) Imperator Karolus ab Ottone genero ſuo vili ſatis licitatione comparauit, Morauiæ marchionibus Iodoco atq; Procopio, magno ab illis ære accepto in feudum donauerat. Sed Bernhardus & Henricus duces de Luneburgo, Friderici de Brunſwico fratres, non permiſere forenſes in marchia principes dominia ſua propagare: ſeſe bello publico opponentes, pro quibuſdam arcibus, quæ pridem ducatui Luneburgenſi pariuiſſe dicerentur. Multi tamen miniſteriales ducum de Luneburgo marchionibus memoratis militauere. Sed quum magnum ſibi parari bellum marchiones intuerētur, per amicos egerunt vt Fridericus de Brunſwico dux, frater memoratorum principum, qui pacis zelator ab omnibus haberetur, eo bello neutralis eſſet, conquieſcēs: in quam rem mille trecentas ſexagenas Bohemicorum dicitur accepiſſe. Bernhardus autem & Henricus ſuis viribus nixi, arces Snakenborg & Gartow expugnauere, vaſtantes omnia vſque in oppidum Soltwedel. Inde deflectentes ad arcem Klotzeke peruenerunt. Eam militares de Qwitzow tenuere, fortiterq́; defenſata eſt, vt præter prædam tum nihil referrent. Quo tempore Gerhardus dux de Sleſwico cōiugem duxit germanam fratrum Friderici, Bernhardi, Henrici ducum. Ciues per ea tempora Hamburgēſes trans Albim in loco Glindeſmor præſidium non magnum firmauere, inuitis de Luneburgo ducibus, quum tamen militarium de Hiddeſacker conſenſum tenerent, in quorum fundo iacerent fundamenta. Sed facilè tum fuit principum fauorem auro promereri. Per quæ etiā tempora Bonifacius IX. vt vnionem eccleſiæ interuentu Dei genitricis impetraret, feſtum Viſitationis Mariæ à prædeceſſore inſtitutum, ipſe literis datis publicauit. Brigitta quoque inſignis ſanctitatis fœmina, quæ memoriam ſuam Romæ fertur in eccleſia S. Pauli reliquiſſe, reuerſa in Suediam, patriam ſuam, extruxit ſuis ſumptibus monaſteriū Waſteen (erat enim magno genere militari nata) ibiq́; in ſancta conuerſatione degens, hoc tempore ſubuolauit ad Chriſtum, miraculis clareſcēs: iam tunc Eliſabeth ſororem comitum Holſatiæ, ſacram virginem in contubernio habens, quam pro ſe reliquit loci gubernatricem. Eam Bonifacius IX. retulit in ſanctos. Ordinem reliquit vtriuſque ſexus religioſorum, in vno monaſterio non vno tecto diuerſantium.

Externo nouū principatum intrare per indigenas vix licet.

Fauor venalis

Brigittæ apotheoſis.

Cap. 14.

DVCES deinde Luneburgenſes, Bernhardus & Henricus, vocato in auxilium Alberto archiepiſcopo Magdeburgenſi, arcem Klotzeke receptatricem latronum & omnium qui inſidiantur in publicis itineribus, aggreſſi armis & machinis expugnarunt: repertosq́; in ea latrones, crucibus & furcis infixerunt. Quo etiam tempore Otto dux de Leina, ciuibus ſuis Gottingenſibus non rectè affectus, incaſtellauit eccleſiam extra muros vrbis, indeq́; excurrens obſeruabat exitus & reditus ciuium, vt nihil poſſet importari. Sed ciues egreſſi cum impedimentis ad rem præparatis, facilè deiecerunt munitionē, captis in eo viginti armigeris, quos belli iure ſua fide ſinunt abire. Deinde quum dux nihil minus obſideret vrbem, ſcirentq́; ciues multum eſſe in vrbe vulgus mendicantium, oneroſum obſidioni perferendæ, vt eiicerent, non vi ſed cautela intenderunt. Edicunt in loco extra vrbem ad agendas Deo gratias de victoria, ſtipem largam diſtribuendam: qui eam depoſcat, ad horam adſit accepturus cum cæteris. Magna colluuies hominum

Latronū præſidiū capitur.

Mendici oppido eiiciuntur propter obſidionem.

cõcurrit ſtipem acceptura. Datur illa largè, vt erat edictum: ſed vrbe à tergo clauſa, tum cunctis enunciatur, eant quò poſſint, panem quæſituri: non eſſe illis in obſeſſa vrbe locum, vbi grauare poſſint, adiuuare non poſſint: ad meliora tempora reuerſuri. Diſſeminantur illi quà quiſq; poterat. Ita factum eſt vt exonerati obſidionem diutius tolerarent. Phriſij interea ſuperbum genus hominum, & quod ſibi multum arrogat de libertate, Ockonem virum in eis primarium, quòd inter Germanos militans, militarẽ cingulum acceperit, factus eques auratus, occiderunt: arbitrati illum à patria libertate degeneraſſe, cui peregrinam inducere tentauerit nobilitatem. Mira hominum temeritas paluſtrium: cæca ſuperbia, quæ inſolentiam inde concipit, quòd non facilè armis ad iuga coguntur. Vxor autem Ockonis, viri necem vindicatura, ad comites de Aldenborg & Delmenhorſt profecta, arma comparat in tumultuantes. Non contemnenda manus erat quæ ducit in Phriſiam: Eccleſiam, quam de more gentis incaſtellauere, oppugnant: deiectaque, Phriſones ibi repertos ad ducentos iuſſit capite plecti.

[…]iſij nobiles […]ter ſe extare […]luut.

Cap. 15. ERICVS dux Saxoniæ inferioris, quum à Magnopolenſibus infeſtaretur, non paſſus iniuriam, quanta potuit arma in poſſeſſiones & prædia familiæ de Lutzowen mouit, deiecitq; quatuor eius gẽtis firmas muniriones: quintam verò ſibi reſeruauit in Turow, præſidium ibi habiturus, quoties in terram memoratam eſſet expeditio dirigenda. Quo

1392. tempore, quum eſſet nonageſimus ſecundus poſt mille trecentos, gymnaſium Erphordienſe fundatum eſt, Boniſacio IX. priuilegium donante, theologica ibi permiſſa facultate. Non vacat admiratione Germaniam tandiu ſine publicis egiſſe literarum gymnaſiis. Francia quidem à memoria Karoli I. eo genere claruit. Italia non longe pòſt, Bononiæ & quibuſdam aliis locis publicè docere cœpit. Sed Germania omnium ad cultum nouiſſima prouincia, nunc primùm incipit publica excolere palladia. Nam Bohemia non diu eſt quòd ſub quarto Karolo Imperatore & rege ſuo, Pragæ publicum meruit literarum gymnaſium. Interim verò Morauiæ marchiones, Iodocus & Procopius fratres, quum etiam Brandenburgenſem tenerent principatum, graui inuicem bello diſſidebant: quum alteri Wentzlaus Romanorum rex, alteri Sigiſmundus Vngariæ rex, item fratres, ſtuderent. Bella eius generis formidabilia, quæ pluſquam ciuilia dici debent: ſed æquęquitas natalium inter fratres facit vt alter alteri non cedat. Per idem tempus, quum Fridericus dux Brunſwici grauiter à militaribus eccleſiæ Hildeſemẽſis, de Stenberg atque Swichelen contemneretur, in eos armatum produxit exercitum: nec illi minores animo fiderent duci obuiam proficiſci, amicis & fœderatis in arma vocatis. Non procul Goſlaria magno vtrinque concurſum eſt prælio, pugnatumque diu ancipiti fortuna variante. Quum iam inclinari pars ducis viſa eſt, velut cœlo miſſa cohors equitum ſub manu militis de Godenſtede duci aduolitat. Feſſis recentes viribus incurrũt, & facilè victoriam duci pariunt: vulnerati, cæſi, capti magna pars militarium antedictorum. Dux ex captiuis non paucam accepit auri ſummam, compenſans quam pridem illis impenderat ad fratris ſui Bernhardi dudum ab eis capti redemptionem.

[…]ancia om[…]um prima […]ademiam […]buit.

[…]o fratrum […]ria inter ſe […]llum gerũt.

Cap. 16. BERNHARDVS dux Luneburgenſis & Otto comes de Hoia, quum hoſtili eſſent animo in epiſcopum Oſnaburgenſem (incertum ex quibus cauſis, nihil enim annales commemorant) magno agmine ingreſſi diœceſim, igne ſæuiunt ac gladio ad inermẽ ruſticam plebem. Magnam autem prædam præ ſe agentes, quum oppidum de Vechta præteruecturi in ſua redire feſtinarent, ciues eius oppidi cõclamant ad arma ſigno campanæ edito, & egreſſuris obiecti prælium inſtituunt, ita perurgentes, vt facilè omiſſa præda fugæ præſidium quærerent. Ita vnius oppidi animoſo obiectu diœceſis ſatis & vindicata & reſtituta eſt. Quo etiã tempore Ericus dux inferioris Saxoniæ, Bernhardus & Henricus de Luneburgo, & Gerhardus de Sleſwico duces, Nicolaus de Holſatia comes, fœdera inierunt quadriennalia: vt aduerſus omnem vndequaq; ſurgentem vim, ſi iuſtitia certare non daretur, arma conuerterent. Sæpe multa eius generis fœdera leguntur, quę miſelli pro ſuo captu interpretantur in eam partem, quam ipſi fortè principes nunquam in animum adduxerunt. Aduerſus vrbes omnia ea inſtituta detorquent, de ſuo penſu æſtimantes aliena ingenia. Hoc quoq; tempore Otto de Leina dux vita exceſſit, princeps variè à fortuna iactatus, & qui à rebus gerendis vacare non potuit, ſemper intentus, ſemper bellis implicitus. Cui cognominis filius Otto ſucceſſit, patri plurimum diſſimilis, ſub alio ſydere natus, pacis amator, modeſtiæ amicus, & qui omnibus rebus

publicam

publicam quietem anteponeret. Per quæ tempora Brandenburgenſis marchionatus iterum mutat principes ſuos. Nam Iodocus Morauiæ iam dux, bello fraterno fatigatus, quum æris indigus videretur, Wilhelmo Miſnenſi marchioni eundem hypothecauit, accipiens ab illo quadraginta millia ſexagenas Bohemicorum. Oppida & vrbes, arcium præfecti & in omni principatu militares homagium præſtitere Wilhelmo. Quo etiam tempore Albertus Magdeburgenſis archiepiſcopus, quum Ratenow oppidum ad Obe lam fluuium obſideret, proditione quorundam qui intus fuere, in deditionem accepit. Sed ille iuſta prodentibus præmia perſoluit: iuſſit eos excedere terra cum vxoribus & omni familia, certus in ſe facturos, vbi daretur occaſio, quod nunc pro ſe feciſſent. Ita diſcreuit fidem a commodis, quum illorum vteretur opera: factum tamen non probabat, perniciem exempli proſpiciens.

Proditionis [...] ſtum præmi[...]

Res memoratu digna, etſi noſtris extranea ſit inſtitutis, impetrat tamen à nobis in mentionem adduci. In Agrippina Colonia pernicioſa tum erat ſimultas in ciuibus. Duplex habuere in vrbe concilium: arctum, eorum qui quotidiana ciuium negotia curarent: & latum, ad illos quoque pertinens, qui magnis reipublicæ negociis aſciſcerentur. Erat ex latiore concilio vir primarius, quem legitimis cauſis proſcripſere magiſtratus concilij ſtrictioris. Parendum fuit: ſed ille apud principes effecit vt eorum opera reſtitueretur. Non poterat abolere memoriam in ſe patrati facinoris: multa molitur vt ſe vindicet. Denique conſtituit, vt concitata plebe omnes de ſtricto concilio in vincula faceret pertrahi. Nouit ſcelerum artifex quib. poſſet rebus mobile vulgus, nouarum rerum ſemper cupidum, commoueri. Dum iſta molitur, perſenſere viri ſagaces minoris concilij participes: & præuenientes molitionem cæterorum, latum concilium per eandem multitudinem fecere in vincula duci. Erant ſenſati in communitate viri, qui vtranque molitionem improbarent: effeceruntque vt minus etiam concilium cuſtodię manciparetur, quò minus quererentur cæteri iam agentes in cuſtodia. Et vtriſque diligenter cuſtoditis, ipſa communitas vtrunque concilium abſoluit: & nouo delectu habito conſtituerunt ſenatum alium, & vt in reliquum ciuitas non duplici, ſed vnico concilio gubernaretur, decreuerunt: quod ſeruatum in hodiernum, non paruũ dedit rebus incrementum. Dux quoque Bauariæ Albertus, per id tempus, quum haberet comitatum Hollandiæ per maternam lineam (quæ filia fuit comitis Hollandiæ) vicinam Phriſiorum libertatem conſtituit pertentare. Vrebat oculos eius paluſtris populi infrunita libertas. Eam perdomare conſtituẽs, magno ſuorum agmine ingreditur. Quumq́; magno labore diu confligeret incolis, is fuit exitus quem ferè ſemper in his reperimus, vt ſine fructu diſcederet, videns quia pedeſtribus copiis à mari potius, quàm equeſtribus à terra premeretur hoc genus. Sed ille tum reductis armis ſuis, populum reliquit in eo quem reperit ſtatu. Quo etiam tempore dux de Leina iunior Otto, quum ei auxilio eſſent vrbes Turingiæ, Erphordia, Northuſen, Molhuſen, arcem Hindenborg, latronum receptatricẽ cinxit obſidione: & inſtantiſſimè oppugnans, excitato fumo in ore propugnantium, fugam inire coegit. Præſidium æquarũt ſolo: ſed egreſſos prædones numero quadraginta duos captos, vna in furca ſublimes appenderunt. Griphenſteen, aliud furum latibulum, ſimili exitu perdiderunt euertentes: ſed qui inerant fuga elapſi, manus eorum euaſere. Nicolaus interim comes Holſatiæ, vir priſcæ virtutis & modeſtiæ ſingularis, iam in ſenecta vberi totus conuerſus ad religionem, Deo ſedulus ſeruiebat, per omnem vitam affectus diuino cultui. Deteſtabatur multorum abuſus principum, qui monaſteriis graues incumbunt, canibus aut equis alendis onerantes, ſciens non in illos vſus eſſe collatos religioſo loco prouentus. Mimis aut muſicis non multum indulgebat. Venerat ex Dania Haraldus, multis ornatus veſtibus precioſis: auri & argenti ſigna plurima, quæ à principibus dono accepit, in pectore præferebat. Hunc expectantem magnum aliquid à comite, iuſſit aſſidere muſicis ſuis: nec magno xenio honorabat abeuntem. Dixere nonnulli in aurem familiarius comiti, honeſtari conſulentes, Honorificè multorum principum communem famulum abire curabitis, ſolenni donatiuo. Habent enim huius generis homines in lingua vel extollere vel deiicere nobilitatem. Cui comes, Quid ais? inquit. Veſtibus ille multis prædítus precioſis, etiam me (vt cernis) ſplendidior incedit. Ego me notiorem principibus eſſe confido, quàm vt detrectatione viliſſimi hominis maculer, vel glorificatione nebulonis extollar. Abeat in viam ſuam, à me nullo maiori mu-

CA. 17

Factiones Co[...]lonienſium.

Holandus F[...]ſiorum liber[...]tem opprime[...]re conatur.

Latronum ſupplicium.

Qui ferè don[...] à principibus donentur.

nere remunerandus. Peruenit autem hic comes viuendo ad annum Chriſti nonageſimum ſeptimum: finiuit in curte Oſthof iuxta Itzeho, tumulatus ad patres ſuos, in eodem monaſterio, non magna pompa funerali.

CAP. 18. GERHARDVS dux Sleſwici, cum fratribus non vnum ſentiebat in diuiſione paternæ hæreditatis. Sublato Nicolao patruo, fratres arbitrati ducatu illum contentum, illis omnem iure permitteret comitatum. Sed dux contrà, eſſe ſibi in ſucceſſione paterna partem: nam ducatum alterius eſſe ditionis, à corona Daniæ deſcendentem. E diuerſo comites, ducatum eſſe permiſſum comitibus Holſatię: ideo ſi Gerhardus ſibi partem velit in comitatu, permittat viciſſim illis in ducatu portionem. Ad eam controuerſiam dirimendam principes in Todeſlo conuentum indixere partibus. Venit Albertus rex Sueciæ, iam captiuitate laxatus, Henricus dux Luneburgenſis, Ericus Saxoniæ, Adolphus de Scowenborg comes: & diu rem pertractantes, multa perquiſiere media concordiæ: nec tamen inuenire poterant quæ partibus comprobarentur. Quumque nullis viis ad concordiam pertingerent, ſine fine diſceſſerunt. Militares autem Holſatiæ, quum non libenter cernerent fratrum bella, de mediis cogitauere diligentius: ita adunati frequenter de re colloquuntur. In fine quum multa diſquiſiſſent, voluntate fratrum in eam venere ſententiam, ſenior inter fratres ducatum teneret. Et quoniam laborioſa ſemper prouincia fuit, nouē annis tertiā teneret Holſatiæ: quibus decurſis omnē fratribus permitteret comitatū. Inq; ea placita fratres cōtenti abierūt. Erant aūt Gerhardo fratres Albertus & Henricus: quorū Henricus in epūm Oſnaburgenſem electus, propter eccleſiæ ſchiſma nō peruenit ad cōſecrationem. Quo tēpore Henricus & Bernhardus duces de Luneburgo, indignati ſunt vrbibus, Lubicæ, Hamburgo, Luneburgo, quòd tertiā illam ſuæ ditionis vrbem non pro arbitrio ſuo haberent, defenſatam à vicinis iam dictis vrbibus. In quam rem vt pacaretur, integro biennio eſt laboratum, quum mercatores ire & redire non ſinerentur. Tamē interuentu communium amicorū res in hanc formulam compoſita videbatur, vt tres vrbes memoratæ magnam ducib. expromerēt pecuniam cōmodati titulo: impignoratas autem tenerent arces, Horburg Luneburgenſes, Blekedeken Hamburgenſes, Ludershuſen Lubicenſes: præſidiumq; deiectū eſt in Vltzen, pręter turrim, quæ valua (vt erat) permanſit oppidi. Fortalitium quoq; deiiciūt, quod in Honouerenſes erexere. Per quæ etiam tempora Albertus dux Bauariæ, ac comes Hollandiæ, expeditionem in Phriſiam renouauit, cautiorq; factus priore periculo, alium gerendarum rerum ordinem inſtituit. Magnis agminibus præditus, variis in locis vno impetu adortus, coegit imperata facere & in deditionem concedere. Quum nonageſimus nonus eſſet poſt mille trecentos, per brumam gelu terras ac maria conſtrinxit, vt ſicco veſtigio è Lubica per mare in vrbem Sundenſem, inde in Daniam perueniretur. Qua opportunitate vſi fratres de domo Theutonica, Maſſagetas oppugnare aggreſſi proſperantur: nam lacus, & paludes, & omnia receptacula eorum glacie durata iter præbuere. Vſus eſt Albertus quoq; comes Holſatiæ, qui in Phriſiam Eydorenſem mouens gladio & igne ſæuiit, coegitq; populum terræ datis ſedecim marcharum millibus totius terræ vaſtitatem redimere. Hoc tum potuit comes vnus adiutus temporum ratione.

[..]is fraterna [..]b ipſis militibus componitur.

Albertus Friſios domat.

1399. *Mare gelu [..]peruium.*

CAP. 19. ROBERTVS dux Bauariæ, comes Palatinus Rheni, quum Wentzlaus rex Romanorum nullis monitis proficeret, nullis rebus præter ſuam voluptatem intenderet, neq; Bohemiam, neq; Romanum regnum in ſua cura complexus, vir ipſe perditiſſimus: electoribus Imperij Franckfordiæ congregatis, Wentzlao deplorato & deſtituto, in regem Romanorum eligitur: & à Friderico Colonienſi archiepiſcopo de more Aquiſgrani cōſecratur. Ad huius principis ſalutationem quum aſcenderet Fridericus dux Brunſwici, optimus ſenſatiſſimusq; princeps, & qui multo labore ad pacem & iuſtitiam contenderat, digniſſimus Imperio, non longè à Friſlaria impetitus confoſſusq; eſt. Facile fuit peregrinantem in alieno ſuperare. Non qui perfecere nefas, ſed qui occultis conſiliis vel iuſſere vel diſſimulauere, inſimulantur. Semper enim improborum oculos offendit cōſpecta virtus. Rodulphus dux Saxoniæ in huius tranſiens comitatu, captus eſt cum multis nobilibus. Eccleſiaſticos principes ferunt rei fuiſſe conſcios: qui non quod acciderat ſorte mandauere, ſed vt caperetur: capi autem non paſſus periit. Hoc autem præuidere oportuit mandatores, in captura ſanguinem fluere. Moguntinus archiepiſcopus accuſabatur: qui neſcio ſi recentiores in eum cauſas obtendere potuit. Reſpicere poterat in

Comes Palatinus rex Rom. [..]bdicato alio [..]reatur.

antiqua tempora (vt ſunt principum animi diu memores iniuriarum) quibus Albertus huius proauus captiuum tenuit archiepiſcopũ Moguntinũ, nec niſi magno ære perſolu to paſſus eſt laxari. Quo etiam tempore Ericus dux inferioris Saxoniæ exceſſit, & quinque filios reliquit, Ericum, Magnum, Ottonem, Bernhardum & Iohanem. Maior natu Ericus patri in ditione ſucceſſit: Magnus ad epiſcopatum primò Caminenſem, deinde Hildeſemenſem prouehitur: Otto & Iohannes cæſi perierunt: Bernhardus poſt Ericum potitus eſt ditione. Sed tum Ericus circumſpiciens anguſtam eſſe terram multis alendis principibus, de amplificanda (vt fere omnes) cogitauit ditione. Pater eius Bergerdorp, magna accepta pecunia, Lubicenſibus in pignus dedit. Illi fide militari permit tunt Ottoni Ritzerow, acceptis de more ab illo ſacramentis, viro probatæ virtutis, ſed ad aſtus militares ſatis (vt exitus edocuit) ſimplici, nec ſatis cauto. Ericus in oppidũ perueniens, Ottonem arcis cuſtodẽ iuſſit euocari, percunctatus quomodo ageret. Ille mediocriter ſibi omnia eſſe pro modulo reſpondit. Eamus, inquit dux, viſum vbi habites. Ille nihil mali ſubeſſe veritus, vt qui noſſet arcem non vi captam, ſed ære commodato pignoratam, facilè paſſus eſt principem in arcem aſcendere. Vbi venit, iam Ottone comitatior, Bene, inquit, omnia communiſti: ſatis diu aſſeruaſti. Abſoluo te cura & labore, vade quò libet: ego patrimonium inde meum aſſeruabo. Otto fidem eius obteſtatus, ſperat non ſeriò, ſed ioco loquutum. Ille verò, Audis quid tibi dicitur? arcem noſtram ipſi tuebimur. Iam ſe ſua ſimplicitate deluſum ſentiens, mœſtus abiit: conſcenſiſque equis ſuis rectà Lubicam petit, cum gemitu obteſtatus ſibi illuſum à duce: pro arce illis reddere corpus ſuum & omnia quæ poſſideat, vitam quoque ſuam in illorum eſſe manibus. Et quomodo potuerit tale aliquid in principe formidare, in quo nihil hoſtile ad eam vrbem cognouerit? Illi tum conſulares aiunt, in hoſpitio ſe contineat ſub fide præſtita, donec aliud ab illis reſponſum accipiat. Præſidium ſui nominis, quod hæreditario iure tenebat, illis reddere paratus erat: ſed illi non acceptauere, impium rati exhæredare liberos ſuos. Ille autem dolore magno in eo cogitationes torquente, breui Lubica vitam in mœrore terminauit.

Nemo ſuo con tentus eſt.

Arcis occupa de lepidum a tificium.

Cap. 20

RODVLPHVS comes de Anehold, epiſcopus Halberſtadenſis, per ea tempora cauſam intentauit burgenſibus ſuis. Illi auerſi mandatis, pontifici ſe ſuo oppoſuere: ille gladium in eos diſtringit ſpiritualem, vſque ad diuinorum interdictum. Clerus omnis quum parere neceſſe haberet, & ſe tutum in vrbe non ſperat, ceſſit loco in vicina oppida dilapſus: nec enim, niſi diuinum celebrarent officium, in vrbe paterentur. Fratres mendicantes tum honori eccleſiæ matricis (vt tenerentur) deferentes, vnà ceſſere, paucis ad cuſtodiam domorum relictis. Nonnulli ſeculares ſancta profanarunt: ſed illi poſtea merita ſunt aſſequuti præmia. Pacata autem res eſt intra annum, vt quiſq; ſuo loco reſtitueretur. Tamerlanes per ea tempora, princeps Tartarici generis, graſſatur inter Turcos, captum circumducens eorum Imperatorem. Res commemoratione digna: ſed noſtris inſtitutis aliena, ab aliis quoque occupata, ſolùm à nobis temporis commemoratione deſignatur. Sequente anno Magdeburgenſes quoq; ciues in clerum ſæuierunt, diſſimilem tamen ob cauſam, quòd imponerent capitulo & clero variatam monetam ab archiepiſcopo. Effractæ ibi canonicorum curiæ, duæ etiam conflagrarunt: omnis clerus loco ceſſit, donec Domino præcipiente rediret tranquillitas. IRA tumultuantis populi beſtia eſt omnium ferocium ferociſſima, quæ nullis rebus complacatur. Per quæ tempora Henricus & Bernhardus duces mortem doloroſam Friderici fratris vindicare ſtatuentes, in communionem belli vocauere Ottonem ducẽ de Leina, principem ſui ſanguinis, Hermannum Haſſiæ Landgrauium: Henricũ de Honſten comitem. Duxere in arcem Gebeshuſen, in qua conſederant qui atroci & cruento facinore optimum principem confoderunt: cingenteſque arcta obſidione expugnauere, elapſis qui intus erant. Per quæ etiam tempora Albertus Magdeburgenſis archiepiſcopus, vita excedens locum fecit Guntero de Zwartzeborg comiti ætate iuueni. Sed tum facile fuit in diuiſione ſchiſmatis confirmationem impetrare. Tum etiam ciuitas Mindenſis pontem illum magnis molibus lapidum in pedes cõiectis, firmauit ſuper Viſurgum. Sed nulla vis par eſſe poteſt intumeſcenti glaciali flumini: diſiectus & ille partibus quibuſdam, maiori tamen in parte conſtabat vſque adhuc. Interim peſſimo exemplo, ex quibuſdam non ſatis proditis cauſis, in ſe verſæ vicinæ eccleſiæ Magdeburgẽſis & Hal-

Interdictum diuinorum.

Tamerlane Tartarus Tu ricum Imper. torem capit.

Epiſcopi belli inter ſe gerũ

berſtadenſis, vocatis in partes ſuas quiſque contribulibus miſerabiliter inuicem ſeſe lacerauerunt, quum alteri domus de Aneholt, alteri de Zwartzeborg inhęreret. Nec potuit facilè res tanta intercipi, donec vtriſque fatigatis qui impulerant, & euaſtatis agris, magiſtri coquinarum finem bello indicerent. Miſera agricolarum conditio, qui primi & onera laboris & bellicæ commotionis primi ſentiunt incommoda. Sed hæc, quia in dominos redundant, intentantur.

Cap. 21. 1404. Annvs erat quartus poſt mille quadringentos, quum Ericus dux Saxoniæ, qui ſocer eſſet Alberti comitis de Holſatia, nonnihil ſimultatis haberet ad populum Thietmarſiæ. Præſumpta generi voluntate, quum ille abeſſet, tacitus duxit per Holſatiam, inque aridam terræ illius mouens prædam abegit: nonnullos captiuos abduxit, in ſua reuerſus. Thietmarſi literis apud vicinos principes & vrbes queſti, quòd Holſatiæ comites non ſatis ſuo reſpondentes honori, nihil hoſtile de more renunciantes bella gerentium, permiſerint ducem Saxoniæ Ericum per ſuam ditionem ire, & cum præda redire: quod non longè diuerſum ſit ab inuadendo. Quid enim eſſe aliud fouere aduerſarium quàm aduerſa ſentire? Eam rem indignè tulit Gerhardus dux Sleſwici, fratrem increpans quòd tale aliquid permiſerit: non enim veriſimile videri, ſe ignorante tale aliquid per dominium ſuum fieri. Albertus autem ſe fratri quàm ſanctè iurando purgauit, nullius ſe eius operis fuiſſe conſcium. Dux ad hæc, Bene habet: illæſa permanſit integritas nobis à maioribus optima hæreditate relicta. Eam tuebimur & verbis & rebus. Ilico literis ad Thietmarſos emiſſis grauiter increpauerunt temeritatem ſcribentium, quòd honori dominorum non leuiter detraxerint, quòd neque proprio pepercerint, obliti decoris etiam ſui, mentientes apud vicinos principes & vrbes. Qua de re ſatisfactionem condignam ſe poſtulare. Ad principes autem & vrbes, purgandæ infamiæ gratia ſimiles dedere. Ea amaritudo etſi attẽtata ſit aliquot vicibus per tractatus aboleri, deliniri aut complacari, tam altè conſediſſe in cordibus ducis & comitis conſpecta eſt, vt omnis conatus in aduerſum fruſtraretur, nec vlla potuit ratione complanari. Multum ibi laborauerũt vicinarum vrbium oratores, ſed omnia incaſſum: bellum voluere Holſati: bellum exercuit. Animoſi Holſatiæ militares impulerunt dominos ſuos, vt expedito agmine terram ingreſſi, multam prædam abegerint, & ante oppidum Meldorp in Delbrugge erexere præſidium, quod diu ſeruauerunt. Thietmarſi hoc oppugnantes, ſæpe ſuorum plurimiſſis amiſſis ſunt repulſi. Meldorp oppidum Holſati facto impetu capiunt: quo in prælio aliquot militares militiæ cingulum, vt eſſent aurati equites, meruerunt: ſed nemo ſiſus eſt in oppido, quod immunitum eſſet, pernoctare. Conglobati incolæ deiicere præſidium ſunt fruſtra conati: ab Hanerow, Tileborg, Swaueſtede multis diu afflictionibus atteruntur. Albertus comes ſuorum expedito agmine duxit in Northamme, ibiq; multam prædam coegit. Superuenere adunati magnis turmis incolę, illo proculdubio tempore agmen omne Holſatorum ad perniciem incluſuri. Sed increſcens tum Eydora flumen, vallem impleuit quæ locum illum & Heidam interiacet: vnde factum vt anguſta tum ſemita Holſati abirent cum pręda. Albertus autem comes quum agmina cogeret, indignabundus, adacto calcaribus equo (neſcio quid) properabat. Equus ſublapſus præcipitem dat ſeſſorem: ita armatum conquaſſauit, vt breui finem faceret viuendi, tumulatus in Itzeho.

Cap. 22. Ad Gerhardum ducem omnia redibant: nam Albertus hæredes non reliquit. Sæpius ſe deinde interpoſuere vicinarum vrbium gubernatores, vt rem tractatibus dirimerent. Incolæ primùm ipſi, vt pacem mercẽtur, expromiſere magnam pecuniæ ſummam. Dux voluit annuam: magnam enim in ſpem venerat terræ potiundæ, vt ſubditi eſſent, imperataque facerent: quod illi morte grauius duxerunt. Nec mediatores (vt creditur) in eam rem multum propenderant. Dux literas eorum produxit, quibus antè polliciti ſunt, ſe in auxilio comitum futuros aduerſus quemlibet hoſtem. Neq; hoc ſyncerum arbitrati, implere volebant: ſed quoſdam ſuorum aduerſus exteros impugnatores ſubſidia exhibuere. Tum dux, Neque promiſſis, inquit, ſtare, neque fidem literis firmatam hæc gens implere conſtituit, vt video, & iam fraterno ſanguine impenſo nobis ea res magno conſtitit: diſſimulanda nullo modo venit. Ita diſturbatis tractatibus ad arma reditum eſt. Præſidium in Delbrugge Holſati ſeruauere: quod Thietmarſi oppugnantes, multa ſæpe retulere incommoda. Toto deinde agmiñe dux hoſtes petere

conſti-

conſtituit. Ingreſſus in die Oſwaldi per viam Suderhamme, ſignum ſagittariorum Henricus de Aluelde miles habebat. Sed quod primarium vocitabant, Nicolaus frater eius, itidem miles, defendit. Dux cum cohorte conſtitit ad ſigna in primordiis ingreſſus. Sagittarij, & qui ad pugnam venerant longius circumacti, de parrochiis Lunden & Weddingſtede prædam coegerunt: nec ſatis ad exitum feſtinabant vrgentes. Nicolaus fratrem commonuit, tempus eſſe ad reditum properare. Ille nihil veritus, animoſior circuibat, cuidam molendino quod ventis agitur, euertendo inſiſtens. Interim conglobati Thietmarſi exitum viarum, in quem dux reſpexit, circumuallauere: præmiſſi ruſtici cum aliquanta præda. Iam propinquauere cohortes equitum ad exitum reſpicientes: præmiſſi autem pueri, qui dominorum ſuorum clypeos & haſtas baiulauere. In hos primo impetu facto, clamor puerorum attollitur cum eiulatu. Princeps inter ſe ſuorum eſſe rixam arbitratus (hoſtes enim ſe rubetis occuluere) aduolat inermi capite, vt ſuorũ clamorem compeſcat. In eum mox irruunt ex latere Thietmarſi, & capite vulnerato deiecerunt. Sæuitur deinde in omne agmen ex lateribus, & concurſu populi facto, vallatur omne agmen Holſatorum. Paucis mira fortuna elabentibus, reliqua multitudo cæditur, opprimitur, conculcatur. Mox in deiectos ſæuiunt, nullius vitæ de more parcunt: ſemiuiuos extinguunt, & in cadauera ſæuientes, vix principem cum paucis permittunt ad ſepulturã: cæteros canibus, lupis, vulturibus vorandos derelinquunt. Cum duce occubuere milites duodecim, militares vtriuſque terræ, Holſatiæ & ducatus, trecenti. Henneke Lembeke, ſæpe victor in agmina Danorum regis: Vlſo Pogwiſch, cognomento Bonus: Henricus & Nicolaus de Aluelde: Gerhardus quoque Sculte ex dioceſi Bremenſi, milites, & alij innumeri procubuere. Duo in ſequentem diem capti, Pogwiſch & Rantzow, pro redemptione ſua hoc egerunt, vt nouum in Delbrugge præſidium deiiceretur. Signa militaria quæ ceperant, aliud in Meldorpe, aliud in Oldeworde ſublimia fixerunt. Ferunt, in auro & argento, equis & armis, non mediocrem eſſe theſaurum terræ inuectum. Hæc eſt ſecunda inſignis clades Holſatorum, quam in Thietmarſia ſunt perpeſſi. Nam prima fuit viceſimo poſt mille trecentos ſub Gerhardo comite, huius ducis auo. Ille quidem tunc ſuperfuit: ſed copiæ maiores perierunt. Prælio nunciato infœlici, mœrens Holſatia luxit principem ſuum. Imprimis vidua eius de domo Brunſwickcenſi, inſignis fœmina, ſoror Henrici, Bernhardi, Friderici ducum, filia Magni, cum tribus filiis & duabus filiabus, mœſta reſedit: perfecitque tamen vt treugæ inirentur, renouarenturque deinde priſca terræ fœdera: Thietmarſi in Holſatia, Stora & Eydora fluminibus, immunes à vectigalibus eſſent, viciſſim Holſati in Thietmarſia: ſi quid viciſſim quæſtionis naſceretur, maiores vtriuſque terræ dirimerent, arma conquieſcerent: cui recedendum à fœdere videretur, ſex antè ſeptimanis renunciet parti alteri. Ea tum literis tam relictæ dominæ quàm Thietmarſorum ſunt vtrinque roborata.

Ruſticorum ſæua crudelitas.

CAP. 25.

Gerardi Holſati posteritas.

TRIVM filiorum quos dux Gerhardus liquerat, maior Henricus ſeptimum agebat annum, Adolphus tertium, & Gerhardus in vtero erat poſthumus patri. Filiarum vnam regina Daniæ Margareta in Suediam perduxit, in monaſterio Waſteen ſanctæ Birgittæ loco memorabili, quẽ pòſt euecta regebat. Altera tradita eſt domino de Wandalia, principi Balthaſar. Quumque ille non diu ſuperfuiſſet, nupſit Thederico de Aldenborg comiti, peperitque illi Chriſtianum, Mauricium & Gerhardum filios: quorũ primus rex trium aquilonis regnorum factus, genuit Iohannem regem & Fridericum ducem, fratres, hac ætate Holſatiam tenentes. Nam fratres illi tres, Gerhardi filij, ſine prole abierunt. Gerhardus autem dux, ſi quid illi contigiſſet humanitus, filiorum tutores eſſe iuſſit Ericum Krummedick, Sifridum Seſteden, Laurentium Heeſten, milites. Sed res maiori viſa eſt indigere præſidio. Vnde factum eſt vt Henricus comes electus Oſnaburgenſis, Gerhardi ducis frater, impetrata ab eccleſia ſua abſentia, perueniret in terram, tutorio illam pro nepotibus nomine adminiſtraturus. Hic primus ſe principem ſcripſit Stormariæ: quod literæ eius nunc extantes docent. Ad primum Henrici ingreſſum commoti dominorum tutores milites, adminiſtrationem illi non permiſerunt. Quum enim dederit illis pater tutores, non eſſe putabant locum legitimæ tutelæ, quam Henricus comes præſumebat. Ille verò non alienum ſe ratus ad Holſatiam, etiam iure ſucceſſionis partẽ aliquã reputabat ad ſe pertinere. Quæ res varias multorũ ha-

buit ſententias. In arcem Zegeberge admittitur Henricus,& in Rendesborg,ſatis renitente domina ducum iuniorum matre : quæ in Gottorpe plurimum commanebat. Interim Margareta trium regnorum potens regina, quum audiſſet Gerhardum ducem cecidiſſe, inq; terra eſſe diuiſionem ſuper adminiſtratione (nam memorati milites comiti etiam armis ſunt aduerſati, quorum vnum comes in Bramſtede ſuperatum repulit, cæteris exinde quieſcentibus) cogitauit regina tempus aduenisse, quo ducatum regno ſuo Daniæ denuo adunaret. Sed tamen induſtriè rem procurabat,per partes recuperare malens,quàm vno armorum impetu omnia ſubigere. Et primùm quum Holſatiam ære noſſet indigere,arcem Lutke Tunderen in pignus accepit à matre paruulorũ, numerata pecunia : quam tamen primo anno à ſubiectis Phriſonibus ſtatim exactione inſtituta recepit. Supererat ex Nicolao comite filia Eliſabeth, quæ arcem Oppenra tenuit ſibi permiſſam. Eam puellam regina deſpondit Erico duci Saxoniæ, & dote ex ſuis numerata arcem ſibi vendicauit. Aliam quoque Grodebuſz, eccleſiæ Sleſwickcenſi pro ſua ſuorumque maiorum ac omnium poſteritatis memoria arce demolita,ſubiecta prædia permiſit. Ita pro arbitrio ſuo omnia cœpit in ducatu adminiſtrare regina. Seniorem Gerhardi filium Henricum,adhibitis tribus in familiam,miſit in regnum educandum,obſidem habitura, ſi quid ab Holſatis intentaretur. Interim in Holſatia, & ducatu multa per tumultum agebantur,vtpote quibus legitimus deerat princeps. Comes Henricus fere omnia in Holſatia : domina autem relicta, cum ſuorum tutoribus filiorum, in ducatu,quantum à regina ſinebatur, agebat. Sed illa adminiſtrationis diuiſio ruinã minitabatur. Nam Ericus Krummedick miles,& Nicolaus Lembeke,magnarum in ducatu rerum dominus,quibuſdam de rebus diſſidentes,metum conciebant. Vnde factum eſt vt publica commoda minus curarentur.

Margareta ...ma regina ...ute rem ad ...niſtrat.

Cap. 24.

...unſuuicen... prælio ſupe... ...tus capitur.

Henricvs per ea tempora dux Brunſwici,quum bellum vltra Weſeram haberet,congreſſus Bernhardo nobili viro de Lippia,infœliciterque pugnans, ab eo capitur, & in vinculis per annum habitus,non niſi magno ære expromiſſo potuit relaxari. Centum millia aureorum dicitur ſe daturum conſtituiſſe : ſed tamen poſtea ſola quindecim millia ſoluta memorantur per amicos fideiuſſores. Quo tẽpore ciues Mindenſes in ſuę ciuitatis conciliũ tumultuãtes, ipſum vrbe eiecerunt,vxoribus poſt eos in curribus per contumeliam miſſis. Ægere quod poterant eiecti, primùm manu iniuriam vlciſcentes, & incendiis graſſantes. Ex primariis tumultus authoribus quendam deprehenſum foris,quidam ex proconſulibus,ſua manu appendit in arborem iugulandum. Inde iure agere connixus, idem ad Robertum Romanorum regem contendit : ibique ciues euocatos,& non comparentes,banno ſubiici curauit imperiali. Quo iure vicinos illis principes,qui tuebantur,auertit : inuectionem rerum prohiberi obtinuit, & fame compulit recipere quos per iniuriam eiecerunt. Sed Henricus dux memoratus quum ſe in Bernhardum de Lippia vindicare conſtituiſſet, armis quanta potuit contractis in arcem Pol duxit : & ſecretius aggreſſus,ſacra nocte Paſchali, quum nihil hoſtile formidaretur, per ſuos conſcendens cepit. Inde mouens in oppidum Horne facilè expugnauit, muniuit : & inde excurrens, omnem terram ſolitudini coæquauit, igne & ferro conſumens omnia. Otto inde Bremenſis archiepiſcopus,frater ducum, in fata concedens,locum fecit Iohanni Slaemſtorp archidiacono Hadeleriæ. Interim verò Bremenſis diœceſis miſerè inter manus comitum de Aldenborg laceratur, in prædam expoſita. Bremenſis diu ciuitas neutralitatem egit : ad imum tamen quum ſe partibus immiſceret,cepit Mauriciũ comitem de Aldenborg,& abduxit in vrbem,diu habitum captiuum. Interim creſcente pertinacia hæreticorum in Bohemia, præſertim in vrbe Pragenſi : quum non aliud molirentur Bohemi quàm Theutonicorum de vrbe eiectionem,ad omnia diſſimulante & mortaliter ſoporato rege Wentzlao. Tandem octauo poſt mille quadringentos, turmatim Theutonici doctores & ſcholares ad duo millia emigrarunt, & in oppidum Miſnæ Lipſiã ſeſe collocauere. Quo loco ex illo tempore, annitentibus marchionibus, ſolenne cœpit eſſe gymnaſium vſque hodie florens. Praga autem ſuis miſerabiliter infecta erroribus,magis atque magis indies efferueſcebat : quæ malo filiorum ſuorum principio quum in gyrum & vertiginem ſemel acta eſſet, quieſcere non potuit, quoad ſchiſma ſuum ab omni eccleſia efficeret dimembrari. Multa exinde ſequuta ſunt incommoda, bella ſine fine ſæuientia : quod ſuis locis in Wandalia commemorabitur. Tantũ poteſt

4 0 8.

...ctores Pra... ...n propter ...eticos deſe... ...t.

...iſma Boe... ...um.

teſt paruis initiis cœpta diſcordia, quæ progreſſu alita creſcit in maximam.

ERICVS dux Saxoniæ per hæc tempora, quum cerneret tumultuari ciuitatem intus Lubicenſem (quòd communi eiecto concilio vrbis, nouos magiſtratus creauerit) vſus temporum opportunitate, oppidum Molne, quod patres eius eiuſdem ciuitatis ſenatui impignorarunt, occupauit: eccleſiam in caſtelli morem propugnatione firmauit. Sed tamen ciues eductis bellicis machinis, quum in eum ducerent, facilè coegerunt eũ, relicto oppido ſe in tutum recipere. Sic denuo cõceſſit oppidum in poteſtatem ciuiũ. Sed incendiũ quod abiens Ericus concitauit, nõ facilè potuit reſtingui, quo minus maior oppidi pars conflagraret. Iidem ciues quũ in armis eſſent, præſidiũ Ritzerow deiecerunt, quòd inde ducales procurrere arbitrarentur: ſimul & hoc reputantes, arcem ab Ottone patre nuper ciuitati permiſſam, quum incuria ſua Bergerdorpe amiſiſſet, iure ad ciuitatem pertinere. Nec longè pòſt in ducatum mouentes Ratzeburgum impugnauerunt. Pauci ſe oſtenderunt, cæteris latentibus ad inſidias. Euenit quod ſuſpicati ſunt. Ratzeburgenſes quum cernerent à paucis ſe incurſari, eorum paucitate contempta eruperant vt confligerent, manus illis conſerentes. Quum de latibulis cæteri prorumperent, retrouerſi per pontem in oppidum ceſſerunt. Sed quum vrgerent hoſtes ipſiq; inuicem premerent, ſubſidit pons fractus, & multi oppidanorũ aquis præfocati perierunt. Otto interea Monaſterienſis epiſcopus, cominibus de Solmis oppoſitus, eiecit illos de Weſtphalia, præſidiaque eorum marte occupans, eccleſiæ ſuæ coniunxit. Prolatatis viribus eccleſia illa cœpit vehementer foris in robore militari excreſcere: nam comites ad anguſta perducti ceſſere pontifici. Per quod tempus inferna erynnis imperiũ cepit in vrbibus maritimis Wandaliæ. Nam Lubicenſium ciuium exemplũ ſequutæ vicinæ vrbes, conſulares ſuos aut propulerunt, aut imminuta eorum poteſtate, ſexaginta viros allegerunt, qui rebus pro publica vtilitate gerendis intereſſent. Quorũ audacia Hamburgi in id temeritatis excreuit, vt quendam tumultuarionis principem, quem in carcerem iuſſit abduci ſenatus, cõmune confractis carceribus relaxauit. Alium etiam virum bonũ, ſed tumultibus ciuiũ aduerſantem, quum inter alios collectũ aſſumerent in concilium viri conſulares: cõmunitas ingreſſa prætorium, iuſſit hominem de medio cõſurgere, & relicto concilio domi ſuæ manere incluſum. Nec paſſi ſunt in ea vrbe demorari conſulares, quos tumultuantes ciues Lubicenſes illa ſua vrbe eiecerũt. Sed malis domiti, quod in Wandalia diximus, cum honore recipere adigebantur.

Lubicenſium res bello geſtæ.

Eccleſiæ amplificandæ digna epiſcopo ratio.

Plebis periculoſa licentia.

CAP. 25.

ERICVS ex Pomeraniæ duce in regem Daniæ, imò trium regnorum, Margaretæ reginæ iam ſeneſcentis adoptione prouectus, quum è manibus Holſatorum eruendi ducatus Sleſwickcenſis primordia accepiſſet à matre Margareta, inſtitit reliqua conficere. Quum enim & ducatus ipſe & Holſaria ſine legitimo capite (in quo plena reſideret authoritas) videretur, multa inuicem Dani Holſatis, & viciſſim ipſi Danis & damna & incommoda intulerunt. Quibus per ſingulos dies magis ac magis increbreſcentibus, rex Ericus Henricum comitem, neporum ſuorum legitimum tutorem, in Koldingen (limes is eſt ducatus Sleſwickcenſis) euocauit, rationem redditurum eorum quæ Dani ab Holſatis paſſi dicerentur. Eo reſpondente non minora ex aduerſo ſuis illata incommoda: ſi compenſatione vterentur, facilè æquanda hæc illis: veruntamen ſe de omnibus in iure facilè reſponſurum. Quod verbum ex ore eius rex arripiens ait, Ergo, inquit, in iuſtitia de omnibus tranſigetis? Annuente comite, rex ſubſequitur, Ecce neceſſariis cauſis in Fioniam nunc nauigo: ibi congregato regni concilio, de omnibus æquabiliter ſtatuetur. Comes ſe venturum pollicetur. Nauigat rex: comes paucis de ſuo concilio aſſumptis, regem ſequitur, in arce Hanſegagel regem adiens. Ibi rege conſenſo ex more tribunali, paratas iuſſit depromi querimonias: quæ incertum, de rebus an de vita comes certaret, reliquerunt: tam atroci criminatione agitur, ita terribilem iuſſit ipſo apparatu rem omnem intentari. Interuenere nonnulli ex regio concilio, qui regem deprecati, cauſam de criminali fecere ciuilem: ſuaſeruntque comiti vt de omnibus regis gratiam requireret, & tum ſatis ex ſententia rem proceſſuram. Quid faceret comes iam caſſibus incluſus? Seruiebat tempori. Damna Danis irrogata ad vndecim aureorum millia ſunt taxata: in cuius ſoluendæ ſummæ pignus oppidum Flenſborg, cum vicina Nouadomo (quod præſidium Nicolaus comes firmauit) deponeretur. Niſi infrà annum pecunia ſolueretur, res caderet in commiſſum, nec poſſet in reli-

CAP. 26.

Henricus Holſatorum tutor circumuenitur.

quum ſui. Valebat apud Danos pactum legis commiſſoriæ tam in pignoribus contra iuris prohibitionem, quàm in emptione, quod ſi quæ damna liquidari poſſent, quæ Dani irrogarunt Holſatis, facta compenſatione lucrentur. In eas tum conditiones comes ſe de regis manibus explicuit. Et quum deinde dicta factis eſſent comprobanda, implere fidem comes conſtituit: quamuis multi male de rege diuinarent, quòd ſemel acceptum oppidum nunquam relinqueret. Præſtantiorem tamen ille duxit regis fidē quàm fabulas cæterorum. Nec longè erat rex cum expedito agmine, viſus etiam per vim poſſe extorquere, ſi fidei negaretur. Comes oppidum tradere conſtituit in regis poteſtatem. Oppidani ſcientes quid ageretur, comiti prædixere, videret quid ageret: ſemel ſe regi ſacramenta præſtantes, non facilè retroceſſuros. Ille pignoris ſacramentum, non iuſti dominij, tradere iuſſit. Rex accepto oppido iuſſit profundiſſimo cingi foſſato, quod hodie quoque cernitur: murum ſuſtolli, & vicinum montem foſſatis ambiri: vt facilè appareret, quid in animo geſtaret. Comes cū contutoribus dictam pecuniæ ſummam circa finem anni depromere paratus, reſtitutionem oppidi popoſcere: ſed rex auerſatus nullas aures præbuit, ſemper cauſas texens ex cauſis, cur non oporteret. Facilè enim tergiuerſatur qui potentia antecellit.

Fides parum ... gia.

Cap. 27.

...ex & regi... mutuas ope ... veterato... præbent.

Interim regina, velut omnium ignara, deſcendit ex regnis, mediam ſe volens interponere regi comitique, vt omnia tranquillo more tranſigantur. Venit Sleſwicum, & euocata in occurſum domina relicta, ducum matre paruulorum, oſtendit ſe nō probare factum regis, quòd comiti in re tanta aduerſaretur: ſe eſſe quæ paci & tranquillitati omnium ſtuderet: facilè ſe, ſi ſibi fides habeatur, effecturam vt omnia ex ſententia gerantur: opus eſſe imprimis in oculis Danorum illa ſpecie, qua regina cum ducum matre in omni cōcordia & vnanimi ſententia & viderentur & crederentur. In quam rem nulla maior fieri poſſet oſtenſio, quàm ſi arcem Gottorpe illi vel ad horam permittat: tū facilè Danorum proceres, vbi eam concordiam cernant, ceſſuros ambarum voluntati, vt omnia deinceps fiant ex ſententia ducis fœminæ. Quid faceret mulier ſenſata illis in anguſtiis deprehenſa? Vndique ſe maiori cernebat potentia vallari. Si renitatur, poſſe cogi, & magnum inde bellum exarſurum, in quod exiles illi erant vires. Itaque ceſſit voluntati reginæ, eam ſinens ingredi arcem memoratam: adhuc tamen ſpem omnē non poſuit ex fide rem geri. Ferunt, reginam, quum ingrederetur arcem, in magna turri læuorſum facta cruce exoſculatam, quum nihil diceret. Deinde vbi claues popoſcit, ad menſam conſedit, cum duce fœmina. Ibi quidam ex miniſterialibus reginæ in aurem ei loquebatur: & præceptum ab ea (incertum quale) accipiens exiuit, reſpiciens in memoratæ turris faſtigia. Prominebat ab excelſo de feneſtra ſpeculator potans, & ſpeciem præbuit oculis obſeruantis, magnam incluſam pugnatorum multitudinem, quæ paratis fortè inſidiis obuiaret. Introrſus ille rediit ad reginam. Quem vbi vidit, præueniens rogat omnia conſtent ex ſententia, nec ne. Quo reſpondente non conſtare, & illi inclinans ſuſurrauit in aurem, vidiſſe ſe turrim armigerūm plenā. Et mox indignatione concepta conſurgens, verſa in paruulorum matrem, toruo ait vultu, Hæc eſt illa fides quam pollicita es? Agam tibi tuiſque in tempore gratias. Et hæc dicens abceſſit. Dux fœmina neſciens quid ageretur, moleſtè quidem tulit indignatam ſibi reginam: ſed recreauit eam abſceſſus vltroneus. Quid caſus cōferre poteſt? Certè hoc tum præſtitit quod nulla induſtria, nulla interim vis præſtitiſſet. Vbi poſtmodum intellexit reginæ machinationem, & ſuam per fortuitum ſed erroneum intuitum, liberationem, cautius ſibi proſpexit in reliquum: mitten ſque quam celerrimum nuncium, qui Henricum filiū ſuum è Dania quamprimum diſſimulantiſſimè reuocaret, ne obſidis loco teneretur. Cernebat hæc omnia deuergere in apertum bellum.

Deus incanta & perfida regina dolis liberat.

Cap. 28.

Sacerdotis mu... fulmina, ... vtrique ... arma faciunt.

Brvnswici per hæc tempora inter clerum & populum ab exili origine grauis eſt orta controuerſia. Clericus reipublicę ſeruus beneficium impetrauit à ſummo pontifice in eccleſia maiori ſancti Blaſij: reclamante capitulo poſſeſſionem aſſequi non potuit. Vrgebant conſulares cum populo vt admitteretur: & quum non impetrarent, vim facere intentarunt. Capitulum cenſuris comminatis vim prohibebat: populus appellationis repagulum obiecit cenſuris. Adhærebant populo quidam parrochiales paſtores & fratres mendicantes, fortè exequutores, quos impetrans obtinuit. Et illi fulminabant cenſuras in capitulum: ſed & illi appellationem obiecerunt. Ita graui perinde ſcandalo excita-

excitato, factum eſt vt inde clerus maioris eccleſię denunciaret excommunicatos cum populo conſulares, diuina tamen continuantes. E diuerſo fratres ipſi, & quidam paſtores, denunciarent viciſſim excommunicatos canonicos: quum & ipſi diuinis non abſtinerent. Ea diu valuit in ſcandalum puſillorum varietas: quod neceſſe fuit, vbi vtriſq; viluiſſe videbantur arma eccleſiæ. Intentare brachium laici cœperunt. Et quum ſuo capiti quiſque timeret, exiere vrbem maiores in clero: principibus & vicinis pontificibus (qui etiam iuriſdictione funguntur in vrbe) Halberſtadenſi & Hildeſemenſi ſe coniunxerunt. Vterque inde gladius diſtringitur: & in longum ducto fune diſcordiæ, ad multos annos ea durauit pertinacia. Quo tempore Bernhardus & Henricus fratres, Brunſwici & Luneburgi duces, principatus ſuos veteri diſcrimine ſunt partiti, vt Bernhardus ſenior accepto Brunſwici dominio, permitteret Henrico Luneburgenſem. Sed quum in Marchia veteri latrunculorum prouincia deprædationes crebreſcerent, Fridericus Brandenburgenſis marchio, quum in comitatu & auxilio haberet arma Gunteri archiepiſcopi Magdeburgenſis, munitiones in quibus commanerent eius generis homines, Plawe & ſex alias arces ad interiora Marchiæ, occupauit, fugatis è terra qui tenuerunt: vt purgata ſit prouincia malis hominibus, qui quæſtum reputauere bonum, de publicis itineribus conferre quæ quiſque occupaſſet: quaſi per vim liceret graſſari inter homines, velut in nemore feroces beluæ in timidas, & in aere accipitres inter columbas, & in vndis ſui generis tyranni. Datur hoc honori viuentium militarium, vt nomina quæ ſunt in annalibus veterum auorum, reticeantur, quòd illi malis criminibus irretiti dicerentur: ne commaculēt poſteritatem, quæ iam in honeſtiores vtique vitæ mores tranſierunt. Ericus tum dux de Salina ſatis aſperum bellum geſſit cum Henrico de Honſten comite: & proſperante fortuna, dux obtinuit comitem in congreſſu, multoſque Turingiæ militares: quamuis & ipſe, vice rerum conuerſa, nonnullos ſuorum & captos & cęſos, communi marte (vt fieri ſolet) in eodem prælio amiſiſſet. *Latronũ bellum.*

SIGISMVNDVS interea rex Vngariæ, Karoli IIII. Imperatoris filius, Wentzlai ignaui regis frater, ab electoribus Imperij Franckfordiæ rex Romanorum, mortuo Roberto eligitur, princeps prudens & fortis, & qui plurima bella peregit in perfidam Turcorum gentem, Chriſtiano nomini neceſſarius, quaſi de cœlo miſſus aſſumitur. Iam Bohemia perfidiam oſtenderat: iam Romana eccleſia diuturno ſchiſmate lacerata, in vnum diu caput conſentire non potuit. Sed peregit ſenſatus princeps, plurima regna obiens, vt in diebus ſuis pax redderetur. Penetrauit Franciam, viditque regem eius. Nauigauit in Angliam, & vbique ſemina iecit futuræ pacis. Interim principes Saxoniæ vtriuſque ordinis, eccleſiaſtici & ſeculares, malo omine firmatam arcem Harteſborg, ſæpius euerſam, toties reſtitutam (quòd publico malo firmata videretur) iterum deiiciendam putauerunt. Gunterus archiepiſcopus Magdeburgenſis, vocatis multis in communionē belli principibus, in quibus erant Bernhardus & Henricus duces Brunſwickcenſes: qui machinis & bombardis vrbiū perfecerunt, vt turribus deiectis perfoſſiſque muris, habitatores ſe principibus permitterent, corporibus & rebus ſalui. Hæc enim erat deditionis formula. Præerat (vt diximus) Gunterus: aderat Halberſtadenſis, communitates de Magdeburgo, Halberſtadio, Brunſwico, Goſlaria. Multis enim viribus opus erat, firmiſſimum præſidium, quod à multis defenderetur, deiicere. Profecerunt tamen, & euerſa arce ſolo tenus, fugabant inſeſſores. Vna vbique euertendarum arcium cauſa, quòd receptent, ſi non emittant, publicorum itinerum latrunculos. Stabat illa tempeſtate concilium Conſtantienſe, quod Sigiſmundus Romanorum rex ſua ſolicitudine peregit vt congregaretur, Franciam & Angliam ob eam rem peragratus: quòd ſperaret reges illos diuturno bello conflictantes ad vnionem perducere. Qua in re etſi minus profecerit, collaudandus tamen eſt optimi regis infatigatus & inuictus ad laborem animus. Sed tum primùm renunciante Gregorio XII. capto Ioanne XXIII. deſtituto Benedicto XIII. (qui tamen in pertinacia durauit ad mortem) vnus & indubitatus pontifex creatus eſt Martinus V. Deinde examinata & condemnata eſt hæreſis Bohemorum, conuicto & condemnato Iohanne Hus, & deinde Hieronymo eius auditore. Qui autem aderant oratores eius gentis, publica interpoſita fide, redierunt in regnum non emendati. Quo tempore Henricus dux de Luneburgo arcem Rodeborg eccleſiæ Verdenſis vnicam cepit, quū aduerſaretur Henrico de Hoia

CAP. 29. *Sigiſmundus Rom. rex eligitur.*

Conciliū Conſtantienſe.

Ioannes Hus & Hieronymus Pragēſis.

comiti ad eam eccleſiam tum electo, diuque tenuit occupatam.

CAP. 30. HENRICVS idem dux Luneburgenſis iuſtitiæ tenax princeps, multa egit vt vim & improbitatem latrocinantium excluderet, tam ſeuerè caſtigans improbitatem, vt de minimo quoque ſtatueret exempla iuſtitiæ. Præfectus arci Tzelle, vir induſtrius, quum iret properanter in Luneburgum aduenturo principi parare neceſſaria, ventus aquilonaris penetrabat tenuiter (vt ſolent militares) indutum. Vidit in via mantellum arantis de propinquo ruſtici, accipienſque promiſit redditurum indubiè quum rediret. Quis non hoc permittat arcis præfecto per omnem ditionem ditiſſimo? Agricola, non aſſuetus reddi ab eius generis hominibus quod attigere, reclamabat: quod ille parui-faciens, iuit itinere ſuo properabundus. Poſt non multas horas ſequutus dux, reperit ſtantem iuxta viam hominem de ſua veſte querulantem. Et quum attentius loqueretur audientiam poſtulans, dux ſtetit vt audiret. Ille verò, Quid eſt, inquit, optime princeps, quòd publicos inſidiatores viarum perſequeris: ipſe tuæ arcis præfectus iam præteriens, veſtem mihi tulit pauperi nudulo, & (vt vides) algenti ſub brumam? Dux tacitus ſecum rem perpendit: & de veſte ſcrutinium faciens, reperit (vt diximus) reclamanti veſtem ſublatam. Quum autem rebus in oppido expeditis regreſſum dux faceret, ad locum ablatæ veſtis perueniens, iuſſit adeſſe præfectum. Cur, inquit, pauperi reclamanti veſtem abſtuliſti? Tuo miniſterio perſequor hoſtes publicos: & tu es qui nō minora illis in meos patraſti. Multa parantem in ſui purgationem dicere, ipſe equi detracto capiſtro, alligatum in arborem appendit iugulandum. Mira ſeueritas iuſtitiæ, & zelus incredibilis in principe Saxoniæ. Vix fidem apud exteros habitura narratio. Hic non diu pòſt princeps, relictis filiis Wilhelmo & Henrico, conceſſit in fata. Quo tempore Adolphus comes de Scowenborg, ac multi præterea milites ac militares, quum in præſidium impuberum ducum de Sleſwico euocari adeſſent, collecti ex ducatu Luneburgenſi, ex dioceſi Bremenſi, ex Weſtphalia, numerum impleuere octingentorū; magno animo ducentes in Iutiam. Fortunam tentandam putauerunt, vt occupata de ducatu Sleſwickcenſi pro impuberibus recuperarent. Dani verò ductoribus freti, Magno Muncke, & N. Scarpenberg militibus, mille quingentorum equitum expeditorum turmam habuere. Vidit agmen ſuorum præterire Iohannes Sleſwickcenſis epiſcopus, & paterna benedictione communiens ait, Benedicat Deus noſter inuictum regis exercitum, qui potens eſt ſubiicere domino noſtro omnem intra Albim & Rhenum prouinciam. Progreſſi concurrêre Holſatis ad villam Eggebeke. Ibi tum Adolphus comes ductor agminis Germanici, Ecce, inquit, veniunt qui nobis afferunt opimam prædam. Eſte viri quiſque ſui memores: parta eſt nobis, ſi valetis, ex tot hoſtibus victoria: polliceor ego vobis præmia hodiernæ militiæ ſplendida. Inſtructaque acie iuſſit ſigna concinere. Congreſſi, non dubiam diu fecere rem victoriæ: cædere, capere, proſternere, quantum potuere Germani: perpeſſi ſunt Dani. Ibi captis pro numero capientium pluribus, equi, arma, viri & omnia quæ habuere victi, in prædā ſeponuntur vincentiū. Hoc eſt agmen quod omnem intra Albim & Rhenū prouinciam ſubiugarat, needum Eydoram tranſierat: & paucis vix elabentibus, in manus hoſtium peruenere pugnantes. Omnia Holſatorū oppida, arces ac turres impleuere captiui. Magnus Muncke omnibus ditior occubuit: Scarpenberg decem millia in ſui redemptionem perſoluit. Sed de oppido Flensborg, quod terra marique rebus gerendis opportunum videretur, magna cura, vt reciperent, peruigilauere Holſati. Ericus Krummediick miles, aliquot ſatellitibus in ſocietatem laboris deuocatis, noctu oppidum à mari ingreſſus, peruenit in conuentum fratrum, & inde reliquum oppidum facilè ſui iuris effecit. Regij tamen montem inſeſſum tenuerunt, & inde oppidum, quum à mari quoque naues ex Dania applicuiſſent, oppugnauere: ſed ab iis qui inerant Holſatis fortiter defenſum, permanſit in poteſtate ducum iuniorum. Oppugnare iterum rex oppidum aggreditur. Domina mater ducum, euocatis fratribus ſuis de Brunſwico ducibus, illi reſtitit. Tum verò res nō armis ſed tractatibus acta, illum exitum habuit, vt polliceretur rex montem cum oppido permittere Holſatis. In eam ſpem digreſſi ſunt milites. Sed quum nihil fieret, ingreſſus dux Brunſwickcenſis (non ea tamen qua prius manu) ſe in oppidū, quod adhuc Holſati tenuere, collocauit, ad expugnādum montem. Sed tum fluxus ita ſanguinis cœperat inter militantes graſſari, vt oppugnationem intermittere cogerentur. Tum verò

Iniuriæ male factæ grauiſſimum ſupplicium.

Danus alieni raptor meritò ſuperatur.

verò rex validius iuſſit incumbere de monte, recepitque oppidum: & ſæuiens in quoſdam ex ciuibus maiores, rotis & gladio, quòd perfidiam illis aduerſus ſacramenta imputaret, enecauit.

Qvo tempore, quum vel diffiderent rebus Holſatiæ, vel præmiis magnis à rege inuitarentur, aut non ſatis gratum in ſe ſuorum animum experirentur, aut iniuriis affecti à domina duce, vel comite (res enim in obſcuo eſt) omnibus his cauſis, aut quibuſdam earum vna, quidam ex Holſatorũ primoribus, Ericus Krummedick, Otto Knop, Tummo & Elerus Ronnow milites, Marquardus & Nicolaus de Wiſch, & N. Seeſtede, ad regem tranſierunt. Rex inde arces, munitiones & præſidia locis opportunis, quibus nõ erant, erexit, & quæ antè fuerant firmauit. Ad oſtium Sleeſmunde, Konningsborg, in Zuantze, Wiltſpange, prope riuum Treia, de parte ducatus in inſulam Iurgensborg rex copias quaſdam militum collocauit. Sed ponte facto vnius vel duarum noctium præſidio, Holſati ad eos peruenerunt, ſpoliiſque onuſti redierũt. Archiepiſcopus Lundenſis conſtituerat in Sleſwico officium metropolitani peragere: in quam rem omnem ſupellectilem pontificalem precioſis iunctis veſtibus, naui impoſitam, iuſſit petere locum memoratum. Sed quidam Holſatiæ partium, nauibus egreſſi de Kilone, excubabant ad prædam: dictamque nauim aggreſſi ceperunt, inque portum Kilonenſem perduxerunt: aurum & argentum ineſſe putabatur non parui ponderis. Plurima in vtranque partem hoſtilia moliuntur, alternatis (vt fieri ſolet) incommodis: ſed tamen arces nouas ſine præſidio relictas facilè deiecerunt Holſati. Tunderen arcem præcipuam, quam regina dudum data pecunia in pignus habebat (quum Ericus commendatam haberet, ipſeque pro quibuſdam cauſis abiẽs mandaſſet Nicolao de Tinen) Holſati nihil timenti ſuperuenere, & partim vi partim inſidiis recuperarunt. Doluit vehementer Ericus miles memoratus: nam primam eam operam apud regem non bene nauaſſe videbatur. Quocirca regis iuſſu, magnis iterum viribus contractis, eandem arcem obſidione cinxerunt oppugnaruntque. Sed quum ex arce iaculãtes fortius ſe tuerentur, cecidere obſidentium animi, & arce relicta redierunt in ſua quiſque. Per quæ tempora (quod in Dania diximus, nunc breui attingemus) opera Lubicenſium, quorum ſenatu rex, factus exequutor Imperialium mandatorum, ciuitates maritimæ vſque in orientem, Gripeſwald regi Daniæ confœderantur hoc modo: Si bellum ingruat regi, paratuſque ſit ſtare in iuſtitia ad arbitros idoneos, mille armatis ei militabitur ex eis vrbibus. E diuerſo, vbi ciuitatibus quid tale immineat, rex idem faciet: dummodo iuſtitiam eorum ipſe in manibus habeat. Interea ciuitatum incolæ in regnis liberè ad præſcripta vetera negociabuntur euntes redeunteſque. In eandem confœderationem rex multa peregit vt Thietmarſos quoque conſtringeret. Sed illi à laqueo liberum ſeruauere pedem, veriti ne circumuenirentur, quamuis euocatos ex maioribus quoſdam honore & donis afficeret: quæ vna eſt via emolliendi populi: quod eſt exploratum. Hoc tamen polliciti ſunt, vt quum rex omnem Holſatiam ſuæ fecerit ditionis, ipſi arcem Hanrow ſuſcipiant expugnandam.

Holſatorum nonnulli in principem impuberem perfidi.

Archiepiſcopi ſacra veſtes diripiuntur.

Danus cum ciuitatibus fœdus init.

Res Holſatiæ in arcto conſtitutæ videbantur, quando tanto regi trium regnorum potentiſſimo acceſſere vrbes maritimæ, quas Wandalicas à veteri ſolo dixere, & (quod erat infœlicius) Hamburgenſes, qui iure ſuberant comitibus Holſatiæ, cæteris ciuitatibus conſenſere. Rex omni quam educere potuit multitudine (centum millia perhibentur extitiſſe) vnà Sleſwicum vrbem & arcem non longinquam Gottorpe curauit obſidere. Henricus comes, qui iuuenum ducum quam poterat curam agens, profectus contendit Hamburgum, ab eius vrbis ſenatu pecuniam mutuam accipere, vt bellum ex integro gereretur. Aderat ex militaribus illi quidam, qui comiti ſuggereret nõ modò mutuum depoſcere, ſed omni qua poterant virtute, ſuis dominis ferrent ſuppetias: idque cunctis ciuibus euocatis, non modò à ſenatu depoſceret. Inuehitur curru vir ab improſpera valetudine iam incuruus, iuſſitque ad prætorium conuenire ciues cum patribus. Stabant ad fores prætorij ſui viri conſulares, ab altera ciues pontem, & domum Iudicij ad contermina decurrentis aquæ impleuerunt. Medius comes in curru manens, cunctos quàm poterat magna voce commonuit, cernerent quàm iuſta cauſa domini ſui laborarent, & in quàm anguſtum res eorum ſint perductæ. Oſtendit quid amiſerint, quid bello impenderint: ſuadet proſpiciant ſibi ciues in tempore, honor &

Danus Holſatiã denuo maioribus viribus aggreditur.

libertas principum ſuorum maximè in illos redundaret. Si (quod abſit) principes ſuccumbant regi, actum eſſe de vrbis illius libertate. Proinde orat, vt potius in longinquo quàm ad vrbis mœnia pugnantes, in hoc extremæ pene neceſſitatis articulo principes ſuos non deſerant: coniunctam eſſe vtrorumque ſalutem: quod patiuntur principes, paſſuram vrbem. Commouit multitudinem comitis oratio. Erant inter ciues viri (vt diximus) ſexaginta, qui publico ciuitatis concilio imminebant, vrgentes quod ipſi ſtatuerent. Senatus reſpondit, magnam rem geri, multum ab eis depoſci: tamen communicandum ſibi cum ciuibus ſermonem. Ingreſſi prætorium, oſtenderant vocatis ciuibus quò res illa proſpiceret. Auertere cupiebant multitudinem, ne recẽs initam cum rege confœderationem primi violarent: ſed eam rem communitati texerunt. Videndum ne à priuilegiis diſcederetur. Quid multa? Ciues propenſos in poſtulationem comitis & ipſe comes & ſenatus ſatis intellexere. Primo tamen reſponſo pecuniam exhibuere principibus conferendam in neruum belli, etiam maiorem, ſi vellet commodandam. Sed comes, vbi ciuium inclinationem accepit, perſtitit in ſua poſtulatione, vt omni qua poſſent virtute ſuccurrerent. Iterum ciuibus euocatis in prætorium prætendit ſenatus, quibus Imperatoriis priuilegiis ciuitas vteretur, à quibus nullo pacto diſcedendum videretur: nam à talibus expeditionibus liberam eſſe vrbem: quis ſuadeat in antiquam redire ſeruitutem? E diuerſo ciues obtendunt, Si oppreſſis dominis vrgeatur hoſtili exercitu ciuitas, quid proderunt priuilegia? Hoc nunc conandum, vt ſubſiſtant apud quos in reliquum priuilegia ſint profutura. Obtinuere ciues, vt comiti, quanta poſſent auxilia, poſtulanti pollicerentur: literas quoque quas vocant diffidatorias, hoſtilia nunciantes, regi, & capitis periculum ſcribi voluerunt. Traduntur illæ comiti: cui adhuc demoranti in oppido venit nuncius, captam ciuitatem Sleſwicum, ducem Magnopolenſem Albertum, qui inerat cum Holſatis, pactum ante deditionem, vt cum ſuis omnibus qui ducibus militarent, ſaluis rebus & corporibus illæſi abirent.

Ciues de gerendo bello variantibus ſententiis deliberãt.

CAP. 33. COMES Henricus, paululorum tutor, inſtructo curru properauit conſolari eos qui mœrore tabeſcebant: nuncio cum literis Hamburgenſium aſſumpto, illos propere ſequi iuſſit. Vbi venit Rendesborg, mœſtam cum filiis matrem reperit. Iam arcem Gottorpe militantibus permiſſam, pene pro derelicta habuere. Aſſurrexit Henricus ſenior fratrum venienti patruo: à quo, quum triſtis & mœrens videretur, bene ſperare iuſſus, omnia in tuto fore pollicitus eſt: initium ſe feciſſe bonarum rerum. Oſtendit literas regi nunciantes hoſtilia, affuturos quamprimum ciues Hamburgenſes in armis. Arcem Gottorpe non eſſe tam facilè deſperandam, quã armis tueri conſideret. Animi æquior factus dux, cum eis quas habuit alis, in Gottorpe rediit, literas Hamburgenſium iuſſit regi perferri. Diffunditur fama, Thietmarſos & Hamburgenſes multis millibus inſtructos venire propere. Rex literis conſpectis, vera eſſe ratus quæ fama diffuderat, contracto ſuorum concilio ſoluendam decreuit obſidionem, ciuitate Sleſwico permiſſa conſulibus, ſub eis quas præſtiterant religionibus ſacramentorum, copias reduxit, & in oppidum Ekelenforde expugnandum contendit. Non potuit obſiſtere tantis viribus immunitum oppidulum. Interim obſidione ſoluta, pro impenſis expeditionum ſuarum Gottorpe, Plone, Haſeldorpe, Hanrow, ad ſexaginta marcharum millia aſcendêre debita. Inito ille conſilio, decreuit regi in pignus pro ea pecuniæ ſumma arces tradere, illo pacto vt Ericus dux Saxoniæ eius nomine teneret, donec numerata denuo regi pecunia per duces, iterum ducibus redderetur. Eas conditiones quum rex ſubire non detrectaret, auertiſſe eum fertur Ericus Krummediick, cur tantam perderet pecuniam? armis occupandas fore. Iam regina annis deficiens in fata conceſſit, non habens in tantis regnis vel vnum pedem, vbi moreretur: in naui, ad oppidum Flenſborg ſpiritum efflauit. Omnes deinde in circuitu regi inclinauere. Ericus dux, Holſatiæ inſidiator, Todeſlo oppido in flammas redacto. Magnopolenſes duces, vt cauſam belli prætenderent, dotem ſex marcharum millia ex relicta Adolphi nouiſſimi repoſcerunt: alioqui hoſtilia ab illis expectarent. Placabili reſponſo omnes ſtuduit Henricus comes continere.

Danus fama perterritus exercitum abducit.

5

CAP. 34. DVM impliciti magno bello Holſati detinerentur, Thietmarſi pacta fœdera iterum violauere. Non per iuſtitiam requirentes (vt debuerant) ſatisfieri querimoniis: ſed armis

armis vindicaturi in proximam mouerunt Phriſiam. Erat annus quartus decimus poſt mille quadringentos. 1414. Cauſam belli prætenderant, quòd dudum antea quatuor eorum congentiles, pro ſuis ſceleribus meritas in Phriſia pœnas luentes, ſuſpendium pertulere. Id in ſuam iniuriam omnes retorſere, quòd auderent Phriſij nobilem illum ſuorum ſanguinem attingere. Iuſta nimirum cauſa belli gerendi ad vindicandos fures, ſuis ſceleribus meritas pœnas olim ſoluentes. Prodiere tamen Eydoram tranſgreſſi. Phriſones obuiam profecti excepere venientes, & armis collatis ita ſalutauere, vt multi locum acciperent quem corporibus tegerent: cæteri fugam iniere, multis in Eydora dimerſis. Hac clade per terram nunciata, conclamant ad arma, vindicandum quę Phriſones ſunt auſi in ſuos populates. Ita magno iterum agmine perarmato terram inuadunt proximam, iam igne ferroque pluſquam antè ſæuientes. Non auſi aciem opponere Phriſones ceſſerunt, prædam hoſtibus relinquentes: alij redimere ſua, expromiſſa pecunia, curauerunt. Ita tum Thietmarſi præda aucti, & ſpe promiſſæ pecuniæ locupletati, redierunt. Sed quum ex eorum arbitrio non ſolueretur promiſſa pecunia, iterum duxere in Phriſiam iam armis eorum exterritam, nec ad opponendam aciem quicquam molientem: ſed pro ſuo arbitrio iterum mulctam impoſuere maiorem. Triginta marcharum millia voluere in ſumptum belli, ad compenſandam iniuriam necatorum, præſertim ad æquanda funera quingentorum à Phriſonibus primo prælio cæſorum, proque duobus cæſis vnum dare viuum obſidem, donec pecunia ſolueretur, quum interim pro cæſis Phriſonibus nihil imputaretur. Compuleruntque dare literas, in quibus ſe obligarent ad iuſtitiam hoc ordine faciendam conquerentibus. Capitanei Phriſij nominarent ex Thietmarſis viros viginti, quibus vnum ex Phriſia iungerent, ſacramenta præſtitutum nominatis Thietmarſis: coram his iuſtitiam ſumerent querulantes tam Phriſij quàm Thietmarſi. Iuſtæ nimirum pacis conditiones, ſed tum victis & territis ſubeundæ. *Victus dolor.* Duces autem iam bello impliciti, quum audirent tantam Thietmarſorum in ſuos violentiam, monuerunt literis & nunciis vt abſtinerent: ſed nihil illi mouebantur. Duces interim alibi diſtenti, diſſimulabant ad tempora ſuorum iniuriam: quam Adolphus dux poſt mortem fratrum ad compromiſſum (quod ſuo tempore dicemus) perduxit, æſtimans ſuorum damna ad ducenta marcharum millia. Sed hæc poſtea. Tum verò Otto Schinkel quidam ex Holſatis, quum Tilen pręſidium ducum nomine teneret, & dominis ſuis ex quibuſdam cauſis ſe opponeret, per terram Thietmarſiæ ex Holſatia prędam egit. Equitium deduxit, & in Thietmarſia equos & omnem prædam vendidit. Sed Hēricus comes, ſumptis machinis & belli apparamentis, eum dicto deiecit præſidio, coegitque terram linquere, & in exilio vitam finire.

Cap. 35.

CIMBRIÆ inſulam, quam corruptè alij Fimbriam, alij Imbriam nominant, antiquæ gentis nomen ſeruantem, varia tum fortuna iactabat. Rex tum illam ditione tenebat. Holſati recipere conniſi, conuenerunt in villam proximam, tanto ſilentio vt nihil in terra ſentiretur: & mouentes in eam ante matutinam lucem, omnes in terram copias expoſuere. Exorta luce quum cernerent habitatores adeſſe hoſtes, ſonare iubent campanas, & congregari populum, vt fidem regi impleant. Erat decimus ſextus poſt mille quadringentos. 1416. Stetere in acie in aduerſos. Sacerdos, qui diuinis in oppido Borg præerat, medium ſe interpoſuit, ſi quo modo ſanguinis effuſionem poſſit euitare. Futuros ſpondet habitatores quod cogerentur: eſſe inermem populū, qui regi ſacramenti vinculo eſſet obligatus: ſi arcis domini fierent, facturos ſe quod tenerentur, quodque fieri viderent de capite illis impoſito. Arcem Glambeke miles Danus tenebat, qui tota nocte de naui commeatus & arma arci induxit. Vnde factum eſt, vt ſuis rebus intentus, minus obſeruaret quid hoſtes molirentur. Sed dux & comes ambo Henrici, vallauerunt obſidione arcem expugnaturi: armis non facilè, fame contenderant ſuperare. Nauim ſemper ad manum habebat miles memoratus. Quumque octo ſeptimanis continuata obſidione nihil ex Dania aduehéretur (erat enim media iam bruma) arcèm fidelibus commendans, ipſe nauigabat in Daniam, redibatque, commeatus & arma importaturus: ſed fortius ne inueheret, reſtitere Holſati. Factumque eſt vt ſe dedere cogerentur, pacti vitam, qui tenuere. Recepta arce, ſequuta eſt terra renouatis iuramentis in Holſatos, ſex etiam marcharum millibus expromiſſis. *Strages ipſi hoſti flebilis.* Sed rex proximo reuerſus anno, ferociſſimè ſe vindicauit in gentem. Nullum diſcrimen in ſacris & prophanis: altaria

euerſa, eccleſiæ execratæ, abductæ virgines & matronæ: lachrymabilis virorum ſtrages, quam etiam rex omni æuo ſuo in oculis ſemper fertur habuiſſe, illachrymans quoties illius diei recordaretur.

CAP. 36. HENRICVS comes Holſatiæ nouiſſimus, vir morbo arthritico factus ad arma inutilis (erat enim podager) cæterùm conſilio pollēs, & qui pro nepotibus multa faciebat. Inter alios dilexit medium trium Adolphum, quòd proſpiceret ſalutem patriæ per illum prouenturam. Iam illum videndis aliis principibus & terris ablegauerat, & in Nurenbergam ad Burgrauium iuſſit abire. Vbi autem Henricus ſe viribus defectum ſenſit, miſit qui illum reduceret: redeuntique arces Zegeborg & Rendesborg reddidit: nam frater ſenior ducatum adminiſtrabat. Declarauit iam in pueritia ſua iſte Adolphus ſeueritatem futuram in virili. Regina Margareta paruulis ducibus monilia præparabat in pileis deferenda. Adolphus ex quo monile conſpexit, pileum recuſauit: Manicæ eius iuſſit aſſui. Semper manu ille inſectatur aurum, impatientiam oſtendens, quū muneris authorem non probaret. Dorſo mandauit affigi. Ille parietem dorſo terens, monile confregit. Regina conſpiciens adoleſcentulum eius dona auerſantem, Tu, inquit, ſi vixeris, hoſtis eris regnorum non vulgaris. Hic Henricus rebus per Holſatiā bene procuratis, multa in bellis conſilio magis quàm manu peregit: & in ſenecta, quam illi ſuus morbus properabat, monaſteria frequentabat. Bordesholm canonicorum regularium cœnobium inſigne manet, quod frequentans audiuit rumorem de voce (incertum angelica an humana) quæ velut pueri, ſe miſceat vocibus canentium fratrum, & interdum ſacerdoti miniſterium ad altare ſummum in præcipuis feſtiuitatibus agenti. Orat Henricus fratres pro ſe interueniant ad Deum, vt eius vocis mereatur auditor fieri. Fecere fratres quod voluit. Vbi diligentius auſcultabat, audiuit concinentem: & præ gaudio ſe non capiens, locum inſigni dono honeſtauit, permittens villam Loep cum omni iure dicto monaſterio. Non ſilebo quod in laudem altiſſimi commemorationem promeretur, ætate noſtra geſtum. Nonnulli fratres ex ſacris ordinibus quos foris acceperant, numero ſex venientes, iam veſpertino officio inchoato, ipſi ex dormitorio lateralem ingreſſi capellam (vnde in ſubiectum chorum eſt proſpectus) audiuere in cantico Magnificat vocem velut pueri intercinentis: & inter ſe inſpicientes dixere, Quid? pater noſter vnde adduxit canentem puerum præter ordinis noſtri conſuetudinem? Et aſpicientes deſuper, puerum non viderunt: nec tamen vox iſta quieuit. Expleto officio quidam ex his detulere patri quid audiſſent. Ille miratus ſingulos examinat: auditque conſona voce teſtari, omnes ſe vocem concinentis inter fratres audiſſe pueri. Glorificant illi deum, certi eſſe tutelaris eius loci, ſancti Vicelini, nouiſſimi Aldenburgenſis eccleſiæ pontificis (qui apud eos corpore quieſcit) vocem: qui fratribus quos primus ille inſtituerat, & magno diu labore per Holſatiam prædicans, monaſterium fundauit, in Faldera, cui nomen reliquit Nouomonaſterio, huc tranſlatum deeſſe nō patitur. Nam & ipſe in terris viuens (quod ſuprà diximus) in feſtiuitate diui Nicolai, cui erat deuotiſſimus, vocem fertur angelicam audiuiſſe.

Adolphi excelſa indoles.

Conſueta auſpicia.

CAP. 37. GRAVIS deinde Holſatis rex imminebat, oppugnare conſtituens Alzen terram maritimam ducatus Sleſwickcenſis, non longinquam Holſatiæ. Inerat, vt eſt hodie, multa manus militaris. Tuebantur quoad potuere: vota quoque in Deum & ſanctos conceperunt, vt vim hoſtilem deſuper adiuti vel ſuperarent vel ſuſtinerent. Lubicenſes ſatis initio pro rege ſtabant, denunciantes militaribus Holſatiæ, vt quoniam rex iure ageret, à iuſtitia illis quoque diſcedere non licere. Omnes illi ciuitates ſubſcripſere Hanſæ. Reſponſum accepere, duces tenere & tueri paternam ditionem, à qua viui non diſcederent. Ius eſſe in feudum ſuccedere patri filios: id ſe pro dominis ſuis (vt tenerentur) tuituros. Illa tum contradictione diſceditur: & cæteræ quidem Wandaliæ ciuitates regi cum Lubicenſibus inhærebant in cauſæ primordio, intantum vt Luneburgenſes publicè interdicerent, ne quis ciuium ſuorum Holſatis quouis pacto obſequeretur, vel minima in re. Ea enim ſpecie prætenſa iuſtitiæ multos rex in fide continebat, quòd perſonalem Gerhardi, non legitimam, ſuccedentis feudi fuiſſe permiſſionem diceret. Thietmarſi ea re inflexi in partem regis videbantur: nam ex maioribus terræ quoſdam euocatos muneribus datis in ſuas partes rex inclinauit, alteri veſtem, aurum alteri, & vni primariorum præpetem nauim cum remigiis expeditam. Snicken vocant. Duces ve-

Danus Holſatis pergit eſſe moleſtus.

ces verò huius gentis auerſos animos non leue duxerunt: ſed immiſſo ex ſuis in terram viro prudente,& qui noſſet quibus quid loqueretur. Hic in duces captato inter populares ſermone,viciſſim tentauit reclinare. Scripſere enim Thietmarſi ducibus, quia rex cauſam ſuam in manus quoque noſtras conſtituit, paſſus iuſtitiam vel à quouis accipere:& idcirco deeſſe non poſſumus iuſtitiam fouenti & poſcenti. Sed orator ducum illis ſe primùm conjunxit,quos ſciebat à rege necdum muneratos, ſatis æquos Holſatis. Oſtendit iuſtitiam partis ſuæ, orans ne contra iuſtitiam inſcij laborarent. Cognitam eſſe feudi iuſtam ſucceſſionem,pro qua duces nihil vltra quærentes contenderent. Obijcitur illi in frontem,iuſtitiam magis ſtare pro rege. Si,inquiunt,iumentū tibi in diem commendauero,num reddere voles expleto tempore? Ille rationem reddidit obiectātibus, non hoc eſſe commendare,quod feudum permittere. Nam feudum omnium gentium vnanimi conſenſu ad filios pertinere poſt patrem,modò id legitimè poſtuletur a domino,nec ſubſint amittendi cauſæ grauiores. Paratos eſſe duces, nullis in regem criminibus obnoxios,nec paternam luentes culpam,à rege feudum humiliter poſtulare. Tum illi replicatur à promptioribus, Rex eſt, inquiunt, paratus iuſtitiam ſuam in manus noſtras ponere:quomodo ergo illi aduerſabimur? Tum ille, Idem, inquit,duces polliceor facturos. Thietmarſi vbi audiuere,æquiorem ſumpſere animum in duces. Ille reuerſus ad dominos ſuos,effecit vt literis ad gentem miſſis,teſtarentur apud quemuis,& deinde Thietmarſos iuſtitiam ſuæ partis collocaturos. Eas quum acciperent Thietmarſi,exemplar eorum regi mittentes,oſtendunt ducibus ſe nō poſſe aduerſari, qui omne ius ſuum ipſis(vt cerneret)permitterent. Ita tum Thietmarſi, qui inclinationem rerum facturi viderentur,in fide ducum remanſere. *Cauſæ regis cum ducibus diſceptatio.*

PERVENIT deinde cauſa ad regem Romanorum Sigiſmundum, qui euocatis in cauſam ducibus,in ea procedere conniſus eſt. Per arbitramentū productam illò cauſam crediderim:nam legitimo iure Daniæ regnum,cui paret ducatus,Romanorum Imperio nil debere contendit. Miſit Sigiſmundus ad regem Daniæ (quod in Dania ſcripſimus) oratorem Sleſiæ ducem:qui rebus optimè compoſitis, iam de reditu cogitans, vitam finiuit in legatione. Vbi ille defecit,iam compoſitionis via intercedit. Dux maior natu pro ſe & fratribus euocatur ad reditum. Non detrectat ire viam longinquam & periculoſam, vſq; in Bohemiam,loco conſtituto. Vbi neminem reperiens ad agendam cauſam,neq; iudicem neq; partem alteram videns, de diligentia ſua proteſtatus reuertitur. Miſit deinde Imperator quendam ad elicienda cauſæ documenta doctorem. Hic atteſtationibus acceptis,& literis ad cauſam facientibus tranſſumptis, probationes ad cauſam habere ſibi viſus eſt terminandam. Duces ab illo pridem conuenti,vt literas,ſi quas haberent,coram illo ederent,conſtituto in Flensborg loco,reſponderunt literas in hoſtili loco non oſtenſuros:idq; ne perurgeret,efflagitabant: in Sleſwico exhibere paratos, quas tenerent. Nuncius interim regis Sigiſmundi,acceptis atteſtationibus à rege Daniȩ redibat ad dominum ſuum,contumaciam in ea parte ducum reputans. Iterum duces euocantur ad audiendam ſententiam in Ouen (Latini Budam dixere) Vngariæ vrbe primaria:nam hoc regnum ſuberat ab initio regiminis ſui Sigiſmundo. Dux conuocato in Bornehouede terræ ſuæ concilio,de agendis deliberauere. Aderat Iohannes Lubicenſis epiſcopus vir doctiſſimus, Sigiſmundo regi non ignotus:qui in eadem cauſa ex ore dicti regis ſe audiſſe teſtaretur, non futurum illum præcipitem ad exhæredandos iuuenes principes:ad ineundam compoſitionem eſſe operam omnem conuertendam. Qua ex re duces,etſi maior Henricus nuper magno labore,periculo & ſumptibus fruſtra tranſierit,tamen non omittendam pro dignitate legationem conſenſerunt. Aderat ex conſiliariis vir ſenſatus,qui vbi intellexit rerum inclinationem, præfatus veniam, hæc interpoſuit, Audio,inquit, illuſtres domini,quia nuper ſecūdò ad cauſam euocati,ire vel mittere decreuiſtis in Vngariam. Pace veſtra,& aliorum melius ſentientium ſententia ſemper ſalua, mihi ſi effari licet,alia ſedet in animo ſententia, nullo vos ad eundum iure conſtringi:quia compromiſſum erat in diem & locum: quibus fruſtrati nuper inclyte dux Henrice,neq; iudicem neq; partem comperiſtis. Niſi à vobis denuo fit repetitum compromiſſum, arbitror primum expiraſſe,nec teneri in loco citationis comparere, neq; in regem Vngariæ neq; Romanorum conſentire. Locus enim inſecurus eſt, propter Bohemorum graſſantem in omnes improbitatem. Nam & Alemanniæ principes audio

CAP. 38.

Sigiſmundus ad res componendas operā confert.

priuilegiis eſſe communitos, quòd non teneantur in locis extra Imperij limites comparere, cuius priuilegij conſeruator fertur eſſe comes de Zwartzeborg. Inſuper rex Vngariæ atque Daniæ ſunt conſobrini, in ſecundo gradu conſanguinitatis ſibi cohærentes. Pater enim regis Daniæ, & mater Sigiſmundi, ſoror & frater fuere: quę vel ſola eſt legitima cauſa iudicem declinandi. Vnde mihi videtur ab ea citatione ad ſummum pontificem prouocandum. Sed huic conſule nri nullum deſuper extitit reſponſum. Sed inito cum Iohanne epiſcopo, & Nicolao Zachowen Lubicenſi canonico (Iohannis in pontificatu ſucceſſore) conſilio, Henricus dux iterum contendit cum eiſdem prælatis ad Sigiſmundi regis præſentiam: ſperans eundem regem, aſſumptis electoribus, rem omnem per compoſitionem diremptur um.

CA. 39. VBI peruenit Henricus dux in curiam regis Romanorum Sigiſmundi, vidit aduerſantem ſibi regem. Sigiſmundus aſſumptis, qui aderant, nonnullis principibus & baronibus, inſtructus ad cauſam documentis, quæ nuper eius nuncius ex Dania attuliſſet, ſententiam promulgauit, Henricum, Adolphum, Gerhardum, Holſatiæ comites, ducatum Sleſwickcenſem iniuſtè poſſidere, & ad illum regi Danorum reſtituendum condemnauit. Lata ſententia, Sigiſmundus ſe interponens compoſitioni, exhibuit regis nomine danda ducibus in vim concordiæ trecentena aureorum millia, inſuper Lalandiam, ad ducatus poſſeſſionem euacuandam. Sed Henricus dux auerſas habuit aures: & ab iniqua ſententia ſummi pontificis audientiam appellauit. Hoc erat laudum reducere ad arbitrium boni viri. Nam quòd fuerit ſententia legitimi iudicis prorſus non intelligo, niſi ſe ſponte rex Imperio ſubiecerit: quod proceres paſſi non fuiſſent. Dux miſſo in eam cauſam procuratore ad Vrbem Nicolao de Sachowen, obtinuit cauſam committi Theoderico Colonienſi archiepiſcopo. Sigiſmundus indignatus ſummo põtifici, quòd cauſas coram ſe per ſententiam terminatas attrectare tentaret, multa fecit vt papa commiſſionem reuocaret. Sed vbi cauſa iuris proſequendi ſubſtitit, cætera ſunt militari manu expedita: quemadmodum in Dania ſumus exequuti, nunc hoc ſolùm attingentes quod Saxonicis rebus innititur.

Sigiſmundi in cauſa Holſatiæ ſententia.

CA. 40. INDE multiplici incurrente labore, eò res deducta eſt, vt ciuitates Wandaliæ à rege decedentes, ducibus inhæſerint, multumq́; tempus & ibi detritum eſt, donec ad nouiſſima pacis pacta perueniretur. Sæpe deinde tentatur arcis Gottorpe oppugnatio: ſed fruſtra fuit. Ciuitatem quoque Sleſwicum, vbi denuo in ius ducum reuoluta eſt, ita cõmunierunt foſſatis, vallis & propugnaculis, vt non facilè à rege denuo caperetur. Igitur reducto rex in Flensborg exercitu, aliis viis intentauit ſui iuris exequutionem. Quum autem opportunius nihil eſſet ducibus ad obtinendum ducatum (cuius iam magna parte nudati fuere) quàm oppidum Flensborg, eò contenderant, vt oppugnaretur. Ex ciuitatibus Wandalicis iam bello cum ducibus ſentientibus, venere auxilia ad oppugnationem oppidi memorati. Firmata eſt obſidio, & expectata dies oppugnationi præfinita, quum interim tumultuaretur in caſtris, initio facto ex Hamburgenſium tentoriis: qui fortaſſe largius quàm par erat poti, ſe commouerunt nocte Dominicæ aſcenſionis. Et clamor (incertum vnde) ortus, dolo an inaduertentia cœptus, iam eſſe Hamburgenſium ſatellites in ſeptis hoſtilibus, peruenit ad ducem. Ipſe quum clamorem audiſſet, Et me, inquit, laborantibus pro me adeſſe conuenit. Vbi venit ad hoſtium propugnacula, vidit omnia quieta, miratus vnde clamor. Sepem prætenderant Dani foſſatis, robuſtam ſudibus & palis. Huic dux ſcalam videns inclinari, voluit quid intus ageretur contemplari: necdum enim loricam ſatis conſtrinxerat. Superueniens quidam ex concilio ducum vir militaris, Quid, inquit, agitis princeps inclyte? In quod periculum contenditis? Danus qui intus excubabat, audiens eſſe principem qui ſcalæ incumberet, lancea ſepem penetrans, ſub loricam deſubtus ventri ſtantis infixit, lætaliterq́; percuſſit. Et ingemiſcens cum accepto vulnere, Tollite, inquit, me circũſtantibus: ſatis mihi ad mortem eſt. Qui aſtitere triſtes, ſanguinem vident principis in terram profluere. Ipſum manibus correptum ſcalæ impoſuere, vt iacentem reducerent in tentorium. Ille impatientia vulneris ſe vertere conniſus, decidit in terram, duplicato ex lapſu vulnere atque dolore: nec diu ſuperfuit, ſpiritum efflans. Vix tricesimum moriens attigit annum, princeps multis præditus virtutibus, fide, conſtantia, integritate, ſobrietate, & (quod ætati rarum fuit) verecundus & caſtus. Sponſam habebat, quæ vbi exitum eius audierat, ſuam Deo virginitatem

Holſatus à milite Dano interficitur.

tatem

tatem conſecrauit, nullum paſſura maritum, quando optimo adoleſcente principe frui non licebat. Luctum ergo produxit illa ad vltimum ſui diem. Sic amor vrgebat. Mox dilabentibus in ſua vrbium Wandalicarum auxiliis, quanuis ab Adolpho multum manere rogarentur, ſoluta eſt illa tum Flensburgi obſidio. Erat autem annus poſt mille trecentos viceſimus ſeptimus. Sed hæc anticipando propter rerum continuandam ſeriem commemorata ſint. Cæterùm ad annorum ordinem retro pauliſper reuertamur.

LIBRI DECIMI FINIS.

ALBERTI KRANTZII
SAXONIÆ LIB. XI.

CAP. I.

SIGISMVNDVS primùm Vngariæ, deinde (mortuo fratre) etiam Bohemiæ rex, nouiſſimè Romanorum electus à principib. in Francfordiam euocatis rex, quum ad cogendum concilium eccleſię multa feciſſet, perfecit vt tribus ſummis pontificibus vel cedentibus, vel deſtitutis, vel pertinaciter abſentibus, Martinus v. ex Romanis patriciis Columnenſibus, Cardinalis antè S. Georgij, pontifex crearetur. Componendo Roman. Imperio reliquam operam ſtudioſus impendit: quum multa ei & in Vngaria cum Turcis, & in Bohemia cum perfidis eſſent ſchiſmaticis negotia, iam tum non modò in Bohemia, ſed etiam vicinis prouinciis atrociter digraſſantibus: quod in Wandalia noſtra exequemur. Quum tot Romanorum regi vndequaq; curæ incumberent, plenus ipſe laborum, diu diſtulit in Italiam pro petenda in Vrbe pro more corona Imperiali tranſitum ſuum: præcipuè quòd in ea prouincia tanta inter multos eſſet armorum conflictatio, vt Imperatori iam locus nullus videretur. Surrexere ex capitaneis tyranni, & ex tyrannis legitimi volebant videri principes: qui Imperatori & Imperio, quæ iuris ſui eſſent, paulatim detraxere. Quanquam non ſatis queri poſſit Imperium de alienis inuaſoribus: domeſtica maior peſtis Imperium attriuit Romanum. Nam Ludouicus Bauarus Imperio per ſua tempora incubans potius quàm legitimè præſidens, libertatem vendidit (vt ferunt) ciuitatibus Italiæ vili nimis precio. Florentini ſex millia nummûm aureorum pro ſua libertate ſoluiſſe feruntur Imperatori: quam pecuniam vel mediocris vnus ciuis dotem ſibi numeraſſet. Karolus deinde Imperator viſcera Imperij per Germaniam hauriens, ita pro ignauiſſimæ pecudis filij ſui Wentzlai prouectione, principes electores induxit promiſſis, cuique centum millibus aureorum: inq; pignus cuique traditis vectigalibus Imperij ad confinia ditionis cuiuſq; collocatis, vt rex Romanorum viuo patre diceretur & eſſet. Wentzlaus ipſe ſuo tempore non regnans, ſed deſidens, non vigil, ſed dormitans, quod reliquum fuit abligurriuit: ita, vt quũ vel Robertus vel Sigiſmundus ad Romanum regnum peruenirent, non iam ruere, ſed ruiſſe cernerent dolentes Imperium. Sed in ipſo iam Conſtantiæ congregato concilio, quum multa vtiliter à patribus conſtituerentur, præſertim de renouando in quinquennium proximum, deinde in decennium concilio, Sigiſmundus (qui & ipſe aderat) cum aliquot principibus negotia tractabat regni ſui. Adolphum Cliuenſem comitem, ibi creauit ducem: Fridericum Burgrauium Nurenburgenſem, fecit marchionem Brandenburgenſem: cuius ſucceſſio durat in hodiernum.

Ludouicus & Carolus imperiũ cauponati ſunt.

Conciliũ decimo quoq; anno celebrandum quod neglectum eſt.

CAP. 2.

1417.

QVVM igitur ageretur à Chriſto annus decimus ſeptimus poſt mille quadringentos, primùm apparuere his noſtris maritimis locis ad mare Germanicum homines nigredine informes, excocti ſole, immundi veſte, & vſu rerum omnium fœdi, furtis imprimis acres, præſertim fœminæ eius gentis: nam viris ex furto fœminarum victus eſt. Tartaros vulgus appellat: in Italia vocant Cianos. Ducem, comites, milites inter ſe honorát: Veſte præſtantes, venaticos canes pro more nobilitatis alunt: ſed vbi venentur, niſi furtim, non habent. Equos ſæpe mutant: maior tamen pars pedibus graditur. Fœminæ cum ſtratis & paruulis iumento inuehuntur. Literas tum prætulerunt Sigiſmundi regis

Errones fures, qui varias regiones peragrát, AEgyptij in Gallia dicti.

& aliquot principum, vt tranſitus illis per vrbes & prouincias incolumis permittatur innoxiusq;. Ferunt ipſi ex iniuncta ſibi pœnitentia mundum peregrinantes circuire. Sed fabellæ ſunt: hominum genus, quod vſu compertum eſt in peregrinatione natum, ocio deditum, nullam agnoſcens patriam. Ita circuit prouincias, furto (vt diximus) fœminarũ victitans. Canino ritu degit, nulla religionis illi cura, in diem viuit. Ex prouincia demigrat in prouinciam. Per aliquot annorum interualla redit: ſed multas in partes ſcinditur, vt non iidem in eundem facilè redeant (niſi per longa interualla) locum. Recipiunt paſſim & viros & fœminas volentes in cunctis prouinciis, qui ſe illorum miſcent contubernio. Colluuies hominum mirabilis, omnium perita linguarum, ruſticæ plebi grauis imminens: vbi foris illa laborat in agris, hi ſpoliis inuigilant caſellarum. Per quod tempus Iohannes Walrode archiepiſcopus Rigenſis tranſlatus eſt ad eccleſiam Leodienſem, quũ Iohannes pridem Leodienſis epiſcopus, dux Bauariæ, frater Wilhelmi comitis Hollandiæ nouiſſimi, præficeretur, ſe hoc annitente, gubernator eius comitatus. Multum illi reniſus eſt Adolphus dux Brabantinus, qui vnicam Wilhelmi filiam Iacobam coniugem tenuit, quòd Iohannes iam epiſcopus hæreditare non poſſet terram, cui ipſe dare legitimum non poſſit hæredem. Ille tamen & ſanguinis iure, & gladij præſidio perfecit, vt pati cogerentur eum & Hollandiæ & Zelandiæ gubernatorem: quod vt aſſequeretur, paſſus eſt eccleſiam (vt diximus) alteri commendari. Ad archiepiſcopatum autem Rigenſem promotus eſt Iohannes Habundi in concilio Conſtantienſi, cum prædeceſſore diu verſatus. Facilè autem Iohannes Walrode dimiſſa Rigenſi accepit aliam: quia fratres de domo Theutonica ita ſemper eccleſiam exercent, à qua creuerunt, vt facilè quiuis aliud malit quàm in eccleſia Rigenſi gerere archiepiſcopatum.

[margin: …ſcopus in- …s imperat.]

[margin: AP. 3.] RODVLPHVS interea dux ſuperioris Saxoniæ, quum ordinatione Sigiſmundi regis legatione fungeretur in Bohemiã, vt vel proceres ipſos auerteret à perfidia, & ad eccleſiæ vnionem reuocaret, perpẽſum eſt à malignis quibuſdam, legationem eius plurimum, ſi fineretur, proſperaturam: qui ſubmouendum hominem putauerunt. Armis publicè non licuit: iure enim gentium legatis præſtatur reditus. Veneno ſunt aggreſſi, & peremerunt principem glorioſum. Quo tempore, quum annus ageretur à Chriſto decimus nonus poſt mille quadringentos, principes Magnopolenſes & ciues Roſtockcenſes, annisi apud Martinum ſummum pontificem, publicum Roſtockij gymnaſium collocauere. In profeſto diui Martini principes Iohannes & Albertus literas papales ſolenni pompa inuexerunt in vrbem, magiſtros collocauerunt, ſacrum myſterium in eccleſia peregit Iohannes Zwerinenſis epiſcopus. Quo peracto, ipſe cancellarius factus, lectis literis apoſtolicis, ſolenniter exequutus eaſdem, inſtituit ſcholam publicam cum priuilegiis & dotibus. Manſiones idoneæ perſonis præſidentibus eriguntur: publica lectionum & diſputationum palladia conſtruuntur, & omnium pro dignitate ſua ſumũt principia, conſtitutis ſtipendiis pro cuiuſque ordine, quæ ab eius loci concilio ſoluerentur. Per idem quoque tempus clerus Brunſwickcenſis, qui tanto tempore vrbe excluſus, eſt peregrinatus, per occaſionem vilis initij reducitur. Nam cauſa in Romana curia ad finẽ deducta, ſolenni proceſſu laicus populus ſuperior factus (vt aiunt) expenſas litis à quibuſdã cleri decimis, per tempora certa perceptis recuperauit, hoc primùm anno rebus ad priſtinam integritatem redeuntibus. Tum etiam mercatoribus huius littoris Germanici res in Hiſpania fuere aduerſæ. Nam rex Hiſpaniæ pridem Alemãnis interdixit, ſuos portus ne ingrediantur, præcipiens vt Bruggis expectarent ſuorum ex regno mercatorum aduentum. Vidit oculatus rex, Germanorum in ſuos portus nauigationem ſuis regnicolis adimere maris vſum, nauibus procurandis nullam illis eſſe curam. Quam rem auertere inſtituens, edixit vt ipſi nauigarent, aliiſq; interdixit ne nauigantes aduentarent. Sed Germani iam nauium multitudine freti, regis imperium poſthabuere, claſſem ſuorum grandem conficientes, quò ad repellendam vim eſſent armatiores. Rex vbi contemptũ vidit ſuum edictum, armis ſtatuit tueri, contemptumq; vindicare. Nam armatis omnibus regni ſui nauibus, portus in quibus ſciebat mercari Germanos, à mari concluſit: egreſſuros per arma excepit, & ad internecionem, paucis elabentibus, cecidit. Quadraginta octo naues tum victor ex eis obtinuit. Diſcite gentiles iuſtitiam moniti, non temnere diuos principum iuſſus.

[margin: 419. …lockij aca… …ta inſti… …er.]

[margin: …mani pro- …ntur in …paniam …gare.]

[margin: AP. 4.] WILHELMVS dux Luneburgenſis, Henrici filius, cum eccleſia Bremenſi luctamen

men

men habuit non paruum. Ingreſſus fines dioceſis, ferro & flammis omnia deformauit, prędam abduxit. Viciſſim miniſteriales eccleſiæ ducatum conterminum ingreſſi, talionem reddere curabant. Sed tum ille ſecundam faciens profectionem in dioceſim, ad eam vaſtitatem redegit, captis aliquot ex militaribus, vt facilè compelleret ad æquas ſecum conditiones venire. Quæ res plurimum fuit impedimento ducibus Sleſwici, bello, in regem Daniæ quod gerebant adminiſtrando. Nam Henricus ipſe Wilhelmo tum iri Bremenſes tulit ſuppetias. Sed vt Danorum regi auxiliis propinquorum ſuorum occurreret, ſubmiſit amicos, qui rem interceptam æquis conditionibus in Verdenſi ciuitate penitus tranſigentes complanarunt, vt arma in Danorum regem cumulatius verterentur. Fridericus quoque, Brandenburgenſis nunc beneficio Sigiſmundi marchio, deſcendens in ſuam ditionem, reperit eam tumultuantem ex prædonum incurſionibus, qui in arce Garleſe habuere (vt ferebant) receptacula. *Brandenburgenſis regionem latronibus purgauit.* Indoluit princeps bonus in ſuis finibus eam vigere improbitatem: armatis in eam copiis, duxit ad obſidendam eam arcem, obtinuitque. Non æquis aſpexere oculis principes Magnopolenſes ſuæ ditionis terminos ingredi alienum principem: ſed erant hæ cauſæ, quas improbare nemo rectè potuit: perſequutus eſt enim publicos hoſtes, vbicunque reperit. Oppidum Ketter Angermunde (quod nomen traxit ex multitudine olim ibi demorantium hæreticorum, erat autem ditionis ducum Stetinenſium) marchio idem quibuſcunque ex cauſis inuaſit, cepit, & in ſuam redegit ditionem, multis in eo captis militaribus, qui defendendi eius gratia inerant. Hæc primordia eius ſtirpis principum de Nurenberga marchionum, multis præclaris facinoribus ingreſſum fecere, vt finis fieret ſolitarum per eam prouinciam incurſionum.

CAP. 5.

ERICVS inferioris dux Saxoniæ, iam multis rebus factus odioſus vicinis ſuis, & præcipuè vicinis vrbibus, quòd arcem Bergerdorpe pignori Lubicenſibus à patre obligatam, non numerata pecunia receperit: quòd oppidum Molne expugnauerit: ſuper omnia, quòd fauorem impendere diceretur graſſatoribus publicarum viarum: quum de arce Bergerdorpe (ſub aquis ponte qui non videretur facto) retrorſum deſcenderent, antrorſum vidente nemine, & per condenſa nemora abirent in vias publicas, vt inſidiarentur: captos in viis mercatores, opertis eorum oculis circunduxere, quaſi multã viam abirent, quum gyrantes manerent in vicino. Receptacula habuere in ſaltibus occulta, vbi vſque ad exactionem plenam captos emungerent, & noctu perducentes in deuia abire ſinebant iam emunctos, ſi tamen euaderent poſitas inſidias. Eius generis machinas multas pro compertis habuere vicinarum vrbium ciues. Ex condicto Lubicenſes & Hamburgenſes, aliquot conductis ſtipendio militibus, & in ſupplementum ciuibus ac mercatoribus perarmatis, octingentorum equitum, trium millium peditum agmen eduxere: contenderuntque in oppidum ad arcem Bergerdorpe: nec potuit obſiſtere diu tantis viribus. *Lubicenſium & ſociorum expeditio.* Ingreſſi prædam permiſere militibus: inde ad arcem oppugnandam duxere, bombardis & machinis ſine requie ſæuientibus per quatriduum. Continuere ſe qui intus fuere arcis cuſtodes, & vallis muniti diu contempſere oppugnationem, neque tonitruis bombardarum mouebantur. Sed tum puluere ſalpetrino atq; pice fumũ excitauere oppugnantes, vt vallis & oppugnationibus propellerent arcis defenſores, cedentesq́; per pontem in arcem, locum fecere ſequentibus e veſtigio oppugnatoribus: qui vallo iam capto ferocius inſtabant ictibus bombardarum: vt cuſtodes arcis, quum cernerent ſe diu tueri non poſſe, nec ereptionem ſperarent à duce ſuo, pacti vitam & arma viritim ſua, deditionem fecere, abire permiſſi. Ductores copiarum duo ex vrbibus proconſules, Iordanus Pleſcow de Lubica, Henricus Hoyer ab Hamburgo, ſigna ſuarũ vrbium de turri prominere faciebant: impoſitoque præſidio valido, ad aliam non æquè munitam Ribenborg contendunt. Ibi nullo negocio ſtatim deditam capiunt, quòd defendi non poſſet infirmior, capta iam municiore. Mouentes deinde in Cuddeworde, præſidium eiuſdem ducis Erici ſolo æquauerunt. Et quum etiam tunc procedere cogitarent, ſubmiſſi ſunt partium communes amici, qui rem in treugas reduxerunt. Stabant illæ per quindenam. Interim principes omnes in circuitu, quum etiam inter ſe cauſas haberent dirimendas, conuentum publicum indixere in oppidum Perleberge. *Pax omnium principum cõſenſu conſtituitur.* Aderat Fridericus marchio Brandenburgenſis, Caſimarus Stetinenſis, Iohannes & Albertus Magnopolenſis duces, Ericus de inferiori Saxonia dux, multi barones

& nobiles,oratores quoque vrbium Lubicæ & Hamburgi, qui etiam amicorum loco ab vrbibus Wandalicis cæteris ſecum duxere conſulares viros.Ibi re primùm inter principes complanata, marchionem ab vna, & de Stetino deq; Magnopoli duces ab altera parte,permutatis inuicem captiuis,& æqualibus conditionibus rem inter ſe compoſuerunt. Deinde inter Ericum & memoratas vrbes,quia conſtabat,legitimis cauſis,militari more,indicto bello,non iniuſtè captas arces cum pertinentiis ſuis,quam quiſq; rem bello apprehendit,in ea poſſidenda vt maneat decreuere. Habuere duces Saxoniæ ab olim literas ex ſenatu Lubicenſi,vt defenſis publicis itineribus, in neceſſitate vrbi ſuccurrentes,annuas acciperent ex ærario publico marchas trecentas. Eas tum literas,quum diu tenuiſſent,reddere iuſſus reddidit Ericus. Ita ex illo die cœperunt arces in manibus eſſe duarum vrbium:quibus alternent per ſexennium præfectos ex ciuibus, qui id poſcant, ſecularibus:qui non ſuo damno præfecturas agunt in homines paluſtrib.locis ſubiectos.

Cap. 6. GRONINGENSES per id tempus ciues vrbe Phriſiæ paluſtri,ſed(vt rentur)inexpugnabili,cum vicinis occiduæ Phriſiæ vrbibus ſimultatem habuere,quam in occaſionem cęteris dominandi vertere cœperunt.Nam turmatim egreſſi oppidum Lewarden obſident,oppugnant,capiunt,& in leges ſuas redigunt. Progreſſi, in Scauriam mouent: itidem facientes,in obedientiam ſuam redigunt. Populus antiqui nominis Phriſij, olim Cauchij,militauerunt aliquando Romanis ſub Nerone imperante.Teſtis eſt Cornelius Tacitus,veniſſe eius gentis oratores Romam,& in conſeſſum publicum præſidente Nerone introducti,magis vt viderent quàm audirent. Viderunt peregrino habitu inter Romanos ſedere gentium oratores externarum:& interrogãtes qui eſſent? cur multis ſtantibus illi ſederent?reſponſum eſt,Hoc fidei datum gentium,à quibus erant emiſſi. Tum ipſi Phriſij iniuſſi ſedes ſibi delegerunt,præfati Germanis nullam gentem fide præſtare. Ea res Imperatori relata placuit,vtrunque ciuitate donauit: quòd erat illa ætate munus inſigne,habere ciuilitatem vrbis Romæ. Militauere longè pòſt Karolo Magno, & pulchram illi in Italia operam nauantes exterminandis Longobardis,multis ab eo(vt ferũt) priuilegiis ſunt inſigniti. Suberant aliquando Francorum regibus:ſeruierunt Danis,tum per littora Germaniæ Galliæq; dominantibus:quod in Norwagia diximus. Nunquam ipſi regem ſuæ gentis habuiſſe ſunt inuenti:quod falsò ipſi gloriantur. Cernere eſt vnam gentem,vnis moribus,longo licet interuallo diſtantem per littora Germaniæ. Ab Hollandia in occiduum ſumpto principio orientem verſus,per dioceſes Traiectenſem,Monaſterienſem & Bremenſem:deinde ex latere Holſatiæ in Iutiam interciſæ ſunt aliquando paludibus,aliquando maris finibus:totæ ſunt aliquando inſulares, vndiq; mari clauſæ,quòd pontus continenti interuenit. Thietmarſos gentem accolam Albis & Eydoræ fluuiorum(quibus clauditur)ab hac communione,licet paluſtris ſit,excipio, quòd ſemper Germanica vſa lingua, Saxoniæ ſit annumerata. Variauit tamẽ ſæpe dominos: quod ſuprà ſuis locis attigimus. Nomen illis natum ex loco licet coniectare, vt quomodo cæteri eius regionis homines,locis nemoroſis habitantes, Holſati patria lingua dicuntur: ita paluſtres Merſi dicantur, Wilſtermers, Crempermers, Thietmers: paluſtria enim & aquoſa loca Saxones Mers appellamus. Tametſi in præfatione huius Saxoniæ genti Thietmarſorum altiorem originem tribuerimus,reducentes in Marſum illum vetuſtiſſimum Tuiſconis ex Noe filium. Eius rei liberum ſit lectoribus iudicium. Ad Phriſios reuertamur. Libertatis illi ſuæ literas iactitãt ex Magno Karolo tenere:quarum exemplum quũ nuper vidiſſem,riſum vix tenere potui,ſi verum erat exemplum. Nam apparet ex inſertis teſtibus,emanatum eſſe à literis quas aliquando IIII. Karolus, Bohemus,non primus Francus,donauiſſet. Hodie magno bello Groningenſes ſub Idzardo orientalis Phriſiæ comite,& principibus ſuperioris Saxoniæ(quibus occidua paret Phriſia) laborant,inclinante eorum fortuna. Breui autem tanti belli exitus ſe oſtendet, quum multi in circuitu nobiles male & velint & ominentur Groningenſibus,pro impotenti ſuperbia quam in vicinos militares & ruſticam plebem feruntur oſtendiſſe.

Priſiorum legati Romam miſſi.

Priſia deſcriptio.

Thietmarſorũ nomen unde.

Cap. 7. IVDÆI, gens perfida,vbique hoc inter Chriſtianos agens quod ſolet mus in pera, quum comperti eſſent Bohemis graſſatoribus in Chriſtianos arma & pecunias ſuppeditare,à Friderico duce Bauariæ per omnem eius ditionem comprehenſi coniiciuntur in carcerem,& ære emunguntur. Procul eiiciẽda gens impia finibus Chriſtianis: quæ hoc ſemper agunt,quod in contumeliam Chriſti & ſubuerſionem vergit Chriſtianorum.

Iudæi Boemos Chriſtianorũ hoſtes iuuant.

Multi

Multi eam principes finibus ſuis expulerunt. Sed aliquandiu exulantes, quum teneant quod ſolent, de viſceribus Chriſtianorum extractum, & inueniant qui indigeant, aut ſal tem lucra ſitiant, in prouinciis locum accipiũt. Per quæ tempora Albertus, dux ſuperioris Saxoniæ, quum venationibus indulgeret, extructo cœnaculo in vicino nemore, vbi aliquot dies in lætitia & animi laxatione peregit, cum conthorali, multis militaribus ad feſtam hilaritatem inuitatis: iam omnes exhilarati requiem petiere, quum ecce flamma, incertum vnde orta, cœnaculum corripuit, multos ſomno & vino ſepultos in longum ſomnum perduxit: dux ipſe cum conthorali vix nudi per feneſtram euaſere. Iam erat viceſimus primus poſt mille quadringentos annus, quum Henricus comes Holſatiæ, qui 1421.
ſe quoq; Stormariæ principem in titulo ferebat (quod nemo ante illum) quiq; electus erat Oſnaburgenſis epiſcopus, iamdudum omiſſa eccleſia quum nepotibus ſuis conſilio præeſſet in Holſatia, multis rebus per prudentiã bene conſtitutis, quum ſenectã illi morbus (quo podager laborabat) properaret, finem viuendi fecit, tumulatus in ſepulchro patrum ſuorum in Itzeho monialiũ eccleſia: & iam in ſolis tribus ducib. Gerhardi in Thietmarſia cæſi filiis, Holſatiæ dominatus permanſit. Exinde ſenior triũ Henricus, iam XXV. penè agens annum, princeps ſenſatus, rerum gubernacula apprehendit, & res direxit: quod partim ſuperiorib. locis propter rerũ conſequentiã, partim in Dania ſignauimus.

DIRVM per ea tempora bellum fuit Bernhardo duci Brunſwickcenſi, Wilhelmo Luneburgenſi, Iohanni epiſcopo Halberſtadenſi: quibus ſubiectæ vrbes arma, impedimenta, milites ſuppeditarũt. Acceſſere his Henricus dux Sleſwickcenſis, Adolphus frater eius, & inde (vbi amplior exarſit indignatio) etiam marchio Brandenburgẽſis hac parte conſtitit, aduerſus Iohannem epiſcopum Hildeſemenſem, & ſplẽdidam militiam eius: cui opem tulere Otto Monaſterienſis epiſcopus, frater eius de Honſten, de Hoya, de Spegelberg comites. Multa magnaq; inuicem illata ſunt detrimenta, direptione agrorum & oppidorum, incendiis domorum, cõculcatione frugum, captiuitatibus hinc atq; inde militantium. Nec potuit per multos dies ea commotio grauis vllis ſedari remediis: tanta fuit in partibus animoſa pertinacia, ea ſuperandi contentio. Capti aliquot in armis canonici, vt eſt eius generis conſuetudo, quum ſe ſecularibus miſceant armis: nec iniuſtè qui gladio pugnat, gladio contremiſcit. Quo tempore Fridericus marchio Brandenburgenſis, quum à Ludouico duce Bauariæ iam abſens & longinquus in ſua ditione contemneretur, nonnihilq; illi vel damni vel ignominiæ irrogatum eſſet in inferioribus Marchiæ ſuæ partibus agenti, poſtquam aliter res agi non potuit, hoſtilia & capitis periculum illi denuncians, ita armis in eum detonuit, vt contemni non poſſet. Nam progreſſus in ducatum Bauariæ, arces, oppida, vrbes, numero XXXVI. aut vaſtauit, aut euertit, aut ſuæ fecit ditionis. Vnde in reliquum id nominis conſequutus eſt, vt nõ facilè vel abſens vel præſens à quouis laceſſeretur. Hoc eſt illud tempus quo maximè in Hollandia atq; Zelandia, maris inundationes, vrbes & agros ſubuerterũt. Dordracum inſignis vrbs magna ſui parte periclitatur: vicini agri parrochiæ ſedecim ita cũ populo abſorptę perierunt, vt nulla ſit reliqua ſpes recuperandarum. Laceræ cernuntur reliquiæ, decurſu maris vndas retrahente per vices. Per idem tempus quum Phriſij occidui Iohanni duci Bauariæ, pridem Leodienſi epiſcopo, nunc Hollandiæ gubernatori ſubiicere colla cœpere, armis edomiti, paſſiq; ſunt opportunis locis firmari præſidia. SED non eſt diuturnum coactum imperium. Vix tribus menſibus ea mens durauit in populo. Rurſus conſpirantes, eius deiecere præſidia: impoſitos gubernationi Hollandinos aut fuderunt, aut in fugam conuerterunt. Scauriam oppidum, quod genti caput eſſe conſtituit, illic conſtituto comitatu, qui cuncta pro arbitrio gubernaret, eiectis qui defenderant, in antiquam ſe libertatem vendicarunt.

CAP. 8.

Brandenburgenſis Bauaro bellum infert.

Maris inundatio.

WILHELMVS Luneburgenſis & Otto Bernhardi filius Brunſwickcenſis, duces, arma in hoſtes ſuos Hildeſemenſes produxere. Quum arcem Grone oppugnare ſtatuiſſent, ibi viribus inuicem collatis, acerrimè diu pugnarunt. Sed ducibus inclinauit victoria, captis vltra centum militaris ordinis viris, aliquot etiam cæſis: in quibus dux iunior Saxoniæ Erici filius, canonicus Hildeſemenſis. Sed profligatis hoſtibus, arcem (ad quod venerant) obſidentes oppugnauere: eiectisq; qui tenuere, de Speilberg comite, & domino de Haanze, ſui iuris fecere capientes, imponentesq; præſidium ad cuſtodiã. Quumque multis inuicem damnis & laboribus fatigati ad tranquillitatem æquè niterentur, CAP. 9.

dominus Theodericus Colonienſis archiepiſcopus,dedita opera eas partes compoſuit, hoc modo:vt duces arcem quam in Brogdorp bello tonante firmauerant,cum ſubiectis prædiis tenerent:cæteras armis in poteſtatem deductas, Grone, & Oze nihilominus ſeruarent,reddito comiti de Speilberg in vim compenſationis præſidio Hachmolen.Ekeſfeldia quoq; militaribus poſita palæſtra,multam ac variam ſepe experitur fortunam.Hac tempeſtate conglobati militares eius loci, quum Molhuſenſibus quibuſdam de cauſis aduerſarentur,pecora ciuium abegere,& ciues ad ſequendum(vt interciperentur) pellicere ſtatuerunt,vt interceptos ex inſidiis de more ſuo caperent. Non erat ea machinatio ciuibus abſcondita.Lantgrauium Turingiæ dominum ſuum præmonuere, qui expeditis armis opportunis locis delituit. Ciues non pauciores ducenti equites egreſſi, ſequuntur hoſtes,iam pecora præ ſe agentes:à fronte imminebat Lantgrauius.Ipſi qui inſidias tetenderunt,in retia peruenerunt,quod inferre meditabantur, paſſi. Capiuntur, ſternuntur,fugantur: capti ſupra centum ſeptuaginta, inter quos militaris generis non pauci.Quæ ruina in tempus reliquum & illos circunſpectiores, & ciues confidentiores effecit.Capti(de more) magno ære luunt captiuitatem,imò redimunt libertatem.

Cap. 10. Albertvs dux ſuperioris Saxoniæ,dictus de Wittenberge,princeps elector,ſine ſuo & legitimo hærede diem ſuum obiit, & de ſucceſſione iam quærebatur. Ericus dux inferioris Saxoniç,longo licet interuallo fratruelis eius nepos,legitimam ſucceſſionem ad ſe pertinere non ambigens, titulum Saxoniæ, quem ſemper habuit, adauxit,vt dominum de Wittenberge & principem electorem ſe ſcriberet & gereret. Nam & Karolus nouiſſimus eius nominis Imperator, Sigiſmundi pater (quod ſuo loco diximus) inter ambos Saxoniæ duces ordinabat,vt alternis vicibus ad electionem vocarentur, aliquoties etiam Erici patre Erico ad electionem perueniente:vt iuſtæ dignitatis poſſeſſionem præ ſe ferebat.Sed præualuere apud Imperatorem tum alij. Nam ille Miſnenſi affectus marchioni propinquo ſuo,qui illi in Bohemia præſtitiſſet obſequia plurima,contulit ducatum, præteritis cum quadam contumelia legitimis ſucceſſoribus. Viuebant enim Ericus, Bernhardus, Albertus fratres, Saxoniæ duces. Siue ergo per negligentiam non petendi beneficij,ſiue ob aliam cauſam,certum eſt tunc illos eſſe præteritos: quod hodie quoque queruntur.Nec tamen obliuiſcuntur iuris ſui,renouantes proteſtationibus & diligentiis poſſibilibus,ne longi temporis tractus prçiudicium illis inuehat longæuæ præſcriptionis.

Saxonia ducatu legitimi hæredes destituitur.

1426. Erat autem, quum Albertus ille moreretur, viceſimus tertius annus poſt mille quadringentos.Quo tempore Fridericus Brandenburgenſis marchio,qui ditionem ſuam in Bauaria(quod diximus)amplificauit:quum etiam Iohannem ducē Stargardiæ captiuum teneret in Perleberge oppido Prigniſſæ, ad placita conuenta cum Alberto duce Magnopolenſi venerat.Quumq; multorum qui aderant,conſiliis non ad pacem tenderetur,quòd nonnullis belli tempora commodiora viderentur:ipſi principes, dimiſſo omnium ſuorū conſilio, ſoli rem contrectabant:conuenitq; inter eos, vt captiui inuicem permutarentur.Omnes in commune laxari.Ducem autem Iohannem non leuibus de cauſis tum ſeruauit marchio. Reddidit autem Alberto duci captas illius ditionis arces, Gorloze atque Domze,vt illius iniret familiaritatem, & vt ſincera perduraret affectio.Filiam ſuam paruulam Dorotheam Alberto deſpondit vxorem: ſed nō eſt peruentum ad nuptias,moriēte Alberto:vt in Wandalia.Quo etiam tempore, gelu fuit per brumam incomparabile & inauditum,quòd equites à Gedano Pruſſiæ in Lubicam per viam nauigantium tranſirent incolumes.Ferunt & à Magnopoli in Daniam glacie tum ſtratum ſtetiſſe mare. Tum etiam ferunt indoluiſſe Prigniſſæ militares,quòd non ad æternam nominis memoriam,equites mare tranſeuntes pecora inde abegerint: id non tam prædæ cauſa,quàm memorabilis ad poſteros facinoris.Ita ſtudent inclareſcere ſceleribus,qui non poſſunt eminere glorioſis facinoribus.

Gelu acerrimum.

Cap. 11. Wilhelmvs dux Luneburgenſis coniugem accepit filiam Friderici marchionis de Brandenburgo.Nuptiæ magnifico apparatu peractę ſunt in Luneburgo. Alteram verò eius filiam Henricus (quod diximus)dux Magnopolenſis,tum minor minorem nō ducens,poſtea legitimis annis accepit. Cuius nuptiæ in Tangermunde ad præſentiam magni principum conuentus ſunt peractæ. Quo tempore Iohannes epiſcopus Hildeſemenſis,iam laborum pertæſus,quum ætate ingraueſceret,comes ipſe de Hoya natus, epiſcopatum ſuum in manus ſummi pontificis permiſit,in fauorem Magni ducis Saxoniæ,

niæ, iamdudum epiſcopi Caminenſis. Vtriq; iam antè conuenerant quantum æris promptum ſolueret Magnus, quantumq́; annuum ad Iohānis vitam redderet: & vtriq; miſſis ad ſummum pontificem Martinum his de rebus oratoribus, rem conſummarunt. Iam rex Daniæ Ericus apud Magnum perfecit, vt eccleſia ſua Caminenſis ſucceſſorem haberet quem ille voluiſſet, regis cancellarium. Quæ omnia legitimis apud ſummum pontificem mandatis & principum inſtantiis ſunt perfecta. *Archiepiſcopus ob ſcelera abdicatus.* Rex autem per eundem ad eam cauſam miſſum ſummo pontifici oratorem, accuſari curauit legitimis modis archiepiſcopum Vpſalenſem, grauibus irretitum criminibus, depoſitione dignis, conuictumque aut facti notorietate, aut aliis competentibus viis (quibus poſſunt crimina inclareſcere) depoſitum iuſſit abſtinere pontificalibus: fratremq; ordinis Brigittæ in eius locum obtinuit conſecrari. Halberſtadenſe autem commune per ea tempora tumultuatur grauiſſimè, captis eius loci conſularibus, & in vincula cōiectis. *Halberſtadenſium ſeditio.* Id quum reſciſſet epiſcopus, euocauit vicinarum vrbium primores, iuſſitq; inſtare vt tumultus pacaretur. Quod quum anniterentur, colloquium habentes cum capitibus eius tumultuationis, publica interpoſita fide euocatis, oſtenderunt rem praui exempli, & quæ principibus & vicinis communitatibus meritò diſpliceret. Si quid illis eſſet iuſtæ quęſtionis in ſenatum ſuum, eſſe iudicem epiſcopum loci legitimum dominum, qui paratus ſit criminoſis iuſtitiam miniſtrare: parcerent ſibi natiſq; ſuis, parcerent vrbi, non in cœpto perſiſterent, vnde perpetuus vrbi interitus proueniret. Quum audiſſent vicinorum ſuorū Halberſtadenſes conſilia, paucis interloquuti, reſpondent habere ſe cauſam cum ſuę ciuitatis ſenatu, quam ſine ipſis facilè terminabunt. Eant, & ſuis intenti negotiis aliena non curent. Hoc reſponſo redeunt & vicini in ſua, & ipſi in vrbem: & iam exaſperati, quatuor ex omni numero productos in publico, gladio ceciderunt, domos eorum direptionibus ſubiicientes: deinde multos ex ciuibus, qui locupletiores viderentur, captos ære & auro emunguit. Cæſorum autem & exactorum amici vrbe dilapſi, quò ſe quiſque poterat, contulerunt. Alij Romanorum regem petentes, ſententiam Imperialis banni in ciues reportarunt. Alij vicinis queſti principibus auxilia implorabant. Nonnulli immixti militaribus, excurſiones fecere, incendiis & prædationibus ſæuientes. His incluſi vrbe malis affecti, epiſcopū ſuum antè contemptum adeunt, erui malis orant, pecunia placant. Ille operas pollicetur. Vbi illum iam habuere pacatum, ſtipendiarios conducunt, vim vi repellere conati. Magnus Hildeſemenſis epiſcopus in eos euectus, prædas abegit: ciues ad pugnam elicuit, & interceptos cepit, ſpoliauit, cecidit. Sed maiori viſum eſt opus conatu ad perdomandos *Epiſcopi ſtrenui bellatores.* contumaces. Igitur Iohannes Halberſtadenſis, Magnus Hildeſemenſis epiſcopi, communitates Magdeburgi, Brunſwici, Goſlariæ, de Honouer arma iunxerunt: & ciuitatē obſidione premebant, ne noxij elaberentur curantes. Neq; tamen ita poterant itinera aſſeruare. Dilapſus eſt primus tumultuationis author, quum rebus in vrbe diffideret, veritus (quod futurum cernebat) vt à populo dederetur. Multi id conantur præmiis allecti, nec potuit euadere à tam numeroſis oculis obſeruatus. Inuentus epiſcopo pertrahitur in caſtra. Mox fratrem eius cum aliquot complicibus ex nomine dedi ex vrbe poſcebāt. Diu recuſabant. Mox turres & mœnia bombardis deiecta deformantur, grauioribus, niſi pareant, comminatis. Quæ res diebus aliquot continuata, perfecit, vt commune perurgeret primores, eos qui poſcerētur dedere, vt malorum ſit finis. *Seditionis autores caſi.* Dediti, cum eo qui deprehenſus foris ſeruabatur, publico cæſi ſunt in caſtris gladio. Epiſcopus deinde ex quaque ciuitate vnum vrbi immiſit: quibus authoritatem impartitur, vt rebus ordinatis nouum deligant conciliū, & diſſipata reforment. Ita magnus motus paucorū ſanguine quieuit. Hic eſt exitus tumultuantium in populo. Sed mille alia ſunt eius generis exempla: nec tamē cautiores faciunt alios, aut ignorati caſus, aut prouidentia præſumpta cauēdi.

HOC eſt illud tempus viceſimi quinti poſt mille quadringentos anni, quum eccleſia Traiectenſis variis motibus tractaretur. **CAP. 12** Nam vacantem morte Friderici epiſcopatum papa permiſit Spirenſi epiſcopo. *1425.* Ille grauis ætate, quòd ſciebat rem laboris plenā, tranſlationem recuſauit. Tum electione innouata cœpit eſſe diuiſio, quū nonnulli vota conferrent in Swederum de Kulenborg, prępoſitum eccleſię, baronem: alij in Rodolphum de Diepholt. Papa Swederum confirmauit: Rodolpho autem militia inhæſit, illi permittens arces & omnia prædia: quem Poſtulatum dixerunt, fortè quia ius poſtulati Spirenſis in eum eſt transfuſum. Alioqui eligi potuit, nulli eccleſiæ obligatus, nec defectui

ſubiectus. Diu valuit ea diuerſitas, Swedero conſecrato de ſolis eccleſiæ miniſteriis viuente, Rodolphus omnia tenebat: cuius memoriam perennat moneta aurea, ad noſtra vſque tempora decurrens. Otto quoque Monaſterienſis epiſcopus tum in fata conceſſit, de Hoya comes: qui eccleſiam mirificè locupletauit, adaugens arcibus, prædiis & ditione, fecitq́; locum Henrico de Morſa comiti, germano fratri Theoderici Colonienſis archiepiſcopi. Quo etiam tempore Iohannes dux Bauariæ, tutor Hollandię, veneno accepto extinguitur: quod quamprimum accepiſſet, ſtatim perſenſit: & qui dedit, quum in conſpectu eſſet, mox ſuo proditus vel ruboris vel palloris indicio, capitur, & confeſſus quadripartitur. Sed inde qui accepit, non melius habebat, tranſlatus ad patres. Iacoba pridem coniunx Adolphi Brabantiæ ducis, tum propter cognationem & ſanguinis propinquitatem ab illo diuortiata, nupſit comiti Leiceſtriæ in Anglia, vt Anglorum armis Holládiam ditionem patriam tueretur. Ea fuit inſimulata de ordinatione rei, quam diximus. Sed ad arma ventum eſt. Angli magnis copiis enauigarũt, & egreſſi nauibus ſe contulerunt in Hannoniam: quæ & ipſa debita diceretur Iacobæ memoratæ, in qua etiam moram fecit ea fœmina. Recepti Bergenſi oppido, reliqua quoque armis in poteſtatem redigere curabant. Adolphus dux, qui necdum reliquerat ius connubij, etſi mulier ab eo diuertiſſet, quum de magna dote ageretur, magnis vndecunque copiis contractis occurrit hoſti. Inerant auxiliis eius arma multorum principum, ad numerum (vt ferunt) octuaginta millium. Oppugnant inſtanter oppidum, Anglici defendunt. Sed Anglus in alieno promptas non ſperabat ſuppetias, quæ hoſtibus accreuere quotidie. Inde factum eſt vt quum multa vtrinque fortiter geſta eſſent, ad tractatus res peruenit: conuenitq́ue vt vterque princeps miſſo Romam cum inſtructione nuncio, ibi cauſam agi ſinerent, declararetq́ue pontifex vtrius eſſet vxor futura. In eas conditiones Anglici dimiſſo oppido in ſua reuertuntur.

Eccleſiam locupletare præcipua virtus.

Angli in Hannoniam infeſti nauigant.

CAP. 13.

WILHELMVS marchio Miſnenſis quum in fata conceſſiſſet, frater ei ſucceſſit Fridericus, qui (vt diximus) ab Sigiſmundo promeruit ducatum Saxoniæ ſuperioris: quũ multum quereretur Ericus paternum ſibi adimi cum ditione honorem, quòd titulum ille Saxoniæ teneret, quòd iuſtam Karoli Imperatoris declarationem prætenderet. Sed plus apud Sigiſmundum valuere ius ſanguinis & magni reſpectus obſequij. Sunt qui potiſſimùm id obfuiſſe memorant Erico, quòd non ſatis odiſſet publicorum itinerum inſidiatores: idq́; ferunt Imperiali declaratione prætenſum, quum publico (vt aiunt) conſiſtorio pro Friderico contra Ericum declaratio quæ petebatur, promulgaretur. Sed neque Ericus dux, neq; ſucceſſores, titulum ſuum poſuere. Indignati aliquando Miſnenſes principes ob eam rem, paſſi ſunt poſtea ſuo quemq; iuſto titulo condecorari. Quo tempore recruduit bellum quod erat ducibus de Brunſwico & Luneburgo aduerſus dioceſim Bremenſem, quum Nicolaus comes de Delmenhorſt eſſet in archiepiſcopatu. Cauſa aũtem belli non alia fertur, quàm crebra Bremenſium de Tedinghuſen deq; Horneborg excurſio. Legitimum quæſtum putauere miniſteriales eccleſiæ militares de locis ſupradictis victum quærere. Sed duces non paſſi iniuriam, duxere in eccleſiæ ditionem, prædas prædis compenſantes. hoc eſt, pauperes pauperibus coæquantes, quum arcibus euertendis vel locus vel tempus deeſſet: facileq́; eò perpulſi ſunt & malis domiti, vt ſuis ſe finibus continerent. Friderico deinde marchione Brandenburgenſi agente in ſuperioribus ſui principatus partibus, duces Stetinenſis & Wolgaſtenſis, memores quòd illorum ditioni aliquando infeſtus marchio tuliſſet inde nonnulla, iam adunatis armis duxerunt in eius viciſſim ditionem, par pari referentes abacta præda. Id quum reſciſſet, copiis contractis inde deſcendit, & in Marchia auctis armis duxit in eos, obſeſſis in terra eorum quibuſdam arcibus, in quibus quæ Quatuor rotarum dicitur, fuit. Iam intelligentes duces memorati magno ſibi prælio decertandum, longè vocatis de Pruſſia deq; Pomerania auxiliis, quotquot poterant copiis contractis occurrere ſtatuerunt marchioni, & ſoluere obſidionem. Ille verò vbi ex ſpeculatoribus ſuis intellexit apparatus hoſtium, quodq́; vires longè ſuis maiores adducerent, non expectandum ratus, caſtra mouit: adeoq́; abire feſtinauit, vt magnam impedimentorum partem in caſtrorum loco reliquerit. Hanc eius fugam duces ſuam interpretati victoriam, quæ ille reliquerat aſſumentes, reduxerunt exercitum.

Imperator Saxoniæ ducatũ iuſto domino ademit.

CA. 14.

COMPERTVM ferunt illo tempore, quum inter vrbes Magdeburgenſem & Hallenſem

lenſem deprædationes fierent ac incurſiones in mercatores (curribus euerſis & abductis quæ precioſa portabant) non ignarum fuiſſe eius negotij de Anehold, qui & de Berneborg, comitem. Idq́; quum exploratum haberent vrbes memoratæ, quantis poterant viribus, quas ex vicinis militatibus & ex ciuibus auxerant, duxerunt in arcem Berneborg, oppugnatamq́; iam penè adduxerãt ad faciendam deditionem. Interuenit autem Wilhelmus dux Luneburgenſis, à ſocero ſuo marchione regreſſus: medium ſe interpoſuit, peregitq́ue vt comes ſe iuramento conſtringeret, nunquam ſe impenſurum fauorem graſſatoribus, vtq́ue adempta bona, quæ variè ab equitibus diſtrahũtur, intra quinquennium ſoluerentur. Qua re pacati ciues & mercatores, in ſua reduxerũt exercitum. Mira infœlicitas Saxoniæ, quæ hoc genere latrocinij carere non poteſt, quum vbique ſint prouinciæ pacatæ. *Saxonia latrocinijs male tuta.* Interim verò Iohannes marchionis Friderici filius, quum audiſſet duces Stetinenſes graues imminere Prinſlauiæ oppido, quod ad marchiam pertineret. Iam enim memorati duces captis eius oppidi portis, illas incaſtellabant, vt in fide ciues continerent. Sed quum alienum ciues non leuiter ferrent imperium, ad Iohannem rem pertulerunt, oſtendentes quo facto ad recuperationem opus videretur. Ille contractis clam armis, noctu mouit in oppidum memoratum. Intromiſſus per occultum à ciuibus aditum, rem omnem oppugnationi paratam habuit. Primo mane bombardarum tonitrua crepitabant, & fulgura micuerunt, in portas ab hoſtibus inſeſſas. Illi vt poterant tuebantur. Ciues applicatis magna congerie ſtraminibus, & arſura materia vndiq; conuecta, incredibilem in porta fumum excitauerunt: cuius moleſtia ſuperati manus dedere: nam pactis libertatibus ſuis abire ſinuntur. Quod quum comperiſſent qui è diuerſo in alia excubabant, mox & ipſi fecere deditionem. Iam ducibus innotuit quòd ſui oppugnarentur. Qui propere eductis copiis quantas potuere, ſuis obſidione laxandis properarunt. Sed obuij facti illis qui iam caſtella dediderunt, retro redire faciunt iam ſerius venientes. Quo etiam tempore (quod in Metropoli diximus) Nicolaus archiepiſcopus Bremenſis infœlicem fecit in Phriſiam expeditionẽ. Tum verò per inſtantiam vicinarũ vrbium Lubicæ, Hamburgi, Luneburgi, intercepta eſt grauis iſta diſcordia, quam diximus inter duces Brunſwickcenſes & Luneburgenſes ex vna, & archiepiſcopũ Bremenſem ab altera parte: quæ magno fuit impedimento rebus in Holſatia gerendis. Iam enim rex grauis imminebat ducibus, multis vndiq; armis contractis. Sed nunc effectum eſt, vt complanatis inter archiepiſcopum & duces rebus omnibus, totis viribus ad occurrendum Danorum regi pro ducibus conſobrini principes ſe contulerunt.

CAP. 15.

Hallenſes ab archiepiſcopo Magdeburgenſi premuntur.

GVNTERVS Magdeburgenſis archiepiſcopus tum Hallenſibus multa iuſſit incommoda inferri, aduehi deuehiq́; quicquam interdixit. Nam ſalinarum prouentus ſibi tanquam terræ domino pro iuſta parte deberi contendit. Ciues contrà, nonniſi quæ ab olim pontificibus data ſint, paratos exhiberi, noua nequaquam onera ſubituros ſe prætenderunt. Ille vrget deforis hoſtilia exercens: ciues capit, bona inuadit, interdicit itinera. Illi, vbi non alia via eſſet, armis ſe tueri confiſi, perarmatis aliquot ſuorum, conductisq́; militibus dioceſim ingrediuntur, damna damnis compẽſantes, captis oppidorum ciuibus, vt haberent quos ex ſe captis ad redemptionem compenſarent. Aliquot etiam militarium in terra ſunt deiecta præſidia. Sed intercepere negotium communes amici, miſitq́; archiepiſcopus & ex ſuo capitulo, viros rebus gerẽdis idoneos, & aliquot ex ſuo concilio comites. Aduocantur vicinarũ vrbium conſulares: & res in eum exitum peruenit, vt damna damnis coęquata manerent, Hallenſes conſueta archiepiſcopo exhiberẽt: ſed in ſolatia factorum bello ſumptuum, XX. millia ſexagenarum ex antiquis groſſis domino ſuo perſoluerent. Otto interim de Brunſwico Bernhardi filius, fœderatus Magno Hildeſemenſi & Iohanni Halberſtadenſi epiſcopis, occurrendum ratus malignitatibus quorundam militarium de Swichelen, qui vndecunq; natis occaſionibus, incurſiones publicorum itinerum aut ipſi fecerunt, aut facientes receptarunt. Aderant communitates Magdeburgi, Brunſwici, Goſlariæ, Halberſtadij, Hildeſem. Duxerunt in arcem Widela, quam oppugnantes non magno negotio in poteſtatem accepere, habitatoribus fugatis, & impoſito præſidio: alium principes, alium communitates ibi inſtituere præfectum. Inde mouentes in aliud præſidium (Biſſchopeslutter appellãt) quod inuenere iam defenſoribus vacuum: nam hoc tueri diffiſi abierunt. Proſcriptione vtuntur in memoratos ab omni Saxonia, donec gratiam recuperarent. Quo tempore marchio Miſnẽſis,

dux Saxoniæ princeps victorioſus,& qui prælia Domini multa geſſiſſet in Bohemos, vita exceſſit,relinquens filios tres: quorum maior natu Fridericus paternam ſubiit adminiſtrationem.Ducatum in primis Saxoniæ,patri ab Imperatore non gratis collatum, curauit ingredi:ſacramenta accepit ab omnibus,& ſe principem gerebat electorem.

CAP.16. REI nouitas ſuo à nobis iure depoſcit,vt in literas mittamus memoria dignam diuturna. Venerat ab vrbe Roma in hanc Saxoniæ prouinciã,ſpecie nuncij apoſtolici, quidam falſarius nomine Marcellus cum fratre,hoſpitalis(vt apparebat)ſancti Iohãnis. Carnales illi fratres,& ambo profeſſione Minores, religioſa veſte proiecta, literas præferebant apoſtolicas.Marcellus ſatis eloquens & doctus,qui ſe magiſtrum aſſereret in Theologia,indulgentias plenarias pollicitus dantibus pro redemptione captiuorum pro rege Cypri.Per diœceſim Zwerinenſem profecit,multum faciens quæſtum. Venerat Lubicam,pontifici ſe exhibet. Ille & vultum hominis & literarum faciem perpendens, primùm ſuſpicionem falſi concepit: deinde vbi introrſus omnia perſpexit, reperit falſariũ. Ille tamen nihil mutato vultu intrepidus ſtabat,pollicitus omnia facere & perpeti, de re ſua liquidanda.Epiſcopus coegit præſtare iuſiurandũ,ne quouis pacto niſi dimiſſus abiret.Ille non grauatus præſtitit.Frater eius breui morbum contrahens vita exceſſit.Marcellus,vbi primùm licuit,ſecretò abceſſit,nemine commonito. Epiſcopus interim rem ſummo pontifici direxit.Ille remandauit falſarium ſeruari,& ad formã iuris in eum procedi.Erat tum Cardinalis Anglicus in legatione cauſæ Bohemicæ per Germaniam,cum poteſtate de latere. Scribit illi papa, vt falſarium ad ſe perductum examinet, & iure agat.Iam audiebat Lubica dilapſum perueniſſe Coloniam.Erat autem multis in locis Italiæ non ignotus Marcellus:nam Venetiis pridem ob ſimilem cauſam erat in carcere,per ſummum elapſus ingenium.Simulauit ad mortem ſe ægrotare.Scribebat(vt erat medicinæ artis peritus)receptam,quam potione formare iuſſit in apotheca,ſimulans ſe accepturum:erat enim ſomniferum vehemens. Quo accepto rogauit ad ſe dimitti fratrem ordinis Minorum,vt coram Deo ſynceram faceret moriturus conſcientiam. Aduentantem ad ſe in carcerem fratrem blandè inuitat,vt de ſuo potu guſtare non detrectet. Simplex frater nihil veritus mali,bibit:nec diu pòſt in ſomnum ſoluitur grauiſſimum. Marcellus detracta illi veſte monachali,ipſe induitur: & clamans extrahi carcere frater poſcit,iam impleto circa carceratum officio.Extrahitur Marcellus monachali veſte,& pro fratre abire ſinitur.Sic elapſus Venetiis,venit Coloniam. Idq; compertum habens cardinalis,honorificè ſcribit noto homini,ad ſe veniat: magnum eſſe quod cum illo ſit acturus.Ille,qui cardinalem pridem nouerit,ſperans ab eo prouectionem magni honoris,non inuitus proficiſcitur: venientem vinciri iubet, & iam Rheno defluens perducit Coloniam,ibique tradidit carceri cuſtodiendum. Nec diu erat (incertum quibus modis) audit cardinalis cuſtodes fefelliſſe,iterumque abiiſſe.Edicit habiturum centum aureos quiſquis illum reduceret:magnitudo præmij fecit inquirere multos. Extrahitur ab ſatellite inter moniales latitans.Cardinalis iubet numerari promiſſam mercedem:ille viſus modeſtia,quadraginta aureis contentus abiit.Marcellus inde diligentius aſſeruatus, publico iudicio conuictus,damnatur ad ſcalam & carcerem perpetuum. Inſcalatus deducitur in Brule archiepiſcopi arcem.Inde lugubrem miſit cardinali poſt aliquot dies ad commiſerationem ſui epiſtolam lachrymis plenam, mirabili arte tornatam: ſed ſurdo loquutus eſt. Quum verò iam in obliuionem veniſſe videbatur, & polliceretur artem medicinam,Theodericus archiepiſcopus,neſcio quid incommodi paſſus, ſpecie comparandæ pontifici medicinæ elabitur: & inde in regna perueniens aquilonis, epiſcopatum ambiebat,incertum quos exitus inueniens.

Indulgentiarũ caupones.

Mira impoſtoris aſtutia.

CAP.17. WILHELMVS dux Luneburgenſis militabat ea tempeſtate ſtipendio vrbium Wandalicarum in regem Daniæ,populatus Iutiam: quum interim Otto fratruelis eius, dux Brunſwickcenſis,quibus motus cauſis incertum,populatur abſentis ditionem.Quã rem Wilhelmus Lubicæ quum acciperet,impleta expeditione ad quam venerat, regreditur in patriam:& vindicaturus quæ abſens accepit incommoda, vndecunq; contrahit auxilia,de Weſtphalia,deq; Turingia, Haſſia: & magnis agminibus coactis ducit in patruelem. Oppidum Pattenhuſen expugnat, ac diripit:arcem Hallerborg obſidione cingit,lateque excurſitans populatur. Id ægrè ſuſtinuere amborum communes amici,grauiuſque tulere ſubiecti. Obiecere ſe Wilhelmo, precantes vt iræ modum ponat,

Bellum inter conſanguineos coortũ amici componunt.

recor-

recordaretur fratruelem, quem oppugnet: poſſe omnem terram vnis regi imperiis. Sinat interuentu tractatuum rem componi: facilius legibus quàm armis controuerſiam inter propinquos dirimi. Placatus ille, vtriuſque terræ conſiliariis, vnà cum cõſularibus vrbium vtriuſq; ditionis, omnem cauſam permittit: Idem facit Otto, & perinde ab armis diſceditur. Fit permutatio ducatuum ad placandum Wilhelmũ: Wilhelmus Brunſwickcenſem, Otto viciſſim accipit Luneburgenſem. Quo tempore ciues Oſnaburgenſes, quum haberent aduerſus Heruordenſes nonnihil queſtionis, quod iure, aut legibus, aut amicis tractatibus dirimi aut non poſſet, aut partes pro ſtoliditate non paterentur: excitare cõniſi aduerſantes ipſi Oſnaburgenſes cum militaribus eccleſiæ progreſſi ſunt in hoſtem, prædam ex iumentis de more militari facturi. Peruenit molitio ad Heruordenſes, qui de Lippia dominum & nonnullos alios nobiles in ſocietatem armorum aſſumpſere, præſtolantes aduentum Oſnaburgenſium. Exierunt ad prædam (vt rebãtur) abigi paratam. Sed occurrerunt armati Heruordenſes, qui prælio venientes excepere. Pugnatur paribus animis, & aliquandiu æquis ſtare viribus videbantur. Sed in diuturnitate inclinauit fortuna illis qui defenſionem præferebant ab aliis incurſati. Heruordenſes ergo facti ſuperiores, ſexaginta ex aduerſo hoſtium agmine captos abduxerunt, quibuſdam ſtratis reliqui per fugam abierunt. Thietmarſi interea male affecti Hamburgenſibus, quòd impedire niterentur frugum ab Albi deuectionem, turrim quam ipſi Hamburgenſes communi nauigantium ſaluti ad mare erexerunt, & ſuſtinent in vltimis Hadeleriæ finibus, impugnauere. Nouum opus illi nomen eſt præſidio. Aliquot miſſilia viciſſim alternata ſunt: poterant iam vulnerari alij, alij etiam extingui, quum hoſtilia omnia exercent. Hamburgenſes tutandarum de Flandria & Anglia nauium venientium gratia, non inuadendæ Thietmarſiæ, ſexcentos per Albim demiſere ſatellites, conſulari viro nauibus præfecto. Quumque in Albi fluuio moram facerent, prohibituri aduerſantium conatus, ſatellites (inquietum genus hominum, quod facilius congregari quàm regi poſſit) Thietmarſiam hoſtilem terram inuadere iuuandi cõmeatus gratia voluere. Præfectus nequaquam ſinit, non eſſe ſibi mandatum præferens vllam vaſtatione aut deprædatione terrã inuadere. Illi reclamant, quid mali fieri videatur, ſi Thietmarſis, qui publicam ſtationem Hamburgenſium impugnauerint, vna vel altera adimatur vacca? Eſſe illa ſolennia, militantium prædis alere ferociam, nauſeam eſſe carnium ſalitarum, recentibus opus eſſe. Niſi ille permittat, ituros ſua ſponte. Alij etiam clamorem exaggerantes, proditorem eſſe ciuium, qui hoſtibus publicis parcat. Quam in rem eſſe eductos? An vt ſpectent littora? Quia non occurrunt publici hoſtes, eſſe quærendos. Aucto clamore præfectus diutius repugnare non auſus, in terram vertit prorã, exponit milites, ipſe ſigna corripiens, in littore moratur cum ducentis: reliqua multitudo prædatum egreditur, & ab incendiis ſtultè inchoantes, ſigna dant longinquis Thietmarſis vt occurrant. Dum illi colligunt prædam, & domos diripiunt, in turmas collecti Thietmarſi, facilè illam manum repulerunt. Redeunt ad ſigna frequentes: ſequuntur Thietmarſi, & iam fugæ nullum præſidium. Defluxerant aquæ, ſtabant in ſicco nauigia. Quod poterant, in hoſtes verſi, quamdiu valuere, vitam tutabantur. Superati multitudine cadunt pene omnes, paucis ad naues vlteriores relabentibus. Cæſus præfectus exenteratur: ſtomachum fœminæ infigunt haſtæ, pro ſigno circumferentes victoriæ. Alij hoc genus interpretantur diuinandi.

Milites neglecto ducis imperio infæliciter pugnant.

WILHELMVS iam dux Brunſwickcenſis, princeps magnanimus & victorioſus (cuius plures numerantur victoriæ quàm aliorum arces) quũ in Auſtria viſitare decreuiſſet Fridericũ ducem affinem ſuum, cumq; illo de rebus magnis agere: Hẽrico fratri, manſueto principi, ducatũ & omnem familiã, charam coniugẽ & liberos in fidem commendabat, abienſq; omnia bene putat conſtituta. Peruenit ad affinẽ, à quo perbenignè excipitur. Per ea tẽpora Philippus dux Burgundiæ Karolũ regem Franciæ bello perurgebat, patrem ſuum Iohannem vindicãs. Rex quum ſuppetias Fridericum Auſtriæ ducem poſtulaſſet, iſq; mittere decreuiſſet, iam preſentem, & eam rem ſua ſponte ambientem Wilhelmum ſuis copiis prefecit, miſitque trans Rhenum in Franciam. Ibi Wilhelmus Philippo ſe regis nomine obiiciens, fortiter præliatur: & multis præliis victor, quũ iam tempus eum reuocaret, ad affinem ſuum rediit Fridericum. Interea audit quid in ſuo geſtũ ſit, Henricũ germanũ ſuum, cui omnia permiſiſſet, cui chariſſimos demanda-

CAP. 18

Frater fratri lupus.

uerit affectus, inuaſa arce Wulfenbuttel (quæ ſedes eſt ducalis) Wilhelmi coniugẽ cum liberis exegiſſe. Miſerum ſpectaculum. Vidit domina venientem Hẽricum mariti germanum, modeſtum ſemper principem, cui ipſa in fidem cum liberis ſit permiſſa, poſtulauit admitti in arcem. Promptè iuſſit aperiri: iubet abcedere dominam cum filiis. Triſte negocium, & quod barbaros commoueret. Non ſic, inquit mulier, mandauit Wilhelmus germanus tuus. Sed ille in ſeuero manſit imperio. Quid faceret? Sumptis per manus liberis abceſſit. Huius rei magiſtri feruntur Brunſwickcenſes oppidani, qui ſub viuaci principe vitam agere ſocordem non poterant: effecere vt monacho quàm duci ſimilior princeps illis imperaret. Quem nõ ſuperat ambitus dominandi? A tergo fides, longè omnes ſunt affectus, vbi imperium eſt in promiſſo. Poſſum, inquit alius, implere fidem, ſed non in regno. Reuerſus Wilhelmus videt quid ſit actum. Nihil modeſta conſilia, nihil pacis tractatus potuere. Queritur ergo amicis perfidiam in ſe fratris. In primis Magnus Hildeſemenſis epiſcopus, compaſſus querenti ex animo, promittit armorum auxilia: cauſam eſſe communem ſibi, æquè ſe dolere cum eo qui ſit paſſus. Parantur arma: exitur ad incendia, prædam, captiuitates. Huius rei authores Brunſwickcenſes ciues aſciſcunt in armorum ſocietatem Magdeburgenſes: militiam conducunt ſtipẽdio. Graui mole concurritur vbique, omnia vaſta ac deformata igne ac gladio horrent. Iam omnibus euaſtatis, quum neutra pars magno de lucro gloriaretur, interuenere principes Ludouicus Landgrauius Haſſiæ, Iohannes marchio Brandenburgenſis, Otto dux Luneburgenſis: qui controuerſiã in hunc modum diremerunt: Daret Henricus Wilhelmo XIIII. millia ſexagenarum in groſſis, Wilhelmus dominatum de Homborg cũ Honouer & ſubiecta ditione teneret, donec aliter rebus conſuleretur. Nam & ducatus Gottingenſis in expectatione fuit, ab Ottone monoculo, qui prolem virilem iam ſenex non haberet. Henricus quoque Wilhelmi frater, nullis hæredibus (vt putabatur) donandus, vacuam facilè domum relinqueret Wilhelmo. In eam formam rebus tranſactis, Wilhelmus tempori ſeruiuit, breui aſſequutus Gottingenſem principatum.

Si violandum ius eſt, &c.

CAP. 19.

1431.

HOC tandem anno, qui fuit triceſimus primus poſt mille quadringentos à Chriſto, Sigiſmundus Romanorum rex coronam ex Vrbe petiturus Italiam ingreditur. Sciebat ſenſatus princeps luctantem mutuis viribus Italiæ nobilitatem: expectabat bene gerendæ rei occaſionem, ſi fortè duobus vel populis vel principibus, per mutuas vires attritis, ipſe inuocaretur. Venit Mediolanum, & ibi ferrea accepta corona ab eius loci archiepiſcopo, à Philippo Vicecomite, iam dũce, per reliquam Italiam cum copiis perduci expectabat. Signa hæc erant (vt Blondus ait) non iam inclinantis & ruentis, ſed collapſi Imperij: quod nimis eſſe verum Germanicæ nationis detrimenta quotidiana teſtantur. Tum verò Italia inter manus paucarum communitatum laborat. Veneti, & Florentini, quiq; ad ſuę reipublicæ amplificationem nitebantur, reliquas vrbes aut deditas acceperant, aut in ſocietatem ſuæ quiſque partis adducebat. Vnus erat Philippus Mediolani tyrannus potius quàm legitimus princeps, ex Vicecomitibus, potente vrbis familia progenitus: cuius primùm familiæ audaciam, deinde potentiam, noſtri principes ſua diſſimulatione aluerunt, donec in contemptum prouecta ſederet. Is tum Philippus, cũ memoratis communitatibus, de Italiæ principatu luctatus, inuitauit Sigiſmundũ in Italiam. Diu tamen ille diſtulit aduentum. Sed quum veniret, ab illo magnificè excipitur, coronaturq; (de more) ferrea, Romæ àuream ſuſcepturus. Promiſſa ſua Philippus differebat: non enim apparebant copiæ, quæ regem deducerent per reliquam Italiam: quam ſolebat ſuis olim viribus peruadere rex Romanorum. Habebat tum Sigiſmundus aliquantam ſuorum Vngarorum & Theutonum manum, ſed non eam quæ ſufficeret regem per impacatas (quales tunc erant in Italia) prouincias deducere. Florentini arma ſua iactabant, auſi ſe in campis oſtentare Alemannis: ſed ab illis imperiti, didicerunt ſuo malo modeſtius agere. Peruenit aliquãdo Sigiſmundus Romã, non ea qua veteres conſueuere Cęſares, non qua proauus eius Henricus via, qui inter Imperatores noſtros nouiſſimus armis perfregit Italiam. Coronatur Sigiſmundus ab Eugenio pontifice, & in Germaniam reuertitur, multum tamen temporis Senis cõmoratus: quæ vrbs aliquantam retinet Imperij memoriam, & antiquæ dignitatis obſeruantiam.

Sigiſmundus alienis eget copiis, vt Romã perueniat.

Coronatur Romæ.

CAP. 20.

HOC tempore fuit illa grandis in Chriſtianiſmo commotio de concilio Baſilienſi: quod antè quidem Eugenius iuſſerat conuocari. Vbi iam ſatis maturè conuenerant ex omni

aſilienſe con- lium.

omni orbe patres, præſideret in eo Iulianus cardinalis ſancti Angeli vice & authoritate pontificis, Eugenius mutato animo, transferre voluit in Bononiam, ex cauſis quas in Bulla allegauit. Sed concilium acceptis literis tranſlationis, miſit ſolennes in Vrbem ad pontificem oratores, qui oſtenderent maioribus ex cauſis tranſlationi non eſſe locum, obſecrantes vt in prima ſententia permaneret. Sed ille flecti non potuit: mittebatque alios ex ſuis epiſcopos, qui verbo efficaci monerent Iulianum in concilio præſidentem, & patres alios, vt tranſlationi conſentirent. Sed hæc fruſtra fuit legatio: reſponſumq; illis eſt de maturo patrum conſilio, nec expedire nec fieri poſſe tranſlationem. Orauere, imò obſecrauere pontificem, vt à tranſlatione diſcederet: alioquiiam eſſe in Conſtantienſi declaratum, ſacrum concilium in Spiritus ſancto congregatum, in caſibus habere authoritatem ſupra pontificem: qua vteretur, niſi ille cederet communi vtilitati. Hac vtrobiq; immobiliter inhærente ſententia, papa quũ transferret, Baſilienſeq; reuocaret conciliũ, patres non ſinerent: inuicem ſibi cœpere inuehi, ille in concilium, & hoc viciſſim in pontificem, graui ſcandalo & totius (vt diximus) commotione Chriſtianiſmi. Per quod tempus Magdeburgenſes ciues graui etiam diſſidio reſtitere ſuo pontifici & capitulo maioris eccleſiæ, occaſione ſumpta de commutienda ciuitate (vt illi dixere) in hoſtes Bohemos, vt pontifex ſenſit impedimentum ſui. Capitulum enim ſuæ parti communiendæ non ſatis voluntarij, rem diſſimularunt: ciues operi inſtiterunt, indignante capitulo cum pontifice. Quæ vſqueadeo excreuit indignatio, vt omnia eccleſiæ ſuæ precioſa & peculiaria quiſque ſua in locum reportarent tutiorem, veriti populi tumultum. Ceſſerunt & ipſi loco, diuina in eccleſia officia intermittentes. Deuoluta eſt cauſa ad concilium Baſilienſe: vtrique miſere inſtructores procuratores. Dum in iure certaretur, moræ impatientes, quum ad arma vocaſſent & in belli ſocietatem Iohannem de Brandenburgo marchionem, & Henricum Brunſwickcenſem ducem, cum cõmunitatibus de Brunſwico & Halle ſumpſiſſent, duxere in oppidum & arcem Caluen: expugnataq; arce omnia diripuerunt, inuentum archiepiſcopum abire ſinentes. Ille conceſſit ad fratrem in Turingiã, in Sunderhuſen cõmorantem: ibiq; multo tempore permanſit. Interim ciues cum auxiliis vltrà progreſſi, arcem eccleſię Aquenſem cũ oppido, & inde Staſford expugnauere. Archiepiſcopus quũ omnia ſineret, iure non armis certare conſtituens, periuit Baſileam, vbi iam adeſſe audierat Imperatorem, ſi per illum aut per conciliũ iuſtitiam obtineret de immaniſſima vi & tumultuatione ſubditorum. Sed quũ in cõcilio nihil magis ageretur quàm vt Eugenius pontifex à reuocatione ſua diſcederet, concilioq; iã ſua & præcedentis concilij authoritate inchoato vel ipſe accederet, aut plenæ poteſtatis mitteret oratores: nemo magnæ iuſtitiæ ſpem conſequendæ inde fouebat. Eugenius iam cauſas prætendebat de Græcis aduenturis, & eorum ad eccleſiam occidentalem aduuatione, qui Alpes tranſire nollent, deque proprio incommodo, quòd Baſileam ipſe longo itinere petere non poſſet, ad Bononiam autem omnibus eſſet facilis acceſſus: quodque inter minas Germanorum, qui in ſuis finibus intractabiles eſſent, nihil ad eorum reformationem poſſet intentari. Vocauit Iulianum & omnes patres, ſub maximis pœnis, Bononiam: illi viciſſim citabant pontificem, vt aut veniret, aut inſtructos mitteret oratores ad audientiam ſacri concilij, ſub interminatione pœnarum maximarũ. Et in XII. Seſſione, iam de tertia monitione proceſſum inſtituit, quòd niſi infrà LX. dies reuocaret ſuam caſſationem Eugenius, eſſet ſuſpenſus ab omni adminiſtratione Papatus in temporalibus & ſpiritualibus: prout in literis deſuper fulminatis, omnia quæ geſta ſunt, eleganter recitantur. Quo tempore (quod in Metropoli diximus) Bremenſes ſenatum ſuum in carcerem coniecerunt. Sed ille elapſus peruenit in Oldenborg, exceptus perbenignè à comite Theoderico.

Conciliũ pap. ſuperius eſſe concilij decretum eſt.

Pontifici cum populo bellum intercedit.

Concilij iuſta in papam autoritas.

C AP. 21.

Concilium autoritatem ſuã tuetur.

SIGISMVNDVS interim Imperator non ceſſauit apud pontificem inſtare, vt ſacro cõcilio authoritatem impartiretur, reuocans tranſlationem, peruicitq; vt papa datis deſuper literis tranſlationem caſſaret, & Baſilienſi redderet authoritatem. Quibus acceptis Imperator, Rheno defluens nemine ſciente aut ſentiente ingreditur vrbẽ. Publicatis literis gaudiũ ingens exoritur. Quumq; paulo pòſt vberiores in eã rẽ literæ prouenirent cũ mandatis plenioribus, egreſſus obuiam cũ omni magnificentia Imperator, literas in ſcripto ſuo ipſe pertulit: omne conciliũ patrum obuiã effunditur, & in eccleſiã ſolennibus hymnis deducuntur, cantantibus organis & omni choro, *Te Deum laudamus.*

ſidium ecſiaſticum re udeſcit.

Quo tempore, quum in eccleſia Traiectenſi, mortuo Swedero, Rodolphus apoſtolicam confirmationem conſequutus, epiſcopalia ſua de more perageret: quidam tamen exules canonici electionem Baſileæ facientes de alio, confirmationem concilij pro ſuo impetrarunt electo, deſtituto per concilium Rodolpho, & annullata confirmatione apoſtolica. Ita eccleſia iterum in priſtinam perplexitatem recidiuauit. Per eadem tempora Gerhardus dux Sleſwickcenſis, frater Adolphi, quum coniugem accepiſſet de domo Badenſi honeſtam dominam Annam, nuptiiſque peractis in eius patria ſecum duxit in Holſatiam prægnantem. Et quum graui lapſu partum properaret, ad duos menſes vel circa, legitimum pariendi tempus præueniens, peperit gemellos, puerum ac puellã. Infantes quum nihil imperfectum præferrent, cœperunt male loqui maligni, quòd non ex duce mulier concepiſſet, ſed priuſquam illi iungeretur, iam prægnans extitiſſet. Quæ res perlata ad Adolphum fratrem, à ſuſurronibus male aucta infamia optimæ fœminæ, iuſſit ille fœminas adeſſe prudentes, quas ex omni terra & vicinis vrbibus fecit ille conuenire: quarum iudicio conſpecti paruuli, Gerhardo patri ab omnibus adiudicantur. Phyſici quoque teſtati ſunt, in illum diem ex hora primæ coniunctionis in thorum, potuiſſe partum fieri ſeptimo menſe aut etiam antè, accedente lapſu, qui parturientis tempora accelerauit. Ita omnium tum iudicio defenſa eſt matronæ pudicitia. Sed tamen quicquid à peritis diceretur, præualuere linguæ maledicæ: & apud Adolphum ducem Gerhardi fratrem tanta inualuit indignatio, vt bona fœmina malis cedere cogeretur, in patriam ſuam triſtis reuerſa. Sequutus abeuntem maritus vt reuocaret, ipſo itinere deficiens mortuus eſt in oppido Emerick, ad ripam Rheni. Paruuli autem mox ſeparantur: & puella quidem ſeruata eſt monaſterio, in quo diu vixit longè extra patriam: puer autem interiit, de cuius interitu ferunt inconſolabiliter poſtea luxiſſe Adolphum: nec vnquam ſui corporis hæredem meruiſſe, qui inuiderit fraterno: quamuis coniugem haberet egregiam fœminam, ſororem comitis de Honſteen & Mansfeldia.

Mulieris pudicitia in dubiũ vocata vindicatur.

CAP. 22.

BERNHARDVS per hæc tempora dux inferioris Saxoniæ, germanus Erici præmortui, quum in marchionem nonnihil cauſę prætenderet, hoſtilibus de more denuntiatis, ſatis cautè ac tacitè expediuit ſuorum quantam potuit manum, & in Prigniſſam ducens, ingentem inde in pecoribus prædam euexit, in quam ſolent multa induci prædata. Sed qui damna paſſi ſunt, ſequuti præcedentem, quum illi æquis cum eo viribus & animis viderentur, manus contulerunt, & proſtratis captiſque multis, prædam reduxerunt, hoc in lucro habentes, quòd iam ex militaribus captos aliquot tenerent. Dux ipſe cum paucis expeditioribus vix elabitur. Sequuti tamen ſatis longo itinere non antè deſeruere, quàm in ſuam ditionem iam ſecurus reuerteretur. Quo tempore ſacrum Baſilienſe concilium ſcripſit Bohemis eleganter, inuitãs ad communionem eccleſiæ, multis rationibus ſuadens, vt qui pacis cupitum ſemper bonum amabant, matri cõcilientur eccleſiæ, & in conciliũ prodeant, tractaturi de modis vnionis. Miſit etiam duos in theologia magiſtros, quibus cum de ſecuritate itineris conferant ſermonem plenius. Effecere illi, vt publica fide interpoſita (quam illis fecere principes & vrbes) ab illis deſignati prodirent in concilium, altercarenturque, nonnunquam ſuperati, ſemper conuicti rationibus & ſcripturis: ſed nihil ad pertinaciam emolliendam. Redierunt qui venerant, nihil proficientes. Quo tempore Gunterus archiepiſcopus Magdeburgenſis, quũ cauſam ſuam in concilio proſequeretur, & coram Imperatore decertaret in iure, vtrobiq; victor euaſit, vtrobique proceſſus obtinuit: vt niſi infra præfinitum terminum omnia in priſtinum ſtatum redigerent, excommunicati & interdicti haberentur in eccleſia, & rurſus banno ſubiacerent imperiali per omne regnum, capiendi ab omnibus impune: ſimili pœna ſubactis, qui ſuffragarẽtur in crimine participantes. Quibus literis requiſiti nihil moti ſunt: quin potius ad arma redeuntes, arcem Wolmerſtede (quo modo priores) occupauere. Quid facias pertinacibus, qui non niſi in manu forti dimittunt Iſraelem? Ita nunc viuitur. Regna enim, & imperia, & omnes ſeculi ditiones armis parantur, armis defenduntur, armis amiſſa recuperantur, non literis aut proceſſibus. Turcorum imperator ea tempeſtate ſæpe antea ab Imperatore Sigiſmundo oppugnatus, tum non ſolùm treugas, ſed perpetuę pacis fœdera cum Imperatore iniens, miſit Baſileam ſolennes ad id perficiẽdum oratores. Sciens Imperator, in eccleſia iuſſit apparari ſuggeſtum, in quo imperialibus fultus ornamentis conſederat. Ante oratores ibant qui dona ferrẽt,

Boemi in concilium progreſſi, & conuicti non cedunt tamen.

Vi geritur res.

viri duodecim (alij duodecim virorum paria fuiſſe contendunt) qui manu ſinguli geſtarent aureos ſcyphos apertos Imperatori dono. Succeſſit alius ordo ferentium vaſa aurea geminata, proculdubio non vacua, ſed aureis nummis plena. Inde tertius ordo ferentium pannos voluto & auro precioſos. Poſt omnes quidam ferebant veſtem, ſerico, auro, gemmis incomparabilem. Quæ omnia ſuo ordine Imperator excepit. Et perfecto propter quod venerant negotio honoratos, & pro magnificentia ſua donatos remiſit domino ſuo: quem etiam non paruis muneribus viciſſim honeſtabat. Quo tempore domina Iacoba, filia ducis Bauariæ ac comitis Hollandiæ, hæres Hollandiæ, permittente Philippo duce Burgundiæ (qui in memoratas terras proximus videbatur ſucceſſor) nupſit cuidam non magnæ nobilitatis viro Franconi de Borſtel. Sed Philippus illi permiſit terrulam Oſteruant, creans comitem neptis ſuæ gratia. Hic tamen in diebus ſuis multas faciens pauperibus & religioſis eleemoſynas, ad ſplendorem multorũ principum victitabat: multos etiam honeſtate domus ſuæ ſuperauit.

Munera Imperatori à Turca ampliſſimè miſſa.

CAP. 23.

PONTIFEX interea Romanus Eugenius tumultuationibus cedẽs Romanorum ciuium Tiberi furtim dilapſus, magno ſuo periculo in portum vix peruenit Piſanum, inde tranſlatus Florentiam. Curiales ſequuturi, partim mari partim terra diripiũtur pene omnes ad nuda vſque corpora. Nam qui mare tranſierunt, inciderunt in Cathelanos piratas, nudi littoribus expoſiti. Qui autem terram tranſierunt, à latrunculis Romanæ gentis ad cutem vſque rebus omnibus nudantur. Hanc ſuam ſuorumq́; calamitatem, literis ad cõcilium Baſilienſe datis Eugenius proſequitur, hortatus vt calamitatem Romanæ eccleſiæ commiſerati, eius collapſam dignitatẽ ſtudeant reparare: ita concludens. Sanctorum patrum imitatores eſtote, ſicut veri diſcipuli Chriſti, & filij Dei chariſſimi. Si qua ergo pietas, ſi qua conſolatio in Chriſto in vobis eſt, implete deſyderium noſtrum, imò & bonorum omnium. Non deerit vobis gratia diuina, neque bonorum ſubſidia, ſi in domino confidimus. Quantum autem ad nos pertinet, omnes operas noſtras pro his libenter offerimus, nihil pro noſtro officio prætermittentes: quò gloriam Deo, pacem & ſalutem populo Chriſtiano, in his operibus ſanctis vendicemus. Datum Florentiæ anno incarnationis Dominicæ MCCCCXXXIIII. Interea Græcorũ Imperator Iohannes miſit oratores ſuos ad concilium Baſilienſe (optans omnimodã fieri vnionem) fultos legitimis mandatis, vt plenam communionem cum eccleſia Romana ſortiatur. Sed quis fuerit exitus, annotabimus ſuo loco. Per ea tempora Thietmarſi, populus inquietus, & nemini ſubeſſe paſſus, domeſticis vexatur malis. Nam in ſe mutuis armis verſi duæ partes, ſub totidem capitaneis, mutuą damna incendiis, prædis, cædibus agebant. Pars verò quæ crebriorem paſſa videbatur iniuriam, ad arma venit prima. Præfuit illi vir modeſtior: ſed tum exaſperatus, in aduerſam factionem debacchatur. Hamburgenſes illi immiſere quingentos ſagittarios auxilio: qui hoſtilem partem nimis atrociter inſequuti, prædis, incendiis, cædibus vbique ſæuiebant, cogebantq́; aduerſæ partis ductorẽ terra cedere, carereq́; patria, quoad res interuentu communium amicorum ad tolerabiles conditiones cõpoſita perueniret. Multæ tum erant per Germaniã eccleſiarũ turbationes. Nam Magdeburgenſis archiepiſcopus & clerus eius (quod oſtendimus) à ſua exulabant eccleſia. Treuerenſis diuiſa fuit, quum pars inhæreret poſtulato Spirenſi, pars verò electo, quum inuicem ſibi vtroque gladio minarentur, interdicto diuinis vtrinq́;: quum tamen (in contemptum eccleſiæ clauium) diuina celebrarentur. Moguntina eccleſia tũ in clero ſuo laborabat. Nam ciues eiecto ſenatu nouũ creauere concilium, qui factis impoſitionibus in vina & blada clerum grauabant: ita vt ille pro libertate decertans, vrbem deſerere cogeretur. Bambergenſis eccleſia ſimili tum malo angebatur. Sed & Traicctenſis, quæ poſt Swederum, cui papa (vt eſſet Rodolphus quietus) de alia prouiderat eccleſia, ſub Walramo Colonienſis archiepiſcopi fratre (quem exulantes quidam canonici Baſileæ elegerant) fluctuabat magnis motibus. Faciebat pro illo concilij authoritas & præſens germani fratris gladius. Sed Eugenius ſcribens Colonienſi archiepiſcopo, hortatur vt tentatam pertinaciam deponat damnetque, & ad ſe pertinens poſtulandi miniſterium confirmari non arriperet facultatem. Sic enim neceſſe fuit, vt laborante capite membra omnia infirmarentur. Quis enim potuit eſſe quieti locus, quando mater eccleſiarum Romana hinc à ciuibus, inde verò à concilio infeſtaretur? Quod ſequentia liquidò monſtrabunt.

Eugenius apud concilium de iniuriis acceptis conqueritur.

Thietmarſorũ bellum inteſtinum.

Eccleſiæ Germanicæ ſcinduntur.

Eccleſia ergo Romana in papa conſiſtit.

CAP. 24. PRINCIPES Saxoniæ Otto de Luneburgo cum Friderico fratre, Henricus de Brunſwico & Wilhelmus frater eius, Otto de Leyna duces, conſpirarunt in comitem de Speilberg, publicum omnium (vt ferebatur) itinerantium hoſtem: qui nullis parceret, ſed ſine diſcrimine itinera teneret impacata. Ducêteſque in arcem eius Hachemolen, obſederunt expugnaruntque. Nec minus in arcem Harlemund contenderût. Sed quum ineſſet forte defendentium præſidium, ipſaque natura loci & arte arx munitiſſima videretur diu ibi ſedendum, principes proſpicientes, munitiones ſibi quaſdam opportunis locis erexere, deque illis obſidionem ſeruantes, ipſi principes retrò abierunt. Diuerſa via comes ipſe armis adiutus archiepiſcopi Colonienſis, Iohannis de Hoya comitis, & de Lippia domini, contenderat in terras ducum memoratorum, & prædas egit cum incendiis. Wilhelmus autem dux, acceptis copiis quas pridem ipſe habuit, adauctas armis amicorum, contendit in terram de Hoya, arcémq; obſedit Barenborg, eamque expugnans ſuæ fecit poteſtatis. Indéque progreſſus cum agmine in Euerſteen, cuius dominus Ruſche Plate memorato comiti inhæſerat: aliam quoque eiuſdem domicelli arcem Otto dux Luneburgenſis, magis aſtu quàm armis occupauit. Qui inerant cuſtodes, ibant proximam villam defenſare. Id obſeruantes ducis memorati milites, illis abeuntibus, clam ingreſſi arcem occupant, & redeuntes excludunt. Interim comes de Speilberg, ad oppidum Rentelen pugnans, quum pene expugnaſſet, ictus telo concidit, & interiit. Quo tempore Hallenſes iam perteſi grauaminum excommunicationis & interdicti, quæ propter Magdeburgenſes perferebant: vnam enim eccleſiæ arcem & ipſi tenuerunt, quam iunctis viribus cæterorum in ſuam redegerunt ditionem. Miſſis ergo in concilium Baſilienſe oratoribus, in quo manebat Gunterus archiepiſcopus, relaxationem interdicti, & abſolutionem a cenſuris poſtulabant. Archiepiſcopus nõ grauatè reſpondet, ſi arcem redderent, & à contumacibus Magdeburgenſibus recederẽt, próq; contumacia & irrogatis damnis magnam æris ſummã perſoluerent, impetrarent optata. Illis autem cuncta pollicentibus in eum quem prædiximus modũ, ſi cuncta ex animo implerent, laxationem interdicti & abſolutionem excommunicationis exequutoribus permiſit. Ea promiſſa quum ex fide implerent, ad diuina reſtituuntur. Sed tamen capitula præmiſſa communitati non panduntur. Ea verò quum poſtea publico ſigillo eſſent communienda, reclamauit communitas, non paſſa diuidi à Magdeburgenſibus: & impetu facto, concilium vrbis in vincula coniiciunt. Vicinarum vrbium cõſulares mox adſunt, periculis captorũ occurrere cupientes. Renouant fœdera, quòd nunquam ante cauſæ exitum ab inuicem diſcedant: idque literis conteſtantur ſigillatis. In eam formam compoſitionis laxantur vincti. Sed redit vinculum, quod pridem fuit, ab eccleſia cenſurarum: quod interim leuius penſum eſt, dum (vt putant) diuino iure ſuam tueantur libertatem. Sed exitum cauſæ huius poſtea oſtendemus.

[margin notes, partly cut off:] ...ellum in latrones. / ...ntifices interdicto populum facile donant. / ...arent in luſibus.

CAP. 25. IMPERATOR hoc tempore indixit principibus regni Francfordiæ conuentum in diem Nicolai, ad reformandum Imperij quoque ſtatum in capite & membris: vt eo in ſuum ordinem redacto, cogitarent omnes quomodo eccleſiæ quoque tum vacillantis gradum ſolidarent. Conuenere frequentes, & cunctis examinato pondere penſatis, inuenerunt articulos ſedecim qui magna indigerent reparatione: ni fieret, omnino Imperium collaberetur. Sed iamdudum Itali collapſum & extinctum reputauere. Condixere autem, vt in proximum diui Gregorij diem, iterum in eum locum conuenientes, determinarent quæ medio quiſque tempore deliberaſſet. Sed erat grauiſſima conditio reformandi. Iam enim (quod ſæpe queſti ſumus) patrimonium Imperij direptum ab aliis tenebatur, diſtributum inter principes electores: ipſeque Imperator iureiurando aſtrictus non repetere, quid faceret? Per id tempus quum maximus turbo incubuiſſet, euerſæque ſine numero fœlices & infœlices arbores iacerent, turres ac mœnia vrbium conquaſſarentur, cecidit lapis in eccleſia Colonienſi inſignis magnitudinis, vento deiectus, per duplicem actus teſtudinem, locoque ſanctarum ex tribus Magis reliquiarum incubuit. Sed tum diuino (vt ferunt) miraculo ceſſit theca ad parietem, deditq; cadenti ſaxo locum. Hodie monſtrant in eccleſia ſaxum non longè ab ſanctis reliquiis diuorum regum. Interim Magdeburgenſis eccleſiæ deſolatæ canonici Marchionem Miſnæ Fridericum inuitarunt, vt arcem eccleſiæ præcipuam Gebekenſteen tueretur, promiſſa inſigni pondere pecunia. Ille manum validam contraxit, occurrentibus in auxiliũ eius

[margin notes, partly cut off:] ...perij lacera...ornatio ...ſcillima. / ...raculum.

Land-

Landgrauio Turingiæ,& item Haſſiæ,comitibuſque Herciniæ dc Swartzeborg,atque Honſteen. Obſedit Hallenſem vrbem, bombardis immittens ſaxa grandia, quibus territi ciues exanimantur. Sed facilè reddidere vicem, multis ſimili ictu per caſtra principis occiſis. Ille euocatis Brunſwickcenſibus,qui auxilio venerant obſeſſis,treugas fieri poſtulat. Illi recuſant treugas,de pace agendum rati. Nam quod poſt treugas ſit faciendum,cur non fiat modò? Fruſtratus marchio ſoluit obſidionem. Comites in arcem Eglen ſe collocauere,vt inde excurrentes crebra hoſtibus incommoda importarēt. Hallenſes inuitauere Ekelfeldenſes, vt ſtipendiis eorū militarent: venere trecenti expediti equites.Sed comites duplicato illis numero excurrentes,fugā cogunt intentare,vbi viderunt ſe numero multum ſuperari. Vbi verò fuga non profuit,verſi in hoſtes pugnant, ſed ſuperantur: cæſis paucis,cæteri capiuntur. Hunc laborem miſeratus Deus,conſilia pacis inſpirauit. Nam epiſcopus Merſburgenſis & comes de Aneholt,quum mediatores interuenirent,in has conditiones pacis reduxere altercantes,vt eccleſiæ arces & canonicis ablata redderentur ex integro, & quæ demolita quæq; conſtructa eſſent,in eo quo tunc ſtatu eſſent permanerent:quodq; pecunia medio tēpore leuata inter res mortuas deputaretur: & quòd abſolutionē tam ab eccleſia quàm Imperio procuraret Burgrauius Nurenburgę,in quorū ſumptū Magdeburgenſes expedirent quatuor millia ſexagenarū ex veteri moneta groſſorū: & quòd archiepiſcopus ordinaret reconciliationem ſacrorū locū,quæ violata dicerentur. In has cōditiones pacis vtriq; conſentientes ad ſua redierunt. Archiepiſcopus ſolenni de more in vrbem deducitur,exceptus à ciuibus honorificè. Quo etiā in tempore in vrbe Atrebatenſi,ex ordinatione concilij Baſilienſis cōuenere prælati,principes ac nobiles,viri omnium doctiſſimi: qui pacem inter Francorum regem & Philippum Burgundiæ ducem,paternæ necis vindicem, peregerunt: quum rex Angliæ,qui ad eandem concordiā inuitaretur,ſe retraheret,coarguens Philippū quòd fœdera ſecū inita violaret: quæ inter alia cōtinebant, quòd neuter ſine altero pateretur regi conciliari. Ad quā formulam quum rex Angliæ requiſitus recuſaret,declararunt prælati,& viri qui aderant doctiſſimi,Philippum ad vlteriora non teneri. Quid enim? ſi ille pertinax eſſet,nunquámne perinde futuram pacem?

Pacis conditiones.

Pax inter Fraciæ regem & Burgundum.

Cap. 26.

Rodolpho Traiectenſi epiſcopo, Walramus Theoderici archiepiſcopi Colonienſis & Henrici epiſcopi Monaſterienſis germanus frater, quum eſſet electus (quod diximus) à proteruientibus in concilio Baſilienſi canonicis, multum creauerant laborem. Inſtitere qui Walramo fauerent, vt Traiectenſem vrbem caperet. Nobilis erat baro de Hokeren, plurimum ciuibus Traiectenſibus charus. Is quia fidem habere videretur apud ciues,præmio promiſſæ arcis,quæ à maioribus eius alienata eſſet,inſtituit vrbem opprimere, ac Walramo ſubdere. Machinati ſunt eius generis technam, præmitteret triginta viros, qui baronis nomine ingreſſum poſtularent, & venienti exercitui portas panderent. Habere etiam dicebantur qui incendia excitarent, quibus impliciti ciues reſtinguendis, propugnationem vrbis omitterent. Fides quæ fuit baroni ad ciues, ſpem illi dabat rei perficiendæ. Sed non potuit multis detectum diu latere negocium: prodiit ad maiores in vrbe nonnullos. Venerant triginta viri ad portas, armati baronis nomine,ingreſſum poſtulantes: portarum cuſtodes retulere in concilium. Emittuntur qui caperent venientes: capti ſunt viginti quatuor, ſex elapſis. Mox in quæſtiones poſiti,produnt ordinem machinationis. Illi gladio cæduntur: ipſe baro Hollandiam ingreſſus, in Dordraco manſit per tempora reliquæ vitæ. Saxonia interim inferior,Erico per mortem ſubtracto,Bernhardum fratrem habuit ducem: quum Otto Luneburgi, & Henricus Wilhelmi frater Brunſwico dominarentur. Wilhelmus autem memoratus princeps animoſus, quum iniuriam ſuam necdum ex animo poſuiſſet, in Brunſwickcenſes,ſuæ deſtitutionis authores, expeditum ſuorum agmen duxit in prædia vrbis,quæ foris haberent vrbana,eaq; populatus omnem prædā abegit, elicere tentans ſequuturos,vt cum illis manū conſereret. Sed illi maturius ſibi conſuluerunt,in poſterum diem dilata procurſione. Tū enim agmen non contemnendū equitum & peditum produxere,& in Nouam ciuitatem,quæ Wilhelmo paruit,mouerunt,prædis & incendiis ſæuientes. Nec ea fuit dux (alias fortiſſimus) fiducia, vt ſe agmini ſuis incomparabili obiiceret. Præda quam ceperant domum reducta, in propria incolumes redierunt. Quo tempore Thietmarſi iterum in ſua viſcera verſi, domeſticis & ciuilibus malis

Strategema ſuſceptum non perficitur.

Thietmarſorū domeſtica ſeditio.

C

inter ſe digladiantur, quum execrabilem haberent duæ ſectę & inſeparabilem pertinaciam: quæ tamdiu valuit, donec alterius partis capitaneus per inſidias interceptus periret. Tum verò ſæuiunt amici & cognati, obuios quoſq; alterius factionis ſternunt. Nec potuit ea cædes conquieſcere, donec conſulares vrbium propinquarũ, Lubicę & Hamburgi, in terram miſſis oratoribus, rem (vt poterant) compacarent: ſtatuentes ex aſſenſu incolarum, vt homicidium de cætero centũ marchis & perpetua proſcriptione mulctaretur. Idq; approbarunt, literis deſuper confectis, quæ ſigillo terræ illius communirentur. Tum verò motus ille execrabilis cœpit magnum in modum conquieſcere.

Cap. 27.

Henneberge[n]ſis hoſtes ſuam regionem ingreſſos profligat.

WESTPHALIÆ, Haſſiæ ac Gelriæ militares, magna manu conglobati octingentos equites habuere: eoque agmine terram paluſtrem comitis de Henneberge ſunt hoſtiliter ingreſſi. Terra ea paludibus ac inuiis nemoribus ſepta, vnum habet aditũ exitumque. Quumque hoſtes intus prædis inſtarent, comes quanram potuit ſuorum contraxit ruſticam militaremq; manum. Iubens obſeruari aditum quo ingreſſi ad ſe hoſtes eſſent, expedita equitum cohorte atq; manu promptiorum peditũ ſe obiecit hoſtibus: & illis cõgreſſus viriliter repulit, vt relegerent iter quo venerant, exireq; contenderent per anguſtiam qua intrarant. Eum locum inſeſſum à cuſtodibus iam repererunt, quò niſi ſummo periculo penetrare nemo potuit. Auſi tamen quidam prętenſis ad ictus clypeis, fugæ viam inuenere, nonnulli vulnerati, alij etiam proſtrati. Maximè verò iumenta inuium iter fecere proſtrata, vt facilè qui euadere tentarent, caperentur. Pauci, relictis equis, per condenſa nemora euaſere: multis cæſis, alij capiuntur. Inſigni auctus eo die victoria comes, magno ære ditatus, quod in redemptionem captiui impenderunt. Hoc etiam tempore arcem quam in Prigniſſa Domum nouã dixere, quũ in ea latrunculi reciperentur (quod conſtabat) multæq; & crebræ inde fierent in Magnopolim Stargardiamq; incurſiones: duces non paſſi iniuriam, cõcitò ad eam ibant oppugnandam cum expeditis. Illius autem habitatores, quum nihil vererentur, fortè ad ſolitum quæſtum abierunt, non expectatis neque prouiſis tantis hoſpitibus, indefenſam arcem reliquere. Vnde factum, vt nemine propugnante facilè caperetur, igneque iniecto concremaretur ad imum. Reuerſus dominus vidit & audiuit quod geſtum eſt. Inſidiatus deinde arci Stauenow, quam alij militares tenuere, qui ad ſuæ arcis demolitionem (vt cognouit) cooperabantur, cogitauit quomodo interciperet. Habuit in eius arcis dominorũ familia hominem ſibi notum, quem etiam obærabat, vt aditum illi faceret. Primo igitur mane cum expeditis ingreditur arcem, proditore curante vt pateret. Igitur arcem capit. A dominis manum tradi iuſſit (hoc eſt captiuitatis ſolenne) ire quò vellẽt permiſit, redituros quum & quò reuocarentur. Id genus promiſſionis ſacramento validius habent militares. Ita arce per vim ſua carens, cœpit aliam tenere captam ex inſidiis. Hoc etiam tempore duci inferioris Saxoniæ Bernhardo aſſiduum erat bellum in marchiam, quòd alternis pene viribus, inuicem ſibi militares vtriuſque ditionis incurrerent. Sed marchio Brandenburgenſis Iohannes, princeps ſeueræ induſtriæ, magno conflato in eam expeditionem agmine (fertur enim habuiſſe octingentis cum equeſtribus peditũ duo milia) ingreditur terram ducis quæ inter riuum Metze & Albim fluuium eſt, quatuordecim villas diu prædatione omni immunes, omnino nudauit: & regrediens oppidum Erteneborg ſolo æquauit. Cuius vaſtitatis hodie damna luit: raris enim domibus, ſemirutis tectis cernitur. Quo etiam tempore Sigiſmundus Imperator, Theoderico Colonienſi archiepiſcopo placens, regalia eccleſiæ Traiectenſis contulit Walramo eius fratri, quæ pridem dare Rodolpho recuſauit, legitimè à ſede apoſtolica confirmato. Iam enim (vt diximus) quidam proteruientes canonici quum ſe ab initio oppoſuiſſent Rodolpho, morte Swederi competitoris, hunc Walramum excitarunt, eligentes Baſileæ, ſpe duorum fratrum eius, Theoderici Colonienſis & Henrici Monaſterienſis antiſtitum: qui videbantur germani cauſam non deſerturi. Eligentes ipſi concilio præſentes multa moliebantur, vt pro authoritate concilij ſtabilienda procederet inde facta Walrami confirmatio, & infirmaretur quam feciſſet ſummus pontifex Eugenius. Scripſit autem in ea cauſa pontifex Imperatori, miratus quid ſibi in tantum reluctaretur, in cauſa tam iuſta Rodolphi, nobilis & Deum timentis viri, qui per oſtium legitimæ electionis ſit ingreſſus. Sed ea conditione natus erat idem Rodolphus, vt litigioſum ſemper gereret pontificatum. Nec meliore fuit Walramus, qui amplius quàm ſemel epiſcopatum

Regalia dantur ab Imperatore.

tum ambiens, nunquam tamen aſſequi potuit. Nam hic fruſtratus etiam poſtea, de ſui fratris in eccleſia Monaſterienſi ſucceſſione, fruſtra (quod dicemus) contenderat.

CAP. 28.

HALBERSTADENSIS epiſcopus Burchardus tum cum Hērico de Honſteen comite diſſidebat. Prior autem comes cum expeditis egreſſus, prædam abegit ex dioceſi. Cuius rei iuſtam meditatus vltionem pontifex, ex vicinis vrbibus auxilia cōtraxit, equites octingētos, pedites ſupra mille, hoc agmine peruaſurus omnem eius comitatū. Sed literis egit apud comites de Stalberg & Swartzeborg, vt incolume in hoſtem bona eorum venia iter haberet. Nec recuſabant ſecuritatem polliceri: verùm quadam vtriuſque partis affectione teneri videbantur, ſed maiori in comitem propenſione. Arbitrati enim ſunt nonnulli, eorum opera & admonitum comitem de venturis, & armis adiutum. Vbi ingreſſum eſt agmen hoſtium, comes de Honſteen opportunis locis delitesſcens, inuadit de latibulis ſuis venientes: & collata manu pauci plures ſuperant. Vulnerati multi, capti trecenti de exercitu epiſcopi, quòd in foſſatum vrgerentur. Ipſe epiſcopus grauiter ſaucius retrolabitur abiens, manus hoſtium vix euadens. Captiui redemptionem ſuam triginta millibus aureorum æſtimati ſunt procurare. Sed interuentu cōmunium amicorum res in eū decurrit modum, vt in redemptionem captorū omnium epiſcopus ſedecim millia perſolueret: treugæ triennio durarent: per quod tempus aut media cōpoſitionis excogitarentur, aut (ſi id partibus videretur) ad arma redirent. Hoc autem temperamentū in relaxatione captiuorū priſtinæ æſtimationi adhibitum ferūt: quia non ſatis ex fide actū putaretur cum epiſcopo, qui vtiq; ſecurum per ditionem comitum vicinorum in promiſſo habere tranſitum dicebatur. Sed militares viri ſuum habent interpretationis genus in explenda fide, quæ nullis codicibus legitur. Iā annus triceſimus ſeptimus poſt mille quadringenſos ad finē decurrerat, quum Sigiſmundus Romanorū Imperator & ipſe finem viuendi fecit, multos euacuans principatus: de quibus oriri contentio plurima formidaretur, ſi vnicā filiam non reliquiſſet: quæ nupta Alberto Auſtriæ duci finem fecit controuerſiarū. Nam per illam ſucceſſit in regnis Vngariæ atq; Bohemiæ, breui etiam pōſt perueniens ad regnū Romanorū. Græci interea (vt erat conſtitutum) ad concilium properabant: qui etſi galeas haberent obuias à ſummo pontifice prouiſas, tamen ſuis in nauibus venere Venetias, Iohannes Imperator, Ioſeph patriarcha, Conſtantinopolitani. Ad ſeptingentos erant viri in eorum comitatu, prælati, nobiles, docti. Venerat & de Ruſſia eius generis metropolita, de Reualia Lubicam petens: inde terreſtri profectus itinere cōiunxit ſe orientalibus, qui tum Venetiis moram fecere. Eugenius pontifex, & de aduentu Græcorum, & quòd occaſionem transferendi concilij per eos haberet, inſtitit transferre Ferrariam, deſuper emittens literas Baſileam & in omnia loca opportuna. Græci quidem vbi intellexere motum pontificis, vt ei gratificarent, grauabant in Baſileam tranſire. Papa autem facta tranſlatione, aliis literis ſequeſtrari fecit pecunias à concilio (datis indulgentiis per prouincias) in eum vſum pro Græcis collectas. Nam vnionis Græcorum cauſam etiam prætenderant patres in concilio manentes: eamque papa nunc præ ſe ferens, vocat omnes Ferrariam. Sub hoc tumultu Chriſtianiſmi, vacabat (vt diximus) Imperium.

Epiſcopus infæliciter pugnat.

Fides militarus arbitraria.

1437.

Sigiſmundus moritur.

Diſsidium inter concilium & papā Græcorum cauſa recrudeſcit.

CAP. 29.

PRINCIPES electores in Francfordiam euocati, inſtiterunt de creando nouo rege. Superuenerunt vtriuſq; partis, tam pontificis quàm concilij oratores (pro ſe quique fauorem ſibi principum conciliare quærebant) ſub magnis & formidabilibus pœnis negocium electionis retardantes, vt eccleſiæ cauſa prior expediretur. Sed principes euocatis publicis tabellionibus, eoram memoratis oratoribus proteſtabantur, ſe neutri parti aut inhærere aut contraire, ſed in neutralitate conſiſtentes, electioni operam dare (quæ differri non potuit, propter graue Romani regni præiudicium) appellatione præuenientes quicquid à dictis oratoribus eſſet comminatum. Et de omnibus cenſuris in qualibet cauſa, vel à papa vel à concilio promulgatis aut promulgandis appellarūt, prouocarunt ad futurum OEcumenicum concilium, apoſtolos petentes. Quæ res conquieſcere fecit memoratos oratores. Principes facta de more ſolenni Spiritus ſancti inuocatione, elegerunt in regem Romanorum Albertum Auſtriæ ducem, Sigiſmundi prædeceſſoris generum: qui iam antè coronas Vngariæ & Bohemiæ in dotem promeruit per eandem ſuam conthoralem. Multis ille quidem initio auctis dignitatibus vir meritiſſimus, & qui Sigiſmundi Imperatoris temporibus functus legatione, & bellis ductor

Miſerū Chriſtiani populi & cleri ſchiſma.

Albertus Auſtriacus Romanorum rex.

præfuit plurimis,ad decus & augmentum Chriſtianiſmi.Itaque breui eſt coronatus ſolenni de more Aquiſgrani. Cauſa autē eccleſiæ interim variè cucurrit. Miſit papa nuncios apoſtolicos in diuerſas mundi partes,iuſtificare factum ſuum, & accuſare conciliū. Nec ſegniter agebat cœtus patrum in concilio, ſuſpenſo pontifice ab omni adminiſtratione papatus. Sed tum ſuaſi Græci & perſuaſi, pontificis partibus potius quàm concilij inclinauere. Venit & Iulianus cardinalis à Baſilea Ferrariam ſe conferens,quum nullum cerneret exitum concilij memorari,præualente vbique parte pontificis. Et inchoata eſt Ferrariæ rerum contrectatio: ſed propter incipientem graſſari peſtem, in Florentiam tranſlato concilio,perfecta eſt vnio Græcorum, ſed tamen eodem quo ſæpe prius exitu. Fatendum tamē, nunquam antè tanto inſtitutū eſſe conatu ad ea peragenda, quum Imperator & patriarchæ orientis adeſſent, ſubſcriberentque vnioni. Quumque per ea tempora Germaniam pene omnem vexaret caritas annonę,Hollandini tamen maritimum bellum aduerſus vrbes ſocias Wandaliæ, Pruſſiæ Liuoniæque ſuſcepere: idque magno animorum ardore gerebant, nauticus populus, & qui omnem ætatem mari inuolitat. Magna tum orientalium nauium claſſis Baias petebat,ſalis (vt conſueuere) gratia. Et quum ſcirent Hollandiæ in ſe motus vehementes, ſacramentis inuicem præſtitis nauium magiſtri & omnes inuicem naucleri ſe cōſtrinxere,vt paribus animis & iunctis viribus in Hollandinos pugnarent: certum habentes,quòd vbi vnum ſentirēt, nulla vis aduerſæ gentis eos poſſet conuellere. Peruenere in portus Hiſpaniæ ſalui.Permiſere facilè Hollandini, vt onuſtos potius caperent quàm inanes. Vbi autem illi in portubus agebant,onuſtationi nauium ſuarū intenti,congregati Hollandini portus obſident, magnis copiis inſtantes, vt capiant hoſtes. Sed tum Pruſſi (gens ſæpe vacillare comperta) ſiue diffidentia partis ſuæ, ſiue quòd lucro ſuo pertinacius inſtarent, numero naues XXIII. ab aliis diſſidentes, pacta fœdera cum hoſtibus Hollandinis inierunt. Sed præmia meritæ perfidiæ mox recipiunt. Nam transfugas illos,quum nullam illis fidem haberent,primos ſpoliarunt,rebus & nauibus ademptis,expoſitoſque in littus abire ſinūt. Cæteris iam ſine controuerſia fortiores, ademptis nauibus & rebus, in proximum itidem littus abiecerunt. Ceſſit ea victoria Hollandinis non impune: nam crebris inde vexationibus per partes reddere ſunt coacti quod ſemel abſtulerunt. Inde in treugas res omnis cōiicitur: quæ aliquoties renouatæ in tempora noſtra peruenerunt,necdum pace ad liquidum firmata ac reſtituta.

Oriens & occidens coaleſcere nequeunt.

Hollandi rei nauticæ peritiſſimi.

CAP. 30.

Alberti mors & liberi.

ALBERTVS Vngariæ Bohemiæq; rex, per vxorem Sigiſmundi filiam, rex Romanorum per electionem,in alterum annum pręfuit Imperij rebus,breuius exemptus humanis quàm par eſſet Chriſtianiſmo. Tumulatur in Alba regali Vngariæ ad latus ſoceri ſui,relictis duabus filiabus,quarum alteram accepit Caſimirus rex Poloniæ, exque ea genuit reges,qui hodie tenent auita regna Bohemiæ & Vngariæ. Alteram duxit Wilhelmus Landgrauius Turingiæ, dux Saxoniæ: & ex ea ſuſtulit filiam, quam dedit Iohanni Alberti filio, Brandenburgenſi marchioni: ex qua natus filius Ioachim, hodie marchiam gubernat Brandenburgenſem, & dignitatem implet electuræ poſt patrem atque auum: cui ſponſa eſt hodie filia Danorum regis Iohannis. Reliquit autem idem Albertus, Bohemiæ, Vngariæ, Romanorum rex, vxorem prægnantem,quæ legitimo tempore peperit filium poſthumū Ladiſlaum,maximæ ſpei puerum: quem (vt in Wandalia diximus) multa ſuorum inſtantia obtinuit mater primum fieri regem Vngarię. Nā illi genti nomine ipſo iam erat conciliatus, quòd Ladiſlaus, à ſanctiſſimo rege Vngariæ mutuato vocabulo diceretur. Ad Bohemiam quoque non diu pòſt rex aſſumitur, & ad Auſtriæ non minus ducatum. Certamen enim pro puero tres prouinciæ (quod ibidem oſtendimus) habuerunt. Sed iterum Imperio vacante ad annum à Chriſto quadrageſimum poſt mille quadringentos, conuenere principes electores in ſolitum deligendi regis locum, Francfordiam, elegeruntque Fridericum Auſtriæ ducem, Alberti regis fratrem patruelem,adoleſcentem tum moribus maturū. Viceſimum enim ſextū, aut circiter, quum eligeretur agebat: in quo ſpes tū maxima fuit ſuſtinēdi Imperij. Sed erat ille Fabio maximo propior quàm Scipioni,multa reponens in cunctatione,nihil ilic de celeritate conficiendæ rei. Sed hæc poſtea. Prima illi fuit cura, ſublata de natione Germanica neutralitate (cui à temporibus aſſumpti Alberti inhærebat) ſubdere colla Eugenio pontifici. Placauitque Amadeum Sabaudiæ ducem, quem Baſilienſi concilio

1440.

ridericus Au- creatus Rom. x.

concilio creatum pontificē dixere Fœlicem. Ille enim ſuaſu Friderici regis,poſito pontificis nomine,ad pedes venit Eugenij,qui illum legationis titulo perornauit. Tum concilium Baſilienſe,ſubductis paulatim patribus,cœpit euaneſcere. Laus egregia Friderici pacē eccleſiæ reddidiſſe: ſed aliquanto maior,ſi hoc adiecíſſet operi ſuo,vt auro prouinciæ non emungantur, vel vt ipſe pater patrum, ex auro (quod ex annatis corrodit) Chriſtianiſſimum tutaretur,non ſuos nepotes glorificaret. Hæc qualicunque oculo tum rex,vt per omnem ætatem reliqua Imperij detrimenta,diſſimulabat.

Annatis papa ſuos ditat.

CAP. 31.

Holſatica contentio tandem ſedata.

ADOLPHVS per ea tempora dux Sleſwickcenſis,& comes Holſatiæ, qui difficili ac diuturno bello pro eo ducatu cum Danorum rege dimicaſſet,iam Chriſtophoro Bauaro in regem aſſumpto,ducatum de manu regis accepit in feudum, redditaque ſunt ei omnia quę olim ad ducatum pertinebant, quęque longo tempore inquieta fuere à diebus cæſi patris eius: quum primum Margareta regina,deinde Ericus rex, eius adoptione filius, multa inde per annos ſuprà triginta tuliſſent, de quibus concertatio fuit vſque ad nouiſſima eiuſdem Erici regis tempora. Limites autem ducatus ſunt ad pontem vſque Coldingen: quæ tum omnia ſunt reddita Adolpho duci iuſſu regis noui Chriſtophori. Quo tempore quum Oſnaburgenſes ciues,cōſpirantes capitulo, Ericum epiſcopum ſuum expulerunt diœceſi, quòd Iohannem fratrem ſuum comitem de Hoya ſineret omnia in diœceſi pro arbitrio agere. Erat Iohannes armis natus, caſtris magis quàm eccleſiis deditus. Vnde factum eſt,vt quum omnia pro ſua fronte gereret,epiſcopo fratre quieſcente, odium inexplebile ſuo capiti fratríſque induceret. Pulſus autem eccleſia Ericus, per arma fratris iniuriam vindicauit. Et ille quum multis ſæpe prælijs irritaret ciues Oſnaburgenſes, multóſque ſæpe & cæderet & caperet, audentior factus, cœpit hoſtes contemnere. Vnde factum eſt, vt captus aliquando, dum audentius quàm prudentius dimicaret,inuehitur captiuus in vrbē. Tam arctis autem innexus eſt vinculis, vt cauea clauderetur,in qua ſe vir procerus erigere non poſſet in ſublime: multíſque annis in eo ſeruatur vſque ad inſtans bellum, quod Theodericus archiepiſcopus Colonienſis gerebat in Suſatum. Nam tunc copiæ, quæ militare archiepiſcopo venerant, primùm duxere in Oſnaburgum, oppugnationem minitantes, niſi Iohannes laxaretur.

Moleſta carcerıs anguſtia.

Quo tempore poſt ſeptennium clauſtra euaſit. Erat autem à nato Chriſto annus quadrageſimus quartus poſt mille quadringētos, quum ciues Suſatenſes, qui ſub archiepiſcopo Colonienſi fuiſſent per annos ducentos octuaginta, à tempore Friderici I. Imperatoris, quo ille Henricum Leonem, ducē Saxoniæ, prouinciis pulſum omni exuerat feudi dignitate: quum Philippus archiepiſcopus Coloniēſis quantam potuit Weſtphaliæ, quæ antè Henrico paruit, partem abſtraheret, aſſumpto titulo ducatus Weſtphaliæ: quem hodie tenent archiepiſcopi Colonienſes. Tum & Suſatum cœpit parere eccleſiæ Colonienſi, vſque ad tempora quæ nunc ſcribimus. Nam hoc tempore colla ſubduxerant iugo, quòd ſe dicerent ab archiepiſcopo in antiquis libertatibus arctari. 1444.

Cliuienſis ducis cum Colonienſi archiepiſcopo bellū.

Ad Adolphum Cliuenſem ducem defecerunt,cui ſaluis immunitatibus antiquis ſacramentum fidelitatis præſtiterunt: multis interim nunciis ac literis hinc atque inde miſſis ad ducem, vt abſtineret aliena ditione: ad vrbem, vt ad cor rediret, agnoſcens(quem debuit) Colonienſem archiepiſcopum dominum in temporalibus & ſpiritualibus. Sed quum toto triennio his atque aliis viis nihil proficeretur, ad arma peruentum eſt vtrinque comparata. Iohannes Cliuenſis, Adolphi filius, tum filiusfamilias, cum valido præſidio vrbem tuendam ingreditur, paſſus in ea obſideri. Theodericus autem archiepiſcopus cōparatis copiis ad obſidendum ſe parat. Venerat illi auxilio Wilhelmus Landgrauius Turingiæ, dux Saxoniæ, inter agmina ſua ducens duo millia quingentos ex Bohemis, homines armis iamdiu innatos, & qui ſine exemplo crudeliter deſæuirent. Hi (vt diximus) in ipſo itinere Iohannem de Hoya comitem Oſnaburgi vinctum, ſolis comminationibus relaxarunt. Obſedit ergo archiepiſcopus Suſatum multis millibus armatorum. Oppugnauit autem toto menſe, raro intermittēs bombardarum tonitrua.

Archiepiſcopalis exercitus.

Sed quum ea non terrerent ciues, apparatis magna multitudine ſcalis ſtatuit variis ſimul locis inuadere murum. Erat ea ſcalarum multitudo, & id roboris, vt vnà tres aut quatuor in quaque ſtarent & aſcenderent. Oppidani aduerſus ea miſerunt lapides ac trabes: ſed omnium erat validiſſimum defenſionis genus. Sartagines in muris diſponebant per interualla, ſubiecto igne, pultes in aquis bullienti feruore miſcebant: hunc li-

Aqua ferueſfacta oppugnantes hoſtes perfunduntur.

quorem capacibus vaſis ferueſcentem fudere in armatos, ſcalis incumbentes. Exuperabat ea vis omne genus tormentorum: in ipſis ſuis armis ardore excruciati ſuffocabātur. Tormenti genus incomparabile. Tali tum modo defenſi muri: periere ex ſcandentibus plurimi, qui pro ſuo debito primi venerant ad arma. Nam Bohemi facilè ceſſere indigenis honorem, vt militia prælati primi eſſent in periculis. Archiepiſcopus eo accepto incommodo oppugnationem deſeruit. Ex hoc tempore Suſatum in iure ducis Cliuenſis permanebat.

CAP. 32.

Franciæ delphinus Baſilienſe concilium diſturbat.

PER idem tempus delphinus regis Franciæ Ludouicus, is qui poſtea regnum diu tenuit. Eſt enim delphinatus is in Francia principatus, qui viuente patre, primogenito regis filio permittitur, proximus gradus ad regnum, patre ſubducto. Is tum valida armorum manu ſtipatus ad Rheni ripam duxit. Sexaginta tum millia ferebantur eius ſequuti ſigna: quibus & Baſileæ mœnia diſturbanda, qui tum etiam in concilio, pertinaciter permanebant. Sed & Argentinæ pulſabantur mœnia, non ignorante (vt ferebant) rege Romanorum Friderico: qui ciuitates Imperij ad eam fluminis ripam Rheni minus Imperio parentes, ad iuga coegit. Switenſibus quoque idem congreſſus ſtragem in illis peregit. Armiaci autem per illam ætatem habuere nomen inuictorum: vt noſtra memoria ante paucos annos iidem Switenſes ſunt habiti. Mira Friderici regis vel patientia, vel prudentia, vel vtrunque, vt maluerit Imperio minus audientes, per alios quàm ſuis armis caſtigari. Feciſſe idem fertur ætate noſtra in Auſtralibus edomandis, quos tum regi Vngariæ permiſiſſe dicitur, ſed ita vt vix ipſe angulum in omni Auſtria retineret. Quo tempore mortuus eſt Otto dux Luneburgenſis & Brunſwickcenſis ſine prole. Ortaque ſuſpicione dati veneni aduerſus Bertramum præpoſitum monialium in Ebbekeſtorp, per purgationem ille canonicam exuit ſuſpicionem. Multi ſe prælati obtulere ad compurgandum, ſcientes viri honeſtam legalitatem: quum non teneantur in ſuo ſacramento compurgantes de veritate, ſed de ſola credulitate: principalis autem ipſe ſolus de veritate iurat. Bellum tum acre gerebat Albertus Burgrauius Nurenbergæ, poſtea Brandenburgenſis marchio, in ciues Nurenbergenſes, quòd prætenderet latius in vrbe ius quàm illi ciues permitterent: quum ſit ipſa vrbs Imperialis, non alium ſupra ſe dominum quàm regem Romanorum agnoſcens. Multo labore impenſiſque partes ſibi conciliauere fauorem. Magnis ſæpe incommodis ciues affecit ſuperne ab arce: nec ipſi pepercere machinis & bombardis, paria inferre paribus, auſi aliquando in apertos campos aciem in aduerſos producere, totiſque confligere viribus, ſæpe inter eos alternante fortuna. Semel adeo contritæ ſunt vires marchionis, vt omnibus pene qui ſecum militauere captis, vix ipſe cum paucis elaberetur: iam actum de marchione putabant omnes. Tum aleam verſans, in celeritate rem conſtituit, dum adhuc in contemptu hoſtium eſſet. Citius quàm ab omnibus putaretur, alias vires collegit: & hoſtes iam ſui ſecuros, iam etiam ſe contemnentes, magno animo inuadit: & tantam recepit victoriam, vt pene damna priora compenſaret. Iam ſtabat pene æqualis hoſti, parificata incommoda, pares vtrinque victoriæ. Hoc præſtabat militari viro celeritas & animus vinci neſcius: emerſerat enim dum nemo putaret. Quum autem per duos annos tracto bello varia inuicem & dediſſent & accepiſſent incommoda, interuentu communium amicorum res in concordiam, cum detrimento (vt fieri ſolet) partium peruenit.

Brandenburgenſis cū Nurinbergēſibus bellum gerit.

CAP. 33.

Imperator Turcicus Græciam occupat.

HÆC ſunt illa luctuoſa Chriſtianitati tempora, per quæ bicipiti Romanorum aquilæ, alterum defectum eſt caput, quum iam in orientem vltrà non reſpiciat, vix defendere potens quod ei reliquum eſt in occidente. Nam Turcus dum contemnit adoleſcentiam regis Vngariæ, nec ab Auſtria ſibi timet, vniuerſam Græciam inuadit, magnā Europæ partem auferens. Hoc Græculi Imperatores paſſi, dum in regna multa ſcinduntur: exemplo futuri Latinis, niſi lethargum iam mortalem induiſſent. Dum enim oriētis imperium diuiditur in Adrianopolitanum, Trapezuntium & Conſtantinopolitanum, vnum in tria, ſingulorum vires non tantæ remanſerunt, vt truculentiſſimo hoſti Turco occurreretur. Fridericus autem eius nominis III. dux antè Auſtriæ, nunc Romanorū rex, duodecimo ſui regni anno in Italiā cōtendit, & coronam & vxorem pariter, quæ ex Portugallis ibi obuiam illi duceretur, accepturus. Senis ſponſam primùm vidit, deducētibus eam proceribus ex regno patris. Cumq; illa Romam profectus Imperialē benedictionem

ctionem accepit,& inde in Neapolim ad Alphonſum regem ſponſæ ſuæ propinquum contendit,vbi regali luxu nuptiæ parabantur. Satis expedito is itinere Italiam peruagatur,quòd inermis veniret,præmiſſis aliquot copiis, & aliis ſubſequi iuſſis,ne cui veniret onerosus aut formidabilis. Albertum fratruelem Auſtriæ ducem itineris habuit comitem,& Ladiſlaum puerum duodennem, Vngariæ & Bohemiæ regem, Auſtriæq́; ducẽ, ipſo pueritiæ flore decorum & amabilem,& cui Itali multos annos ac plurima bona imprecarentur.Ea vota ventus,ne prouenirent,tulit:oſtenderunt hunc fata tantùm terris, neq; vltrà eſſe ſiuerunt.Nam(quod in Wandalia diximus)dum pro eo cõſeruando multa bella gererentur,dumq́; illum Bohemia ſuſcepiſſet alendum, & iam illi nuptiæ pararentur,anno ætatis XVII. non ſine ſuſpicione veneni periit.Sed ad Fridericum redeamus,qui tum paratus ibat & redibat per Italiam,nulli formidandus.Videre ille potuit æquis oculis(quod priores non poterant)de viſceribus Imperij alios incraſſatos.Hoc dum vindicare contendit Henricus VII. veneno periit,non ſine crimine Florentinorum.Karolus eius ex filio nepos,qui vlciſci debuit & Imperij & aui iniuriam,euiſcerandis aquilæ viribus inſtitit:dum pro extollendo ignauiſſimo filio,patrimonium Imperij(quod ſæpe queſti ſumus) impendit.Sigiſmundus iam emortuam rem reperiens,quod voluit implere,nequiuit:dumq́; in alium reſpicit,qui ſe per Italiam duceret,tardo ſatis itinere, penè irriſus per mediam prouinciam vix penetrauit ad Vrbem: iam conſpirantibus communitatibus cum pontifice in contemptum Romani Imperij. Sed Fridericus nimium quietus tolerauit omnia,cunctator(vt diu habebatur) ſalutaris, quod matùritati dabatur: ſed illa nunquam peruenit, vt vim oſtenderet. Quoties enim apud illum fieret rerum comploratio, quòd hæc & illa fierent, hæc & illa timerentur, ferunt reſpondiſſe, necdum eſſe tempus illa emendandi.Nec tamen illo viuente hoc tempus impletum eſt: neſcitur quando implendum.Iam res eò vergunt vt Alemannia, quæ pridem amiſit viuacitatem,omnem deinde perdat Imperij honorem,rebus inclinantibus ad Gallos. Ergò labor in hoſtes Turcos colluctandi permanebit, & (vt formidatur) indies augebitur: maieſtas Imperij decidet.Et facile eſt toleratu,ſi modò perſeuerat incolumitas & libertas à Turco,quæ & ipſa vocatur in diſcrimen.

Fridericus Romæ coronatus uxorem ducit.

Imperij opes ab ipſis Imperatoribus dilapidata.

Papa Imperij perniciem molitur.

HAC ergo tempeſtate,per annum quinquageſimum tertium Romana pridem biceps aquila facta eſt anceps: ſi caput ei reliquum ſit, poſteaquam Conſtantinopolitanũ orientis deperiit,capta per Turcum eius imperij ſede: occidentale ſe nuſquam niſi intra viſcera commouet,abſumens vires in domeſticos,quas verteret iuſtius in exteros. Turcorum imperator,poſteaquam LXVI.diebus nulla permiſſa requie Conſtantinopolim oppugnauerat,& vir Italicus tutandorum murorum ſuſcepiſſet præfecturam,dum Turci acrius imminerent quàm vrbici tuerentur,capta eſt inſigne decus Chriſtianitatis Cõſtantinopolis:innumera ciuium multitudo ſine diſcrimine ſexus, ætatis, ordinis perdita.Rex ipſe(vt ferunt qui inerant fugientes)dum per auerſam ab hoſte portam cum populo fugam parat,in ipſa preſſura conſumptus eſt. Sæuitum tamen eſt in cadauer mortui,truncatumq́; caput delatum eſt per caſtra in contumeliam victorũ: prophanata templa,euerſa altaria,conſputæ imagines, in primis crucifixi Domini, in caſtra relata conſputaque ridetur.Stupratæ ſacratæ virgines,matronæ in caſtra protractæ,libidinem impleuere ſpurciſſimorum canum: & illud æternæ Sophiæ conſecratum templum, ſine exemplo ſorditatum contaminationibus Mahumeticis.Illa tum ſunt facta,quę & dictu ſunt difficilia,& auditu horrifica.Omnem nobilitatem tyrannus curauit excindere:quę vt ſe proderet,præconem iuſſit proclamare,ſi qui ſe auro redimere velint,liberum facere victorem.Tum terræ proceres,& ciuitatum principes,inani ſpe libertatis ducti, prodeunt de latibulis.Vbi iam omnes videt conueniſſe,iubet feriri gladio. Mutus hic etiam Tullius pro rerum calamitoſa ſatis ſerie deploranda. Per duos dies liberum fuit Turcis domos diripere,prædam conuectare,in omni genere rerum, hominum, iumentorum, veſtium,auri,& argenti,& omnis ſuppellectilis.Qui talem ac tantam vrbis calamitatem dignis defleat verbis,neminem arbitror extare. Ferunt qui copias eius compertas habuere,trecenta fuiſſe millia,qui à terra oppugnarint: à mari triginta millia, trecentis velis annotatis.

CA. 34.
1453.
Conſtantinopolis capta.

Horrenda crudelitas Cõſtantinopoli capta editur.

SED poſt aliquot annos, quum idem ferociſſimus hoſtis in interiora Chriſtianitatis ducens Bellogradum oppugnaret, cœlitus Chriſtianis auxilio proueniẽte, celebris ex CAP. 35.

Turca ad Belogradũ cæſi.

hoſte victoria prouenit, Iohanne Huniad Vaiuoda pugnante, Iohãne verò Capiſtrano, viro religioſo de Minorum obſeruantia, pro muris populum exhortante, & ad Deũ clamante, cæſa ſunt hoſtium multa millia, & pro numero noſtrorum plurima: interceptæ hoſtis machinæ, bombardæ, & omnis generis bellicus apparatus. Eam noſtrorum victoriam tam impatienti animo fertur hoſtis tuliſſe Turcus, vt lacrymas vir ſæuus non teneret, vt barbam velleret, & ea quæ ſolent inſani facere. O ſi noſtri tum principes vſi ea fuiſſent victoria, recentem hoſtis cladem prementes, nec ſiuiſſent reſumptis viribus reſpirare! Non extra ſpem fuiſſent tum omnem Europam fugato hoſte occupare. Sed languidum caput, defecta membra, tum non ſuſtinuerunt fortiter agere pro noſtris. Erant in Macedonia nonnulli duces Chriſtiani, quibus animus ſuiſſet hoſti occurrere, imò fugientem inſectari, ſi ſuppetias vllas ex Chriſtianis principibus ſperauiſſent. Nondum erat tempus miſerendi eius, nondum venit tempus. Formidandum ne noſtris criminibus prouocatus & iratus Deus, longius ſe retrahat, & propter eccleſiam non rectè ambulantem, in altum, vt olim à ſynagoga, regrediatur: pro indubitato habẽtibus nobis, quia ipſe iudicat populos, gubernans mundum omnem, etiamſi hoc impij non credant. Qui verò credunt, non hoc agunt, vt properet Deus miſericordiam ſuam ſuper ſuos. Per quæ tempora idem Iohannes Capiſtranus obſeruantialis, in Germaniam deſcendit, prædicans magno zelo verbum Dei in Auſtria, Bauaria, Suæuia, Turingia, & Saxonia. Nam in ciuitate Magdeburgenſi, in nouo foro, maxima ad illum cõfluente multitudine, quũ eſſet Germanicæ linguæ non gnarus, Latino ſermone prædicabat Latinis in tertiam horam, populo ſolis geſtibus eius, quos antè non viderat, ſatis vehementer permoto. Aderat ex Germanis ſui ordinis fratribus vir æquè doctus, qui poſt illum non minore tempore dicens interpretabatur populo quæ ille dixiſſet. Moti ſunt omnes, & vſqueadeo permoti, vt fœminæ abuſum in ornatu, viri ludos quibus tempora perdunt, ſchacorum aleatumq; in vnum contulerint, & in eodem loco igne ſubdito concremarint. Fertur idem aliquot ſanitatis ſigna feciſſe, vt vulgò eſt creditum. Sed eſt in ea re ſæpe loquacior fama. Hoc conſtat, virum fuiſſe incredibilis in vita & moribus auſteritatis & ſanctitatis. Sed eſt ſpiritus ille torrens, quo tum commotus populus, illa quæ diximus fecit, vt non diu perſeueret. Facilè redit res in abuſum, vt eſt hodie cernere per omnes terras & vrbes.

Eccleſia non rectè ambulãs Dei iram prouocat.

Concio per interpretem habita.

Fama, miraculorũ prodiga.

CAP. 36. MONASTERIENSES in Weſtphalia hoc tempore de epiſcopo laborarũt. Vacuata enim ſede per mortem Henrici, ciues experti virtutem eius generis põtificum de Hoya, quòd proximus eius familiæ Otto multa in eccleſiam & omnem diœceſim bona fecerit, valde deſiderarunt vt capitulum poſtularet Ericum Oſnaburgenſem epiſcopũ, iamdudum eccleſia ſua pulſum. Capitulum autem reputans indignum, ſi ad populi clamorem aſſumerent epiſcopum, contemptis populi precibus elegerunt Walramum comitem de Morſa, germanum Theoderici Colonienſis, & Henrici proximi deceſſoris in hac ſede, virum ad epiſcopandum non natum. Iam enim pridem (quod diximus) de epiſcopatu Traiectenſi fruſtra contenderat: fruſtratus, & hunc Monaſterienſem, magno licet interueniente bello, non eſt aſſequutus. Igitur facta electione de Walramo, quum populus vrbis ſe in ſua petitione contemptum videret, reputans ſua plurimum intereſſe hunc vel illum habere pontificem, inuenere cauſas, quibus iuſtificata etiam ſua parte (vt poterant) bellum graue ſuſtinerent aduerſus capitulum & omnem militiam: quibus acceſſere vires totius eccleſiæ Colonienſis. Iohannes autem comes de Hoya, vir armis innutritus, ſui quoq; fratris cum ciuitate cauſam defendit. Nec ſatis eſt viſum Monaſterienſibus, ſi hoc vteretur ductore. Conduxere bello ſuo principem Fridericum de Brunſwico ducem, Wilhelmi filium, cum valida equitum cohorte. Sciebat ille magno agmine archiepiſcopum Colonienſem diœceſim peruadere, vt non parentia reduceret in obedientiam. Fridericus & ipſe copias eduxit: auxilia illi ex vrbe mittebantur. Sed ille neq; in monaſterio vicino, Varle appellato (quod poterat) demorari, neq; auxilia promiſſa voluit expectare, exiens ſponte in apertos campos: vt ſi opus eſſet, expandendæ aciei locus foret. Firmauit tamen vt potuit in agris caſtra, poſitis in circuitum carris & euecturis, ne protinus hoſtes incurrerent. Id enim reputabat, ſi in cœnobio quod tenuit, ſe paſſus fuiſſet obſideri, quis obſidionem laxaret? quis tantam vim propulſaret, quum eruptioni nõ ſatis idoneus videretur? Igitur caſtra ſua in campo metatus, expectabat hoſtem: nam fugere procul ex animo fuit. Venere hoſtes, & manu collata, ſtatim, quod neceſſe fuit, minores

Vir in ambiendo epiſcopatu infœlix.

Bellum pro epiſcopatu.

nores Friderici vires inclinauere. Captus ipſe Coloniam perducitur, ibiq́ue aliquandiu pro capto in libera cuſtodia fuit: poſt tempora ſe ſuo ære ex captiuitate laxauit, manente deſuper actione in ciuitatem Monaſterienſem. Nec tamen ceſſere dehinc ciues voluntati capituli, ſed pertinaciter bellum continuarunt. Neuter verò contendentium ad epiſcopatum peruenit. Iohannes enim Bauariæ dux, quum in Italia literis inuigilaret, ſuggerentibus nonnullis qui rem gubernarent, eandem apud ſedem apoſtolicam vacantem eccleſiam impetrauit: venitq́ue cum apoſtolicis literis, & nonnullis tractatibus habitis in eccleſiam ſuſcipitur, donec inde in Magdeburgam poſtulatus transfertur, vbi religioſè viuens finiuit.

SVSCEPIT deinde bellum Wilhelmus dux Brunſwickcenſis, aduerſus Bernhardum Friderici ducis Luneburgenſis filium, gubernantem pro patre: qui etiam tum erat adminiſtraror Hildeſemenſis eccleſiæ. Cui in eodem bello acceſſit Iohannes Verdenſis epiſcopus. Suberat cauſa, quòd oppidani Luneburgenſes ære alieno grauati, detraxere prælaris in ſolutione ſalinarum, vnde luerent æs alienum. Diu cauſa in Romana curia ventilatur. Superauere prælati, qui literis apoſtolicis per brachium ſeculare exequendis requiſierunt Wilhelmum ducem, vt rebus corporibusq́ue teneret Luneburgenſes mandatis apoſtolicis contumaces. Prior Wilhelmus dux copiis vndique contractis duxit in diœceſim Verdenſem, præfatus inſtructum ſe venire epiſcopum, quomodo pareat mandatis apoſtolicis. Sed Bernhardus dux memoratus cum Iohanne epiſcopo retulere arma in terram Brunſwickcenſem, inter Leynam & montana Deſtriæ, prædam multam ferro flammiſque exciderunt. Rodewold, Alten, Betterlow, Nouam ciuitatem iuxta Honouer. Intercepta deinde res ad concordiam peruenit. Hoc tempore quum Adolphus dux Sleſwici, comes Holſatiæ, rebus Holſatiæ iam mortuo fratre ſolus præeſſet, recordatus veteris querimoniæ Phriſiorum ſuorum in Thietmarſos, quòd eam prouinciam crebrius incurſaſſent, quòd iniquam legem (cuius ſuprà meminimus) conſtituerint, ex Thietmarſis vnum duobus Phriſiis compenſauerint, exacta pecunia ab illis plurima: ita vt dux explicita deſuper calculatione, reperit ſuis detracta per eam gentem ducenta triginta millia marcharum, quę ab Thietmarſis repoſcebat. Sed quum illi quoque ſuum ingrauarent calculum, intercepta res eſt, & de eo deducta, vt ad arbitros controuerſia perueniret: compromiſſumq́ue eſt in præpoſitum eccleſiæ Hamburgenſis, iudicem Thietmarſorum ordinarium, & in conſulares duarum vrbium, Lubicæ & Hamburgi: adiecta pœna non parenti decem millia aureorum. Quum autem præfinitum nullum eſſet laudo tempus, ſtabat ea res in manibus arbitrorum ſine fine. Sed princeps ille bonus quum perueniſſet viuendo ad annum Chriſti quinquageſimum nonum poſt mille quadringentos, finem fecit viuendi, nullo hærede legitimo ſui corporis relicto: peruenitq́; res in contentionem de iure ſuccedendi, inter regem Daniæ Chriſtiernum, germana ſorore Adolphi natum, & Ottonem de Scowenborg comitem. Qui longiori quidem gradu diſtabat: ſed tamen ex maſculino latere in feudo credebatur præferendus. Sed tum proceres Holſatorum ſui fecere arbitrij quem vellent dominum, elegeruntq́; regem Daniæ, vt fieret comes Holſatiæ, data ingenti pecunia Ottoni, qui iuri ſuo renunciaret: præſertim aſſentiente feudi domino epiſcopo Lubicenſi, qui comitatum illum Imperiali dono ſolet concedere, vt verus & directus feudi dominus. Peruenit ergo comitatus ad regem: Ducatus autem tum coronæ conſolidatur: quod diu à regibus per multos labores erat quæſitum. Sed filij regis eundem ducatum patre moriente, denuo à corona ſeparatum, inter ſe (vt Holſatiam) per partes diuiſerunt: quod ſuo tempore commemorabimus.

C A. 37.

Pontifices ſuorum decretorum principes exequutores habeat.

1459.

LIBRI VNDECIMI FINIS.

Cap. I.
1460.

ANNVS currebat poſt mille quadringentos ſexageſimus, quum Pius ſummus pontifex animo dolens amiſſum orientis Imperium, audienſq; continuò Chriſtiani nominis ferociſſimum hoſtem Turcum in Chriſtianas prouincias ditionem propagare, Trapezuntino imperatore victo: quum penè nihil reliquum eſſet de orientali imperio, quod non ille occupaſſet, de bello eidem inferendo concilium indixit Mantuanum. Conuenere frequentes principum oratores. Aderant inter alios Franciæ regis nuncij: qui magna & acerba oratione inuecti, querebantur Neapolitanum regnum ab iuſto hærede tranſlatum in Ferdinandum baſtardum Aragonenſem. Quibus longiori reſponderat ipſe ſua voce Pius. Extant ambę orationes. Sed

hriſtiani incipes ad llũ Turcicũ rũ attenti.

tum eo conuentu nihil fructuoſius agebatur, quàm vt immaniſſimo Chriſtiani nominis hoſti bellum indiceretur, deq; ratione gerendi multa ſunt conſtituta. Sed optimi pontificis voluntatem non ſunt ſequuta principum ſecularium (vt debuerant) officia. Imperator quieuit: cæteri nihil ardentiores. Vnus Burgundiæ dux Philippus polliceri operas videbatur. Sed quarto demum anno (quod dicemus) res intentata per mortem pontificis euanuit. Interim verò in Saxonia Wilhelmus pater & Fridericus filius, duces Brûſwickcenſes, oppidanis Luneburgenſibus, quoad poterant, aduerſantur, ob non paritionem literarum apoſtolicarum brachium ſeculare intentantes. Friderico duci venerant in manus currus quatuor mercibus onuſti: qui quum Luneburgum pertranſiſſent, creditum eſt (quia ſic credentibus expedire videbatur) quòd Luneburgenſium res extitiſſent, aut

ermania bel intestinu atet.

quòd iuſtè cæteri, propter participationem cum illis, eadem quæ illi damna paterentur. Tenti ſunt vtcunq;, & merces diſtractæ ſine precio, diſtributione militari. Fraudati tamẽ feruntur qui cepere, quum crederent omnia eſſe in mercibus. Plurimum inerat argenti, quod Marinus apoſtolicus nuncius in Suedia corraſit. Sed quid facerent, quando qui commutaret in merces non eſſet? Eo contentos oportebat abire. Fuerunt & alij non inde longinqui quatuor currus: ſed proximarum vrbium Gottingen & Northem pręſidio defenſi abibant. Erant pro his rebus conuentiones ad placita plurimæ: ſed merces diſtractæ ſemel non redibant. Inde principali putant honori maculam inuſtam, quòd non iuſtam prędam pro iuſta ſit in ſuos partitus. Contenderat eo tempore Lantgrauius Haſſiæ occupare oppidum Embica, quòd nonnihil in eam haberet quæſtionis. Sed principes eorũ domini Albertus & Henricus duces Brunſwickcenſes de Grubenhagen, quantis poterant armis, & vicinæ vrbes Gottingen, Northem, Goſlaria, Brunſwicum tulere ſuppetias. Hoc quum Haſſo compertum haberet, retro tulit pedem. Per idem tempus quum eccleſia Moguntina inſigni clade, duos haberet pontifices electos in diſcordia, Pius papa, qui noſſet opes eccleſiæ, dudum in Germania verſatus, annatam extorſit acer

apa venalu retio ſententiam mutat.

bius. Sed Dietherus de Iſenborg, qui potior in iure videbatur, dum (vt ferunt) annatam pro arbitrio papæ non ſolueret, & de non ſolicitando pro concilio ſacramentum pręſtare recuſaret, confirmationem iam datam papa retraxit, & æmulo ſuo contulit Adolpho de Naſſow. Nihil actum videbatur apoſtolica confirmatione, quam vterq; tenebat, niſi arma veniſſent in medium. Dietherus vrbem & arces habebat potiores. Concurrerunt aliquando armis in acie, victa pars Dietheri ceſſit. Deinde oppugnata ciuitate, captaque armis auxilio comitis Palatini de Rheno, Dietherus quum nihil hoſtili molitione perſentiret, penè in ipſa quieris ſuæ ſede interceptus eſt, calente adhuc lectulo vnde dilabebatur. Sæuitum eſt iņ maiores vrbis, qui partem tutati ſunt Dietheri: in miſeram ſeruitutem vrbs pridem libera redigitur: euaneſcit omnis mercatura. Retrahunt enim ſe mercatores de locis in quibus arma dominantur. Omnium portarum claues ad vnum ſub noctem deferuntur vrbis præfectum, qui omnia pro ſuo arbitrio moderatur. Is vocat in concilium quos delegerit: officia omnia in vrbe partitur vnus, ciuibus in omnem ſubiectionem perductis: Archiepiſcopus cum clero dominatur. Rebus tamen inter æmulos compoſitis, Dietherus deputatas ſibi accepit arces cum prouentibus, certus, ſi ad eum diem peruenerit, de Adolphi ſucceſſione: idq; poſt ſextum annum euenit. Tum enim

Diethe-

Dietherus mortuo Adolpho redditur eccleſiæ: ſed in quam ſeruitutem ciuitas propter eum venerat, in ea reliquit. Arcem quoque ad Rheni fluenta iuxta ciuitatem extruxit, quæ pro fræno ſit ciuitati, ne quando reſurgat in priſtinas vires. Publicum inibi erexit literarum palladium: ſtipendia & præbendas deputabat doctoribus & magiſtris in eo deſudantibus operæ literariæ. *Archiepiſcopi tyrannicus dominatus.*

Sexagesimus ſecundus erat annus à Chriſto poſt mille quadringentos, quũ Wilhelmus dux Brunſwickcenſis ſe immiſceret bello quod erat inter Mauriciũ & Gerhardum fratres comites de Oldenborg, inuitatus ab amborum fratre rege Daniæ Chriſtierno: qui fauerat Gerhardo de dominatu Delmenhorſt, quem vterque vendicabat. Mauricio ſuppetias tulere Bremenſes & comites de Hoya: qui magna ſtipendiariorum manu obſederunt arcem Delmenhorſt, fame expugnare conati, quando armis non licuit. Chriſtiernus rex amborum frater, literis & nuntiis egit apud epiſcopum Monaſterienſem & ducem Wilhelmum, vt partes Gerhardi, qui premi videretur, adiuuarent. Quumq; iam obſeſſa arce Gerhardum fame laborare non ignorarent, ſtatuunt commeatus inuitis obſidentibus importare. Audierant obſidentes magno agmine venire Wilhelmum ducem, caueruntq; ne obſidentibus ſuperueniret. Quum fiderent armis, quòd viribus eſſent fortiores, victoriam ſibi ex hoſte promiſerunt, ſi aperto campo dimicarent, obuiam progreſſi in Mericam, ad vadum Siberg. Ibi dux vbi aduentare hoſtes ſenſit, circunduxit agmen, nec frontem præbuit, donec a tergo hoſtes in conſpectu ſolem haberent. Commiſſo prælio, durum oritur certamen: de iectusq; aliquando dux iumento, hoſti ſubditus videbatur. Sed aderant frequentes ex illius fidelibus, qui cæſis his qui propius vrgebant, ducem reſtituere. Poſt plurimum laborem, variante ſæpe fortuna, dux victor permanſit. Capti duo de Hoya comites, plures cæſi in acie corruerunt. Wilhelmus ante initum conflictum aliquot auratos milites creauit: quibus victoria hoc præſtitit vt acceptum honorem retinerent, alioqui euacuandum. Controuerſia inter fratres extincta eſt anno proximo, quum conueniſſent in ciuitatem Verdenſem. Ibi omnibus ex æquo complanatis, capti vi quoque laxantur. Accepit autem ex conuentione fratrum Mauricius Delmenhorſt: quæ res plurimum grata fuit Bremenſibus, & quorũ mercatores via publica iter terebant. Gerhardus enim ea lege natus eſt, vt mercatores non amaret. Et quanquam in Oldenborg ille commaneret, inuenere tamen ex illius ſatellitio frequentes viam, vt in nemore inter Delmenhorſt & Wildeshuſen, crebrius quã mercatores vellent comparerent, celeri mercatu res multas permutantes. Oppidani autem de Wildeshuſen ſatis infeſti Gerhardo & ſuis, ei crebris certaminibus conflictantur: quos ille per irriſionem Græcos conſueuit appellare. *Cap. 2.* *1462.* *Brunſvvicẽſis prælio ſuperior*

Bernhardus dux inferioris Saxoniæ, ex multis fratribus nouiſſimus, diem ſuum per hæc tempora obiit, relicto filio Iohanne, qui hodie viuit, relicto nunc terrę gubernaculo vni ex filiis Magno. Ille autem in Raceburgo quietus agit. Miſit hoc tempore ſummus pontifex per Germaniam legatos, qui populum ad arma in Turcum vocarent. Erat autem ſexageſimus quartus poſt mille quadringentos. Sed ea res imprudenter vel ꝓmulgata vel accepta eſt. Imperiti prædicatores inerme vulgus excitauere, quaſi omnia illis in promptu futura viderentur in terris ad quas properabant. Venere pannoſi, inermes, inopes, emendicantes cibum, qui in Turcum ducerentur. Riſere Itali, & meritò quidem, ſimplicitatem (vt ſolent) Alemannorum, quòd ſine armis, ſine commeatibus properarent ad tam difficilem longinquamq; expeditionem. Venere multi Venetias, quaſi ilico nauibus euehendi. Inde nonnulli Anconam, quò audierant venturũ pontificem. Maior numerus Romam petebat. Magna colluuies hominũ, ad bella male procinctorum. Quid faceret pontifex? vt redire faceret inutilem bello turbã? Dedit illis benedictionem & plenariam remiſſionem. Multi in itinere fatigati, inedia exhauſti defecerunt: alij ex itinere, quum quid gereretur audirent, redierũt. Nec Philippus ipſe dux Burgundiæ, qui ſæpe & multum pontifici promiſerat, & voto ſe (vt ferunt) ex morbo cõſtrinxerat, venit. Papa Anconam delatus, ibi ducem Venetiarum præſtolatus, febre corripitur: & quum vidiſſet illum in portu nauigãtem, biduo pòſt defecit. Pecuniæ ad eam rem à pontifice collectæ, ex conſtituto eiuſdẽ, partim Veneto duci, partim regi Vngariæ fortiſſimo principi, ad ſupplementũ ſuę expeditionis (quę illi in hoſtes crebra fuit) permittũtur. Pius tamẽ priuſquã Vrbe excederet, beatiſſimũ Andreę caput allatũ, ſumma excepit *Cap. 3.* *1464.* *Expeditio Turcica ridicula.* *Fatigatos papa benedictione remunerat̃ur.*

veneratione: quod Thomas Palæologus vir nobilis aduexit, quum timeret ne in manus impiorum hoſtium perueniret. Pius ſumma deuotione exceptum, quum flens flenti traderet, in Vrbem vexit: inſigniuitq́; locum ad pontem Miluium, vbi tradebatur. In quo idem pontifex ſuaui oratione in laudem apoſtoli habita (quæ extat) plena venerationis & honoris obſequia illi impendit, recondens honorificè in templo diui Petri, in capella Gregorij, quæ eſt intrantibus læua: vbi Pius ipſe requieſcit.

CAP. 4.

Vel præfuit non ſacerdos, vel ſacerdos vxorem duxit

BERNHARDVS dux Luneburgenſis, Friderici religioſi principis filius, quem pater volente de adminiſtratione eccleſiæ Hildeſemenſis (cui per annos ſex præfuit) tranſtulit, data illi coniuge filia Ottonis comitis de Seowenborg, ad regimē ducatus patre cedente peruenit. Vacabat pater extruendo fratribus Minoribus de obſeruantia Tzellis monaſterio: ibique in exercitiis deuotionis ſuæ gauiſus, conſeneſcere meditabatur. Sed Deo aliter viſum. Nam Bernhardus (quem diximus) filius eius, accepta vxore non diu permanſit in humanis: fraterq́; Bernhardi aduleſcens egregius Otto, ad regimen patre iubēte peruenit. Is accepta vxore filia comitis de Naſſow, ex ea filium reliquit Henricū, qui hodie ducatui pręeſt. Prima Ottonis arma in militares terræ ſuę, qui per contemptū patris eius Friderici manſueti principis, intumuere: nam in iumentis ſuis ſublimiores, & in omni apparatu cultiores incedebant. Vnde factum eſt, vt qui patrem contempſiſſent, Bernhardum non diu præſidentem habuiſſent, huius quoq; adoleſcentiam Ottonis leuius penderent. Sed animoſus iuuenis non paſſus contemni, bellum excitauit in eos. Integræ erant militarium familiæ, quæ ſe duci opponerēt: Schulenborg & Bertenſlen capita fuere, quibus affines & cognati non defuere. Dux autem copiis comparatis duxit in eos. Non auſi in aciem prodire, latitabant in ſuis diuerticulis: ipſe autem terram & prædia peruadens, ferro & igne vaſtabat. Ingreſſus terram paluſtrem opulentam, vbi nemo meminerat hoſtile aliquid intentatum, perfecit vt primi ipſi ad petendam gratiam & finem bello proſilirent. Magnificatus eſt princeps egregius & honoratus inter omnes, quum æquitatem coleret, latrociniis terram ſuam purgaret. Sed inuida fata tulerunt illum ante dictum ſuorum dimidium: & coactus eſt pater grandæuus poſt duos filios, quos præmiſit, dimiſſa quiete (quam ambierat) pro paruulo nepote gubernacula reſumere: quæ etiam tenebat in finem vſque vitæ ſuæ. Iohannes interim dux inferioris Saxoniæ, Bernhardi filius, per hæc tempora accepta vxore de domo Brandenburgenſi, filia Friderici ſenioris principis electoris, affinitatem iniit, qua ſperaret ad honorem, quo depulſus erat, aliquando redire. Nam ſuperioris Saxoniæ principes, ipſi Miſnenſes marchiones, quum ex Sigiſmundo Imperatore, auunculo ſuo, ducatum eum electuræ dignitate ſuſcepiſſent, non ſunt paſſi vel titulum renouare apud veram lineam ducū Saxonię: quamuis Karolus IIII. Sigiſmundi pater, eam fecerit etiam inter tum diſſidentes principes concordiam, vt alternis vicibus ad electionem vtriq; vocarentur. Sed id (vt dixi) vel ignorare vel abolere alij volebant. Per hunc verò ſocerum ſuum in ſpem venerat Iohannes, ad ea quæ iuſtitia ſua depoſcit, aliquando redire. Sponſam illi inuexit Henricus dux Magnopolenſis, qui amitam ſponſæ teneret coniugem, Friderici marchionis ſororem. Aderant multi ex Marchia proceres. Fœlix hoc coniugium multiplici prole vtriuſque ſexus, quorum maior pars etiam nunc extat.

Ducis aduerſus nobiles ſuæ ditionis bellū.

Electoratus verus Saxoniæ ducibus ademptus.

CAP. 5.

IOHANNES Monaſterienſis epiſcopus, dux Bauariæ, hoc tempore tranſlatus eſt in eccleſiam Magdeburgenſem, poſtulatus à capitulo, vir religionis amans, ſuccedens Friderico, eiuſdem obſeruantiſſimo. Erat is Fridericus comes de Bichelinge: qui quum in curia verſaretur Guntheri prędeceſſoris ſui, in ſeculari habitu videbatur deforis vanitatibus ſeculi deditus, comam nutriens, quæ colla criſpans flagellaret, venationibus & ſecularibus rebus non abſtinens. Sed nouerat Guntherus cor eius rectum ad Deum. Vnde factū eſt, vt quum Guntherus in extremis ageret, adeſſentq́; illi qui familiarius eum ex canonicis & militaribus diligerent venerarenturq́;, ortuſq́; ſermo eſt, quis eccleſiam poſt illum ſuſciperet tuereturq́;: hoc ille quum audiſſet, Sumite, inquit, ſi me conſulitis, Fridericum de Bichelingen, non hoc intus agentem quod præfert in oculis omnium. Ille obdormiuit. Canonici ſequuti conſilium archiepiſcopi ſui, elegerunt Fridericum, tenuiter quidem literis inſtructum, ſed religionis plenum. Fouebat in theologia magiſtrum Henricum Token Bremenſem, qui & neceſſariis literis inſtruxit, & omnium religionis conſilio formauit. Omnia ſuæ diœceſis monaſteria ille aggreditur reformare, &

Comam alere olim decorū.

Epiſcopus eccleſiæ reformator.

in maiore parte profecit, optimum relinquens apud omnes teſtimonium. Huic ſuccedens Iohannes non minor erat in feruore religionis. Quæ agenda reliquit præceſſor ſuus, ille impleuit, princeps omni ordine probandus. Interea Otto dux Luneburgenſis quum bello decertaret aduerſus ſuæ terræ Marchięque militares, inter alia quæ vaſtans hoſtibus fecit incommoda, arcem Hiddeſacker in deditionem accepit, abſente Wernero de Bulow, qui tum in terram ſanctam eſt peregrinatus. Fama fuit, ſiue abſente domino, ſiue etiam præſente, fauiſſe illum plurimū Magnopolenſibus: qui aliquando trāſito Albi, per vadum aut etiam per nauigia in terra Luneburgenſi quæſtum fecere: quum viciſſim alij trans Albim in hanc noſtram ripam dilapſi, inſtarent ſuis lucris. Sed eo bello viciſſim quoque duci ſunt illata incommoda. Priores tamen de pace (vt diximus) agebant militares: & in proxima quadrageſima eam ſunt aſſequuti, arce dicta permanente in manibus principis. Quo tempore Lantgrauius Haſſiæ magna ſtipatus manu Miſnenſium, Bohemorum, Vngarorum Haſſonumque, duxit in Simonem Paderburnenſem. Sed ille auctus copiis epiſcopi Hildeſemenſis, & Bernhardi domini de Lippia, qui frater erat Simonis, quiq́; germanam Erneſti de Scowenborg coniugem teneret, expectauit vt exciperet venientem. Erat enim de finibus & limitibus contentio. Vbi audiuit Haſſo paratos eſſe congredi Weſtphalos, paſſus eſt cauſam intercipi: & factum eſt perinde, vt multa inde ſequutura mala præuenirentur, quum ad arbitros potius in iure, quàm ad milites in acie dirimenda cauſa perueniret. Inter prodigia tum numeratum eſt, quòd in arce Kalenberge ſanguine pluit: viſæ ſunt guttæ in peplis mulierum, & ſtramine quod iuxta erat. Deinde die Veneris ante feſtum Crucis, ipſa meridie, viſus eſt ſol ſine ſplendore in laſurio. Fridericus per idem tempus dux Brunſwickcenſis, quòd impeteretur ſuper rebus mercatorum, quas nuper in ſua commoda diceretur conuertiſſe, quum videretur iniuſtè impeti, voluit dare querulantibus cauſam iuſtiorem, aliis tum curribus in arcem Euerſteen ex via publica deductis. Vnde aſperata ſunt bella inter duces & ciuitates Saxoniæ.

Litis dirimendæ optima ratio.

Prodigia.

Cap. 6.

GERHARDVS de Oldenborg, frater regis Daniæ Chriſtierni, circa hæc tempora intrauit in Holſatiam, depoſcens ex terræ militaribus XL. millia nummûm, quæ expromiſſa dicerentur ei in aſſumptione fratris Chriſtierni in Holſatiam. Nam quum eſſent fratres ipſi tres ad eam ſucceſſionem æquo iure propinqui, vt cederent fratri, Gerhardus & Mauricius eam acceperant promiſſionem. Iam Mauricio facto de medio, ſolus Gerhardus in ſolidum ſummam petebat. Aberat rex longè in regnis. Ex militaribus nemo fuit qui vel haberet, vel expromere vellet, referentibus cunctis cauſam in regem. Gerhardus arces occupauit, hoſpitaliter ingreſſus, vtpote regis frater, & de quo nemo ſentiret alia quàm amica & modeſta: ille, vt erat callidus, multorum ſibi animos conciliauit. Euocatus tamen rex, quum quid gereretur intelligeret, non diu aberat, & cœtum nobilium & prælatorum agebat apud Kilonem oppidum. Ibi præſenti Gerhardo & acceptanti conſtituti ſunt termini dierum ad accipiēdam expromiſſam pecuniam: factaq́; cautione, tum viſus quieſcere nihil intentabat, rediens in ſuam ditionem. Nam illi tum res erat in controuerſia cum Bremenſibus, qui archiepiſcopum ſuum concitauere in eundem, & in bellum ſequuti ſunt eum: quod in noſtra Metropoli diximus. Captus eſt tum in Holſatia comes de Mansfelde, hoc ſolùm prætendentibus qui ceperant, quòd in aliena terra ſine conductu tranſiret. Pulchra nimirum capiendi ratio in terra inhoſpita. Venerat is in Holſatiam, deducens amitam ſuam Dorotheam, relictam Adolphi ducis, ſecurum in ea ſe prouincia ac in ſua ratus, quòd nihil hoſtile ſentiret. Queſta eſt ſuper ea re Dorothea regi Chriſtierno, cui puero multa fecit in domo mariti bona. Videbatur rex moueri querimoniis illius, mandabatq́; capienti vt relaxaret. Sed qualibet ratione, quáue iuſtitia & æquitate incertum, conſtitutum eſt, quòd niſi quatuor aureorum millibus ſolutis, à ſua captiuitate non laxaretur. Ardebat tum bellum in Saxonia inter principes Brunſwickcenſes, & vrbes illarum partium. Erant in eius fœderis ſocietate communitates Magdeburgenſis, Hallenſis, Hildeſemenſis, Brunſwickcenſis, Goſlarienſis, Honouerenſis, Gottingenſis, Northemenſis, Embickcenſis. Cauſa belli tanti, quòd Wilhelmus dux cum filiis brachium intentans ſeculare ex literis apoſtolicis, perſequebatur Luneburgenſes, nonnullos cum mercibus currus, velut Luneburgenſium bona, tenuerit (imò filium Fridericum tenentem defenderit) illa inducti æquitate, quòd iam in par-

Amicè ingreſſus loca vi occupat.

Holſatia parū hoſpitalis.

Principū aduerſus ciuitates bellum.

ticipantes proceſſum diceretur, nec abſtinuerint mercatores regionum à commercio contumacis oppidi. Viſum eſt principibus iuſtum & ſanctum, quod mãdato ſummi pontificis peragerent, etiam ſi Saxoniæ vrbibus videretur iniquum. Qua ex ſententiarum diuerſitate peruentum eſt ad arma. Occupauere vrbici arcem Hardexe cum oppido. Inde magna vaſtitate edita, in Ricklingen & Nouam ciuitatem igni ferroq; ſæuitum eſt: poſtero deinde anno non minora incommoda irrogantur ducibus. Sed Fridericus marchio Brandenburgenſis, ex cuius ſorore geniti eſſent duces iuniores, non paſſus diutius terram vaſtari, euocatis partibus in Quedelenborg pacem firmauit qualibuſcunq; conditionibus. Damna damnis ſunt compenſata: ſed nihil ad mercatores.

CAP. 7.

Archiepiſcopus res ſuas ablatas bello recuperat.

IOHANNES archiepiſcopus Magdeburgenſis, intellecto quòd nonnulli militares vicinæ ditionis pannos magno pondere ac numero (erant nouem ac decem quadraturæ, Terlingos vocant, talorum ſimilitudine compactos) in ſua ſuſcepiſſent, qualicunque in eos qui aduexerãt cauſa prætenſa: magna enim pecunia magna tentatio eſt. Eam tum reor extitiſſe potiſſimam cauſam. Sed archiepiſcopus non paſſus rem mali exempli in ſuo impunitam eſſe, ciuibus ſuis in ſocietatem agminis aſſumptis, obſedit Caluorde, certus non abire niſi rebus ex ſententia geſtis. Brunſwickcenſes & ipſi cum Henrico ſuo duce aduenere, oppugnationem roborantes. Sed priuſquam expugnaretur, obſeſſi quũ rebus diffiderent, deditione facta pacti ſunt incolumitatem, rebus omnibus ad vnguem reſtitutis. Erant hi panni mercatorum de Wratiſlauia, ac Magdeburga, ſociorum. Quo etiam tempore Luneburgenſes graue quod in eorum vrbem conſtituit Imperator vectigal, exigere nitebantur. Sed non ſunt paſſi vicinarum vrbium ciues. Quumq; diu refragarentur, nec Luneburgenſes quieſcerent, remiſſo retrorſum ſale, quod oppidani in vrbes vendiderant, deſtituere impoſitum vectigal cum magno murmure. Hæc vna erat via contumacium perdomandorum. Per quod etiam tempus Gerhardus de Oldenborg in Holſatiam reuerſus, omnia adminiſtrabat pro rege fratre, illo non mandante, mareſchallus eius ſpecie ipſa: ſed reuera in ſe (quod exitus mõſtrauit) deriuabat omnem principatum. Rex autem quum ad conſtitutum terminum magnam à Lubicenſibus pecuniam mutuam accepiſſet, dedit fideiuſſores ex proceribus Holſatiæ, hac lege, vt niſi in conuento termino pecunia renumeraretur, Lubicenſibus permiſſa eſt facultas euocandi fideiuſſores in ſuam vrbem, nõ egreſſuros niſi ſolutione peracta. Inde factum eſt, vt multi pro rege expenderent omnem facultatem, ſeq; ac liberos in extremam pauperiem (quod dictu miſerum eſt) redegere. Erant qui non ſine cauſa expenderent, quod ante ſine merito ſuſcepiſſet. Sed aliorum infœlicior ſors: qui quum nihil antè à regia munificentia eſſent ditiores, cogebantur tamen ad implendam fidem (quam habuere rebus chariorẽ) omnia ſua perdere. Gerhardus interim comes de Oldenborg in Holſatia paulatim auxit vires. Nam omnia terræ præſidia iam erant in manibus eius, Gottorpe, Rendesborg, Zegeberge, Hanrow. Ruſtica plebs per agros mirum in modum Gerhardo afficitur: maiores de militia illi aduerſantur, neſcientes ſi de regis iſta conſilio procedant, vt dominetur pro fratre frater. Nunciis ac literis apud regem egerunt vt veniret in Holſatiam, noſſe cupientes cui domino pareant. Pateretur quidem rex fratrem pro ſe adminiſtrare terram: ſed omnia pro poteſtate agere non ferebat. Euocauit fratrem rex iam in Holſatiam deſcendens: conuenere in arcem Zegeberge. Gerhardus ſatis ſibi conſcius factorum, dubitauit in arcem aſcendere: fretus tamen fratris facilitate, & quòd rogare poterat id quod modeſtè poſtulabat, ceſſit, aſcendens: ibique ſeruatur aliquandiu non captiui ſpecie, ſed diligenter cuſtoditi. Regina muliebriter illi blandita, ſuaſit ne graue duceret paucorum dierum patientiam. Tum rex procuratis rebus, vt pro tempore pecuniam, quam expectabat Gerhardus, acciperet, & in ſuam ſe vltra Albim transferret ditionem. Quo tempore papa Paulus nihil intermiſit quod ad expeditionem in Turcum pertineret, prædeceſſoris ſui Pij inchoata perfecturus. In quam rem publicas in Vrbe ſtationes & ſupplicationes habuit cum populo: ſcripſitque Imperatori, vt euocaret principum conuentum in locum competentem, in quem ipſe legatum ſuum plena mitteret facultate. Qui quum in Nurenbergam eſſet indictus conuentus ad diem Iacobi, paucis comparentibus, tenditur in diem proximum trium Regum in Ratiſponam. Sed tantundem etiam tum peractum eſt. Aderat Franciſcus Picolomineus cardinalis: cuius nomine Iohannes Antonius Campanus in conuentu principum

Frater fratris legati ſpecie ditionem ad ſe rapit.

Imperatoris ad bellum Turcicum ſuſcipiendum mira tarditas.

mira

mira tornatam arte habuit orationem, plenam laudibus antiquæ Germaniæ. Sed nihil cum Fabio Maximo cunctatore.

CAP. 8.

Boemi armis ſe aduerſus pōtificium anathema tuentur.

IMPERATOR deinde Fridericus, commonitus à ſummo pontifice Paulo, Ierſicum regem Bohemiæ, à ſe declaratum hæreticum, & regno depoſitum, inſectatur armis. Sed præualuere, vt conſueuerant, Bohemi. Exercitum, qui ab Imperatore miſſus illos inuaderet, retro pepulerunt, & in ipſa Auſtria confligere pro patria, qui aliena ibant impugnare, cogebant. Aucti tamen Auſtrales maioribus viribus inſtitere hoſtibus. Sed rex Bohemiæ expectandum non putauit. Rex autem Vngariæ Matthias ſatis pro ſua virili perfidos inſequitur, incendiſſetq; magnam procerum partem in molendino in quod ſe receperant ex fuga, niſi ab Alberto Miſnæ marchione, & duce Saxoniæ reuocaretur: is enim erat gener regis. Quo etiam tempore Karolus dux Burgundiæ inſignem ciuitatem Leodienſem expugnauit. Erant qui proderent illi (vt ferunt) vrbem: ſed reddidit ille iuſta præmia proditoribus, iubens cædi gladio. Sæuiuit autem ſine exemplo in eam vrbem: coniunxit enim agmina ſua cum rege Franciæ. Qui quum veniſſet pro Leodienſibus, conuerſus cœpit eos cum duce oppugnare. Præter omnium ergo ſpem, rex, qui aliquando Leodienſes in fœdus admiſiſſet, cōtra illos pugnabat. Rebus omnibus penè deſperatis, vrbici rogant epiſcopum ſuum, quem antè contempſerant, & pro quo dux omnia habebat, vt ſe bello medium interponat. Recuſauit ille, quòd maximè propter ſe ſuſcepiſſet Karolus tantum bellum. Tum arma corripuere furentes, auſi in aciem prodire, quòd munitioni vrbis non bene fiderent. Sed collatis prælio manibus, facilè à militaribus viris ciues, multi à pluribus ſtatim ſuperantur: ſtrages maxima editur in campis. Tum ſuperextantes cædi fuga dilabuntur in vrbem. Sequuti victores ſæuiunt in omne genus hominum, iam ſatiati ſanguine, nondum tamen expleta indignatione. Mulieres dorſo tenus colligatas in profluentem miſere Moſam, impoſitas nauigiis ſine numero merſere. Erat ex principibus qui ingentem numerum ære (ſed paruo) mercaretur, donauitq; libertati. Tum Peronam (inſigne erat fuſile ex aurichalco, quod in libertatis argumentum foro erexere) inſigni forma cum inſcriptione carminum iuſſit Karolus victor auehi, ac in Brugenſem vrbem deportari. Stabatq; omni tempore Karoli in loco, vbi ad burſam (vt vocant) conueniunt omnium nationum mercatores circa meridiē, loquentes de mercaturis. Sed Maximilianus iam rerum potitus poſt Karolum, permiſit Leodienſibus vt in ſuam referrent vrbem. Diſcite mortales iuſtitiam, non temnere diuos.

Leodienſes à Burgūdo, prodente eos Francorū rege, deleti.

CAP. 9.

ALBERTVS Mindenſis epiſcopus per idem tempus, cum comitibus de Hoya, patruelibus ſuis, aſſumpto etiam in ſocietatem belli Friderico de Brunſwico duce, hoſtilia nunciauere comitibus de Scowenborg: in quorum parte Erneſtus frater epiſcopus Hildeſemenſis, Simon epiſcopus Padeburnenſis, frater eius de Lippia. Odioſum bellum, & cum magno partium incommodo geſtum, in quo non aliud quàm alterna damna quærerentur. Non ſatis conſtabat inter omnes qua de re belligeraretur, niſi per alterna odia. Quumq; exaturati mutuis eſſent incommodis, & terræ miſeræ eſſent deuaſtatæ, parilitate damnorum inuicem compenſata, ad concordiam rediere penè non volentes. Nam in eam rem cocis atq; cellariis magna eſt attributa poteſtas. Quo tempore Hēricus dux Brunſwickcenſis, Wilhelmi frater, vnicam filiam deſpondit Wilhelmo comiti de Hennenberge. Solennitas nuptiarum Brunſwico peragitur, multa vndiq; nobilitas ibi confluxit: duo millia ducenti numerati ſunt aduenientium militares equi. In Holſatia interim Gerhardus regis Daniæ frater, iam à militaribus non ſatis amatus, quum terram animo relinquere non poſſet, apud ruſticam plebē, cui ſemper erat chariſſimus, intentabat ſuam augere potentiam. Ingreſſus Phriſiam eam quæ ab Eydora nomen habet, conuocatis maioribus, oſtendit de voluntate eſſe regis fratris ſui, vt eum populū haberet in poteſtate, vtereturq; illo ad edomandam regi contumacitatē: & prætenſis literis regis, quæ hoc ſonare videbantur, nemini dubium reliquit fratres vnum ſentire. Itaq; populus iſte promptus iurauit in verba Gerhardi. Rex vbi comperit, alias miſit literas, quæ voluntatem eius plenius declararent, coarguens quod factum audierat de ſacramentis Gerhardo præſtitis: nec diſtulit rex aduentum ſuum. Qui vbi cōuocauit militiam ſuam, vicinarum quoq; Holſatiæ vrbium conſulares, Lubicæ & Hamburgi, conſilij eos fecit in fratrē participes. Intellexit enim quam ille ſe inſinuaſſet & inuiſceraſſet Phriſiis & paluſtribus Holſatis, in Wilſtria & Crempis, quamque difficulter, vbi conſpirarent, illis reſiſteretur.

Defatigati bellādo pacem ineunt.

Danus fratris conatum infringit.

Tum verò ceſſit Gerhardo fretus conſtantia & fide Phriſiorum, quòd etiam in abſentis fide permanerent, vt alio tempore rem melius procuraret. Quumque cerneret paluſtris populus regem cum omni militia & vicinis vrbibus vnum ſentire, etſi diu reſtiterint, non auſi tamen tentare belli fortunam ſine capite, ad regem ſatis inuiti renouatis ſacramentis redierunt. Quum medio tempore Gerhardus comes implicitus eſſet bello Bremenſium, quieuere Phriſij: quod in Metropoli diximus. Sed poſt duos annos, quum ageretur ſecundus & ſeptuageſimus, inuitatus ab Holſatis paluſtribus & Phriſiis Gerhardus, per mare redibat in locum Huſen, aptatas trabes aduehens, quibus repentinè poterant erigi muniriones. Rex autem vbi intellexit, quum celeritate opus eſſet, priuſquã conualeſceret hoſtis frater, vſus ciuitatum armatura duxit in Wilſtriam: & quos comprehendit ex aduerſæ factionis capitibus, iuſſit gladio feriri. Elapſus eſt autem vir primarius Henneke Wulf, peruenit in Thietmarſiam. Ibi non diu pòſt, quum conſueta ſibi vteretur inſolentia, cæſus eſt: bona eius ſunt confiſcata. Gerhardus furtim dilabitur, rege etiam, quòd frater eſſet, diſſimulante: & per longa deuia rediit in ſua, non iterum reuerſus in Holſatiam.

CAP. 30. *Contentio de epiſcopatu armis geritur.*

ECCLESIA tum Hildeſemenſis graui motu quaſſatur, quum duo in diſcordia, vacante eccleſia eligerentur, Hermannus Haſſiæ Lantgrauius, is qui iamdiu tenuit eccleſiam Colonienſem, quem dominus præpoſitus cum aliquantis cõſortibus elegit: & Henningus de Domo, pridem eiuſdem eccleſiæ decanus, quem maior capituli pars aſſumpſit. Is in perſona adiit ſummum pontificem, confirmatus, & in Vrbe conſecratus. Reuerſus autem ad eccleſiam, honorificè excipitur à capitulo: ſed militares terræ, qui arces tenerent, ei refragantur. Res in apertum bellum exiit. Pro Henningo ſtabant duces de Brunſwico, Fridericus & Wilhelmus, & Bertoldus Verdenſis epiſcopus cum ciuitate Hildeſemenſi. Sed quum facilè cederet Hermannus Lantgrauius, quòd bellum refugit, præpoſitus cum militia euocarunt Balthaſar ducem Magnopolenſem, vt adminiſtrator eſſet: quia necdum legitimos annos attigerat, vt eſſet epiſcopus. Venit ille cum paucis ſuorum, & in arce Peyne ſeſe cum præpoſito collocauit. Interim magnum erat luctamẽ partium, leuia prælia multa ſunt conſerta. Hildeſemenſes anno integro obſederunt arcem Sturwold, erectis ibi munitionibus, & fame compulerant cuſtodes arcem dedere: quam illi Henningo epiſcopo ſuo conſignarunt. Longo tamen diſſidio valuit indignatio partium ad plenam diœceſis euaſtationem. Capti inuicem plurimi, aliquot cæſi, varia fortuna eſt dimicatum. Sed Balthaſar dux poſt plurimum ſuorum laborem, rediit in terram patrum ſuorum. Neque ſic quieuere perduelliones: Henningum etſi præſtantem virum, dedignati ſunt tamen pontificem. Quum autẽ iam omnes bello feſſi eſſent, conceſſere in ius eius, admiſſo in poſſeſſionem eccleſiæ ſuæ per annos ſeptem. Quo tempore Gerhardus comes de Oldenborg, in ſua reuerſus, quum ſederet in arce Delmẽhorſt, venere mercatores, qui ſaluum poſcerent conductum pro aliquantis pannorum faſcibus per terram deuehendis. Quum illi pro xenio offerrent aureos quinquaginta, Nihil, inquit, formidandum: ſalua ſunt omnia. Mercatores credidere verbis, quæ ille forſan (vt erat callidus) ambigua protulit. Aduehũtur panni itinere ſuo. Vbi venere Delmẽhorſt, iubentur in arcem perduci. Tum mercarores qui aderant, recens ſe ab illo pro pãnis accepiſſe conductum ſecuritatem teſtãtur, illos eſſe pro quibus aureos numeraſſent quinquaginta. Tum ille inſigni fidei exemplo, Vadite, inquit, plura adducite: iſta ſunt in tuto. Niſi enim ſpem dediſſem ſecuritatis, non huc veniſſetis. Non conſueui niſi amicorum bona in ſecuritatem accipere. Hæc ſunt hoſtium meorum Lubicenſium, qui me nuper armis ſuis Holſatia exturbarunt, patrimoniali vtique terra: niſi fuiſſent, ego cum fratre facilè tranſegiſſem. Vadite, inquit: plura, ſi libet, in eandem ſecuritatem adducite: ego interim iſta tuta ſeruabo. Ibant illi mœrentes ac triſtes, etiam in lucro ponentes, quòd non ipſi cum rebus tenerentur. Erant nonnulli Lubicenſium ciuium capriui apud eum: qui poſt longam in carcere calamitatem, ære vix ſuo ſunt relaxati. Quo etiam tempore, ingrediente iam ſeptuageſimo ſecundo poſt mille quadringentos, apparuit terribilis in cœlo cometes per menſem Ianuariũ inſequentem, grandi cauda multa minatus quę ſequuta ſunt mala, læuo lumine cœlũ contriſtauit. Æſtate tũ inſequente terribili incendio magna pars Erfordię concremauit, immiſſo igne per conductirios, quorũ erat primarius religioſus quidã de ordine prædicatorũ. Concrematæ duæ eccleſię collegiatæ, cũ ponte

Mercatores perfidè ſpoliantur.

1472. *Cometa viſus.*

mercatu-

mercaturarum,& inſigni vrbis parte. Machinatus eſt homo militaris generis quidam, quòd & vrbi & Lantgrauio eſſet infenſus. Eadem æſtate venerat Lubicam nobilis puella Imperatoris Conſtantinopolitani filia, miſſa à ſummo pontifice, nauigio deducenda in Reualiam, deinde in Ruſſiam, nuptura magno Muſgouiæ principi. Sperauere tum in vrbe prælati puellam ritu Romano educatam, & Latinis ſacris imbutam, flectere maritum ad ſe imitandum in religionis ritu. Sed illa cogitur ſequi maritum. *Græcus ad Latina eccleſiæ ritum adduci non poteſt.*

ANNVS erat à Chriſto nato ſeptuageſimus tertius poſt mille quadringētos, quum duo omnium ætatis noſtræ maximi principes, alter Imperio fulgens, alter rebus geſtis & armis clariſſimus, Fridericus Romanorum Imperator, & Karolus dux Burgūdiæ conuenere in Treuerim de rebus magnis acturi. Nam alia publicè agebant de Gelria, quam pridem Karolus ab Arnoldo duce coemiſſet, deinde etiam armis ſibi vendicaſſet, Imperatoris bona venia poſcens infeudari. Deinde de communibus quibuſdam Chriſtianiſmi caſibus, de bello in perfidum Turcum gerendo. Alia etiam clam egere, paucis in cōcilium admiſſis: de quibus hoc efferebatur in publicum, vt Karolus accepta de manu Imperatoris corona, rex ſalutaretur Belgicæ Galliæ, aut Burgundiæ. Nam olim Burgundia (quod in Wandalia oſtendimus) regnum erat. Potiſſimùm verò id ferebant Imperij rebus maximè profuturum, vt Karolus per Imperium vicarius, rex conſtitueretur, ad edomandos Imperio rebelles aut minus parentes, & ad ſub iuga mittendos qui olim ad Imperium pertinuiſſent. Sed vbi de rebus non conuenit, quòd Imperator ſine aſſenſu principum electorum nihil ſuper his rebus poſſet conſtituere, dictu ſpecioſum eſt quo ſe honore inuicem præuenirent, ſalutantes, deducentes, deferentes: quum interim Karolus dux, quòd magnum haberet in armis exercitum, ceſſit Imperatori vrbe, foris in monaſterio collocatus. Magnis ſe muneribus mutuò miſſis honorabant: ſed incomparabiliter excelluere quæ dux Imperatori donaret, aliquot cameras tapetis inſignes, cum vehiculis quæ ferrent. Sed tamen ita fuit diſceſſum, vt nubili vultus principum annotarentur, non ſatis comperto ex quibus id cauſis: nam multa in vulgus non prodeunt. Henricus per ea tempora dux Brunſwickcenſis, princeps quietus, & qui arma togæ poſthabuit, poſteaquam multis annis tranquillus terræ præfuit, tranſiuit ad pacem meliorem, nullo maſculo hærede relicto. Nam vnicam filiam (quod diximus) Wilhelmus de Hennenberge comes accepit vxorem. Igitur Wilhelmus ſenior, frater eiuſdem Henrici, ad ſuum rediit principatum, quem illi (vt ſuo loco diximus) peregrinanti, ſtimulo concitus Brunſwickcenſium, idem Henricus tulit. Opes fertur aceruaſſe maximas iſte Henricus ex ouibus, princeps antiqua religione, & qui patribus veteris teſtamenti ſimilaretur: monacho propior quàm militi, rara arma contrectauit.

Carolus Burgundiæ dux regiū nomen affectat.

Beneuolentia inter principes larua.

Princeps diues pecorū.

IMPERATOR interea Fridericus, ex itinere ad Vrbem ad ſe declinanti Chriſtierno Danorum regi, gratificatus, contulit Thietmarſiam, terram (vt ille prætenderat) ſine domino, quę nulli pareret: & extincto comitatus titulo per Holſatiam, Sturmariam, Holſatiam, Thietmarſiam vnum creauit ducatum, deq; illo præſentem ibi regem inueſtiuit: quæ res multorum præſtabat initia laborum. Thietmarſi inde re competta miſere nuncium (ſed non ſatis ære inſtructum) qui doceret imperialem maieſtatem, eam terram eſſe ſubiectam eccleſiæ Bremenſi: quæ etiam ſuis in terram præfectis vteretur: effecitque nuncius vt decerneretur citatio cum inhibitione ad regem, de non ſe intromittendo, priuſquam res, quæ contradictione facta ſit dubia, in iudicio clareſceret. Sed eam citationem ſegnis populus, & qui modicam pecuniam pro magno commodo non effundit, non extraxit. Ita permanſiſſe res credita in prima conceſſione, conciuit cladem & laborem huius anni, quo iſta ſcribimus, recenſendam ſuo loco. Inde profectus rex per Italiā, magnis vbiq; excipitur honoribus, trium regnorum titulis inſignis, & qui in ſua ditione teneret Gothos, quorum tam celebre nomē ab antiquo fuit per omnes prouincias, quorum etiam opera Romæ nunc viſuntur in demolienda (ſi voluiſſent) vrbe. Sed illi reliquere tum Romam, quam poſtea Italici Normāni de Apulia in eam deformitatem & vaſtitatem, quæ hodie cernitur, perduxere. Romam veniens rex recipitur à pontifice Sixto in palatiū. Miraculo fuit viſentib. regis proceritas: ſed prælatis inſcitia fuit ingrata, quòd non haberet commerciū linguæ Latinæ, vt multa cum illo mutuo ſermone conferrent. Vtebatur interprete Henrico Sankenſtede legum doctore, viro ſatis ad dicēdum accurato, qui cauſam regij itineris apud pontificem depoſuit. Rediens aūt ex ipſo itinere rex

Roma à quib. maxime vaſtata.

CAP. II. 1473.

CAP. 12.

Burgundus Nuſſiam fruſtra obſidet.

deflexit in caſtra Karoli ducis Burgundiæ, qui tum Nuſſiam obſederat: & euocatis aliquot principibus, Friderico Brunſwickcenſi, Magnopolenſi, & eo quem itineris totius comitem habuit, Iohanne duce Saxoniæ, cum multis comitibus (in quibus erat Gerhardus frater eius) tentauit, ſi poſſet rem quæ bello quærebatur, cópoſitione pacata, in ſuos terminos reducere. Sed fruſtra impendit apud Karolum operam, quòd certo certior eſſe videbatur Karolus, vrbem vel deditione vel armis in ſuam redigere poteſtaté: quæ tamen ſpes eum deſtituit. Nam (quod in Wandalia diximus) deſcendens Imperator ſtipatus principibus electoribus, quum magnis, & incomparabiliter maiorib. quàm eſſet Karolus, vteretur viribus, in eum mouit, tráſactumq; ſine prælio, vt obſidione ſoluta Karolus exercitum reduceret, Nuſſia in ſuo ſtatu permaneret. Ibi tum cóueniſſe ferunt de nuptiis Maximiliani, quem vnicum filium Imperator habebat, ad Mariam, itidem vnicam Karoli filiam: qua de re etiam in Treueri ferunt eoſdem principes ſermonem contuliſſe. Sed quod ibi manſit infectum, hìc peruenit in conſummationem.

CAP. 13. EPISCOPVS Monaſterienſis Henricus ex comitibus de Swartzeborg, ad hanc expeditionem in Karolum promptus occurrit, quòd prima ad illum pericula pertinere viderétur, ſi ad Rhenum victor, orientem (vt fama erat) Karolus petiuiſſet. Ferunt octo millia expeditorum tum militum, peditum atque equitum, ſub ſignis eius militaſſe, quũ acceſſiſſent quingenti quos miſere Lubicenſes. Sed inde euocati ſunt illi, vt ad imperij ſigna eſſenr. Qui verò de omnium diſtrictu vicinarum Saxoniæ Weſtphaliæq; vrbium vocati acceſſerant, ad Henricum Monaſterienſem confluxere. Ardebant multi ad prælium, & conferre manus cupiebant Burgundionibus: ſed non ſinebat eis Imperialis maieſtas, quæ conſilio omnia prinſquam armis conſtituit experiri. Circuibat caſtra Albertus marchio Brandenburgenſis, interdicens ne quis ſe commoueat, pœna capitis conſtituta. Erant nonnulli in poſtremis caſtris ſub ſignis dicti Monaſterienſis epiſcopi, qui ſiue petulantia militari, ſiue prælium concire cupientes, leuato pileo ſignum per ludum ſagittantibus extulere. Id quidam (ſiue caſu, ſiue conſilio incertum) obſeruans ſignum, de petraria miſit iaculum. Tum verò Picardi ſæuientes vindicare contendunt. Equires ſinguli poſt ſe in iumento peditem ſumpſere, deſilientem in loco pugnæ. Ducũt in eum angulum caſtrorum, vnde miſſam annotauere petram: & obnixi peditibus, eos vrgebát in Rhenum. Fremuere ſocij: ſed retinebat præſens Albertus marchio, qui culpam contumacium permiſit plecti, ſciens quod factum eſſet. Ita mulri ex gregariis in profluenté compulſi merguntur, alij cæde mactantur, quum ab ſociis indignannbus nullum haberent præſidium. Sed tum aderat legatus apoſtolicus Forliuienſis epiſcopus, & cum Imperatore aliquot electores, qui rem bellicam in tractatus coniecere: & ibi finiit, vt Karolus obſidione ſoluta reduceret exercitũ, & Maximilianus Imperatoris filius filiam vnicam Karoli haberet vxorem. Vrebat tum animum victorioſi ducis, Renati diffidatio: qui filius comitis de Vadimow, hæredem ſe gerebat Lotharingiæ, per mortem Nicolai nouiſſimi ducis. Simul & motus regis Francorum duci minitabantur: qui videbatur nõ quieturus, quòd omnes principes, qui ſe illi oppoſuiſſent obſeſſo Pariſio, paulatim ſubuertit. Supererat vnus Karolus, quem quibuſlibet viis inſtitit ſubruere. Igitur Karolus ſe ſatis eſſe venturum ratus, primùm in Renatum, velut minorem, ducere contendit, ignorans regis ibi Franciæ adeſſe conſilium, fauorem & manum, quamuis lilia non volitarét in nubibus. Obſidione Nuſſiæ ſoluta, quum iam diſceſſuri eſſent principes, aduolauit heraldus ex Renato duce Lotharingiæ, qui eius nomine bellum Karolo denunciabat. Ille exceptum hominem principis ornatu perueſtiuit, quaſi qui iocunda attuliſſet: ſic honoratum remiſit ad dominum ſuum. Inſtabat tempus quo venturum ex Anglia regem Eduardum iam ſciebat cum exercitu, affinem ſuum, cuius germanam teneret coniugem. Igitur diuiſis copiis ſuis per opportuna loca, cum parua manu contendit Caliſiam, excepturus affinem Eduardum. In ipſo itinere Brugis iam antè iuſſit conuenire quatuor Flandriæ membra, & omnes in curia ſolitæ ſuæ manſionis euocauit. Ibi illos acerba increpatione corripuit, quòd tardiores in mittendis illi ſupplementis extitiſſent, appellans eos villarum manſores, hoc eſt epulatores. Imputabat illis priuatas opes, quòd ipſo iam ſe opulentiores viderentur: ſcituros & corpora & res eorum eſſe in ipſius manu, quibus etiam ſuo vteretur arbitratu, animabus ſolis in manu Dei relictis. Tamque acerba increpatione dimiſſos multa formidine obſudit. Sciebant eum non fruſtra ſolere minari.

Lotharingus Carolo Burgũdo bellum denunciat.

Anglus & Burgũdus vires coniungunt.

Contendẽs ad ſanctum Audomarum, ibi quum accepiſſet iam applicuiſſe Eduardum, repentinus accurrit affinem conſalutare. Miratur Anglici ducem tanti nominis, paruo cinctum comitatu. Hiccine eſt, inquiunt, iſte dux Burgundiæ, cuius tam celebris fama mundum impleuit? Ille ſubauſcultans fertur reſpondiſſe mirantibus, exercitum ſuum regi Franciæ non imparem futurum, ſtare paratum in Lotharingia.

NON omnino noſtræ profeſſioni conſentaneum exequi Burgundiæ ducis acta: commodiuſque id (ſi omnino fieri congrueret) in Wandalia perageretur, quòd Burgundiones (vt oſtendimus) origine prima ſunt Wandali. Sed quum Maximiliani ducis, & poſtea regis præclara facinora in medium inſtituto deducemus, nõ erit graue lectori, clariſſimi ducis, qui ætate noſtra parem non habuit, exitũ percurrere, vt perinde Maximiliani ingreſſum illuſtremus. Igitur Anglorũ exercitus deducitur in Franciã. Comes ſancti Pauli expectatur, nec venit. Anglici bellum magis oſtendunt quã inferunt. Mox intercurrentes heraldi, colloquium regum de pace cõſtituunt. Non longè à porta Ambianenſi inſtructus pons erat duorum regum colloquio ſuper Sommam fluuium: dux Karolus admittitur tertius, ignarus quòd iã nuncij & literæ regis Franciæ in Anglia rem omnem antè præparaſſent. Comes ſancti Pauli iam antè detectus regi Franciæ, capto Iacobo fratre eius, qui pro duce Karolo pugnabat. Is (vt ferunt) fratrem ſic prodidit, regi oſtendens fratrem cum Anglis habere ſecretos tractatus, quodque regem ipſum pactus ſit tradere in manus Anglorum. Hoc admonitus rex Franciæ periculo, nuncios præmiſit in Angliam, & nunc colloquium de pace peragitur, conuenitque inter reges ſuper omnibus, quum nonnulla millia francorum regi Angliæ numerarentur, maiorq́; ſumma ſub cautione certa promitteretur. Inde colloquio regum peracto, rex ipſe Franciæ ad partem cum duce loquitur: conuenitque inter illos, vt de comite ſancti Pauli rex Franciæ ſuo arbitratu conſtitueret. Nec longum tempus in medio, vinctus comes Valentianis, vbi ducem operiebatur, perducitur Pariſium. Indignum ab duce facinus, & quod maculam inſignem gloriæ illius inurit, prodere virum, qui pro ſe & patre mille periculis obiectarit caput. Fuerit ille noxius in regem, necne, viderint quibus ea res permiſſa eſt: certè in ducem non ita commeruit prodi, vinciri, hoſti tradi. Perducitur Pariſium, ibique ſupplicium iubente rege de illo ſumitur, omnibus tamen in iudicio Parlamenti ritè (vt ferunt) peractis: quum aurata veſte reus, necdum conuictus, honoraretur: damnatus autem vili operimento tegitur, ac gladio cæditur, cauſis mortis eius in publicum promulgatis. Deinde quum in Angliã exercitum Eduardus rex reduxiſſet, inter Franciæ regem ac ducem Burgundiæ latior de pace tractatus fuit, expreſſè ſuper omnibus differentiis habito colloquio. Conſtitutæ treugæ nouennales, in quibus etiam comprehenſi ſunt vtrique parti confœderati, ſi tamen intra ſtatutum tempus ſuam declarabunt voluntatem. Nam de parte regis nominati fuere Henricus dux Caſtellæ & Legionis, Iacobus rex Scotiæ, dux Lotharingiæ rex Siciliæ & Ieruſalem, dux Sabaudiæ, communitas Florentiæ, domini Barenſes & Metenſes, Alemanni, & Leodienſes. Ad partem verò ducis Burgundiæ comprehenſi ſunt Alphonſus rex Portugaliæ, Fernandus rex vtriuſque Siciliæ, Iohannes rex Aragonum, princeps Nauarræ, Chriſtiernus rex Daniæ, Matthias rex Vngariæ, Caſimirus rex Poloniæ, Franciſcus dux Britanniæ, Galeatius dux Mediolani, filius Ludouici ducis Sabaudiæ, cũ matre ſororis regis Franciæ, Iacobus comes de Remont, dux Venetorum, comes Palatinus Rheni, Iohannes dux Cliuenſis, Rupertus archiepiſcopus Colonienſis, epiſcopus Metenſis, Ludouicus Borbonij, epiſcopus Leodienſis, & Dauid de Burgundia Traiectẽſis epiſcopus. Omnes hi ante primam Ianuarij declarare tenebuntur ſuas ſuper his voluntates, velint, necne, in fœdere comprehendi: & quòd hoc tempore rex duci fauorem monſtrabit in Imperatorem & ciuitatem Colonienſem. Erant præterea multa in his pactis capita comprehenſa. Ne tamẽ in hoc quod inſtituit bello in Renatum dux, quid aduerſus religionem treugarũ videretur egiſſe, miſit nuncium ad regem, poſtulans, vt ſaluis fœderibus liceat Nanſæium oppidum contumaciæ inſignis perdomare. Nam tranſitũ duci perſtringere videbatur ad Switenſes & Elſatios, quibus vindictam de occiſo capitaneo ſuo in ea terra, quam pignoratam ab Sigiſmundo duce Auſtriæ teneret, inferre conſtituit. Petrus Hachenbach hic erat, quem miſeranda morte Elſatij peremerunt, tractis in ſocietatem belli Switenſibus. Nec vacabat quòd eiſdem Switenſibus ductor erat Renatus

CAP. 14.

Pax inter Franciæ & Angliæ reges.

Sampaulinus comes à Burgundo proditus Lutetiam ducitur.

Fœderatorum vtrinque numerus.

Burgundus Heluetios ſenſus.

dux Lotharingiæ, quam prouinciam Karolus ſuo arbitratu diſponebat.

CAP. 15.

Burgundus Nanceium obſidet.

FATALE ſibi bellum Karolus ingreditur, primam expeditionem dirigẽs in Nanſæium: tranſitus enim illi inde erat ad cæteros. Quum autem obſidione premeret oppidum, deſcẽdit ad eum Rex Portugaliæ, opem eius implorans in Ferdinandum de Aragonia, regnum Hiſpaniæ occupantem, cum filia Henrici nuper defuncti regis. Sed auocari dux non potuit, quo minus de Nanſæio ſuam perageret voluntatem. Deditum inde oppidum accepit, impoſuitq; præſidium validum Anglicorum, ſub præfecto de Beuers: ipſe auctis copiis per altam Burgundiam progreſſus, perque Sabaudiam, Switenſibus occurrit ad prælium. Grauis ac pertinax pugna conſeritur. Cadunt viciſſim multi: ſed in fine ceſſere Burgundi, magnis amiſſis copiis. Dux ipſe ſibi fuga conſuluit ad oppidum Granſonenſe. Interim reuerſus a rege Franciæ Renatus, manu Switenſiũ auctus, Nanſæium recuperat. Quàm enim promptè Burgundi acceperant, tam facilè Anglici amittunt. Dedito oppido, incolume dimittitur præſidium quod inerat cum præfecto. Switenſes in ſocietatem vocant Lotharingos, magnamque (quam vocant) ligam ſibi conſciſcunt in ducem quem ſui ferebãt inuictum, forti fortiores occurſuri. Multa fiunt multis locis leuia prælia: ſed totis aciebus confligitur in vigilia Iohannis Baptiſtæ: vbi poſt pertinacem ac diuturnam pugnam iterum ceſſere Burgundi. Nec melior fortuna ducis apud Friburgum, peſſima verò apud Nanſæium: nam oppidum hoc obſidione vallabat. Erat tum brumale tempus, vigilia dominicæ Epiphaniæ, quum duci nunciarentur aduenire cum auxiliis ſuis Switenſes, & numero & robore fortiores ſuperioreſque. Et quum captus eſſet à duce à Lotharingia vir primarius, qui præſente duce rogatus quid de hoſtibus ſentiret, verum (quod ſciebat) edixit. Sed inuictus ducis animus, ſalutaribus moniris non acquieuit: hominem iuſſit iratus (vt erat iræ impatiens) iugulari. Erat in ſatellitio ducis Nicolaus quidam Italus comes de Campobaſſo: quem vt arma ſumeret hortatus dux, audiuit non ſe loco moueri, niſi donatiua pro ſe ac ſatellitibus ſumeret. Tardabat enim ærarij cuſtos (incertum quibus ex cauſis) nec ad præfinitum aderat diem, vt ſtipendia militibus erogarentur. Dux impatiens iræ de verbo comitis colaphum illi inflixit, Etiam, inquiens, ſine te, etiam ſi ceſſent alij, cum mangonibus occurram venientibus. Iam fulgebant in conſpectu ſigna Switenſium. Dux quadringentos grauis armaturæ equites præmiſit, vt hoſtes diſtinerent, donec ad pugnam ille pararetur, inſtrueretque ordines pro rerum neceſſitate. Illi verò quum tumulum apprehendiſſent, maiorem exercitus ſpeciem exhibebant in latum extenti. Sed non erat ea ſegnities Switenſibus, vt à paucis detinerentur. Igitur pulſis propugnatoribus, ipſa ad caſtra mox perueniunt. Fit pugna non leuis: ſed parati imparatos, feroces trepidos facilè vicerunt. Sternuntur aliquot millia: tum effuſa fuga omnes ſigna deſerunt. Capiuntur Balduinus atque Antonius naturales Karoli fratres, prælium differentes, atque hoſtem diſtinentes, vt fuga interim frater elaberetur. Sed infœlix ad riuum male fidum occupatur. Ibique incertum quis, & à quibus, tantus dux proſternitur atque perimitur. Diu ignoratum eſt quò abierit Karolus: ſed repertum à quærentibus cadauer infertur Nanſæium. Gelu facies intumuerat, vt dignoſci difficilè poſſet. Frater in primis Antonius, phyſicus deinde eius, aſſenſi eſſe Karoli: puer imberbis, qui galeam duci præferebat, teſtatur cadauer eſſe domini: aderat enim dum caderet, & monſtrauit cædis locum. Sed diu inter homines ſpes & metus variabant. Alij viuum abreptum in manus Francorum regis perueniſſe: alij fuga elapſum, ſed ſponte exulantem abiiſſe, rediturum poſt præfinitum à ſe tempus ferebant. Mercatores magna leuitate in eum caſum & emebant & vendebant plurima, primùm exoluenda in ducis reditu. Cœpit (vt fieri ſolet) res in quæſtum verti. Qui enim ea conditione vendidit rem æſtimationis centum, ab aliis illo ſuo facto in opinione confirmatis, ſubmiſſo ſocio emit, & lucratus eſt mille. Inuentus eſt Bruxellis Suæuiæ, quem homines poſt aliquot annos Karolum eſſe dicerent, ipſo pernegante. Rex Franciæ quum audiret exitum belli (de cuius conſilio credebatur non alienus) paratam habuit expeditorum militum manum, quæ Burgundiam ducalem iam (vt putabat) coronæ adunatam, hærede maſculo non extante, acciperet regis nomine. Vbi refragatum eſt, arma intentabant. Idem fit de vrbibus ad Sommam fluuium ſitis, de quibus etiam viuente Karolo erat cum rege controuerſia. Sed prætendebat rex Karolum in oppugnatione Lotharingiæ ac Renati fœdera violaſſe, &

Burgũdus ab Heluetiis prælio bis ſuperatur.

Nanceij altera obſidio.

Burgundus inſi... interficitur.

Variæ ſententiæ quid Burgundo factum ſit.

perinde regem exoluiſſe vinculis nouiſſimæ pactionis. Nos verò tanto duce tumulato, in Saxoniam noſtram reuertamur.

CAP. 16.

Miſerum egregia vrbis excidium.

VRBEM antiquam, & primorum in Saxonia principum decus Quedelenborg, Erneſtus dux Saxoniæ, marchio Miſnæ, oppugnauit, quòd male ciues parerent dominæ ſuæ abbatiſſæ, quæ ſoror erat principis memorati. Hac enim radice multa oriuntur bella, dum per ſuperbiam ſubditi vocant in contemptum præſidentes. Expugnauit ille & deiecit Rolandi ſtatuam, quam pro ſigno libertatis ab antiquo habuere. Direpta eſt vrbs à militibus, & in extremam pauperiem, vnde necdum ciues reſpirarunt, perducuntur. Ruunt domicilia: nemo curat reparare: viuunt in diem: tempora terunt in labore agriculturæ, quæ ſi victum præſtat quotidianum, diuites iam ſe computant: obligare ſua prædia non ſinuntur, vt redditum conſtituat alter apud alterum, liberas poſſeſſiones, mundas ab auro manus habere præcipiuntur. Ita per ſolam contumaciam corruit vrbs antiqua. In diœceſi interim Hildeſemenſi, quamuis Henningum iam omnes accepiſſent epiſcopum, Fridericus tamen dux Brunſwickcenſis quieſcere non potuit, multum obluctatus eidem. Abegit crebrius de villagiis iumenta, & villas diripuit: ſed congreſſi nunquam ſunt in prælium. Iam ſe paulatim prodebant cometæ nuper viſi multi & inſignis effectus: quia bella tonabant vndique. Nam Imperator tum de Vngaria conflixit cum Matthia rege eius, poſteaquam ille vxore accepta de poſteris cogitauit. Ferebant enim in pactis, quæ eſſent inter ambos, expreſſum, vt Matthias per ſuæ tempora vitæ regnaret in Vngaria, cæterùm nihil ad illius poſteritatem. Quam rem, quia in Wandalia attigimus, hîc tranſilimus. Sed & princeps magnus Muſgouiæ per ea tempora oppugnauit, & in ſuam redegit poteſtatem magnam Ruſſiæ ciuitatem Nouoguardiam: quod nemo antè vel timuit vel præſumpſit. Sic enim erat in prouerbio, Quis poteſt contra Deum & Nouoguardiam? Ille nimirum potuit, cui Deus permiſit: in cuius manu ſunt omnia iura regnorum. Vrbem ferunt totam ex ligno fabrefactam, igni paratiſſimam, quo qui confligere voluit, facilè obtriuit. Sed & hoc in Wandalia dictum, nunc tranſitur. Rex quoque Franciæ tum Picardiam recepit, quæ in illum diem paruit Karolo duci, vnde ille promptiorem ſuam militiam ſolebat deducere. Vrbes habet illa præclaras, Abatiſvillam & Ambianũ, maiores, cum non contemnendis aliis, etſi impares ſint memoratis. Tentauit idem rex Burgundiam ducalem, deque Artheſia in ſuam redigenda poteſtatem, ſatis annisus eſt. Idque, vt Maximiliani tũc ducis Auſtriæ, nunc Romanorum regis, acta ex debito exequamur, nobis paulo diligentius eſt explicandum.

Imperator cũ Vngaro bellũ gerit.

CAP. 17.

Quæ poſt Burgũdi mortem in eius ditionibus geſta ſunt.

ERAT Maximiliano (quod diximus) Imperatoris Friderici filio, deſponſata Maria, vnica Karoli ducis filia, hæres legitima terrarum in occiduo intra Rhenum & Franciam. Ea puella quum per tempora quibus de cæde patris fama inhorruit, Gandaui in Flandria eſſet, triſti accepto de patris morte nuncio, mox miſſis ſolennibus nunciis in Artheſiam ac reliquas prouincias, quarum magis vacillaturam fidem proſpexit, iuſſit accipere ſacramenta fidelitatis per ſingula oppida. Conuocauit ſolenne terrarũ ſuarum concilium eccleſiaſticarum & ſecularium, & ſuper agendis deliberabat cum illis. Atrebatenſis, Tornacenſis, Morinenſis epiſcopi, primatum ſui ordinis in concilio habuere. Nobiles de ſanguine, Adolphus de Cliuis, Philippus de Rauenſteen, & multi alij, rebus (quoad poterant) conſuluere, dominæque aſtitere. Sed Gandaui (vt facilè ſolet) exoritur ciuilis motus in quoſdam præcipuos viros, Cancellarium Burgundiæ, qui ſe dominũ inſcripſit de Gailant, de Mildelborg, vicecomitem Iprenſem, & Ludouicũ de Hummelcourt, capitaneum conſtitutum à Karolo Leodij: quibus additur tertius Iohannes de Mela miles. Erat quartus eccleſiaſticus, in quem manum mittere qualiſcunque religio prohibuit. Igitur cancellarium, quòd necem comitis ſancti Pauli (vt ferebant) procuraſſet, quódque principis ſui negotia non ex fide procuraſſet, accuſabant. Dominus de Hummelcourt inuiſus erat populo propter Ludouicum Leodienſem epiſcopum: qui multum queſtus de illo, odia in eum congerebat: cui adhæſit dictus miles. In hos tres multa recuſantes, & iura omnia, Deum homineſque teſtantes (quòd illorum iudices ibi non eſſent) populus gladio iuſſit animaduerti. Interea rex Franciæ ſolicitari fecit puellam, vt in propria perſona veniens homagium præſtaret: alioqui confiſcandis illius rebus, alios præponeret. Non ibat illa, verita (quod res habuit) quòd venientem

Attrebatũ dolo Francia rex capit.

non dimitteret, ſed inuitam filio paruulo ſeruaſſet vxorem. Atrebatum interim rex obſedit. Capitaneus iam ſacramenta dedit puellæ: interpoſita publica fide ab obſidentibus euocatur ad colloquium. Literæ prætenduntur dominæ Mariæ, quibus fidem ille habens, mox regi permiſit vrbem. Rex alios ex ciuibus ſupplicio affecit, alios relegauit, introductis ex gente ſua qui ciuitatem facerent Francici iuris, omnia moderãte Philippo Deſquordes: qui viuenti Karolo diu fidus habebatur: nunc totus regius meruit capitaneus per Artheſiam declarari. Res deinde peruenit in tractatum inter regem & puellam. Vbi rex fecit allegari ab veteri memoria multa conuenta, in quibus eluxit (vt ferebant) primùm, Burgundiæ ducatum, nunc regno adunandum, ſtirpe virili deficiente: deinde comitatum Artheſiæ per multas conuentiones, quarum literas exhibebat, nunc eſſe iuris regij, meritoque ab illo vendicari. Ex aduerſo prætendebant ducales vetera pacta nouioribus eſſe ſublata. Recolebant maiores natu ex illis quædam: alia de literis oſtendebantur. Sed apparebat non tam iura quàm potentiam regiam formidari. Igitur ſi puella in coniugium Delphini inclinaret, nõ eſſe magnam de ſucceſſione quæſtionem: idque multis conſultò ſerioque agendum videbatur, quòd terris hæreditariis plurima ex Francia poſſent prouenire bona, pax imprimis & temporum tranquillitas: ab Germania non niſi bella, motus & perturbationes. Qui mihi vera vaticinari ſunt viſi. Iam puella Maximiliano duci animum inclinabat, nec potuit à ſententia dimoueri. Rex in poteſtate iam tenuit Atrebatum, iure an iniuria, non hoc quæritur inter mundi principes. Cameracum circumquaque depaſcitur: Hannoniam ingreſſus, Duacum ac Valentianas tentauit. Multa deinde oppugnans, non vbique proſperatur, multis ſuorum amiſſis. Tornacum rex muniuit, immiſſo ſuo Oliuerio ex barbitonſore aurato milite, homine minoris ab ortu fortunæ, nunc magnis principibus coæquato, quòd regem magnis obſequiis demeruiſſet. Sed exitus compar erat natalibus. Nam filius Ludouici, patre mortuo, vix regnũ ingreſſus, in noua & magna furca, quam ipſe iuſſit extrui, mandauit ſuſpendi, hominem, qui per ſuperbiam omnium in ſe principum odia conciuit. Heſdunum ac Betunicam rex armis in Artheſia, ſed & in Hannonia multa per ductores accepit in poteſtatem: vt miſeranda fors puellæ videretur. Nam foris bella, intus ſeditiones eſt experta. Tumultuabantur Flandriæ maiora oppida, & ad libertatem, ſublatis oneribus quæ vel Philippus vel Karolus impoſuere, proclamabant. Seruierat tempori prudens puella: & (quod neceſſe fuit) permiſit ciuibus quorum videbatur opera tum nimis indigere, quæ poſcebant æqua, etiam ſi iuri ſuo, ſi obuentionibus ſolitis contrairent, tum diſſimulanter habuit.

Burgundi filia à Franco terretur.

Tenuis fortis homines à regibus euecti, ferè tragicum habent exitũ.

CAP. 18. CAPITANEVS in terris puellę primùm gerendo bello ante Maximiliani ingreſſum decernitur nobilis Flammingus. Inde mutata ſententia, quò res authoritatem maiorem habere videretur, Adolphum ducem Gelriæ, vſque in eum diem Cortraci oppido Flandriæ pro captiuo habitum, bello ducem delegere. Compoſitis rebus intra oppida, armati ciues exibant, non contemnendus exercitus: & ſe regiis oppoſuere, ducentes in Tornacum: ibi enim conſederat militia regis. Tendebat in agris exercitus Flandrẽſium, & ibant prædatum manus militũ in diuerſa. Adolphus dux vir armorum peritiſſimus, ſed bello non ſatis fortunatus, nec longæuus ſuper terram futurus, quòd patrem in vinculis tenuiſſet, ibat cum paucis equitibus ſpeculatum quid hoſtes molirentur, ſiqua capiendæ vrbis via videretur. Franci ſiue ſigno dato (quod nonnulli ſuſpicantur) ſiue induſtria ſua circumſpicientes, incidunt in ducem, qui ſpeculaturus exibat: mox circumuentum, multi paucos capere contendunt. Ille quum ſe acrius defenderet, à multis facilè ſuperatur, & pertinacius repugnans confoditur (primitiæ belli miſeræ) occiſumq́; velut emortuum pecus, iumento impoſitum, ex tranſuerſo deuehunt in vrbem, tumulantque in eccleſia maiore, comperto quòd dux eſſet. Mox Gandauenſes ſublatis ſignis abiere. Brugenſes autem cum Iprenſibus, quum non tam facilè cederent, excepere impetum ſuperuenientium ex vrbe hoſtium. Nec diu pugnæ fors hærebat: vertuntur in fugam, ſuprà capiuntur. Hic erat exitus infauſtæ expeditionis quæ prima fuit. Reuertentibus in ipſo itinere Gandauenſibus obuij fuere ſexcenti ex Gelria milites: ſuo duci, quem capitaneum audierant præfectum, gratulantur militaturi. Sed vbi audierunt infœlicem exitum, mœſti redierunt in patriam. De alio mox ductore deliberatum. Defertur Petro de Lutzẽburgo comiti ſancti Pauli: ſed ille à podagra ſe excuſauit, & vacationem

Adolphus dux Gelriæ à Gallis interficitur.

tionem obtinet. Iacobus de Remont filius ducis Sabaudiæ creatur: Iohannes & Iacobus de Lutzenburgo, filij Theobaldi, iunguntur comites, in Duaco & Aldenardo fines Flandriæ tutaturi. Iohannes dux Cliuenſis, Philippus de Rauenſteen frater eius, Philippus de Beueren conſilio præſunt apud dominam. Philippus tamen de Beueren Antonij baſtardi filius, Ariæ & ſancto Audomaro præficitur. Sed alteri permittens curam, Ariam protinus amiſit, nec ſatis inſtitit auxilio patris Antonij, qui regem ſequebatur, recuperare. Exteri conducuntur capitanei, Iacobus Galeottus, Italus Parmenſis, Zalazart Hiſpanus: fines, vt poterant, ſunt tutati. Gandaui nouus creatur capitaneus Iohannes Dudenzel, qui cum armatis ciuibus exiens, ſine fructu reuertitur. Brugis tumultuatum eſt: & captis aliquot ex ciuibus, & in feruore truncatis, interueniente Friderico Tornacenſi epiſcopo mox conquieuit.

Cap. 19.

1477.

Caroli Burgũdi filia Maximiliano nubit.

MAXIMILIANVS inde dux, Mariæ ſponſus, in Flandriam deſcenderat ad finem menſis Iulij anni ſeptuageſimi ſeptimi, cum quo nuptias Gandaui inibat puella. Erat in eius comitatu Metenſis epiſcopus, Sigiſmundus dux Auſtriæ paruelis, Otto dux Bauariæ, Marchiones de Baden, comites de Wirtenberg, & multa ſine nomine nobilitas. Inter hæc rex Franciæ ſuper occiduam Flandriã venit, omnia vaſtans, apud Bononiam Galliæ conſidens, in ſanctum reſpexit Audomarum. Excurſiones plurimæ fiunt. Nonnunquam amittunt ex ſuis Franci, qui longius & audacius vagantur. Caſlettum à regiis capitur, & direptum inceditur. Apud ſanctum Audomarum regius exercitus caſtra metatur, oppugnat oppidum, vaſtat quæ foris ſunt: incluſi fortiter ſe tuentur. Primi Brugẽſes exeunt, obſeſſis ſolatio venturi. Mittuntur copiæ à Maximiliano nouo terrarum principe: quæ quum ingrederentur oppidum, ingens exoritur ciuium tripudiatio: funalia noctu micant. Inſoliti gaudij rex cauſas ſcrutatus, arbitratur adeſſe ipſum Maximilianum. Itaque ſoluit obſidionem. Maximilianus autem per prima Flandriæ oppida vadens, conſilium coegit belli gerendi. Viſum eſt ad regem Franciæ mittere oratores æqua poſtulantes. Vbi perueniunt, rex ſcrutatus de mandato, remandat nihil eſſe magis ſibi cordi, quàm tranquillam cum omnibus pacem habere: quam ſi pari modo cupiat Maximilianus, mittat cum plena poteſtate inſtructos oratores, rem pro ſui magnitudine serioſe tractaturos. Maximilianus ergo ex hac die ſuſcipiens rerum adminiſtrationem, curam & prouidentiam dotalium prouinciarum, ne ad arma præceps iuuenis, ad arma ruere videretur, maiorum fretus conſilio, potentiſſimi hoſtis animum pertentauit, induciis ad finem vſque menſis conſtitutis. Sed quum heraldis fruſtra intercurrentibus nihil fructuoſum ageretur, inanes decurrerunt induciæ, & ad bellum res rediit. Primi Gandauenſes ſupplementum militum miſere Duacum domino de Sames, qui fines illos tutaretur. Relicta quoque Karoli, quum legationem in Angliam ad fratrem Eduardum mittere decreuiſſet, audiuit nouam inter ipſos ſuos fratres perturbationem exortam. Nam dux Clarenſis in inſidiis, quas fratri regi parauerat, deprehenſus, ſolenni Parlamenti ſententia damnatus, capite immerſus vino trucidatur. Rex autem Franciæ multis per Hannoniam atque Burgundiam captis oppidis & arcibus, diſſimulanter tamen omnia fieri curauit, quaſi ignorante ſe res gererentur. Nam quoties opportunum videbatur, animum oſtentabat pacis cupidum, quum tamen hoſtilia omnia perageret. Ferunt nonnullos in Auſtriæ ducis fuiſſe concilio, qui regi omnia quæ intellexerint, prodidiſſe crederentur. Qua de re ſuſpecti, quum etiam verbis & ſermone notarentur, retraxerunt ſe in Franciam.

Maximilianus cũ Franco pacem inire non poteſt.

Anglus fratrẽ necat.

Cap. 20.

BONONIA interim in Picardia, non longè Caliſia, à regiis capitur, quum nullum ſibi præſidium afferri intueretur. Hic comitatus quum ſæpe dominos mutaſſet, in pace Ambianenſi, inter Karolum VII. Franciæ regem, & Philippum Burgundiæ ducem, rediit ad Burgundos. Captus Iudocus de Peyna vir ex Flandria nobilis, filiam accepit domini Deſquordes, regij per Artheſiam capitanei. Multi tamen in neutralitate ſe continuerunt, quòd rumor increbreſceret, rediturum de proximo viuentem (vt putabatur) Karolum Burgundum: qui res variè miſcuit. Tornacenſes ſemper infenſi Flandrenſibus, non erubuere publicis ludis fœdare nomen Philippi & Karoli clariſſimorum ducũ: ſed nunc à vicinis preſſi laborabant commeatu. Suburbia eius exuſta ſunt: variante fortuna capti hinc atque inde primarij viri. Dux Auſtriæ proceſſit cum expeditis in Hannoniam, receptis aliquot vrbibus & caſtellis, quæ pridem rex accepit. Nato dein-

Tornacenſes fabulis ſuis in theatro ſummos viros proſcindunt.

de ex Maria coniuge filio, Fridericus Tornacenſis epiſcopus inducias procurauit anni totius. Rex Franciæ nato-ducis paruulo, miſit equum phaleratum amicitiæ futuræ pignus. Sed *Bello armantur equi: bellum hæc armenta minantur:*
Ait ille. Certum eſt tameu quòd illæ induciæ multos retraxerunt in Franciam, qui iam deſcenderant in obſequium domus Burgundiæ, per quos non difficilè fuiſſet Artheſia recuperata. Quumq; nihil ad pacem fructuoſum per inducias procuraretur, exeũtibus treugis rex in Burgundiam mittit exercitũ. Et quum deferbuiſſet amor Burgundionum in Karoli prolem, præſertim tam exili præfecto vbiq; præſidio, nemine magnopere obſiſtente, Dola præcipua Burgundiæ ciuitas capitur a Francis, & diripitur per Swiceros regi militantes. Sed tamen filij Ludouici comitis ſancti Pauli, odio ſingulari in regem, pro duce multa fecere, captis arcibus & oppidis nõ paucis. Nauigat armata naui in Angliam comes de Naſſow Engelbertus, ſeneſcallus Brabantiæ, vt auxilia quærat Anglorum. Fuere autem ex Anglis, qui Francos claſſe iuuarent, vt mare infeſtum eſſet marinis duci ſubiectis hominibus. Dux ipſe iam conſilio rebus maturatis, valida manu, & quæ Francis ſuffectura videretur, egreſſus eſt ad obſidẽdum Morinum, iam à Francis occupatum. Oppugnatur oppidum magnis viribus ſex diebus: vbi innotuit, agmine magno Francos ductore Philippo Deſquordes deſcendere, qui certa ſpe ſemel expugnandi ducem multis contractis copiis proceſſit.

CAP. 21.

Maximilianus Francos prælio ſuperat.

DVX Maximilianus in obſidione Morini certior de aduentu Francorum factus, noctu retractis clam bellicis apparatibus, ordines inſtruxit, & quadrato agmine obuiam proceſſit hoſtibus. Iuxta Bonini oppidum venere agmina ſub mutuum aſpectum: diſponuntur vtrinque acies ad prælium. Iactis initio tormentis, pari animo progreditur vterque exercitus ad pugnam. Inchoante prælio ad horam poſt meridiem ſecundam, extractum eſt ad quintam, quum non ceſſaret ante noctem. Pertinaciter vtrinque pugnatur. Dux vbi conſpexit Francorum pectora non cedere certa, ſed mori priuſquam fugerent, ipſe pedes cum peditibus cœpit inire pugnam, equitibus tamen in ſuo ordine durantibus. Vbi medium conſpexere ducem ſuum Alemanni, tum verò in pectora vigor penetrauit. Vrgent ferociter Francos, cedereque loco compellunt: primis fugam ineuntibus acrius perurgentur, miſcẽtur ſtrages, multa Francorum millia perimuntur. Capti nonnulli. Nam & ex ducalibus non pauci perierunt, ſed nihil ad numerum Francorum. Tam diu perſeuerauit pugna ducalium, donec certior fieret dux hoſtiũ ductorem in Bononiam conceſſiſſe. Tum verò qui reſtitere Franci debellati ſunt, vt fugam inirent. Sequuti ſunt ducales ad duo fere paſſuum millia. Certa iam erat duci victoria. Tum verò quid facto ſit opus conſultatur. Morinum ad obſidionem repetere animus erat: ſed alia ſententia ſurgit. Iam enim Franci cedere vrbibus deliberabant, ſi dux vt vincere, ſic vti victoria potuiſſet. Nam in Morino & Atrebato tantus erat motus, vt venientem nemo ex Francis ducem expectaſſet. Sed cum in Ariam conceſſit, præmiſſis impedimentis cum vulneratis, demolitúſque arcem de Mollena (vnde plurima ducalibus incommoda inferebantur) præfectum eius, cum viris ſexaginta, ſublimi de trabe iuſſit appendi. Hæc prima ducis inſignis victoria, magnum illi nomen cum gloria comparauit. Franci tamen (vt fit) in ſuam retorquent laudem, quòd Philippum de Rauenſteen, equitum præfectum, è ſuo cornu fugam coegerint inire.

CAP. 22.

1478.

Hallenſes ſeditione laborãt.

QVVM ageretur ſeptuageſimus octauus poſt mille quadringentos, in oppido Hallis Magdeburgenſis diœceſis, florente, dum ciues vnum ſentirent, miſera illos diſcordia cepit, quæ peſſundedit, promptiſſima ad euertendas vrbes cauſa. Nam proprietarij in ſalina, genus hominum per opulentiam iners & ſuperbum, contempſere conciues artiſanos: nec qui præeſſe debuerant, ita publicis vt priuatis commodis inſeruierunt. Contemptus & oppreſſio exaſperauit multitudinem, vt intra mœnia grauis tumultuatio oriretur. Audiuere Miſnenſes principes, ex quibus Erneſtus, Erneſti ducis Saxoniæ electoris filius (archiepiſcopus erat Magdeburgenſis) vſi ſunt prudenter occaſione pręſtita, & vrbem intus tumultuantem cinxere exercitu, certi quòd ab vna parte immitterentur. Facile etiam erat capi, quam nemo ſatis defenderat, arbitrantibus inuicem inter ſe diſſidentibus, quòd ab alterutra parte inuocati principes ſuperuenirent. Sed communitas ipſa ęquioribus animis accepit venientes, quòd parũ habens, parum amitteret: ſortem ſuã ſi non meliorem, nõ poſſe multo fieri deteriorem, quòd antè multis in vrbe

ſeruiſſe tyrannis videbantur, nunc iuſtis ſubeſſe principibus ferrent æquanimiter. Coniecti in vincula primores, argento & auro emunguntur. Multa quæ pridem habuiſſent in ſalina, ſunt archiepiſcopo aſſcripta, ſeruata tamen ſua cuique proprietate: quæ verò publicis erant vſibus deputata, principatui non proueniunt. Ita dum ſuperbiæ præſidẽtes modum non ponunt, inuenere qui frǫnum iniiceret naribus eorum. Conuiuari, tripudiare, ſomno longo ſepeliri, omnis eius generis hominum fuit cura. Diſcite mortales eſſe vigiles, modeſtiam colere, pauperes non temnere, conſilia rebus adhibere, proprij ordinis metas intueri. Per idem tempus, quum Ropertus Colonienſis archiepiſcopus, placitis conuentis apud Nuſſiam ſtare recuſaret, dum clam ex partibus Rheni in Weſtphaliam fugere tentaret, captus capituli iuſſu, ab Hermanno landgrauio Haſſiæ (qui in obſidione Nuſſiæ multa fecit incluſus, multa perpeſſus) ne iterum eccleſiam maioribus implicaret laboribus, aſſeruatus eſt diligenter. Sed vbi poſt non proſperata illi apud Nuſſiam bella, acceſſit ea calamitas, vt in ſuo vinctus teneretur, ex ipſo animi dolore morbum contraxit, & è vita migrauit. Sufficitur illi Hermannus memoratus, qui duro tempore ſtetit pro eccleſia, princeps de illa & de omnibus optimè meritus: qui vſque hodie tenet eandem.

Archiepiſcopus Colonienſis in carcere moritur.

CAP. 23.

ALBERTVS dux ſuperioris Saxoniæ, marchio Miſnæ, fratris filiam Katherinam per Roſtochium inſigni agmine duxit, ibi nauigium inſcendens, in Daniam Iohanni regis filio nupturam. Multi cum eo fuere comites, aliquanti pontifices. Octingentis equis ingreſſus, auratis curribus, puellam regiam regio more deduxit: in Copenhauen regia, regum nuptiæ ſunt peractæ. Quibus principali ritu ſolenniter expletis, in Lubicam redierunt, auidi videre imperialem vrbem. Placuere cuncta Alberto principi: ſed diſplicuit ſubterraneus ille diſcurſus fœminarum obuolutis vulnibus, magnum libertatis alimentum. Hortatur ſenatum & commonefacit, vt abuſum illum curent antiquare: qui multis alioqui pudicis fœminis præſtaret audaciam, impudicis ſuæ ſtultitiæ præberet incrementum. Accepit eam commonitionem ſenatus perquam benignè, interdixeruntque illum abſconditorum vultuum diſcurſum. Seruatum eſt edictum aliquot annis, ſed in antiquum abuſum facilè relabuntur. Dux autem in ſuperiori eius loci prætorio ad faces incurrit eques equiti, infeſta ſub tecto haſta. Tum choręis indulgetur: & vbi aliquandiu feriatum eſt, in viam ſuam rediere alacres, hoſpitaliter ibi habiti. Quo tempore Embickcenſes ciues, ad arma ſemper pręcipites, ſtratagemate circumuenti temeritatis ſuæ pœnas luunt. Solent enim in frequentibus Saxoniæ vrbibus ciues, etiam artiſani, arma ſua in prompto ſeruare: vt quum ſignum propinquantium hoſtium è ſpecula dederit, effuſi ſine ordine, ſine ductore ruant. Id ſciens Wilhelmus iunior dux Brunſwici, cum Henrico filio, qui hodie rerum potitur, aſſumpto in ſocietatem expeditionis Haſſiæ landgrauio, ac comite de Stalberge, videndum ſe cum aliquantis præbuit, maiori agmine ad inſidias deliteſcente. Ad primum hoſtium conſpectum ſonuit de turri ſignum. Ciues muſſantes arma corripiunt, portis proruunt, & hoſtes inſequuntur. Illi pectora diu præbuere venientibus, miſſilibus certantes, donec ciues magno numero conglobati audaciores incumberent. Tum cedunt retro militantes ſimulatione timoris, vt ſequentes & vrgentes ciues protrahant ad inſidias collocatas. Tum verò hoſtes conſurgunt à tergo, & intercluſo ad vrbem itinere ciues intercipiunt: capiunt, cædunt pertinaciter reſiſtentes. Nongenti tum ciues ſunt periclitati, cæſi captique, magno ciuitatis detrimento, quæ temeritatis ſuæ damna luit tam inſigniter. Erat autem ſeptuageſimus tum nonus poſt mille quadringentos, quum inſtruerentur ad militiam, in reliquum futuri cautiores.

Lubicenſium mulierum nimia licentia.

Embickcenſes dolo militari capiuntur.

1479.

CAP. 24.

MAXIMILIANVM ducem, vt omne genus experiretur belli, tum cœpit inteſtina diſſenſio conturbare. Nam Gandauenſes (populus ad temeritatem promptus) cœperunt queri de crebris impoſitionibus & collectis, quæ longè ſupra ſolitum crebreſcerent. Neruus autem belli pecunia eſt. Noſſe oportebat ducem ſuum ſatis pro ſe contendere, quòd capitis toties diſcrimen ipſe adiret. Tum verò belli impenſam ſine murmure facerent, quorum ſanguini parceretur, ne ipſi hoſtibus obiiciantur. Mouit ſeditioni paratum populum, quod arbitrarentur primores nobilitatis ad hoc niti, vt ſua expleant, ciuium exhauriant marſupia. Viſum eſt illis, eſſe in officiis publicis, qui ſuam potiorem quàm publicam cauſam haberent: eamque coniecturam de ſuis ſumpſere, mo-

Seditio ob immodicam vectigalium magnitudinem.

Qui publico damno diteſcunt.

ribus, quòd nulla gens tam excreſcit opibus in publicis officiis, quàm qui in occiduis partibus publicam tractant pecuniam. Vidimus ætate noſtra aliquot, qui ex infima emerſere fortuna in eam opulentiam, vt arces in prædiis exædificarent. In Hollandiæ præcipuè oppido Dordraco inteſtina tum ciues agitabat diſcordia. Iohannes autem de Egmundia baro, recepto in poteſtatem ducis oppido, facilè compeſcuit tumultuantes. Ex Gelria quoque nonnihil rebellionis nunciatur: & tamen dux per capitaneos ſuos rem proſperè geſſit. Nam Philippus de Beuers Flandriam occiduam tutatur, cum præfecto Zalazart. Alij quoque in Hannonia proſperè res gerunt, fugato Wilhelmo de Arberg, qui tũ regi Franciæ militabat, & Leodienſi epiſcopo per omnia erat infeſtus. Multa ducem impulerant vt tum treugas iniret cum rege. Nam Gelria (vt diximus) motus nouos conciuit. Rex autem ante treugas, ſancti Audomari & Ariæ vrbes ſibi reddi poſtulauit: quum dux viciſſim Artheſiam totam repoſceret. Duacum rex ſecretè iuſſit pertentari impetique: ſed Gandauenſes, qui primi perſenſere, XL. millium exercitum conſcripſere, malentes ſuis manibus rem agere, quàm extortam pecuniam permittant Alemanis in prædam: præſertim quòd eius oppidi commodis carere non poſſint, inde per amnem deuectis in vrbem ſuam frugibus. Sed tum valuere induciæ inter regem & ducem Auſtriæ, per quas dux conuerſus in Gelriam, motus eius compeſcere inſtituit: quum interim incolæ ſuo duci ſtuderent paruulo. Grauiam oppidum tum cepere Brabantini, & tenuere diu. Inde quum in Cliuenſem quoque ducem niterentur, res interuentu bonorum virorum ad tolerabiles conditiones exiuit. Hollandia parere ſuo principi inuita compellitur, induciis iam inter regem & ducem protelatis. Non ceſſauere tamen regij Cameracum infeſtare: ſed defenſum eſt egregiè. Ducales viciſſim tentauere Heſdunum, ſed repulſi ſunt. Ita viciſſim de violatione treugarũ fiunt querimoniæ, quũ vtrinque contenderint priorem partem alteram violaſſe temeraſſeque inducias pacatas. Sed tum iterum de integro annales treugæ interceſſere.

Gandauenſiũ potentia.

CAP. 25. TRAIECTENSES per tempus epiſcopum ſuum excluſere, Wulfardum de Veris ſequentes capitaneum: quando etiam Iohannes de Dudenzel, Gandauenſium capitaneus, quum verbis contenderet aduerſus nobilem Burgundionem, ad mortem vſque vulneratus eſt, vt ſpiritum efflaret ipſo die. Indignati Gandauenſes, proſcribere voluerunt omnes Burgundiones de familia dominæ Mariæ. Quam rem cõperiens ea domina, nonnihil cogitauit in populum: quod tamen conſilio freta mariti omiſit. Interim tertiam enixa prolem, Franciſcum nomine, ſub honore (vt ferunt) Franciſci ducis Britanniæ: ſed paruulus immatura morte interceptus, ad meliora regna prouolauit. Interim oppidum ſancti Audomari pene à Francis interceptum eſt: quod imprimis Brugēſes vitauere, qui nouo conſcripto exercitu immiſerunt præſidium. In Traiectum verò intromittitur Iohannes dux Cliuenſis, cuius fratrem Engelbertum, eiecto Dauid Burgundione, Philippi ducis naturali filio, voluere epiſcopum. Sed Hollandia totis illi viribus renititur. Initum eſt prælium iuxta Amesfordiam tribus millibus à Traiecto. Cæſi ſunt ciues plurimi. Dux ipſe Maximilianus deſcendiſſet, niſi eum nobilis de Arberg, & qui rebus nouis in Hannonia ſtuduere, tenuiſſent. Interim verò in maioribus Flandriæ vrbibus tumultus erat, quòd nobiles quoſdam ex vrbibus proſcripſiſſent: qui contempta eorum proſcriptione, in mediis vrbibus obambulabant. Et Brugis fortè res in magnam veniſſet commotionem, niſi dux affuiſſet: qui captis tribus ex præſtantioribus vrbis ciuibus, rem omnem complacauit. Mira hominum in ſenſu mobilitas: quàm facilè concitantur, tam ſæuiunt crudeliter: & deinde ſanguine viſo facilè iram ponunt. Quanti ſine culpa perierunt, quos in feruore ſubuerterunt, poſtea magno ære, ſi fieri poſſet, à morte reducerent?

Cliuenſium cum Hollandis prælium.

Mobile vulgus.

CAP. 26. PER ea tempora militares Holſatiæ, quum prætenderent literas regis Daniæ domini ſui, immenſam ab illo pecuniam mutuam petiuere. Idque quũ crebrius ſine intermiſſione agerent, voluit rex finẽ rebus dare: paucos ex ſuo cõcilio adhibuit, inter quos Lubicẽſis epiſcopus, & vrbiũ vicinarũ cõſulares oratores, euocauit in Zegeberg. Corã his conſtituit diem Holſatis ſuis, vt quiſq; productis in medium literis, calculum rerum quas poſceret liquidò ponere, ratione producta, vnde æs, & in quos vſus impendiſſent, de quo literæ eorũ loquerentur. Venere omnes metu magis quàm alia ſpe exciti: quòd exemplum formidarent cuiuſdam ex ſuo ordine magni viri, qui inauditus in exiliũ agebatur.

Danus milites pecuniam poſcentes vacuos dimittit.

batur. Erant qui fouerent ſpem accipiendæ pecuniæ, aliis etiam iam tum dubitantibus. Et quum ſinguli citarentur, vt quiſque rei ſuæ rationem iniret, erant qui non aliud prætenderent quàm ſimplicem literarum tenorem: regium aſſerentes, vt literis ſuis, in quibus rex ipſe loqueretur, teſtimonio ſigilli fidem haberet, reponeretq; de qua illę loquerentur pecuniã. Nec enim poſt tot annorum interualla potuit exceptionem nõ numeratæ pecuniæ obiicere, nec eius fortè meminerat. Alij poterant exactũ rerum ſuarũ calculum ponere, prætẽdentes illo loco tantã impenſam pro rege pecuniã, tempora quoque ſignantes: ibi fidẽ interpoſuiſſe, poſteaq; ſoluiſſe. Maior erat numerus eorum qui initiò acceptis dono ab rege literis, quũ pecunia nulla numeraretur, obligationem in literis habuere. Aliis etiam vicibus vſuras quæ prouenerant, adiecere ſummæ, vt aliis datis literis cum ſorte prima cumularentur vſuræ: eaq; re nonnunquam iterata, immenſam ſibi debitã à rege pecuniã prætenderunt. Erat autem rex Chriſtiernus princeps humaniſſimus, & qui petenti nihil negare potuiſſet. Vnde factum eſt vt largus etiã in dandis literis haberetur. Sed quum immenſa excreſceret ſumma, voluit omnes vna ratione abigere, nemini reſponſurus de literis, quæ de nihilo conceptæ dicerentur. Erat in illis qui obſecraret, vt rex omni eius accepta ſubſtantia in prædiis & iumentis, ſola arma cum equis militaribus linqueret, & fidem, qua ſe pro rege obſtrinxiſſet, impleret: ipſe abiturus in alienas terras, quomodo poſſet militans, panem inueniret. Non tenuere lachrymas qui audierunt: ſed ſemel indurato callo pectoris, nihil humanum illi rex reddidit. Alius quidam, quum promptam pro rege pecuniam multis vicibus impendiſſet, & eadem facilitate cum cæteris abigeretur, abire recuſauit, poſcens ad regis præſentiam peruenire. Quum non facilè admitteretur, ipſe depulſo ianitore ingreditur, explicans quibus locis & temporibus æs ſuum expendiſſet expromptum pro rege, toties pro ipſo capitis diſcrimen ſubiſſet, aliquando propter eum captus, ſua ſe pecunia redemiſſet, & nunc velut ignotus abigeretur: non abiturum ſe quin aliud audiat: alioqui cœlum & terram conteſtaturum: vitam impendere, quàm ſuos linquere paruulos exhæredes præoptaret. Illum rex verbis placatum, iuſſit ad conſtitutos terminos, deputatis locis ſua præſtolari. Sed tum flentes abiere: qui vt fidem implerent, omni poſſeſſione ſua ſe exuunt, ad inopiam redacti.

Rex in promiſsis & ſyngraphis largiſsimus.

Cap. 27.

Thietmarſi Dano parere recuſant.

EVOCATIS quoque Thietmarſis in Rendesborg, idem rex hoc tempore oſtendit imperiales literas, quòd terra illorum ducatui incorporatur Holſatiæ, parere regi & legitimis ſuis hæredibus iuberentur: requiſiuitq; vt in vim literarum illi præſtarent homagij ſacramenta. Quintus erat annus ex eo tempore quo primùm rex iſta impetraſſet. Illi paucis interloquuti reſpondent, Imperatoriam maieſtatẽ non rectè de facto inſtructam: eorũ terram, tanquam domino non ſubiectam, Holſatiæ ducatui coniunxiſſe. Si maieſtati ſuæ oſtenſum eſſet, terrã ex multis annis ſubditam eccleſiæ Bremenſi, archiepiſcopo eius ex multis ſeculis paruiſſe, qui etiam nunc in ea terra ſuos habeat præfectos, ex eo tempore quo primus Hartwicus archiepiſcopus, nouiſſimus hæres comitatus Thietmarſiæ, facta commutatione illum dederit eccleſiæ, recepto Stadenſi: quoad ille quoque accederet eccleſiæ per mortem eiuſdem Hartwici, nunc Bremenſis archiepiſcopi: ea ſi Imperatori oſtenſa fuiſſent, nõ hoc quod dediſſe videretur, cõtuliſſet. Ibi ſe viuere & mori, nunquã à diuo Petro diſceſſuros. Replicatũ eſt, ſubiectionẽ quam prætenderent, magis eſſe in verbo quàm opere, præfectos in terra eſſe ad vanam ſpeciẽ: cæterùm adminiſtrationis habere nihil, nihil obedientiæ, quoties vrgeantur, illò refugere vbi illis omnia ſunt tranquilla, archiepiſcopum non recognoſcere. Proinde niſi pareant imperialibus literis, hoc ſe facturum quod fuerit neceſſarium ad extorquẽdam obedientiam. Tum verò interuentu eorum qui regi aderant in concilio, annales treugę conſtituuntur: quo interuallo deliberati, faciant quod fuerit ex eorum cõmodo, ne ad grauiora perueniatur. Ita tum diſceditur. Idem rex tũ quendam magni generis & amplę familiæ militarẽ, quòd infinita in eum crimina deferrentur, quæ vel ille vel filij eius illius conniuentia peregerint, grauiter accuſatũ, cedere terra & rebus iuſſit inauditum, non conuictum, non damnatum. Ille quum adeſſet, permitti ſibi veniam reſpondendi orabat, luiturum rebus & corpore, niſi ſe de obiectis purgaret: tantùm audiretur. Sed rex eam induit iram in hominem, vt placari non poſſet. Abiit ille cum filiis in exilium, inque Guſtrow apud Albertum ducem Magnopolenſem ſeſe collocauit, meliora expectans

Qui dixit, Aurum & argentum non eſt mihi.

Indicta cauſa damnandus nemo.

tempora. Sed ille iam grandæuus, aucta infirmitate ex animi dolore, exceſſit è vita: filij multa fecere boſtilia, donec in gratiam redirent filiorum regis.

CAP. 28.

Turcus Hydruntum expugnat, & crudeliter ſæuit.

IAM Turcus Chriſtiani nominis infeſtiſſimus hoſtis, quum fœdera quæ illi cum Venetis icta eſſent, voluntate ſummi pontificis conſenſuque principum Chriſtianorum, Imperatoris, regis Vngariæ, regis Neapolitani, rumperentur: alioqui in ipſos Venetos omne pondus reciſurum. Id quum intellexiſſet hoſtis violentus, ſimulque infenſus regi præſertim eſſet Neapolitano, ex priſca Venetorum ſuggeſtione (cum quibus de regno Cypri ille pugnaturus videbatur, ſi non Turcum metuiſſet) ingenti claſſe aduectus à Velona in Apuliam, Idruntum obſedit, decima ſeptima die expugnat. Epiſcopum loci, dignitate & ætate venerabilem, exquiſitis ſuppliciis excarnificauit: clerum extinxit, obuium populum perdidit, iuuenes abduxit, fœminis abuſus, & illa fecit quæ ſolent irati victores, omni crudelitatis genere ſæuiendo. Iam papa propius cœpit res intueri.

Papa auxilium nequicquam implorat.

Iam mallet, quæ nepotibus impendit, in publicos Chriſtianitatis vſus conuertiſſe. Vbi nunc frater Petrus, qui montes nauigat, & maria ſicco pede tranſiuit? Vbi comes Hieronymus illuſtris barbitonſor? Miſſis literis & nunciis pontifex excitauit principes: ſed lethargo laborabat. Dum autem ibi ſæuiret Turcus, propius caſtra ſua Romæ collocare meditatus: quòd Saracenos eiuſdem ſuæ legis conſortes meminiſſet ex annalibus, Italiam & ipſam Vrbem aliquoties peruaſiſſe. Matthias interea rex Vngariæ latera pulſauit ſuæ Boſnæ, quæ à Turco proximis annis eſſet occupata, recuperauitque potenti virtute: vt magnificè compenſata Apuliæ damna viderentur. Sed ipſa (vt ſolet gloriari) prouinciarum domina Italia, vbi nunc oſtentat aut priſcas vires aut magnum animum? Sedet ocioſa, ſpectans incendia proximorum, & non attendit cauſam etiã ſuam nunc agi, paries quum proximus ardet, imò iam domeſticum cernit incendium. Sed anno proximo Ferdinandus rex Neapolitanus, quum pridem pro eccleſia militans in Florentinos, multa eorum prædia & caſtella occupaſſet, reſtituit, vno ex omnibus ſibi ſeruato: vt ſignum haberent in oculis, quo admonerentur ſuæ in eos victoriæ. Tum potiſſimùm meditatus hoſti Turco occurrere, ad propulſandum eum de finibus ſuis ſe comparauit. Interim Alphonſus filius eius, dux Calabriæ, comparatis copiis obſedit Idruntum, iam à Turcis infeſſum. Et quum magnus Mahumetes gentis imperator, per id tempus plurimis locis bella gentibus inferret, Rhodienſibus, & Calabris, & Vngaris oppoſitis, in medio ipſo feruore bellorum, vir bello natus (& qui plura confeciſſet vnus

Turci morte recreantur Christiani.

quam eius omnes ſimul præceſſores) ſpiritum efflauit, magno Chriſtianorum commodo. Perinde reſpirabant quos ille regebat bello. Nam filij duo de patris ſucceſſione contendentes (vt fieri ſolet in omni nouo regno) plurima commouerunt. Maior natu Baiazet, occupatis arcibus & vrbibus primariis, accepit à ſubditis homagium: quum minor, qui ea ſe ratione ſucceſſurum patri ſperaret, quòd natus eſſet Imperato-

Turci minor filius opera Christianorũ vti cogitat.

re patre, quum frater ex priuato genitus diceretur. Confugit ille pulſus regnis, ad fratres hoſpitales diui Iohannis Rhodienſes, quorum ſciebat acerbiſſima in gentem odia, pollicitus reddere Conſtantinopolim, ſi Chriſtianorum viribus reduceretur ad iuſtum ſuum Imperium, à violento fratre occupatum. Magiſter teſtatus hoc non eſſe ſuarum virium, ad Imperatorem miſit illum: qui impenſis perinde grauari viſus, ad regem Franciæ fecit peruenire. Ibi captiui ſpecie nobilis iuuenis diu habitus eſt, donec ſummo pontifici Innocentio mitteretur ab regni cancellario, paciſcente aliquot rubros galeros pro tanto captiuo. Papa illum in palatio tenuit diligenti cuſtodia, fratre (vt aiunt) illius ducatorum millia annua pollicente, vt diligentius ſeruaretur. Seruatus eſt in palatio ſupra pontificem, familia eius liberè per Vrbem diuagante: manſitque in ea cuſtodia vſque ad tempus pontificis Alexandri VI. qui venienti regi Karolo VIII. Franciæ, regnumque petenti Neapolitanum permiſit illum, vt ſecum in caſtris haberet, vſurus eo ad bellum quod præferebat in Turcum. Sed ingenuus ille iuuenis, quòd ita inter manus velut pila iactaretur, dolore animi contracto morbo, in itinere moriens defecit. Sunt qui illum ſponte ſumpto veneno aiunt periiſſe. Matthias interim Vngariæ rex, ſumpta occaſione vſus, quæ illi præſtaretur per regnum Turcorum innouatum,

Christiani ſibi mutuò obſtant ne Turco resiſtant.

vrgebat Turcum, pepuliſſetque omni vicina regione, niſi eodem in tempore ab latere Auſtriæ vexatus, à Turco retractus, per hoſtiliorem Imperatoris noſtri capitaneum, ſe cogeretur defendere. Ita non ſatis eſt nobis noſipſos deſidere, & nihil pro Chriſtianiſmo

niſmo magnum agere, niſi etiam pro illius honore contendentes impediamus, & à bono reuocemus.

Cap. 29.
1482.

Annus erat à Chriſto nato, poſt mille quadringentos octogeſimus ſecundus, quū Maximiliani ducis coniunx Maria, vnica Karoli filia, iam prægnans, quum in venatione equo ceſpitante delapſa grauiter ſe læſiſſet, nec iuuenili leuitate rem eam propalaſſet, contracto ex ruina morbo, diem ſuum Brugis obiit: ibique tumulatur in eccleſia beatæ Mariæ.

Maximiliani uxor moritur.

Quod vbi regij ductores comperere, pręcipuè dominus Deſquordes, Artheſiæ capitaneus, ſancti Audomari vrbem propè inſidiis intercepiſſet: ſed præuentus eſt à diligentioribus ad cuſtodiam, quàm eſſet ille ad inſidias. Ariam tamen poſtea per proditionem recepit. Tum rex Franciæ hoc potitus oppido, ad pacem ineundam ſe offerebat, nihil magis ſibi eſſe cordi teſtatus quàm videre pacem cum Flandria. Malè enim ſibi ſenſit, cogitans de propinqua morte: & cœpit agere, vt filia Maximiliani ducis Margareta Delphino filio ſuo deſpōderetur Karolo: peregitq; potiſſimùm cū Gandauenſibus, qui occultis ſæpe conſiliis in Franciam reſpiciūt.

Gandauenſes Francorū ſtudioſi.

Iam enim ex dotalibus pactis quæ interuenerunt duci atque Mariæ, conſtitit Maximilianum nihil habere iuris in terris dotalibus: ſed omnia pertinere ad iura filiorum. Vt autem adminiſtratione quoque legitimæ tutelæ illum excluderent, filium & filiam eius magna difficultate ex Bruxellis in Gandauum tranſtulerunt, iam tunc cogitātes magis quàm edicentes, quòd nullam patri relinquerent tutelam filiorum: quippe quia re ipſa probabant magnas opes ſub manibus eius mirabiliter deperire, vt nulla pecunia quantumcunque magna illi (vt dicebant) ſuffectura videretur: agente nimirum facilitate & profuſa liberalitate, quam illi ad prodigalitatem imputarunt. Sed iuſtos interpretes res accipiens, nihil aliud prodit quàm principis benignam & facilem humanitatem: quæ pecuniarum contemptrix, opes mauult perdere, quàm à ſe triſtem quempiam diſcedere, & in ſuos non vti liberalitate, quæ virtus eſt principum præcipua. Sed tum inuito duce pacem cum rege Francię Flandrenſes inibant: quæ mirum in modum diſplicuiſſe fertur Anglicis, prætendentibus non eſſe fœdus, ſed iugum perpetuæ ſeruitutis. Interea dum dux in Leodienſes mouet: occiderat enim Wilhelmus de Arberg Ludouicum Leodienſem epiſcopum, ducem de Borbonio, filium ſuum conniſus in locū ſurrogare: tota mole belli illi occurritur. Sed iam capitanei ducis, priuſquā ille aduentaret, ceperunt oppidū ſancti Trudonis. Obſidetur Leodiū. Interim capitulum permiſſa ſibi libera eligendi facultate, Iohannem de Horne baronem, obſeruantialem ordinis minorum fratrem, elegerunt epiſcopum. Cōmunitates trium in Flandria vrbiū primariarū, patre Maximiliano nō requiſito, hoc agunt, vt deſpondeatur Delphino Franciæ Margareta filia ducis & Mariæ de Burgundia: his pactis, vt proles maſcula ex his prouentura, ſuccedat in Burgundia, Artheſia & cæteris comitatibus, quos in Francia pro ſe & ſuis hæredibus tenuiſſet dux Burgundiæ Karolus. Hæc tamen in primordio magis concepta quàm concluſa fuere.

Flandrenſes cum Francis fœdus & nuptias ineunt.

Cap. 30.

Maximilianus dux, conuocato terræ concilio apud Aloſtum, quæ à rege Franciæ in perpetuum fœdus offerebantur, audiuit omnia menſe Decembri. Mox de conſenſu concilij ſui approbauit, & ſolennes ex ſuis oratores remiſit in liberam ciuitatem Attrebatenſem: vt quæ pridem in eo loco fuere concepta, nūc certis adhibitis modificationibus ad plenum concluderentur. Erant oratores ex Flandria abbates quinq;, cum militibus & militaribus eius regionis. Articuli verò plurimi ſuper dotalitiis, & medij temporis terrarum ſtatibus, & ſuper caſibus qui proſpici poterant, vt omniquaque rebus conſultum videretur, concepti fuere, qui tum placuerunt. Verùm quū rex ex cōuentione remitteret ſolennes nuncios, qui puellam deducerent in Franciā, illius gentis moribus educandā, data eſt in manus comitis de Bellojoco, & cōiugis ſuæ, quę filia erat regis Ludouici. Sequuta eſt illam Katherina de Gelria, Adolphi ducis filia, poſtea data coniunx Renato duci Lotharingiæ. Dux Maximilianus iniquo tulit animo filiam duci in Franciam: ſed ea qua cætera tum facilitate permiſit.

Maximiliani filia eo paruum probante in Franciam ducitur.

Indignatus tamen Flandrenſibus, rediit in Antwerpiam. Tum gubernationem filij fertur ſuaſu cōcilij permiſiſſe cognatis de materno ſanguine, Philippo de Rauenſteen, Philippo de Beuers, de Genthuſen, & de Rapeghen baronibus: quam poſtea magnis de cauſis commiſſionem reuocauit, miſſis literis per Flandriam & Brabantiam. Nam hoc erat protinus exui omni adminiſtratione terrarū, & nihil agere in omni ditione filij. Flandriæ verò membra, cum

memoratis de ſanguine proceribus congregata, literas reddiderunt, rationabiles cauſas prætendentes cur filij tutelam gerere pater non poſſet: offerentes ſtare iuri in Parlamẽto Franciæ, aut corã rege, qui ſupremus Flandriæ dominus cenſeretur. Dux verò tum mouit in Traiectum: nam ciues euocatum ſpecie pacis epiſcopum tenuerunt captum. Dux autem obſeſſam pene duobus menſibus ciuitatem cepit. Ibi verò tum rebus ex ſententia compoſitis tam cum Gelrenſibus quàm Cliuenſibus, oratoribus noui regis Franciæ occurrit. Nam Ludouicus pater in fata conceſſit, cui vix pubes filius Karolus in regiam dignitatem ſuccedit: qui primordia regni pace & reconciliatione pulchriora fieri reputabat. Venit Antonius de Burgundia, Karoli ducis frater, conſanguineus naturalis: & duce ſalutato verbis regis generi ſui, pertentauit res componere inter ducem & rectores Flandriæ, ac nubilis filij ſui tutelam gerentes: in quibus erat Antonij filius, Philippus de Beueren. Sed fruſtra rem tentauit. Perſentiens dux quòd Brabantini conſpirare inciperent cum Flandrenſibus, burgimagiſtrum Antwerpienſem Machliniæ comprehenſum, deduci iuſſit in oppidum Viluordiam, ibique gladio feriri, quòd conſpirationem in ſuum principem (cui ſacramenta præſtitiſſet) & alere & augere diceretur: conquieuitque perinde Brabantia, & in fide permanſit.

Traiectũ Maximilianus cæpit.

Carolus Ludouici filius, Frãcorum rex.

CAP. 31. 1482.

PER tempora autem ſecundi & octuageſimi anni, inter alia multa quæ inſignia gerebantur in multis terris, conſpicua fuit mors duorum principum ętate noſtra in regionibus noſtris maximorũ. Mortuus eſt enim XXII. Maij rex Daniæ Chriſtiernus, princeps humanitate & clementia illuſtriſſimus: quem ſua liberalitas, quæ præcipua virtus eſt principum, ſæpe ad indigentiam (quod dictu mirum eſt in tanto rege) contruſit. Sed non potuit egere diu in regnis opulentiſſimis. Qui ſi rerum ſuarum ordinem tenuiſſet (quem tamen in regnis aquilonis difficile eſt ſeruare) omnium non modò noſtræ ætatis, ſed multorum ſeculorum clariſſimus rex habitus fuiſſet: nunc etiam inter clariſſimos aquilonarium regnorum numerandus. Circa feſtum quoque diui Iacobi rebus exceſſit humanis victorioſus dux Brunſwickcenſis Wilhelmus nonagenarius: qui comitatus plures ſuæ adiunxit ditioni, Euerſteen, Wunſtorp, Hallermund, Welpe, & Hõborg, quatuor comitatus cum vno dominio. Septem capitalibus prælijs (ita vocant quũ totis confligitur aciebus) dimicauit victor: quod pręcipuum & rarum decus ferunt noſtrorum temporum. Sed hoc antiquis conferri non poteſt ducibus: quorum alij quinquaginta, alij etiam ſeptuaginta prælijs dimicarunt, M. Marcellus & C. Cæſar. Erat tum alia ratio belli gerendi, ſed proculdubio neque ingenio neque viribus minor. Primum Wilhelmi prę lium in Bohemos erat, iuxta oppidũ Brux in eo regno, vbi hoſtibus profligatis campum ipſe tenuit. Secundum erat in militares Hildeſemenſis diœceſis, homines, vbi conſpirant vnum ſentientes, magno principi non impares viribus. Dimicatum eſt ad oppidum Gronde. Tertium aduerſus regem Daniæ in aurora, ad oppidũ Flenſborg in die Sanctorum omnium, quum Wandalicis vrbibus dux militaret pro ducibus Sleſwickcenſibus propinquis ſuis. Quartum erat in Turcum, quum pro Imperatore Sigiſmundo in acie conflixiſſet victor apud Galatiam. Ea autem prælia non ſatis ſunt explicata in annalibus. Quintum erat in archiepiſcopum Moguntinum, non longè ab arce Homborg. Sextum prælium in comites de Hoya, in diſtrictu comitatus de Welpe. Septimum in Mauricium de Oldenborg comitem, quum hoſtes eius numero & viribus præſtarent. Octauo congreſſus morti ſuccubuit: qui eſt exitus omnis carnis. His trophæis inclytus dux gaudet, diu memorandus inter ſummos principes. Filios reliquit Fridericum & Wilhelmum: ex Wilhelmo vidit nepotes.

Brunſwicenſis dux ſeptem prælijs victor.

CAP. 32.

QVO etiam tempore Holſati in cœtum conuentumq; Kilonem exciti, vt de principe deligendo (quod ipſi vocant) deliberarent: aderat Iohannes Chriſtierni regis maior filius, iam Daniæ rex viuo patre, & in Suediam electus, in Norwagiam verò hæreditario iure ſuccedens: quod ius etiam fratri titulo tenus permiſit, ſolus ille regnans. Fridericus eius germanus frater, iam impubes, nihil agebat. Sed hoc inter proceres præſente amborum principum matre agebatur, quomodo in ducatibus ſuccederẽt Sleſwickcenſi & Holſatiæ. Ibi tum viſum eſt multis æquum, vt quoniã Iohannes rex magnis prę ditus regnis patri ſucceſſit, fratri permitteret ambos ducatus: alterum beneficio feudi, vnde regi obſequeretur: alterum compenſatione regnorum: vt quadam parilitate illi quoque regis filio, de paterna ditione magnum aliquid remaneret. Idque matrem

Chriſtierni filij hæreditatem herciſcũt.

amborum

amborum initio ferunt contendiſſe: & procul dubio perfeciſſet, niſi vtrunq; ſuum eſſe filium teſtata, ambobus mallet proſpicere quàm vni. Sciebat fluxam fidem regnorum. Iam enim dudum Suedia defecit à parente. Ideo facilè in eam ſententiam Danorũ proceribus accedens inclinauit, arbitrantium æquum eſſe, vt quoniam duo regna Daniæ & Suediæ eſſent electiua, vt aut Fridericus Norwagiam pro ſe deſumeret, & fratri dimitteret ducatus ad æquationem eius regni: aut ſi id nollet, ex æquo pateretur diuidi ambos ducatus: vt vtriq; ex ſucceſſione, in vtroq; pars proueniret. Itaq; factum eſt vt cõciſos minutiis ambos principatus partirentur, Danis maximè cõnitentibus, vt poſt fratres (quos germanus deuincit amor) nepotes fortè diſſidentes facile eſſet ad vnitatem reducere: quum vtrobiq; poſſideant vtriq; vnde ſe tueantur. Erat eodem anno alius quoq; cõuentus in Rendesborg, vbi de ſtatu & omni regionis conſiſtentia, ſuper immunitatibus, quę nonnullis locis permiſſæ eſſent, ſermo habeatur. Sed tum nihil ſuper his eſt cõſtitutum. Maior autem conuentionis cauſa fuit precaria, quòd multis quę relicta eſſent à rege debitis exoluendis, magno opus ære videbatur. Annuerunt prælati & militares, vt ex quoque vomere bini ſoluerentur aurei. Quæ pecunia tum ita diſtributa eſt in multos, vt vix modicum quid acciperet, qui ingentibus ſummis ſua pridem impendiſſet. Ita liberaliſſimi principis multæ largitiones depoſcerunt.

Rex oberatu[…] diſſoluenda nomina ciuib[…] relinquit.

CAP. 33.

MAXIMILIANUS dux Auſtriæ, dum in Traiecto inferiori, accepta in deditionem ciuitate, omnia pro voto conſtituiſſet, muriq; parte deiecta portam incaſtellaſſet: in quam impoſito præſidio curauit ne ad rebellionem redirent. Interim per abſentiam eius creuit audacia trium Flandriæ oppidorum, quæ frequentibus ad regem Franciæ legationibus vtebantur. Pertęſum eſt ducem eius rei, & immiſſo capitaneo fecit teneri redeuntes ex Francia oratores eorum. Philippus de Rauenſteen curauit ob id de medio fieri eundem capitaneum. Interim Wilhelmus Rim Gandaui, homo audaciſſimus, duci rem omnem eo loci fecit aduerſam. Dux tamen diſſimulãter per occiduam Flandriam tranſiens cum expedito agmine, fertur conſtituto die oppidũ Brugenſe irrumpere conſtituiſſe, accepto cum quibuſdam oppidanis, quos conſcios habuit, die (quæ eſſet vigilia ſancti Matthiæ) quo applicaret. Sed quum eſſet biſſextilis ille annus, idq; à duce minus aduerteretur, priori fertur aduolaſſe die: ſtetitq; explicitis ſignis & agminibus extra portam, expectans aperturam, de qua antè conueniſſet. Sed rebus in vrbe imparatis ſtetit ocioſus: cœpitq; tumultus in vrbe vel ſuſpicantium vel deprehẽdentium proditionem. Itaq; iugulantur aliquot boni viri, & deſæuit gladius in vrbe publicus. Per quæ tempora adunatis Gandaui membris, verbum fecit præſidens Flandriæ de gerendo bello in archiducem Auſtriæ, qui adminiſtrationem quærens rerum filij ſui, terram turbaret. Inſuper accuſabat ducem de inito fœdere cum Anglicis, quod patriæ ſtatuta vetuiſſent. Quumq; longa oratione in eam rem peroraſſet, rogauit ſententiam ſingulorum. Iuſſi dicere primùm abbates, vnus reſpondit pro omnibus, Ne fortè, inquit, quis in verbo reprehendatur, operæprecium videri omni clero conuocato, reſponſum edere ſcripto. Idq; placuit. Reſponſum eſt ergo poſtera die tribus præcipuis in omni controuerſia capitibus, per ſummas rationes & optimas cauſas eliſis. Quorum primum erat de cauſis prohibendi ducem ab adminiſtratione legitimæ tutelæ, quas cum omni modeſtia obtriuerunt, non viſas eſſe legitimas aſtruendo. Alterum de precibus pro pace ad Deum interponendis, facile fuit annuere: quia debitum erat polliceri. Tertium de ſumptibus communi onere ſupportãdis per belli tempora, quæ ſunt bona ratione à clero ſubuerſa. Gandauenſes autem pro conſueta temeritate multa ſibi arrogauere. Miſſam ad ſe legationem ex Francia contempſere: omnia opportuna bello loca occupauere, Sluſam, Cortracum, Aldenardum, Geraldi montem.

Flandrorum in Franciam re[…] gem ſtudium

Error in die[…] computation[…] ob annum biſ[…] ſextilem.

Maximilianus liberorũ adminiſtratio[…] ne excluditur

CAP. 34.

VENERAT deinde anno quarto & octuageſimo ſolennis ambaſiata ex rege Franciæ, archiepiſcopus vnus, dominus Antonius de Burgundia. Principes autem de ſanguine cum pupillo Brugas ſe recepere, quòd proſpicerent ducem oratoribus regiis occurſurum Gandauum: ne præſentem filium abiens ſecum abduceret. Sed dux ipſe Bruxellis remanſit. Gandaui autem legatio regis acerba depromitur, nõ placere regi quã Flandrenſes prętenderent ducis dehoneſtationem, quòd ſocer regis eſſet, quòd Imperatore Romano patre illuſtraretur: honorem eius eſſe regi penitus animo, eumq; multis ex cauſis tueretur: impium eſſe filium abſtrahere patris gremio. Proinde paratum regem, niſi

Maximiliano reſtitui filium Flandri non patiuntur.

reſipiſcerent ab errore, decem militum millibus adiuuare ducem. Conuentus deinde omnium placito indicitur in Teuremundam (limes hic eſt Flandriæ) vbi cõuenere principes de ſanguine, Flandriæ ſtatus, dux ipſe cum magnifico comitatu. Poſt multa inuicem tractata, conuenit inter omnes filium patri reddendum, eo quòd non alienus eſſet, ſed legitimus tutor rerum filij, & (quod penſi plurimum apud omnes mortales habere videretur) caput eſſe illum ordinis ac fraternitatis de Aureo vellere, inſtitutæ per Philippum ducem, Karoli patrem, pueri maternum proauum. Additum, quòd officiarij in ditionibus non extranei, Alemanni aut Burgundi, ſed indigenæ præficerẽtur. Hæc quãuis conuenta placuiſſent, tamen ad exequutionem peruenire non poterant, tumultuante populo trium in Flandria vrbium. Contenderunt tum Flandrenſes ſummopere nundinas Antwerpiæ conturbare, quarum munere ea vrbs exceſceret in immẽſum, in magnum Flandriæ detrimentum: egeruntq́; cum Anglicis, vt pannos ſuos Brugas perducerent, ibi diſtrahendos: vt emporium illud ſuo honore atque emolumento non fraudaretur. Multa in eam rem egiſſe contendit Iohãnes Capenolle Gandauenſis capitaneus, ex caligarum factore in eum modum proficiens: qui cum quingentis egreſſus vrbem armatis, per Aloſtum locis opportunis, itinera petentium Antwerpiam conatur impedire. Iterum interuentu Romanorum Imperatoris conuentus indicitur ad res componendas, quòd altioris honoris locus filio pararetur: multa tamen fruſtra ſunt attentata. Interim Saſtungen firmauere Gandauenſes præſidium, vt de Scaldi flumine nemo poſſet in Brabantiam peruenire: quę res incommodo non paruo affecit Antwerpiẽſes. Quumq́; illi ſe aliquando ex aduerſo in armis oſtendiſſent, Gandauenſes prodeuntes magna multitudine, non longè Antwerpia, in fluminis ripa ligneum ſibi firmauere præſidium: Roboream appellant domum. Ex aduerſo autem iuxta Carthuſiam firmatum eſt ſimile ab Antwerpienſibus receptaculum, Truncalis domus: vt alternis minis ſibi obiacerẽt, ictibus vanis bombardarũ tonantes in aera. Adiere deinde ducem multi nobiles, qui auxilia illi in Flandriam obtulerunt: ſed non erat Maximilianus præceps oppugnare ſui filij ditionem. Inter alios Wilhelmus de Arberg, quum apud ducem contempta videretur quam afferebat opera, ſe Gandauenſibus in ducem prębuit capitaneum: ſed neq; ibi acceptum habuere virum ſanguinarium. Vocabant Gandauenſes Antonium de Burgundia: ſed illo recuſante, Iacobus de Sabaudia, de Remont, & ſancti Pauli comes aſciſcitur. Ille veniens concilium Brugis contraxit, ex animo agens de concordia inter partes, ne regis ſui incurreret offenſam, ſi præcipitaret bellũ, quod regi diſplicere videbatur. Nam ex illius erat ſentẽtia, futurum ſocerũ ſuum non excludi gubernatione terrarũ, & ab adminiſtratione rerũ filij ſui. Sed non erat q̃d duras poſſet inflectere ceruices Flamingorũ.

Antwerpiæ opulentia Flandris damnoſa.

Flandri & Brabanti inter ſe hoſtes.

CAP. 35.

INTERIM dux Maximilianus in Zelandia ſedit pro tribunali, vocans in iudicium Wulfardum dominum de Veris, quòd cõtra ſe, dominum ſuum, defendiſſet Traiectenſes. Ille locis ſe tutis continet. Diſcedente duce, ille reuerſus puniuit quoſdam ex ſubditis, qui præſente duce in ſe dixiſſe teſtimonium ferrentur. Nec fidens diutius ille prouinciæ, ſarcinis compoſitis, cum vxore liberisq́; contendit Gandauum, quòd nuſquam alibi ſecurus à duce videretur. Accuſabatq́; ducem apud amicos in Francia, quòd vxor eius inde orta eſſet: fingens quòd filias ſuas dux Alemannis ſuis copulare coniuges niteretur, vt odium illi conflaret. Inde rectores oppidorum in Flandria principalium, miſſis literis capitaneos ſolicitabant, magnis promiſſis inuitantes ad gerendum bellum in ducem. Dux autem mouens ex Mechlinia, non contemnendo exercitu deſcendit in Flandriam, Aloſtum, Teuremũdam, Aldenardum & reliqua opportuna loca in poteſtatem acceptus. Primum Aldenardum minis eius conceſſit, inde Teuremunda. Multa fiunt leuia prælia, incommoda, damna ſine fine, vaſtationibus, incẽdiis, gladiis. Flandrenſes militum Francorum inſolentiam nõ ferentes, ſe ab illis abſoluunt, verſuſq́; in Francos dux ſæpe eos profligauit, qui ſtarent pro vrbibus. In oppidis (vt fit) varia hominum ſtudia cõciuere crebram in illis turbam: nam qui ducem auſi ſunt vel nominare, mox vt proditores proſcribuntur. Hunc rerum ſtatum miſeratus ipſe dux, quum non poſſet in authores infamiæ ſuę vindicare, quòd eum dicerent dilapidatorem rerum filij, inutilem terrarum gubernatorem, veniſſe ad eos inopem vt ſaginaretur, nihil eum ſuis viribus poſſe. Maiorem exinde manum militum dux ipſe contraxit, vt oſtenderet contumacibus fabulatoribus quid mererentur. Ergo multis locis Flandrenſes ſternuntur: in Niniuero, in Geraldi

Maximilianus Flandris bellum infert.

raldi

taldi monte cæteriſque locis: nec illis profuit Gallica militia quam habuere. Vltor ſuperbiæ Deus aſtitit duci, & vindicauit in contumaces: niſi quòd authores ſcelerum, gubernatores maiorum vrbium, non attigit. Vaſtitas tamen terræ pertinet & pertingit ad omnes. Interea quum multa ſæpe fierent in inquirenda inueniendaq; pacis media, per principes, per ſubmiſſos oratores, per clerum regionum, nihil tale potuit excogitari quo placarentur animi Flandriam gubernantium: pertinax erat ſtudium partium. Videbatur æqua depoſcere Maximilianus, vt tradito in manus eius filio, ſex vtrinque arbitris cauſa mandaretur agenda. Sed nihil apud pertinaces. Arbitrabantur (id quod veriſimile fuit) ſi ſemel in paternas manus filius recidiſſet, difficile iterum eruere fore. Nec tamē formidabant puellam germanam in manus dare Francorum. Sed durius illis viſum carere puero quàm puella: illa enim tranſit in ius mariti.

PER quod tempus, ne diu Saxonia inconcuſſa maneret, Henningus Hildeſemenſis epiſcopus (qui multa fecit, priuſquam ad tranquillam eccleſiæ ſuæ gubernationem perueniret) quum poſt ſeptem annos perſentiret necdum eſſe emollitos ad plenū ſuorum in ſe animos, & ad tranquillitatem iam grandæuus aſpiraret: cum propinquo ſuo Bertoldo Verdenſi epiſcopo loquutus, modeſta ſibi reſeruata portione egit vt ille acciperet eccleſiam apoſtolica prouiſione, ſuæ nihilominus Verdenſis adminiſtrationē papali prouiſione, conſentiente vtroq; capitulo, retineret. Idq; annuentibus vtrobique patribus in capitulis, prouidente ſummo pontifice, ita eſt conſtitutum. Henningus apud eccleſiam quiete ſibi conſtituta, totus in Deum conuertitur. Bertoldus multa nobilitate ſtipatus, ad Hildeſemenſem eccleſiam omnium gratulatione introducitur. Non tamen fuit diuturna eius ad ciuitatem & ciuium in ſe tranquilla conuerſio, quòd neq; integro affectu ciuitas dimiſiſſet Henningum ſuum, pro quo tanto labore ſudaſſet, & iam apud Bertoldum licere ſibi quod merita præſumeret, non videret. Itaque aduerſantem animum ſtatim in apertum bellum habuere paratum. Omnis eccleſiæ militia cum magna parte capituli inhæſit (vt debuit) epiſcopo. Henricus dux Brunſwickcenſis Wilhelmi filius, iam rerum potitus, ipſis Hildeſemenſibus aduerſatus, epiſcopo tulit ſuppetias. Cauſa belli tanti, quòd exhauſtæ bellis eccleſiæ ſuccurri popoſcit à ciuibus pontifex, per miſſa rerum in vrbe venalium tolerabili impoſitione: gabellam Itali vocant. Sed quum ciues induci non poſſent, armis cogendi & malis edomandi videbantur. Sed durum à ſtirpe genus frangi potuit, flecti non patitur. Multa viciſſim fuere leuia prælia: bis dux iunctus epiſcopo, totis agminibus in vrbem verſus oppugnauit. Aliquando dimiſſis iumentis in pedes conſtiterant, properantes ad proxima vrbi repagula: ibique ſtantes in aduerſos ciues pugnauere. Egreſſi deinde ciues, Sublimem (quam vocāt) Hamelen expugnāt, ibique captos aliquot militares abſtraxerunt. Crebrius ad vicina vaſtabundi procurrunt, eodem ſole reuerſi in vrbem. Multa inuicem intulere incommoda. Vicinæ vrbes, quòd cauſa quoque illarum agi videbatur, tulere ciuibus auxilia. Venerat comes de Retberge cum expeditis de Weſtphalia militibus trecentis quinquaginta, petiturus vrbem Hildeſem, vt illis militaret. Id reſciuit dux Henricus, ſtatuitque cum eccleſiæ militaribus opportuno loco illis inſidiari, inter Leynam & Deiſtriam, ad montem quem vocāt Peuters, incurrerunt captis omnibus. Sed tum ſe maior hoſtium manus prodidit, Brunſwickcenſes, Luneburgenſes, Goſlarienſes, Magdeburgenſes, Embickcenſes, Gottingenſes, Northemenſes, Stendalienſes, hoſtilia nunciauere: & collatis armis introduxere, nemine in aduerſum prodeunte, per munitionem Buckendal, epiſcopos Oſnaburgenſem, Myndenſem, de Lippia, de Hoya, de Scowenborg, de Diepholt, comites & barones, & Henricum ducem de Brunſwico, Tranſſyluanum de Grubenhagen, qui magna ſpe ingreſſus, quòd ad poſſeſſionem aliquando antiqui (vt ferebat) dominij, ducatus de Brunſwico, tantis collatis in vnum armis, reduceretur. Sed tunc incommoda multa ſunt collata terris: oppidum Sarſtede exuſtum, magnis licet viribus defenſum. In terra Brunſwickcenſi multa eſt vaſtitas irrogata: & poterat eſſe maior, ſi vnum omnes ſenſiſſent. Multæ quoque exuſtiones in terra Gottingenſi. Nec aliud tanto molimine peractum eſt, quàm vt rurales caſæ per agros exurerentur, agri vaſtarentur, prædæ abigerentur. Aliquot viciſſim captiui alternauere. Sed nihil tale prouenit, quòd æquaret captum cum commilitonibus comitem de Weſtphalia, duobus ferè annis tracto bello.

CAP. 36.

Vni homini duo epiſcopatus adminiſtrandi traduntur.

Paſtoris aduerſus ſuos gregem bellum.

CAP. 37.
1485.
Bellum inter Maximiliani & Flandros.

ANNVS erat octuageſimus quintus, quum graui inuicem odio hinc dux Maximilianus, inde verò Flandrij ſæuirent: quibus erant ductores Iacobus de Remont, comes ſancti Pauli, & Philippus Deſquordes cum armatura ſua. Statim verò cœperũt eſſe Franci Flandrenſibus ſuſpecti, quòd colloquium fouerẽt, alter cum Philippo de Rauenſteen duci tum adhærente, ex eo die quo placita inter oratores regis conſtituta Flandrenſes non implerent: alius etiam, quòd criminaretur ipſi duci verbum feciſſe. Itaque formidantes Flandrij ne in manus ducis proderentur, paulatim ſe à Francis retraxere. Percrebuit rumor quòd in manus ducis iterum tradenda Brugenſis vrbs diceretur: iterum tumultuatio grauis in ea conſurgit, noua in ſuſpectos concitatio. Nec Gandaui maior erat tranquillitas. Quum enim multa foris experirentur aduerſa, Wilhelmus Rim & Iohannes Capenolle cum manu valida contenderant Aloſtum. Interim Matthias Speiart exoritur, alius in Gandauo capitaneus, qui partibus ducalibus populũ, quum abeſſent capita factionis, inclinauit: miſſisq; per fraudem nunciis, Aloſto euocauit Wilhelmum & Iohannem memoratos, ſpecie magnæ rei, cui adeſſe opporteret, contrectandæ. Mox vincti trahuntur Gandauum: Wilhelmus cum Daniele quodam plectitur capite. Matthias à rege Franciæ, ad quem ibat orator, militari cingulo (vt eſſet auratus miles) decoratur. Manſit igitur Matthia procurante, diu cum filio pater. Quum iam indignaretur offenſa vrbs, quòd numeroſior quàm cui poſſet obſiſtere, dux eſſet intromiſſus, cęſis gladio qui ferociũs ſunt inuecti, cunctis videntibus dux filium ſuum tranſtulit Bruxellas. Sluſæ autem inſulæ præfectos dux ipſe deſtituit, cuncta in ſuam transferens poteſtatem. Interim Wilhelmus de Arberg artis ingenio captus, ſupra Moſam Traiecti gladio cæditur, quòd epiſcopum Leodienſem occiderit, quòd officialem eius oppreſſerit, quòd ligam cum Francis duxerit. Omnia iam ex ducis ſententia conſtituuntur: quòd qui rebellionis conſcij inuenirentur, ſi de Aurei velleris ordine eſſent, per fratres, cæteri per legiſlatores punirentur. Innouatis Gandaui legiſlatoribus (ita vocant qui concilium publicum faciunt in oppidis, per ſingulos annos iuſſu principis renouati) multi ſunt proſcripti, multi in vinculis habiti. Hoc etiam ſtatu, quũ iam dux victor hoſtium videretur, in Leodiẽſes quoq; (qui quieturi non videbantur) inq; oppidum ſancti Trudonis quæ placuere conſtituit.

Maximilianus Gandauũ ingreſſus, filio potitur.

CAP. 38.
Goslarienſes per ſuam imprudentiã caſi

DVRABAT per id tempus bellum in Saxonia, in quo ſua quiſque odia proſequitur. Gottingenſes tum cepere arcem Iunde, & caſtellanum eius duxere captiuum: oppidum Northem ſub arce Hardenberg captum & incineratum. Goſlarienſes arcem Hartesborg expugnauere, quæ illis ſemper erat in diabolum malũ. Sed Henricus dux Brunſwici, in ſocietatem deuocatis militaribus eccleſiæ Hildeſemenſis, adequitabat Goſlariã, oſtentans illi cum non multis. Ciues elati recenti victoria facilè excurrũt, ducem (vt putabant) nullo negocio repulſuri. Ille, quod non cauebant, ſimulata fuga retro tulit pedẽ. Ciues, immemores quid recenti memoria Embickcenſibus acciderit, acrius cedentem perurgent ſequentes, donec collocatis inſidiis intercepti cæduntur, capiuntur, abducuntur, ære emunguntur. Stabat in vrbis porta vir militaris, caſuum illorum peritiſſimus, qui ciues ſequi ſuos parantes vix potuit in tuto continere, ne in idem periculum ſequentes cum prioribus laberentur. Cernitis, inquit, turbatos ordines, veſtros cædi, capi, fugari: & quid niſi in apertum ruitis periculum? Si iam eò perueniſſetis, nihil vobis proſperius quam intentare fugam, ſi permitteretur. Sic agitur cum vrbicis, poſteaquam audaciæ ſuę nullum ponunt modum. Quis nocuiſſet ſtantibus intra ſua mœnia? quis vel ad proxima pugnantibus? Satiusque erat amittere pauca quæ abigerentur iumenta, quàm talem videre exitum, dum audent procurrere & (vt ipſi putabant) oſtentare vires, certare pro gloria, quibus ſatis ſuperque eſſe debuit incolumitatem ſuam tueri. Æquè enim proficiunt militares in mercaturis, & ciues in armis: ſorte ſua contenti ſunt pauci. Sed hic ſit huius modus voluminis.

LIBRI DVODECIMI FINIS.

ALBER-

ALBERTI KRANTZII SAXONIÆ LIB. XIII.

MAXIMILIANVS Auſtriæ dux, iamdudum in occiduis partibus victor, quum poſt Francos, inteſtina bella, cunctos domuiſſet Flandros, euocatur ab Imperatore patre Coloniam: cũq; eo profectus eſt Francfordiam ad conuentum, quem idem pater indixerat principibus electoribus, vt de rege nouo conſtitueretur: quæ res iam ipſi duci inclinare ac propendere videbatur. Mutauit iam Fridericus ſententiam, qui ſuperioribus annis ea de re à principibus interpellatus fertur reſpondiſſe, Filium nos noſtrum propius agnoſcimus: ſcimus non eſſe rebus gerendis idoneum. Nec volebat vlla de re minus (vt ferunt) audire quàm illa. Id ſiue ex ſententia dixerit, ſiue quadam ſimulatione prætulerit, ſiue etiam magnum onus adminiſtrãdi Imperij euiſcerati filio auerterit, incertum eſt. Poterat tamen illum ad mutandam ſententiã inflectere & maturior nunc ætas filij, & recens de hoſtibus victoria. Magno enim ore multorum efferebatur, quòd ſine paternis armis, ſine amicorum ope, tantam in Gallos & Flandros rem peregiſſet: quamuis pro magnitudine hoſtilium virium ſatis erat viciſſe, dum tantis armis non cederet. Igitur volentibus cunctis rex creatur Romanorum Maximilianus anno ſexto & octogeſimo poſt mille quadringentos, exemplo Karoli IIII. recentiori, qui & ipſe viuens filium ſibi curauit regem ſubſtitui. Sed in hoc gloria Maximiliani maior, quòd ibi pater Karolus, vt proficeret, cœlum fatigauit & terram: hic Fridericus vt fieri pateretur, vix potuit inflecti. Ibi nullis rebus præclarè geſtis Wentzlaus, incertum qualis rex futurus, aſſumitur: hic verò multis euectus victoriis inclaruit. Inde verò Aquiſgranum perductus nouus electus, magna omnium cõcurrentium principum alacritate, multa nobilitatis frequentia, adhibitis quos ſuprà oſtendimus, magnificis apparatibus, per archiepiſcopum Colonienſem (cuius eſt iſta prouincia) conſecratur rex Romanorum. Interea multi in Flandria Brugis cæduntur gladio, alij ære mulctantur, nonnulli proſcribuntur, tumultu omnia ciuili: quòd ciues correptis ſignis ſuis in forum armati per turmas prodierunt, ibique ſtantes clamore ſuo vrgebant ad mortem quos voluere. Sed hac vice comes de Naſſow rem gerebat pro rege: creauerat enim illum rex vicarium ſuum per abſentiam. Dominus de Veris, quem extra Maximiliani gratiam agere diximus, filiam ſuam dedit coniugem Philippo de Beueren, Antonij de Burgundia filio, vt per illum rediret in gratiam: nec eſt fruſtratus expectatione ſua.

Cap. 1. — *Maximilianus Romanorum rex creatur.* — 1481. — *Seditio Brugis exorta.*

PER quæ tempora in Anglia cæſo in acie Richardo rege, Henricus de Richemont comes, nepos per patrem Henrici regis VI. regnum accepit, quod hodie tenet, cadentibus in acie cum Richardo qui ſuæ partis erant. In Cameraco interim inter iam duos reges, Romanorum & Franciæ, agebatur, congratulato per nuncios Franciæ rege, Romanorum regi Maximiliano, de honoris incremento: miratus tamen, quòd ipſe futurus eius gener, ad ſolennitatem coronationis inter cæteros principes non eſſet euocatus. Matthias Vngariæ rex hanc Maximiliani aſſumptionem ſtudio magno præuenire conſtituit, vt impediret: ſed non præualuit, contendentibus cunctis, quòd tantæ nobilitati, & (vt apparuit in eam diem) virtuti is locus in regno deberetur. Impletis ergò ſolennibus conſecrationis, rex in occiduas filij partes reuertitur. Sequutus eſt illum pater eius Fridericus Romanorum Imperator, non illo ſplendore quo ſolebant olim Romanorũ principes, nec illo apparatu quo conſueuiſſent eius regionis homines ſuos principes intueri: meliusq; aliquanto fuiſſet omnino non veniſſe, quàm in ea negligentia tantam deſpici maieſtatem. Venerat tamen, & in Geſoriaco (hoc eſt in vrbe Brugenſi) cum filio rege aditus eſt à Venetorum oratoribus gratulantibus vtrique: quum Hermolaus Barbarus, vir memoria dignus propter literas ſempiterna, ſplendida oratione, quæ extat, Imperialem & regalem maieſtatem magnificè extuliſſet, muneratus cum collega, aurea militum dignitate. Interea Leodienſibus ad pacem per arma redactis, quum dominos de Arberg ſibi rex Romanorum conciliaſſet, priuſquam in Francos duceret, ſuos iuſſit Cameraci obuiam prodire regis Franciæ oratoribus. Ibi multis in medium adductis

Cap. 2. — *Angliæ regno pulſus ...* — *Maximilianus cum patre imperatore in Belgiũ venit.*

quum non conuenisset inter vtrosq; de restituēda regi filia, deq; acceptis in potestatem vrbibus, res sine fine permansit. Et remissæ sunt Romanorum regi literæ ab Francis contumeliis plenæ, quid se archiducem scriberet, quum non esset, viuente adhuc Sigismundo Austriæ duce? De Romanorum quoque regno cœpit irrideri, quid inani titulo se iactaret, quum Romæ nihil aut potestatis aut prouentus haberet? Tum rex Romanorum comparatis agminibus duxit in Morinum, inque sanctum Audomarum: & amissas per bella Flandriæ vrbes & arces varia quidem fortuna recepit. Quum in oppidum sancti Quintini duceret, comperit Francorum exercitū propinquare: certiorq; factus de quorundam suorum in suum caput coniuratione, exercitum dimisit, seque recepit ad Insulas, splendidum Flandriæ occiduæ oppidum. Ibi sequutus eum pater conuenit: quid verò cum illo egerit secretò, incompertum est: cæterùm illum ad cunctationem, qua ipse creberrima vteretur, creditur induxisse. Sed rex Morino præfecit Salazart Hispanum, sancto Audomaro Philippum de Rauensteen. Pertransiens autem oppida minora, sacramenta ibi iussit renouari in suam personam ad præfectum filij Philippi. Induciæ cum Anglicis iam penè expirantes, propter mercatores regionis, in Calisia renouari tentabantur. Sed suspensos tenuere Anglici regis Romanorum oratores, expectantes quem exitum haberent res eius cum Francis. Discesserunt à curia Franciæ regis nonnulli principes, quos erat pertæsum fœminei imperij. Nam per vxorē comitis de Bellojoco, quæ regis esset germana soror, res omnes administrari videbantur. Dux Aurelianensis, etsi coram hominibus vxorem tenere videretur filiam regis Ludouici, alteram Karoli regis germanam, animo tamen ille abalienato, filiam ducis Britanniæ coniugem petebat. Alij etiam aliò dilapsi, curiam regis vacuabant. Anglici tamē sobrias cum Flandrensibus inducias pepigerunt. Missi enim Brugas ad Romanorum regem nuntij regis Henrici, hoc pacto pepigerunt suspensis rebus, vt si continuandæ essent induciæ, hoc ante festum Iohannis proximè venturum innotesceret vtrinque: sin minus, ante sex hebdomadas hoc vicissim alterutris denunciaretur.

Maximilianus Francis bellum infert.

Franci muliebris dominationis quondā impatientes.

CAP. 3. MAXIMILIANVS interim rex quum intelligeret Anglorum molitiones, nec ipse solidum ad fœdera habuit animum, auscultans Margaretæ, quæ relicta erat Karoli ducis Burgundiæ, vt filium fratris sui ducis Clarentiæ paratis in Slusa nauibus adiuuaret ad consequendam generi suo debitam regni coronam: de qua re est posterius attentatum. Nauim instructam permisit eidem dominæ, quam ipsa conscendit, Hiberniam petitura, vt eam conciliaret filio fratris sui memorato. Interim Brugis Romanorū rex commoratur. Audiuit ibi oratores ducis Britanniæ, nunciantes ad illum profugisse ducem Aureliani, auxilium & socia arma rogantes in Franciæ regem. Decernuntur illis duo equitum millia. Aderant etiam nuncij regis Castellæ, quibus pro tempore, quod in rem videbatur est responsum. Sed & principes electores, missis solennib. nuntiis, quæ ad Romanorum regnum pertinebant deposcere. Summa autem cura regi fuit ærariū instruere, vt gerendi belli neruus in expedito esset. In quam rem cōuocati status Flandrię, claustrales, ecclesiastici, seculares, magnum æs deposcebantur. Spirituales quidem quod iuris erat obtenderant, se non posse, nisi consulto summo pontifice, in ea re quicquam constituere: facturos tamen de benignitate quantum iure sinantur, si suis libertatibus restituantur. Flandrij multa causantur, exhaustas populi vires crebris contributionibus, iam non esse in eorum facultatibus quod elargiantur: quippe qui annos octo sub Karolo, & nunc penè decem sub ipso rege multa exanclassent bella. Nam annus tum erat septimus & octuagesimus. Sed res tum infecta permansit. Crescebant autem in vrbibus Flandriæ vehementer primùm murmura, deinde apertæ indignationes, quòd soli Flandrenses emungerentur argento, reliquas ditionis terras perdurare immunes: nō se auri montes aliis habere maiores: finem aliquando fieri oportere exactionum. Alioqui, si perseueraret emungere vehementer, sanguinem aliquando profluxurum. Ea tum in vrbibus murmura volitabant.

Maximilianus multorū principum oratores audit.

[…]Flandris quæ […]tebat, non […]cepit.

487.

CAP. 4. INTERIM nec in Saxonia quies erat. Nam Ernestus Magdeburgensis archiepiscopus, & administrator Halberstadensis, quum inueniret iustam indignationis causam in ciues suos Halberstadenses, paratis copiis ad iuga & plenam obedientiam eos armis adigere constituit. Nam iudicium in vrbe, quod impignoratum ab episcopo tenuere, ad redemptionem, quam ille parauerat, venire non sinebant. Tum verò præfecturam in

[…]chiepisco[…] terrenum […]natum […] quærit.

parte

parte vrbis, quæ iuris eſſet epiſcopalis, illi non permiſere. Quumq́; intra vrbem male eſſent vnanimes, inteſtina ſeditione laborantes, paratum habere & promptum negotium videbatur. Duplex nimirum gerendi belli commodum erat pontifici: quòd ſciret Halberſtadenſes cæteris Saxoniæ vrbibus eſſe inuiſos & exoſos, quòd ſe ab eorum communione dudum retraxiſſent: deinde quòd intus feruente diſcordia non vnum ſentirent. Igitur poſt diui Iacobi diem feſtum duxit in eos. Vallabat opportunis locis vrbem obſidione: & immiſſis per tormẽta lapidibus non paucis, muros deformauit & mœnia. Exierat magna pridem pars capituli, ſuo epiſcopo non refragatura. Remanſit tamen decanus, qui diuinum in eccleſia officium tueretur. Erat autem vir nobilis comes de Queruorde, iam ipſa canicie venerabilis, qui familiam ſuam cum ciuibus iuſſit mœnia tueri pro viribus: quum in eo deprehenſi neceſſarij belli articulo quid facerent? Aliquandiu ſuſtinuere obſidionem. Quum tamen non haberent quod foris ſperarent à quoquam defenſionis præſidium, extra communionem cæterarum vrbium poſiti, & potentiam hoſtis ſui (quæ creſceret quotidie) animo perpendentes, deditionem fecere, gratiam domini ſui implorantes. Accepit ille vrbem in poteſtatem, & omne ius gubernandæ ciuitatis à conſulatu in ſe transtulit. Cõſtituit iudices, ſcabinos, & omnia moderatur ex hoc die pro arbitrio. Calamitoſa ciuitas luit damna imprudentiæ ſuæ & improuidæ defenſionis intus & foris. Iam omnis mercatura deperiit: quiſque ſuo contenti, non quærunt augere patrimonia: viuunt in diem, nec eſt qui deformatos muros cum mœnibus aut curet aut cogitet aut poſſit reparare. Ita ſe rès in hodiernum vſque in ea vrbe quondam florente habent.

Archiepiſcopus bello victor.

Cap. 5.

Henricvs interim Wilhelmi filius, dux Brunſwickcenſis, qui prima ſuæ militiæ ſtudia declarauit Hildeſemenſi bello, princeps ad arma natus, nec minus animo quã manu promptus, iam ferueſcente bello memorato, in Magnopolim cum paucis contendit: & in arce Zwerin, Margaretam Erici Pomeraniæ ducis filiam, germanam duarum, quæ coniugio erant ſociatæ duobus fratribus Magnopolenſium ducibus, Magno atque Balthazari, cõiugem accepit. Sed hoc primùm anno profectus in eius occurſum, quum eam deduceret Bugſlaus germanus eius, dux Pomeraniæ, octingentis ſtipatus equitibus, qui armis fulgerent (ea dos erat germanæ ex conſtituto) vxorem excepit: eaque in tutum dimiſſa cum dominabus & puellis, ipſe expeditum agmen ſuum iunxit Bugſlao: & vnà mouentes copias ſuas, duxerunt in Honouer, oppidumq́; armis terruerunt, quòd bello Hildeſemenſi necdum pacato ſe immiſcuiſſent. Immittunt principes tormentis ſuis ſaxa grandia. Sed ciues interriti muros & mœnia oppidi ſui defenderunt: nec tamen proruerunt temere foras. Vbi iam aliquot diebus fruſtra oppidum tentaſſent principes, Bugſlaus dux, ne in caſſum veniſſe videretur, inter comitem de Retberge & conſapriuos eius, cœpit ex vna, & ducem Henricum, ex altera tractare: perfecitque vt comes cum conſortibus, expromiſſa ingenti pro ſua ſuorumque laxatione pecunia, de captiuitate prodiret. Nec diu pòſt proxima bruma finitum eſt omne bellum Hildeſemenſe, qualicunque tranſactione. Compenſata damna, captiui coæquati, & (vt fieri omnes exoptauere) in ſuam quiſque dominationem, aut etiam libertatem repoſitus, alterna iura recognoſcebant. Per eadem tempora alius Henricus dux Luneburgenſis, Ottonis filius, tum accepit coniugem de domo Miſnenſi Margaretam, ſolennitate nuptiarum peracta in oppido Tzelle & in arce illius præcipua, quam illuſtrauit multorum præſentia principum. Erneſti ducis Saxoniæ ea erat filia, germanam habens reginam Daniæ, & fratrem Erneſtum archiepiſcopum Magdeburgenſem, necnon Fridericum electorem, & Iohannem duces Saxoniæ ſuperioris, alios germanos. Quo etiam tempore Wilhelmus dux Brunſwickcenſis, Henrici pater, quum non æquè ferret inſolentiam Weſtphalorum vltra Wiſeram, oppugnauit & cepit arcem quam vocant Hemelſcheborg, non longè ab Hamelen oppido ducum memoratorum, ad ripam dicti fluminis. Eiectus eſt caſtellanus, impoſuitq́; dux ipſe præſidium ſuum. Aderant arma ciuitatum, quæ illi duci parerent, Brunſwici, Gottingæ, Embicæ, Northem, Honouer. Tum primùm Brunſwickcenſes ſacramenta præſtitere Wilhelmo poſt Wilhelmum patrem. Eodem quoque tempore conſtituit Erneſtus archiepiſcopus Magdeburgenſis, quum arma ſuorum militarium atque vrbium cum bellicis apparatibus in expedito teneret, oppugnare arcẽ Weueling. Intercepere rem principes Brunſwickcenſes, Wilhelmus pater & Henricus fi-

Brunſvvicenſis Hildeſemenſes aggreditur.

Saxonicæ domus amplitudo.

lius:effectumq; eſt vt qui inerat arcis præfectus mox abiret, euacuans præſidium. Electus eſt vtrinque comes de Stalberge,qui arcem ſeruaret,donec inter memoratos principes de cuiuſque iure ſuper ea re ad plenum conueniret.

CAP. 6. MAXIMILIANO Romanorum regi noua in dies bella creſcebant in Flandria, quum grauarent Flandriæ membra ad commune ærarium conſtitutam pecuniam comportare. Reiecere omnes omnia in Gandauenſes populoſiores, qui & ſolerent & poſſent eam cauſam potentius ſuſtinere:in qua vrbe reſponſum ſe daturos cæteri aſſeuerabant.Rex præuenire conſtituens orituram ſeditionem,Gandauum contendit, vt populum ſibi præpararet. Sed vbi intellexit iam auerſos ſibi illorum animos, contendit Bruxellas.Illic quoq; iam inueniens rem ſpectare ad tumultum (quia non niſi præfinito numero militum permiſſus eſt introire)rediit in Flandriam, iam magis atque magis omnia ſibi comperiens aduerſa. Igitur contendit in Zelandiam, vnde ſtatuto tempore reuerſus eſt Brugas audire reſponſa Flandrenſium in Maio, ſuper comportando ærario. Quæ quum non ſatis placita darentur,minas pro ſua conſuetudine intulere Alemanni, animati quòd audirent res proſperè geri in Britannia, & quòd rex Hiſpaniæ maximam victoriam peregiſſet in Granatam,noſtri temporis rem omnium clariſſimam. Decennio fertur continuato laboraſſe rex in eo regno & vrbibus eius, nouiſſimè in vrbe omnium primaria Granata expugnanda. Interim Romanorum regi inter multa proſpera quædam ſe immiſcuere aduerſa. Audiuit enim captum a Francis oppidum ſancti Audomari ſurto,quum nauiculis paſſim noctu introirent, abſconditi à fratribus ſancti Bertini,donec multiplicati inſurgerent. Vix pauci ex regiis elapſi rem pertulerunt, & ordinē geſtorum exponunt,quòd male volentibus incolis,& ad Francos inclinantibus, ſuperata ſit illorum diligentia:nam cæteri aut merſi aut cæſi perierunt. Gandaui quoque commotio facta eſt,ingreſſis exulibus,quos pridē proſcripſere: ſed paucis punitis,ſtatim conquieuit,quum Gandauenſes Romanorum regi ſe parituros ad omnia ſponderent. Morini quoque cuſtodes pro Maximiliano rege quum infeſtarentur, miſere nuncios regi, niſi miſſis auxiliis roborarentur,importatis armis & commeatibus, nō ſe poſſe diu rem ſuſtinere. Vtrunque illis permittitur.Rex è Zelandia Teuremundam contendit: vbi facto conuentu ad conſilium,audiuit de aduerſis ſucceſſibus Martini Nigri in Anglia: qui dum ipſe miſceret incendia,cæſus eſſet cum omnibus copiis quas haberet.Non enim ſatis aderant in expedito qui fauores & arma pollicerentur pro filio ducis Clarentiæ, quū rex Angliæ quadraginta millium ducens exercitum,præſenti regis Romanorum heraldo fertur dixiſſe poſt conflictum,Grates,inquit,debemus Romanorum regi & magnæ duciſſæ Burgundiæ.quorum opera ſit ea ſtrages peracta:oſtenſis caligis eiuſdem Martini,quas Margareta ducis Karoli relicta multis precioſis margaritis exornauiſſet. Mittitur alius Clarētiæ ducis filius captus in Caliſiam,vt abeſſet cognationi ſuę pro eo tumultuanti,qui alioqui videbantur omnino non quieturi.

Flandrorū exigua in Maximilianum beneuolentia.

Hiſpanus Granatæ regnum ſubigit.

Maximiliano parū lætum ex Anglia nuncium affertur.

CAP. 7. CIRCA Morinum peruigil cura fuit Hiſpanorum militum cuncta tueri,Franci duce Philippo Deſquordes, veteri Flandriæ hoſte, non ſolùm hoc oppidum, ſed cunctam Flandriam,ope Anglorum,qui iam infeſti erant regi Romanorum(præſertim quòd modernus Angliæ rex Henricus VII.ex Francis ortus,ab illis non eſt paſſus diuidi:vnde orta eſt illa difficultas permittendi Flandriis inducias quas ſperabant)ſub leges mittere.Igitur maritima oppida Flandrię,Grauelingam,Dunkerken,Nouumportum iuſſit rex Romanorum diligentius aſſeruari, qui nauibus apparatis expectabant hoſtes: nam venientes excipere conſtituerunt.Quum interim idem Philippus Deſquordes, magno per Franciam parato exercitu,properabat Duacum,Inſulam,Morinum armis pulſare. Sed in aliis fruſtratus,in Morino proſperatur, dedentibus ſe paſſim incolis, quòd vim militum qui inerant,ſuſtinere haud poſſent. Itaque multis cæſis atque captis, pauci euaſere. Ad oppidum Betuneæ (quod in Artheſia rex Franciæ dedit domino dē Penis, ad compenſanda quæ pro ipſo amiſit in Flandria) fraudem ſtruxit Philippus. Nam literis adulterinis vocauit nobiles de Flandria, quaſi traditurus eis oppidum. Illi credidere, armis iam ad ſumendum in poteſtatem oppidum apparatis. Venerat conſtituta dies. Dux Geltriæ Karolus iuuenis, qui tum primis in armis Romanorum regi militabat, Engelbertus de Naſſaw, Philippus de Rauenſteen, magna ſtipati manu venerant, oppidum (vt ſperabant) accepturi. Panduntur Francorum inſidiæ: ſed tamen magnum

Teruanā Franci deditione capiunt.

gnum prælium conſeritur. Cadunt multi de Francia nobiles, in quibus frater Philippi Deſquordes: verùm illis ceſſit victoria. Capiuntur Karolus de Gelria, & Engelbertus de Naſſaw: vix elabitur Philippus de Rauenſteen, ſuorum periculo redemptus. Sic peruenit ad Francos Karolus Gelriæ dux: victoria nunciata Pariſium lætitiam peperit ingentem. Sed funeſtus aderat nuncius de Britannia, qui regis fugam, militum cladem armis & peſte factam detegens, lætitiam omnem ſubuertit. Inde verò Franci conuerſi in Leodienſem prouinciam, ducibus de Arberg dominis, igne & ferro omnia defœdauerunt. Romanorum rex aduerſa correptus valetudine adeſſe non potuit: ſed Philippo de Rauenſteen Flandriam tutandam permiſit, qui vindictam de hoſtib. ſumere polliceretur. Non quieuere interim Franci duce Philippo Deſquordes, quo minus Flandriæ à ſancto Audomaro imminerent. Sed diligentia Philippi de Rauenſteen, curantis omnia diligentiſſimè, nihil profecerunt.

Francorũ res læta ſimul & aduerſa.

CAP. 8.

Hiſpani cum Maximiliano aduerſus Francos fœdus.

MISIT interea regi Romanorum Fernandus rex Hiſpaniæ, victor Granatæ, ſolennes oratores, offerens fœdera & mutua præſidia, ſi Philippo filio ſuo Maximilianus, filiã Fernandi acciperet vxorem: & viciſſim filio Fernãdi Margaretam Philippi germanam (quę nunc in Francia teneretur) coniugem permitteret. Interim ad bella in Gallos x. millia militum pollicetur, ipſe cum Britonibus ab occidua parte inuaſurus prouinciam. Sed tum res in deliberationem eſt poſita, quę tamen poſtea illos vtrinque habet exitus. Interea quum ageretur de augendo ærario inter tres ſtatus Flandriæ, militaris quidem ordo conſenſit: ſpirituales, ſi iuſtitiam ſolito more debitam de iure conſequantur, facturos pollicentur quod poterunt, non ad ſuſtinenda bella (quæ ſunt illis interdicta) ſed ad intertenendum regis ſtatum. Popularis autem ſtatus, oratoribus Gandauenſibus, nihil contribuere gerendis bellis reſpondit: ſed ſuſtinendam pacem cum Francis initam putauit. Si tamen opus ſit collatione, ad pacem, non ad bella, polliceretur ſubſidia. Gandauenſes hoc dato reſponſo abierunt, & deſtitutis in ſua ciuitate qui authoritate principis ius redderent, ipſi ſua temeritate nouos crearunt legiſlatores. Tum videntes rem omnem interturbari, fugerunt optimi quique de vrbe. Reuocati ſub pœna confiſcandorum bonorum non redierunt, vitam rebus præponentes. Miſerunt qui gubernacula apprehenderant, vxores cedentium poſt illos, cum liberis, vt vnà exularent. Rex autẽ Franciæ iam ad pacem reſpexit, offerẽs futuro ſocero ſuo Atrebatum, Betuniam, Ariam, Audomarum, Bipalmes, & omnia citra Sommam fluuium. Quæ tum dicitur oblatio contempta: viderint qua prudentia. Gandaui interim grauiter tumultuatum eſt, quòd exules redierunt rege inuito, nec videbatur vrbs regiis mandatis paritura. Brugis autem colligitur æs promiſſum per capita iuxta facultates ſingulorum, vt regiæ contributionis effectus impleretur. Sed tamen donatiua non prouenerunt ſtipendiariis, quamuis ingens vndique pecunia corraderetur. Rex à clero impenſas poſtulat quas fecerat oratoribus ad vrbem miſſis, duodecim aureorum millia. Ille reſpondet, Si pax cum Francis ſeruetur, & clero iura libertatis per omnia reſtituantur, videndum illis quomodo ad octo millia perueniant. Gandauenſes vocant clerum in conuentum: non comparet. Rogatur vt interueniat nouæ turbationi: non audet ſe tantis rebus interponere, ſciens quid pridem indignationis vtrinque reportauerit. Intelligẽs rex rem omnem ſpectare ad nouam rebellionem, quòd membra Flandriæ iterum reſumerent gubernationem, clàm firmat oppida pridem ſibi parentia, Teuremundam, Aloſtum, Aldenardum, Curtracum, Inſulas & Duacum. Gandauenſes in Hulſt duxerunt, quòd capitaneus eorum quoſdam ibi pridem ex ſuis amiſiſſet albicaputiatos: ſic enim vocabant quandam ſuorum ſocietatem. Iohannes Capenolle profectus ad Philippum Deſquordes in Atrebatum, quingentos inde milites eduxit, pollicente Philippo, quòd maiori mox manu ſequeretur. Sed in Hulſt & Aldenardo Gandauenſes non profecerunt. Poſtea tamen Aldenardum arte quadam in ſuam redegerunt poteſtatem. His enim oppidiś maximè indigebant, inuehendis ex Francia frugibus, alioqui fame excruciandi.

Eccleſiaſticis bellum gerere non licet, quũ non libet.

Gandauenſis tumultus.

CAP. 9.

Rex Brugenſem tumultũ auertere conatur.

INTEREA ciues qui Brugis pro rege ſtabant, miſſo fideli nuncio inſinuarunt illi, niſi accedat, populum omnem in rebellionem Gandauenſibus accurrere. Arbitratus rex præſentia ſua ciues terrefacere, aduolauit: nam ex maioribus quidam regem ad ingrediendam vrbem inuitabant, aſſerentes (& id ex animo arbitrantes) maiorem populi partem, ſi adeſſet, protinus acceſſuram. Introiuit ergo Brugenſem vrbẽ rex (Petro Lon-

gicollo eius inibi ſchulteto ducente) cum non multis, foris manere reliquam manum, quoad iuberet, inſinuans. Per quod tempus in oppidum Curtracum vocatus Philippus de Rauenſteen per Iohannem de Horne regi fidelem, non differt profectionem, ſperãs arcem, quam renuere Gandauenſes, capere. Iam cum Hadriano de Likerken Gandauenſium capitaneo ſymbolum in oppido fecit. Inter prandendum conſurgens diſſimulanter Iohannes arcem ingreditur, ianitorem confodiens. Mox animo voluens Hadrianus quod fieret, ſequitur præcedentem, & iam portis ſeratis oppugnat arcem. Nihil armorum in præſidio reperit Iohannes, vnde arcem tueretur, & quo poſſet oppugnantes abigere. Recepit non magno negocio arcem Hadrianus, magno ſuorum ſtipatus comitatu, Iohannem confodit: perinde Philippus pôſt veniẽs fruſtratur. Qui comperto quòd rex quoq; Brugis non proſperaretur, Sluſam ſe recepit, inuictam in arcem. Nam rex Brugis (vt erat cõſtitutum) armatus primo mane apparuit ad domum ſcabinorum (burgam vocant) ſperans iuxta condictum confluxuram ad ſe plebem. Sedebat quiſq; domi, proprio intentus labori. Inſonuit rumor per oppidum, regem ſtare armatum ad domum ſcabinorum: proclamatur ad arma, quando quiſque ſuo rimebat capiti: non enim inſtructa plebs erat ductoribus. Tum qui regem introduxere, vbi vident ad arma cõclamari, nec ad ſtipandum ſed oppugnandum regem concurrere, male ſibi timentes quærunt latibula. Incompoſitum vulgus infinita multitudine regem circunſiſtit fremẽs: nam qui cum rege ſtarent, comparuere nulli. Concurritur in forum authore decano fabrorum lignariorum, quòd pridem pro leui verbo, ad delationem mimi, quidam ex eorum ordine eſſet decollatus: regem ſumpto in foro conſilio adeunt, opus inquiunt videri vt pauliſper vtatur patientia, volens eat in liberam cuſtodiam. Nam aulici ſui iam penè omnes aufugerant. Primùm in domum Vellæ, deinde in Craneborg, nouiſſimè in domum Iohannis de Groſſis audientiarij regem incluſerunt. Alemannis eiectis, nobiles qui in comitatu regis erant, in eo loco honorificè detinentur.

Curtracum Gandaui ademptum.

Maximilianus Brugis detinetur à ciuibus.

CAP. 10. 1488.

VIGILIA erat Purificationis diuæ Mariæ, incipiente iampridem anno octuageſimo octauo poſt mille quadringentos. Capti nonnulli ex ciuibus, qui regi talia ſuggeſſiſſe putarentur, vt vi armata in ciues vteretur, truncati ſunt: ſchultetus ipſe diu latuit. Euocati Brugas Gandauenſes ad magnum inceptum aderant, maiori numero quàm ſperabatur. Excluſi tamen multi ſunt vrbe: alij etiam qui ingreſſi ſunt, auertuntur à conſilio maligno quod conceperant. Qui de cancellaria regis erant, & alij de conſilio eccleſiaſtici, miſſi ſunt Gandauum. Rex à Brugenſibus aditus, lachrymas ante verba dedit: collachrymati ſunt qui viderunt multi. Oſtenſa ſunt ei plurima, quę ille ſe ignorare fateretur: rogabat vt vita illi ſalua ſit. Promittunt omnes ſanguinẽ ſuum dare pro illo, ne quid mali patiatur. Interea Gandauenſes iuxta oppidum Hulſt detrimenta ſuſtinuere non parua, in glaciem merſi, dum oppugnarent: inde verò quum commeatus intercipere conarentur, cæſi. Tum verò rege in cuſtodia manente, Gandauenſes cum aliis Flãdriæ membris reſumpta adminiſtratione, Ipris & Brugis nouos magiſtratus erigi curauerunt. Interea Iohannes Capenolle, vt ad regem Franciæ nuncius Flandriæ mitteretur, eſt anniſus, reclamantibus nonnullis, non oportere Philippum principem ſuum hæreditate auita depelli. Matthias verò Speiart, qui ſemper pro rege ſtabat Romanorum, Brugis deprehenſus Gandauum perducitur, ibique excruciatus, in quatuor, velut patriæ proditor, diſcinditur. Brugis Iacobus de Dudenzel gladio per tumultum cæditur, multa offerens, ſua omnia exhibens, vt nudus peregrinari ſineretur: quum pro eo religioſi ordinum, nationes etiam mercatorum interuenirent: ſed fruſtra omnia. Iacobus de Here truncatus. Nicolaus de Helſt, pridem penſionarius, cum aliis excepit mortis ſententiam: ſed iam ſub ictu gladij acclamante populo miſericordiam, meruit vitam: ſed à morte propinqua conceptum colorem nunquam poſuit. Interim nobiles indignati pro rege capto, aduerſus tria Flandriæ membra quæ potuere moliuntur, accepta cuſtodia oppidorum. Captus deinde ad medium ferme quadrageſimæ, qui multum quærebatur, ſchultetus Petrus Longicollus, diu illis ludibrio fuit. Ita in foro circunduxere per tentoria, vbi ciues velut in caſtris excubabant: ad ſingula irridetur. Inde verò cruciatibus miſerè in foro examinatus in tormento, quod ipſe pridem faciendis quæſtionibus excogitaſſe crederetur, poſt omnia cæſus eſt gladio: vir etiam maiori dignus loco pro ingenio & diligentia, ſed vita digniſſimus. Quem furor

Gandauorum audacia.

Brugis multa à plebe per tumultum fiũt.

Phalaridis de Perillo iudiciũ

popularis

popularis cœperat odiſſe: nunc verò magno (ſi fieri poſſet) à morte mercarentur. Sed irremeabilis à morte via eſt.

CAP. II.

IMPERATOR cognito filij miſerabili caſu, contraxit concilium principum. Miſſus eſt Wormacienſis epiſcopus in Brabantiam ad Philippum nepotem aſſeruandum. Multa pro liberando rege tentata ſunt fruſtra. Scribit ſummus pontifex, & intentat cenſuras, gladium ſuum: ſed nihil profuit apud pertinaces. Gandaui interim magna cædes bonorum ciuium: nam quiſquis pro rege verbum vnquam molle emiſiſſe recoleretur, ſuſpectus habebatur & patriæ proditor. Venerant auxilia belli gerendi à Britonibus: ſed capto iam rege nihil fieri potuit. Triſte vbique iuſtitium. Philippus Deſquordes vt bellum ſuſcitaret ex bello, Karolum ducem, Gelriæ captiuum ſuum, ad inſtantiam Renati ducis Lotharingiæ (qui ſororem eius iam coniugem teneret) per Lotharingiam miſit in terram ſuam. Quieuit ille aliquandiu, dum Romanorum rex aliis, quibus erat implicitus, laboraret. Sed poſt aliquantos annos oppugnatur: quod mox dicemus. Incluſus ergo rex Romanorum Brugis aſſeruabatur: & quæ fieri poterant aut comminando aut ſæuiendo, omnia contemnebantur. Tentauere aliquando Gandauenſes, aut blandimentis aut vi publica regem eductum in manus ponere Francorum. Id quum reſciret, orabat Brugenſes cum lachrymis, ne vllo pacto ſinerent. Polliciti ſunt illi ex fide, & ex animo curauerunt, aucta vigilum manu, qui regem cuſtodirent. Temperatum eſt interea foris ab atrocioribus motibus, ne quid per eam occaſionem grauius in captum regem conſtitueretur. Erat multo tempore incluſus, donec Brugēſibus videretur rem pro ſuo arbitratu componere. Non deſtiterunt Gandauenſes aduigilare, vt ſiue volentibus ſiue nolentibus Brugenſibus, regem adimerent. Sed cauerunt hac de re Brugenſes, non modò propter regem, ſed etiam ſua cauſa: certi quòd rege apud illos manente, pacem pro ſua voluntate eſſent habituri. Nec omnino ſpe ſua fruſtrantur. Equidem quum illis iam eſſe tempus videretur, regem iureiurando conſtringunt, adhibitis quibuſdam ex prima nobilitate cum illo iurantibus, omnia quæ facta viderentur, ex animo remiſſurum, nunquam vindicaturum. Id ſuo & potiſſimùm Philippi de Rauenſteen iuramento firmauit, ac venerabile Chriſti corpus in eam rem deſumpſit. Ita tum carcere laxatur, vtinam (veteris Ioſeph ſimilitudine) iam primus in orbe Chriſtiano totiq; mundo futurus ſalutaris princeps.

Maximiliano captiuo nihil opus ferri poteſt.

Gandaui Maximiliano infeſtiſſimi.

Maximilianus Brugenſibus amneſtiā iureiurando coactus pollicetur.

CAP. 12.

FRIDERICVS autem pater iniuriam & contemptum ſui, quæ perpeſſus eſt in filio, & regno irrogatam contumeliam protinus abolere non potuit. Immiſſis armis magna Flandriam clade inuoluit, rege ad omnia quieſcente. Sed tum Philippus de Rauenſteen, qui ſacramento ſuo omnia cum rege firmaſſet, vt oſtenderet non ſua voluntate arma renouari, derelicto rege (quem primus ipſe ſemper ad ea tempora ab initio reconciliationis ſequebatur) arcem Sluſæ accepit in poteſtatem (hic eſt portus ille Geſoriacus, de quo in Ptolemæo) Flandrenſibus ex illo die ęquior. Superuenerat tum noua cauſa, noui belli mox futura radix, moneta currens (vt fit) bellorum tempore leuior facta, ſupra modum aſcendente auri valore ad argenteos (ſtupheros vocant) ſexaginta. Inde pręcipiti via redigi tentatur ad viginti. Viſa eſt cunctis ea tam grandis & ſubita nummi æſtimatio nimium damni omnibus importatura, quum eſſent in vtraq; parte nobiles, ſua vtrobiq; lucra venantes. Nam alij leuaturi graue nummi pondus probabant, vt viginti ſol uerentur pro aureo: ſoluturi autem minus volebant. Res diu fluctuabat. Ceſſiſſentq; voluntati principis, bonū valorem requirentis, maiores in populo, & magno ſuo detrimento pacem volentes coemiſſent: ſed vulgus inſtinctum à nobilitate, ſua lucra quærente, nequaquam induci potuit. Iterum nouus tumultus: renouata priſtina bella. Philippus de Rauenſteen (quem diximus apprehendiſſe Sluſam) iam apertè à rege deſciuit, partes plebis Flandrenſium amplectitur: & oppido Sluſa cum vtraq; arce communitis, diu reſtitit reliquæ nobilitati. Terra mariq; pugnatur. Validam manum contraxit Philippus in oppidum, naues habuit expeditas non paucas: ſatellites collegit ex Gallis, Germanis, Danis, manum collectitiam ſiue gregariam: curauit fruges importari à Francia: diu eam rem fortiter ſuſtinuit. Quum terra vaſtaretur à regiis, ipſe in mari graſſabatur. Ad oppidum quod inter Brugas & Sluſam medium eſt (Dam vocant) tentatum eſt ab regiis, ſi poſſit intercipi, vt commeatus prohiberentur a mari ad vrbem. Ibi cecidit bona pars Germanicę nobilitatis, fruſtrata ad oppidum capiendum: quum intus vigilarent, diu ta-

Moneta pretiū bellum parit.

citi & inuicti, donec ſub ictum haberent omnes. Et proſtrati ſunt viri nullo precio æſtimandi, quia nulla re coæquandi: quos ſocij ad tumulum rapuere.

CAP. 13.

Albertus Saxo Brugenſes arte circumuenit.

ALBERTVS Saxoniæ ſuperioris dux, qui videbatur neutraliter agere, nec ſe bello immiſcere, Brugis poſtulauit pacificus cum aliquantis (qui timeri non poſſent) armatis intromitti, quòd haberet rem cum maioribus colloquio dignam, & ſeriò agendam: præmiſſis qui hoſpitia curarent, & cibis parandis intenderent. Non dubitauere Brugenſes etiam maiorem armatorum numerum admittere in vrbem populoſam, præſertim quòd audirent & crederent in vrbe pernoctaturum: nemo cogitauit de eo quod ille parauerat ſtratagemate. Ipſe ergo cum expedito ſuorum agmine continuò inſequitur præcedentes. Et primi quidem hoſpitia petiere, ſimulantes quòd ad manendum introiſſent. Cæteri interea continuato ordine oppidum pertranſibant aliam portam, quæ ducit in oppidulum memoratum, mille paſſibus diſtans: quod Aggerem (vt diximus) vocant. Et primi agminis iam portam tenebant oppidi ſæpedicti, quum nouiſſimi non longè Brugis abeſſent, continuato tamen inſequentes itinere. Qui in oppido erant cuſtodes, nihil mali à Brugis metuentes, arbitrantur ſibi mitti præſidium ab amicis. Ita nihil mali ſuſpicantes oppidani Dam oppidum amiſere. Et quod antè armis ſæpe tentatum expugnari non poterat, tam leui nunc occaſione Brugenſibus deperiit: inq; eo amiſſo omnis fortuna belli conuerſa, Brugenſibus cœpit aduerſari. Nam inde intercluſus erat à mari commeatus, fameque laboratum eſt inſigniter. Acceſſit altera cauſa belli tum finiendi, quòd ſtipendiarij Sluſis cum Philippo de Rauenſteen incluſi tumultuari viderentur, ob neſcio quam cauſam. Sed in hoc genere hominum cauſam tumultus quærere ſuperuacuum eſt, quod ad omnem ventum commouetur. Capiti igitur ſuo timens Philippus, & iam Brugenſibus ſuis aut prodeſſe aut adeſſe non valens, vtraque de re ad pacem inclinabat. Solus ille cum ſolo de Naſſow comite pacis leges conſcripſit. Tum Brugenſes, vt ſtipendia ſoluerent militibus, argentum quod quiſque domi factum habuit, pro viribus facultatum in commune contulerunt, deficiente numiſmate: nam omnis exhauſta erat pecunia. Appenſum eſt in ſtatera in æris debiti æſtimationem, & traditum leuiſſimo eſt hominum generi, vt abcederet. Ita tertium quoque bellum eſt finitum, ciuibus ad magnam calamitatem penè omnibus perductis. Sic eat, quando certa ratione gubernari non paſſi tumultuantur: diſcant malo ſuo ad tolerabiles redire cõditiones: Flandria ſit exemplo vicinis prouinciis.

Id enim valet Gallicum vocabulū Scluſa.

Is ferè eſt popularium tumultuum exitus.

CAP. 14.

Brunſvvicenſis tumultus.

PER ea tempora in Brunſwico vrbe Saxoniæ primaria, immiſſus eſt ſpiritus vertiginis in capita multorum, vt in publicis conuentibus tumultuati ciues, magnam partem conſulatus ſuo arbitratu deſtituerẽt adminiſtratione, nouis pro libidine ſurrogatis: quibus adiecere viros vigintiquatuor ex ciuibus, qui rebus gerendis & capiendis conſiliis intereſſent. Ea res liuores in populo plurimos parturiuit, dum deſtituti, cum omni ſua cognatione aduerſarentur cæteris, qui vel gubernacula tenuere, vel ſuæ dehoneſtationi dederint alimentum. Vetus in vrbibus malum, dum quiſque ordinis ſui obliuiſcitur: nulla adhibetur à præſidentibus modeſtia, nulla deinde à ſubditis in longum præſtatur patientia. Ita primùm odia, deinde iurgia, demũ naſcuntur inteſtina bella: quæ omnes præcipuas vrbes ſubuerterunt. Quæ res eodem ferme tempore, per annum à Chriſto octauum & octuageſimum poſt mille quadringentos, in veteri marchia claruit multorum detrimento. Nam in Stendalia dum male parerent ciues ſenatui, efferrenturque ad diſturbandum publicum concilium, iam imminente illis Iohanne Brandenburgenſi marchione principe electore, qui per diſtrictum omnem axiſam, vt appellant, conſtituit de cereuiſia, nec ſatis illi annueretur a ſubditis: interueniente turbatione quam diximus inteſtina, cogebantur maiores inuocare principem. Qui egreſſus valida armatorum manu tumultuantes repreſſit, & capita gladio puniuit, inſtituitque diu recuſatam axiſam per omnes vrbes veteris marchiæ, facili vſus progreſſu per inteſtinam ciuium diſcordiam. Erat per ea tempora impacatum mare, quum Phriſij illi capitanei veterem inſtituerent quæſtum ſpecie quidem Hollandinos perſequendi: ſed re vera (vt compertum erat) qui illis militarent, nullo nauigantium incommodo abſtinuerunt. Hamburgenſes, qui crebra vtuntur nauigatione per littora Phriſiæ, Hollandiæ, Zelandiæ, quum incurſationibus vexarentur, iam antè ſæpe per literas, aliquando in conuentionibus cum dictis capitaneis queſti, nihil ſerius experirentur, armauere aliquot impoſi-

Phriſij piraticā exercent.

impoſitis ſtipendiariis naues, & in mari quærentes, inuenerunt non contemnendam manum gregariorum. Pars iam per littora vaga ferebatur, pars portum in nauibus aſſeruabat. Quum cernerent vrbici ſtipendiarij quod genus hominum reperiſſent, aggrediuntur vt caperent. Illi capi non paſſi, quum nihil hoſtile præ ſe tuliſſent, ſe tuentur. Capiuntur tamen, nec atrociter ſe (vt dixere) defenſitabant, quòd illis periculum vitæ in ea eſſe captiuitate non formidarent. Inerant aliquot Franci, iam ab illis in ſuis nauibus capti: vnà perducuntur in vrbem captiui. Seponuntur tamen Franci, quòd iam capti ab aliis tenerentur. Septuaginta quatuor erant, quorum de capitis periculo certaretur. Impetiti in iudicio, quòd publicæ nauigationis inimici incurſarent omnes prætereuntes, illi impédio ſuos nominant in iudicio dominos, quorum iuſſu bella hoſtibus intuliſſent, cæteris abſtinuiſſent. Studio quæſitũ, vt inueniretur quod illis obiiceretur: non erat qui accuſaret. Ab longinqua vrbe producitur nauita, qui ſibi ademptũ neſcio quid, quod ibi reperiebatur, quereretur. Vas erat non magnum, ferreis clauis plenum, vilis precij, cuius prætextu tot capita damnarentur. Miſerum ſpectaculum! plectuntur omnes gladio. Mens erat terrorem graſſantibus per mare inijcere, vt illud ſinerent pacatum. Sed nulla auocant ſupplicia mortales ab exceſſibus, quòd impunitatẽ ſibi quiſque promittit, latere ſperans inter multorum facinora.

Summũ ius, ſumma iniuria.

CAP. 15.

Maximilianus Belgio decedit.

REX Romanorum, iam diu viduus thoro, de nouis nuptiis cogitauit. Iam permiſit filio ditiones auitas, in patriam regionem demigrãs: vbi illi pater & patruus dedere terras, vnde regium impleret ſtatum. Sigiſmundus Auſtriæ dux, quem ille pro ætate & amore patrem vocitabat, comitatum Tirolis illi permiſit, inuitans vt ſecum in vrbe Inſprug commoraretur. Opulentiſſimam profectò regionem, quæ aliquot centena millia aureorum præſtaret gubernanti, ex ſale & argẽto quæ ibi abundant, quorum ibi fontes & mineræ ſunt non paucæ. Conuenerat cum Franciſco duce vt vnicam eius filiam cum dote acciperet opulenta: nam ducatus ille dos erat vnicæ proli. Miſit rex ſolennes ad contrahendum abſens de præſenti matrimonium oratores, ſufficienti mandato ſuffultos. Interim Franciſcus dux in fata conceſſit. Bella non defuere ab rege Franciæ, qui latiſſimum illum ducatum ſuæ ditionis iam vacuatum arbitraretur, quòd feudum eſſet ab corona. Proceres refragantur, & morientis ſui ducis mandata impleuere, Romanorum regi Maximiliano ſeruantes prouinciam cum herili puella. Non deſtitit Gallus oppugnare prouinciam. Habebat (vt fit) in latiſſima regione qui illi ſtuderent: ſed maior pars procerum pro Maximiliano ſtabat. Venere interim Romanorum regis oratores, & puellam regi ſuo deportandam depoſcunt, prouinciam committentes gubernandam quibus eam dux moriens permiſit, donec veniens rex ipſe cuncta propius inſpiciens ordinet. Incolume iter ab rege Francorum cum puella, & ſecuritatem publicam depoſcerunt: non negatur. Igitur rebus in prouincia conſtitutis ex ſententia, cum puella & honeſto comitatu iter per Franciam inuadunt, freti præſtita ſecuritate. Iam peruenere in locum qui Franciæ regi ad inſtitutum ſuum viſus eſt idoneus. Aderat rex ipſe cum aliquot ex regno proceribus, puellam ſibi ſiſti iubet, dignanter venientem honorat. Tum ſciſcitatur ex Britonibus qui è prouincia illam deduxerant, ſi omnia legitima quæ ad deſponſationem puellæ pertinerent, ex perſona Rom. regis eſſent impleta. Illi reſpondent, de voluntate mortui ducis parentis illius eſſe addictam Rom. regi, cætera ſe ignorare: ad hoc ſe exiſſe, vt ſponſam regi ſponſo deducant. Tum rex communicato cum ſuis conſilio, iubet reſponderi miſſis à rege Ro. ire liceat quò velint: puellam nulli nuptam, nec per verba de præſenti cuiquam deuinctam, ſuo thoro eſſe aſſeruatam. Ibi (volentem nolentem incertũ) puellam dominabus de ſuo regno permittit, vt inclinent ad regis aſſenſum: & mox thoro ſuo impoſitam habuit pro coniuge, omnibus de more impletis. Tum remittendã Romanorũ regi filiam, ſæpe & multũ repetitã decernitur. In vno facto geminũ committitur piaculum. Propriam ſponſam tam diu in primis affectibus habitam (ita etiam vt in nonnullis literis nomen puellæ ſuo coniunxerit) contemnens ac reiiciens, & quam non debuit inuadens, iniurius fuit in ſocerum, cui & ſponſam ademerat: & in eiuſdem filiam, cui thorum diu promiſſum abſtraxerit.

Britanniæ ducatus belli occaſionem affert.

Franciæ rex Maximiliano, quem pro ſocero habebat, ſponſam intercepit.

CAP. 16.

Etiam principum ſcelera aliqua iuris vmbra prætexuntur.

VNVM, & idipſum tenue, ex iuris ſuperficie quæſiere adminiculũ, qui regis Franciæ factum tuentur. Scripturas ſcrutantur, quòd procuratores ad contrahendum matrimonium miſſi, mandatum habuerint non pro ſe quiſque in ſolidum, ſed omnes con-

iunctim: quum ſit matrimonium opus perſonale, nec cadat vnum in plures. MAGNIS regibus non in ſcelus deputatur, quod minoribus in piaculum: verumque inuenitur quod Græcus Anaxerſes fertur dixiſſe, leges humanas telis aranearum eſſe perſimiles, in quibus hærent muſcæ ac culices, crabrones impune rumpunt peruolantes. Abiere triſtes Romanorum regis oratores, quæ acciderant regi ſuo relaturi. Puella interim regina Franciæ ab omnibus habetur: Margareta fratri redditur in Flandriam. Non magnopere fuiſſe cordi Romanorum regi has nuptias vel inde perpenditur, quòd nunquam viſus ſit tantam iniuriam vel minimo vindicaſſe: deinde aliis etiam colligitur cōiecturis. Nam quum ad regem ſui rediſſent oratores relationem facientes de iis quæ acciderant, eo die quo relata ſuſcepit, equum conſcendens in foro oppidi Inſprug, Dominica Eſto mihi, concurrit obuio haſta infeſta. Quum interim Sigiſmundus dux patruelis, allatus geſtatoria ſella (vt erat pedibus æger) in medios equites regem adeſſe innuit. Ille armatus obuiam proficiſcitur amantiſſimo ſui propinquo, & prior, Quid eſt, inquiens, pater? quid agitur, vt hoc tempore in publicum prodeat veſtra ſynceritas? Tum ille, Non ſuſtineo, inquit, cernere perniciem capitis veſtri, quòd hodie tribus incurrere (vt ferunt) decreuiſtis: en proficiſcor in vicinum Hallis oppidum. Ad quē rex, Non rectè, inquit, pater de me prædicarunt: ſemel liceat incurriſſe, & ſatis ſit. Sino, inquit, ſemel: ſed tum ne iteretur. Non prorſus amplius quam ſemel, refert rex. Quo dicto ille in palatium rediit. Quæ res indicio eſt, extremis & ſummis ſenſibus vix hæſiſſe cordi has nuptias, nec admiſſas in profunda præcordiorum, quibus ſolent quę ardenter cupimus, penitus inhærere.

Imò Scytha Anacharſis.

Maximilianus de rapta ſponſa parum mæſtus.

CAP. 17. VNGARIÆ rex Matthias longo & difficili bello cōgreſſus Imperatori (quòd quidam regni archiepiſcopus coronam regni ad Imperatorem Fridericum cum theſauro non contemnendo pertuliſſet) totam pene Auſtriam occupauit, ademitque Imperatori, illo ad omnia deſidente & nihil agente, quòd bene ſperaret per Matthiæ mortē (prout euenerat) omnia in iuſtam ſucceſſionē peruentura. Sunt qui arbitrantur omnia Fridericum diſſimulanter pertuliſſe, quò ſubiectos ſibi minus audientes, alieno gladio perdomaret. Sed pernicioſa nimis diſſimulatio. Sunt qui ab Imperatore mundi domino ignauiam abigunt (quod omnes debemus) eius facta ſemper honeſta ratione in melius detorquentes. Sed non diu ſuperfuit rex Matthias huic per Auſtriam victoriæ. Vnde factum eſt quod prudenter conieciſſe creditur Imperator, vt in ſe ac filium tota rediret Auſtria. Sed tum vacuato Vngariæ regno tempus aduenerat, quo de ſucceſſione ac iure ſuo Imperator eum filio loqueretur. Intenderūt cauſam nunciis & literis miſſis. Magna verò imperia non legibus & iure, ſed armis comparantur & ſeruantur. Ideo Maximilianus rex comparatis vndique armis duxit in Vngariam: & accedente illi bona parte procerum in regno, initia læta belli habuit, vt etiam Albam regalem armis caperet. Ab altera parte negabat Wladiſlaus Bohemiæ rex, Caſimiri Poloniæ regis filius, cui tum tertio agmine ſe opponit Iohannes Albertus frater eius, is qui poſt patrem tenuit Poloniam: quòd matrem haberent Alberti Imperatoris, eiuſdem Vngariæ & Bohemiæ regis filiam, germanam ſororem Ladiſlai nouiſſimi de ſanguine regis. Dum inter ſe tres memorati digladiantur de regno, Imperator Fridericus viuendi finem fecit. De cuius ſucceſſione non eſt laboratum, quòd iam viuens habuerit filium Romanorum regem, iam Auguſtum, iam Imperij ſucceſſorem. Sed Vngaria interim inter manus trium exercituum laceratur. Scripſere proceres reſidui, qui Romanorum regi necdum parerent, Caſimiro regi Poloniæ, quid ita ſibi videretur duorum filiorum arma inter ſe collidere, ad regni ſubuerſionem. Iam illi domuique ſuæ in eo complacitum, quòd primogenitum eius ſibi regem delegiſſent, & tamen fratrem eius nihilominus impugnare germanum, & regnum. Niſi aliter ille rebus conſuleret, vt Iohannem Albertum filium alterum ab armis reuocaret, facturos (vrgente neceſſitate) quod iam feciſſent quidam ex eorū conſortibus, qui iam Romanorū regi armis coacti ceſſiſſent. Apparet autē ex his literis propenſiores fuiſſe in proceres Polonos quàm Auſtrios, ſiue illis ius & fas depoſcere videretur, ſiue magis complaceret illis in eam familiam quæ tum potentiſſima videretur: quòd incertum haberent quid ſperarent ex Rom. rege. Cuius regnum in ſe diuiſum, quò vergat, nihil oportet ominari, quando veritatis ore declaratum eſt. Sed quum res in eos decurrit exitus, vt Iohannes Albertus exercitum patris iuſſu retraheret, rex

Vngarus Auſtriam Imperatori adimit.

Imperiorum comparandorū artes quæ.

De Vngaria tres litigant.

Maximilianus Vngaria, vt Britannia, excidit.

Bohemiæ & armis & fauore præualeret, Romanorum rex, qualibuſcunq; interpoſitis conuentis placitis, regnum Vngariæ in manu Wladiſlai Bohemiæ regis reliquit. Ita neque de Vngaria neque de Britannia ſunt res proſperatæ. Magna ſemper ſe oſtentat fortuna Auſtralibus: ſed non ſæpe præbet perfruendam.

CAP. 18.

PER quod tempus Henricus Wilhelmi filius, dux Brunſwickcenſis, iam rerum potitus, patre ad quietem feſtinante, Brunſwici ciuibus cœpit oneroſior videri quàm ab olim principes conſueuiſſent. Habebant foris ciues prædia plurima, quæ vel principibus vel militaribus olim ſeruiebant. Nunc iam voluntate principum in manus ciuium deuoluta. Ea autem libertate illis prouenerunt, vt neque inde ad obſequia neque ad extraordinaria munera teneri credantur: quod illæ præferre dicuntur literæ, quibus ad tuendum ius ſuum perfruuntur. Princeps arbitratus æquum cenſeri, vt quoniam tam bona parte regionis in ſua commoda perfruuntur, nec in vrbe vectigalia neque impoſitiones rebus venalibus patiuntur, acrius inſtitit vt de tam multis prædiis vel munera ſupportent cæterorum, aut in vrbe permittant in vſus principum ſuorum fieri rerum impoſitiones, quas Itali *Gabellas* vocant: illis ex aduerſo prætendentibus & literas à principibus datas, & nihilominus longam, qua ſupra hominum memoriam ſunt gauiſi, libertatem. Vbi iam cœpit in controuerſiam res peruenire, friuolum aliquid ex vtraque parte cœpit attentari, vnde pars altera ſuum crediderit ius roborari: demum in apertum bellum res exiuit. Credidere Brunſwickcenſes vanas eſſe minas quas audierunt: nam illa ſe eſſe opum & ciuium multitudine confidunt, quòd nihil minus quam obſidionem formidarent. Vnde nihil apparabant ad eam rem, neque arma augebant, neque commeatus abunde proſpexerant: ſed ad inertiam ſuam ſedentes, ſolo ſuæ magnitudinis (quam putabant) terrore ſe omnibus eſſe inſuperabiles exiſtimabant. Adiuuerunt hanc ipſorum audaciam quidam ex militaribus, ſiue ingenio detinendi, nequid agerent, ſiue quòd ita crederent: qui ingreſſi & egreſſi vrbem, nihil minus quàm obſidionem moliri principem teſtarentur. Circuibat interim Henricus dux omnium vicinorum principum domos, & omnes ore appellans, vel ab initio firmabat, vel antè illigata fœdera renouabat: effecitque (quod noſtra memoria nuſquam alibi vidimus) vt omnium vicinorum principum armis & conſenſu Brunſwicum obſideretur. Tum imprudentiam ſuam ſocordes ſerò damnauerunt, qui per tanta tempora nullum belli fecere apparatum. Satis munitam habuere vrbem: id fecit vt eſſent ſegniores. Sed neque ſatis erant ciues ad tutandos muros edocti: longa pace reſides & animis & corporibus videbantur. Tum (quod omnium maximum erat ad perniciem) pro multitudine populi commeatus exigui: quæ res in famem vergebat, obſidione in tempus extracta. Oppugnauere aliquantis vicibus vrbem qui obſederunt: ſed non tanta erat in armis fiducia quanta in fame, quòd ſciebant nihil illis eſſe ad perniciem propius. Vicinum erat obſidentibus monaſterium Reddageshuſen. In hoc caſtra ſua dux iam aſpirante bruma reuocauit, firmauitque, vt quantiſcunque armis inexpugnabile videretur. Excubias opportunis locis ordinauit, vt aditus vrbis obſeruarent. Aliquot aliquando facta ſunt leuia prælia, & in excurſione peditum, qui iam obſeſſis acceſſere, vel in ipſa vrbis oppugnatione: quæ aliquando cruenta fuit, dum caderent icti bombardis nonnulli. Aliquando etiam ſors alternata eſt, victoreſque cadunt. Ferunt ciues, ſi viribus vſi, animis valuiſſent: paruo quem habebant militum numero, ſi ex multis ſuorum millibus aliquanta iunxiſſent, facilè pares fore obſidentibus. Sed longa illos tranquillitas & rerum inſolentia fecit ad arma ignauiores. Ad inteſtinam diſcordiam ſæpe fortes fuere: ad externa arma propulſanda nihil vnquam magnum oſtenderunt. Durauit obſidio ex æſtate per autumnum & vniuerſam brumam, quum omnis ſpes ducis & auxiliorum eius eſſet in expugnatione famis. Sciebant hoc qui foris bene volebant obſeſſis. Itaque rebus neceſſariis ad importandum vndique in Hildeſem conuentis, contraxere ipſi Hildeſemenſes quas ex ſuis viciniſque poterant vires & arma: ac Brunſwickcenſibus per nuncium ſignificauere, vt occurrerent venientibus omni qua poterant virtute, vt commeatum etiam inuitis hoſtibus inueherent in Brunſwicum.

Brunſwicenſis ciuibus vectigal imponere conatur.

Brunſwicum obſidetur.

Brunſwicenſes commeatū inuitis hoſtibus in oppidū intromittunt.

CAP. 19.

AD oppidum Peyne Hildeſemenſes cum omni apparatu peruenerunt incolumes: inde mouentes obuios ex conſtituto habuere Brunſwickcenſes. Nec potuit

tantum apparatum dux ignorare. Igitur omni quo poterat equitatu ac peditatu occurrerat impediturus, etiam conſerta hoſtibus manu certus confligere. Tormenta bellica præmiſit in opportuna loca cũ cuſtodibus, ipſe cum omni agmine ſequutus. Iam egreſſi Hildeſemenſes cum Brunſwickcenſibus in copias ducis rectà contendunt, in eũ præſertim locum in quem tormenta collocaſſet, & commiſſa manu pugnãt. Ibi ſuperiores effecti vrbici, ducis primas copias repellunt, & ſi ſatis inſtitiſſent, impedimenta bellica hoſtibus abſtuliſſent. Sed ſeruauere vires ſuas magno, quod cernebant, agmini ducis. Igitur progreſſi in villam non longinquam vrbici, caſtra ſua ex tempore communiunt, omnibus in medium acceptis: extrema curribus & inſtrumentis bellicis vallauerunt, diſpoſitis ad iactum bombardis, in eam partem vnde ſibi imminere hoſtes proſpicerẽt: hunc in primis errorem committentes, quòd pro multitudine ſuorum anguſta nimis loca metarentur, quòd difficulter ſe vertere, minus autem poſſent impedimenta tranſferre. Dux eius rei non ignarus, ſuum agmen circumduxit, ea via ſequutus qua illi in vallem deſcenderant. Iam apparebat commiſſus error, quòd anguſto loco mutare propugnacula non poſſent. Denſo dux agmine mouit in hoſtes: primi equites ea ſtetere fixi preſſura, vt non ſe commouerent. Igitur aliquanti ducalium ex vrbicorum caſtris icti bombardis, aliquanti etiam cæſi gladiis, tam erant propinqui, vt non ſe in vllam partem poſſent commouere. Inſigni ibi clade accepta ducales retroceſſere: diu tamen deliberauerunt ſi iterum adorirentur. Vrbici autem, quum hoſtes declinarent, quadrato agmine inceſſere, parati ſemper ad pugnam, vndecunque incurrerentur. Illo die Brunſwicum ereptum eſt ex hoſtium faucibus, in quas iam pene fames contruſit. Tum cecidere animi obſidentium, cœpitque inter principes de totius cauſæ interceptione agi. Conſtitutis primùm treugis, interim de compromiſſo deliberatum. Conſtituêre demum cauſam omnem in manus duorum principum, qui æquiores ad omnia viderentur. Ea fides tum facta eſt Brunſwickcenſibus. Erneſtus Magdeburgenſis archiepiſcopus, dux Saxoniæ, marchio Miſnenſis: Iohannes marchio Brandenburgenſis, princeps elector, electi ſunt ad cauſam arbitri. Aderant, quum tractaretur, in Tzerueſt duo Henrici principes Brunſwickcẽſes, Magnus quoque dux Magnopolenſis, ipſi quoq; Brunſwickcenſes cum amicis ſuis. Forma agendi hæc erat. Auditæ partes diuiſim, primò duces, deinde Brunſwickcenſes, abſente parte ſemper altera. Verbum dicentis accipiebant notarij. Ea tarditate pronunciandum fuit. Et quamuis multa ſint intentata, tamen iſta vice res ad exitum non peruenit. Alio deinde tempore res à multo minoribus eſt coæquata, vt ex quatuor arcibus, quas de manu Brunſwickcenſium dux bello cepiſſet, duæ illi remanerent: ex duabus alteris vna maneret deſolata, Aſſeborg, æquanda ſolo: alteram ciues retinerent cum prædiis ſuis, ita tamẽ vt ſubditos ſe principibus ſuis agnoſcerent. Cætera ſunt abditiora, nec manauerunt in vulgus.

Bellum arbitrorum diremtum committitur.

Diſceptandi ratio.

CAP. 20.

Brunſuvicenſis Honoener oppidum pene occupat.

IAM cœpit Henricus dux Brunſwickcenſis (ſenior agnominatus, comparatione propinqui ſui ducis de Luneburgo, æquè Henrici) haberi formidabilis. Compertum erat ingenij neruis, animi corporiſque viribus, dexteritate conſilij, multis præualere. Aboleri iam cœpit eius rei memoria, quã ante paucos annos, nonageſimo poſt mille quadringentos, Honouerenſibus intentauit. Seruauit memori animò iniuriam ab illis Hildeſemenſi bello irrogatam. Tunc enim, quum aliquantam iuuentutem cum armaturis & impedimentis commodatò ex eo oppido ſumpſiſſet (vt perinde imparatiores eſſent ciues ad arma, vbi opus eueniſſet) contraxerat equitum & peditum numerum, qui ſatis eſſe poſſet oppido opprimendo: & ſub noctis tenebras adequitans cepit cuſtodem in ſpecula, cauens ne quis ſe commoueret. Tacitò collocauit peditatum in horrea laterum, vt iam primo mane ad portæ reſerationem irrumperent oppidum, aditumque occuparent, ſequuturis equitibus. Dies erat celebris diuæ Katherinæ virgini, quum ante lucem neſcio quis oppidanorum, vrbem ingreſſurus, videt latitãtes in horreis: & iam pene ad ingreſſum portæ clamauit ne vllo modo portarius panderet vrbẽ, hoſtes adeſſe, neſcio quos. Sonuit de turri emiſſa bombarda cuſtos. Ilico ſe commouêre de latibulis: nam id erat ſignum apprehenſæ portæ, vt prodirent. Prodeuntes aſpiciunt ſe proditos. Tum detecta res exciuit ad arma oppidanos. Sed qui latuere, quàm poterant occultiſſimè redibant. Colloquium deinde quæſiuit cum habitatoribus. Illi reiiciunt, dicentes principem ſuum abeſſe quã longiſſimè: male ab redeũte mulctandũ authorem

eius

eius maliciæ, qui abſente legitimo principe tale aliquid in oppidum duci ſubditum attentaſſet. Fama fuit nõ ignoraſſe eundem principem, quum poſt aliquot annos Brunſwickcenſes duo proconſules, ex conuentu quem cum nonnullis Luneburgi egerant redeuntes, caperentur in diſtrictu ducis Luneburgenſis, cuius ſaluo conductu erant præmuniti. Conradus de Veltem eius incurſionis ductor erat, quòd cauſaretur quendam ex familia ſua, immerentem Brunſwici publico cæſum gladio. Auecti quum caperentur, diu tenebantur: nec poterant vllis conditionibus laxari, quamuis multa irentaret dux Luneburgenſis, in cuius interpoſita publica fide capti eſſent: priuſquam interueniret idem Henricus dux Brunſwickcenſis. Tum enim ſolutis nõ paucis millibus aureorum, ex ſuo quiſque ſunt captiuitate laxati. Cardo rerum ferebatur, quòd Henrico duci cupido inceſſerat pernoſcendi quæ in conuentu illo cum Henrico duce fratruele eius, à ciuitatum oratoribus acta eſſent. Idq; innotuit, interceptis inter alia literis, dum memorati viri caperentur. Sed fratruelium principum amor ac familiaritas, ante quidem tenuis, ex ea cauſa non magnopere augebatur.

MAXIMILIANVS interim Romanorum rex in Italiam ire conſtituit, Imperij coronam in Vrbe accepturus. In quam rem facto principum in Wormaciam magno conuentu, cœpit agere de illa profectione, hortatus principes (qui multi ad eum diem conuenerant) vt in eam expeditionem pro Imperij honore ſe appararẽt accingerentq; ; ſimul oſtendẽs quanta rei Chriſtianæ eſſent diſcrimina ab ſæuiſſimo nominis Chriſtiani hoſte Turco. Animauit principes de illuſtri victoria quam nuper Fernandus Hiſpaniarum rex de occupato Granatæ regno reportaſſet, vt decennali bello fortiſſimum regem oppugnarit, attenuarit, & omni dirione exuerit, Chriſtianiſmo reddens prouinciam per annos fere octingentos poſſeſſam à Saracenis. Mouitque vehementer principes omnes tranſitus Karoli Francorum regis, eius nominis VIII. in Italiam, quam ille ſine magno labore peruaſiſſet, vſque ad regnum Neapolitanum occupandum: quod etiã armis redegerit in ſuam poteſtatẽ, paucis arcib. exceptis, quæ inexpugnabiles haberentur. Tum verò communicato inter principes conſilio, inſtitutum eſt quo ordine in eam expeditionem ſumptus neceſſarij colligerentur ex vtroque ordine, cleri & populi, de certa in aliquot annos prouentuum quota exporrigenda. Satis tum ſalubriter omnia prouiſa ſunt, multa ad pacem conſtituta. De moneta quoque (quæ plurimum inter omnes habebat momenti) tum in certam formam eſt conuentum. Sed expectata eſt in hodiernum ſalutarium conſtitutionum exequutio. Renouatæ deinde crebrius principum regni conuentiones, in Lindow ad locum Euetum, in Friburgum, in Auguſtam, in Nurenbergam. Multa deliberata: ſed necdum veniſſe tempus magnarum ex Germania rerum cernimus. Interim Romanorum rex ſecundis inſtitit nuptiis, accepta coniuge filia ducis Mediolani, eius quem ante aliquot annos cæſum ferunt in eccleſia diui Stephani Mediolani. Cuius frater Ludouicus dux de Bari gubernacula apprehendens, non facilè potuit dimittere, ad inuidiam omnium Italiæ principum. Qui vbi vidit inde ſibi creari negocium, introduxit in Italiam Karolum Franciæ regem eius nominis VIII. ad occupandum (quod diximus) regnum Neapolitanum: vt impliciti Italiæ principatus propriis rebus, quibus ab illo rege formidarent, interim ſui obliuiſcerentur. Per quæ tempora periit verus & legitimus ſucceſſor in ducatu, huius reginæ germanus frater, quod certum eſt: incertum verò, veneno an morbo. Ludouicus interim reginæ patruus, per Romanorum regem, miſſo in eam cauſam cancellario ſuo, inueſtitur de ducatu: quod nec pater eius nec frater vnquam poterant ab Friderico Imperatore vllis conditionibus impetrare: multis in eam rem expromiſſis, quòd diceret eſſe Mediolanum cameram Romani Imperij, vacuatam morte Philippi nouiſſimi ducis de Vicecomitibus: cauſamque illam integram ſeruabat Fridericus ſucceſſori. Nec imprudens poterat quiſquam regis noſtri conſilium ſubaccuſare, quòd ad tranſitũ Italiæ blandiendum erat duci Mediolani. Quod ante illum fecit Sigiſmundus Philippo, & nunc maiori ſpe faciundum erat Maximiliano: quòd Ludouicus pridem ducebat in Italiam Franciæ regem, inopinatò & inſperatò ſuperuenientem Florentinis, quòd nullis antè admonitionibus hoc præcauiſſent. Vnde factum eſt vt reſtitutis per eum Piſis in priſtinam libertatem, reductaque familia de Patzis exulante, alia de Medicis extruderetur, Florentini multa centena millia aureorum, aut muneris aut mutui ſpecie

Cap. 21

Magnorũ cõ ſiliorũ tenuis euentus.

Quæ cauſa Carolo 8. fuerit Italicæ expeditionis ſuſcipiendæ.

Ludouicus Maximiliano aſſentiente dux Mediolanenſis.

regi numerarent, Romanorum rege ſimile aliquid ab affine ſuo præſtolante. In quam rem tam facilè præbuit aurem inueſtituræ eius. Sed tum intermiſſo profectionis inſtituto, idem rex deſcendens in occiduas filij partes, videre quid ageretur per ſui abſentiã, fertur in Antwerpia crucem ſuſtuliſſe in pectus cum omni familia, quum prætenderet expeditionem in Turcum, ſæpe animis deſtinatam, ſed in exequutionem necdum qualibuſcunque impedimentis perductam.

CAP. 22.

Heluetij Auſtriacæ genti parum amici.

NEC diu pòſt implicatur magno Switenſium bello (Heluetios dixere antiqui) qui veteri feruntur in domum Auſtriæ odio laborare, quam cruentis ſæpe præliis attenuarunt: & nunc Francorum regi deuincti fœdere, ferebantur ſatis contumaces regi Romanorum, quum tamen Imperio ſubditos negare ſe non poſſint. Magnam Suæuiæ ligam rex induxit ſuper eos, vt armis perfringeret edomaretque: ſed infrenem populum nulla potuit vis perdomare. Congreſſi magno nuper prælio fudiſſe perdidiſſeq; feruntur magnam nobilitatis partem, comites, milites, & militares: quum ipſi quoque non incruentam victoriam reportarent. Demum renouatis per tractatus fœderibus, ſatis ſuperbo populus regi ſupercilio dicitur obuiaſſe. Inde rex verſus in Gelriam oppugnauit Karolum, Adolphi filium, quem bello Flandrenſi, non diu poſt mortem Karoli Burgundiæ ducis, diximus ad Tornacum cecidiſſe. Hunc filium eius Franci captum remiſere (quod & ipſum oſtendimus) ante aliquot annos in terram ſuam. Tentauere antehac multi illum Romanorum regi conciliare: ſed nihil potuit fieri, contendente rege ducatum illum regno Romanorum vacauiſſe. Vrbes autem in eo ducatu non paucæ integram fidem ſeruauere duci ſuo, vſque ad inanitionem ſui plenariam. Militares autem (incertum quibus ex cauſis) ſatis ab ſe alienauit dux, vt magis regi quàm ſuo principi ſtuderent. Ergo rex aſſumptis in ſocietatem belli ducibus Alberto Saxoniæ, Georgio Bauariæ, Wilhelmo Iuliacenſi, & Iohanne Cliuenſi, acri bello ducem impugnauit. Euaſtata terra, aliquot captæ arces & oppida minora: ſed maiora ſeſe continuere. Rex auocatus in Alemaniã ſuperiorem, quatuor memoratis ducibus rem commendans, ipſe profectus eſt ad conuentum Imperij in Auguſtam. Nihil diu memorabile geſtum eſt eo bello. Gregarij pedites, qui ſe Guardiam appellauere, vbi euaſtatam viderunt Gelriam, per ſpeciem non ſoluti ſtipendij ſe contulere ad Gelriæ ducem, vt verſa ſorte, vicinorum ducum, Cliuenſis ac Iuliacenſis terras inuadant. Id quum fieret, duo illi duces pertæſi rerum, per medios egere cum hoſte, vt quod ad ſe pertineret, de omni controuerſia ſtarent iudicio regis Franciæ. Iam autẽ mortuo Karolo ſine hærede, ſucceſſit Ludouicus, dux pridem Aureliani, proximus ex regum ſanguine, ad coronam. Is repudiata coniuge, quam ſpecie tenus tenebat (filia Ludouici regis, ac germana proximi Karoli) quamque nunquam coniugis affectu tetigiſſet, accepit relictam Karoli, eam quę primò deſponſata erat Romanorum regi, eidemque Ludouico aliquando à puellæ patre Franciſco repromiſſa. Fœlicem an infœlicem dicam coniugio fœminam, quę ſemper ibi petitur, vbi iam alia thorum occupauit? Hic Ludouicus iam rex, mira arte peregit vt Mediolanenſes in ſuum conſpirarent ducem, euocarentque illum, iam Franciæ regẽ. Vbi intellexit dux coniurationem ſuorum in ſe validam, cedendum tempori putauit: oneratiſque aliquot auro & argento mulis conceſſit in alpes, Brixinam tenens affinis ſui regis Romanorum vrbem, expectans tempora meliora. Sciebat enim fluxos ſuorum animos facilè exatiandos ſuperbo Francorum Imperio. Interim rex Franciæ Ludouicus miro apparatu Mediolanum inuehitur, obuiam effuſis cunctis ordinibus, quum ipſe medius inter armatorum millia tranſiret. Conſtitutis in ea vrbe & in omni ducatu cunctis ex ſententia, quum rebus & locis quos voluit præfeciſſet, ille redibat in regnum. Nõ dormierunt qui pulſo duci ſtuderent, quum cernerent Francorum imperia à populo faſtidiri. Igitur reuocatus à ſuis dux venit, cinctus multis ex Germania millibus equitum peditumque: facileque fugauit Francos, reſumpta pene omnium quam perdiderat ditione, vſque ad paucas vrbes: quas vel Veneti (ſingulares amplificandæ ditionis magiſtri) vel alij occupaſſent. Ita verſa fortunæ rota iam iterum ſuſtulit in altũ ducem Ludouicũ. Sed quũ Franci nõ ignorarent fraudes Italorum eſſe promptas in omnẽ partem, magno comparato exercitu rex miſit in ducem. Iam congreſſuri videbantur ex aduerſo, quum Switenſes (vt ferunt) duodecim millia, qui duci militarent, ab rege obęrati, ducem deſeruerunt. Itaque dux ipſe à Francis captus, iam libertatem amiſit cum ducatu.

Venalis militum fides.

Ludouicus XII. Franciæ rex uxorem repudiat.

Mediolanenſes ducatus ſubinde poſſeſſorem mutat.

ducatu. Frater eius Aſcanius cardinalis, vicecancellarius quoq;, à Venetis intercipitur, & in manus regis perducitur. Ita germani ambo capti trahuntur in Franciam, cum aliquantis ex Mediolano primoribus, ad numerum X L. incertum quo exitu. Hæc pro rei nouitate paucis ſtrictimq́ue attingenda putaui: nunc quod agimus exequamur. Rex ille Franciæ factus arbiter inter tres duces, cauſam diremit: dux Gelriæ vſque hodie in ſua manet ditione.

Cap. 23.

Inteſtina diſcordia vtriſq; cōtendentibus pernicioſa.

ALBERTVS ſuperioris dux Saxoniæ, qui iamdudum in occiduis partibus Romanorum regi militauit, Hollandinis quoq; operas in hoſtes commodauit, ab ipſo Romanorum rege remunerationis loco accepit gubernationem Phriſiæ occidentalis: cui omnem maritimam paluſtriū terrarum regionem coniungere deſtinauit, quamdiu Phriſiæ perdurat in ea vocabulum. Facile fuit, immiſſis peditibus gregariorum de Guardia, inter ſe domeſtico (vt ſemper) bello diſſidentes ad iuga cogere. Nam vni ſectæ addita manus ſtipendiariorum expugnauit alteram: tum ope conuerſa in priorem arma tulit. Ita infœlicis diſcordiæ ſuæ terra pœnas luit: quæ ſi vnum ſenſiſſet, non tam facilè expugnaretur. Aliquot locis princeps victor, munitiones firmauit, vt populum in fide contineret. Sed Phriſij, fluxa fide populus, quòd non diu pro ſua conſuetudine in ſententia permaneret, vbi deflexit Albertus dux (cuius canos cum prudentia reuerebantur) filiū, quem illis ſua vice reliquerat præſidem, contempſere: iuuenem, vt aiunt, non totis præcordiis arma tractantem: qui in medio præliorum æſtu (vt fertur) aliis pugnantibus, ipſe ſuis indulſit amoribus. Sed non conſueuere noſtri temporis principes primi in acie pugnare, vt Iulius factitabat. Igitur Alberti ducis filium Phriſij in munitione concluſum circumſiſtunt, ſperantes cum omnibus à ſe facilè intercipiendum, priuſquam pater arma referat in terram. Interea Magnus dux inferioris Saxoniæ, Iohannis filius, à patre gubernationi terrarum præfectus, præſertim terris paluſtribus Hadeleriæ proſpiciens, quum videret Iohānem comitem de Oldenborg occupaſſe vicinam ſibi Phriſiam, Stadland atque Blexen, eaſq́ue terras firmis muniſſe præſidiis, conſtituit & ipſe amplificare ditionem in vicinos Wurſatos, quòd eius iuri ab antiquo putarentur obſtricti: inq́ue eam rem cōparauit arma. Viderunt hoc nonnullis oculis archiepiſcopus Bremenſis Iohannes, & ciuitas Bremenſis, Hamburgenſeſq́ue, non paſſi ducem latius ad mare dominari, quòd terra quam peteret, eſſet iuris eccleſiaſtici. Igitur colloquuti fœdera iungunt, communibuſq́ue animis Magno duci nunciantes hoſtilia, Hadeleriam inuadunt, & ſui iuris faciunt, præuenientes ducis molitionem. Ibi tum Thietmarſi, qui arma ſua coniunxerant archiepiſcopo & vrbibus memoratis, quum contumeliis (pro ſuo more) exaſperaſſent gregarios pedites Hamburgenſium, ab illis miſeris modis cæſi cadunt, viri circiter L X X. Id hodie queruntur, & in Hamburgi vrbem intentant actionem. Magnus dux poſſeſſione terræ ſuæ deſtitutus, queritur apud omnes vicinos principes, facilè impetrans vt communibus omnium impenſis, iuxta fœdera quæ dudum conuenerant, vocaretur de occiduis mundi partibus ea manus peditum, quæ Guardia diceretur, ipſo tum nomine terribilis, quòd vaſtatores terrarum inuicti haberentur. Sed docuit exitus viros à viris vinci poſſe. Venerat Guardia euocata, & diœceſim primùm Bremenſem conſtituit peruaſtare. Sed quum ex Oldenborg Viſurgum tranſmittere non poſſet, brumali præſertim & niuali tempore, excubantibus etiam in altera ripa ipſis Brēmenſibus incolis, retro tulere pedem: & per vicina oppidi Wildeshuſen in Verdam vrbem duxerunt, facilè: quum Verdenſis adminiſtrator, Hildeſemenſis epiſcopus, ibi reſtitiſſet, ſi alienam cauſam ſuam facere voluiſſet: quum non ignoraret multorū principum illis adeſſe manum. Igitur ad confinia diœceſis Bremenſis ac terræ Luneburgenſis deducti, inſigni diu fame excruciantur, oppida Stadium & Buxtehude nec vnquam oppugnare conati, quòd non tenerent impedimenta bellica expugnandis vrbibus: ſimul expectantes, vt gelu conſtrictis omnibus vndis, peruium vbique iter inuenirent. Sed miſerante Deo, non fuit ea perſeuerantia gelu vt itinera durarentur, variantibus quotidie aeris qualitatibus: vt biduano frigori tantundem temporis ſuccederet ad rigorem laxandum. Et quum militares in diœceſi non ſatis auſcultarent archiepiſcopo, obliqua inclinatione reſpicientes in ducem Saxoniæ, cuius germanum maluiſſent pontificem ſuum (male enim parent plebeio generi) cogitur archiepiſcopus rebus aliter conſulere. Nam Henrici de Brunſwico ducis filium Chriſtophorum de conſenſu capi-

Magni Saxonis conatus irritus.

Archiepiſcopi autoritas ex genere ſpectatur.

G

tuli accepit adiutorem. Tum verò dux ipſe pater arma corripiens, ducere contendit in hoc gregarium & collectitium genus peditum, quod tanto terrore impleuit prouincias. Omnia illi in promptu fuere. Sed rex Daniæ Iohannes, qui paucos ante annos illorum opera Sueciæ regnum perdomuit, eos conduxit, mittens oratores qui auerterent ab illis ducem. Medio tempore Hadeleriam dux ſolo illorum peditum terrore in poteſtatem recepit. Tentata eſt per eoſdem gregarios ſatellites Wurſatia poſt receptam Hadeleriam. Sed ibi inſigni clade accepta repulſi ſunt, fœmina (vt ferunt) duce paluſtrium virorum. Igitur rebus ibi conſtitutis, in obſequium regis Daniæ euocati, per terram Luneburgenſem perque oppidum Winſen, voluntate Hamburgenſiũ requiſita, tranſuadarunt in Eiſlingen. Incolæ paluſtris illius terræ, vel nutu minimo accepto de opprimendis, tum apertis cataractis terræ, nullo negocio omnes perdidiſſent ſine ſui ſanguinis impendio, iam in luto miſerè laborantes. Sed fides implenda fuit. Itaque tranſierunt incolumes.

Cap. 24. In Holſatiam venerant, multis dubitantibus quò ducendi: ſtatim tamen ſe res aperuit. Rex Daniæ Iohannes, idemq́; dux Holſatiæ, cũ fratre Friderico duce, iamdudum Thietmarſis inſinuarunt literas Imperiales, quòd ſubiecti per Imperatorem Holſaticæ ditioni dicerentur. Illi verò refragati ſunt, ad eccleſiam Bremenſem ſe pertinere contendentes. Iam hoſtilia illis principes memorati nunciarunt: & tamen immiſſis oratoribus pertentarunt ſi ſine ſanguine dederentur. Fuere qui tranquillitati conſulentes, ſimul etiam diffidentes rebus ſuis, ſine ordine aduerſus numeroſiſſimos & ordinatiſſimos hoſtes, voluntati principum facilè fuiſſent aſſenſi: ſed commune refragabatur, nec erat conſtantia obgannire. Igitur rex cum fatre omnibus apparatis mouit in Thietmarſiam poſt principium Februarij. Peditum gregariorum pene ſex millia prædicabantur eorum qui ſtipendiis militarent: cæterùm ex Iutia, Phriſia, Holſatia, ex oppidis & agris, qui acceſſerant, numerari non poterant. Tam certa ſpe victoriæ venerant nonnulli, vt pecuniam comparandis rebus ex præda ſecum in zonis portarent, vnà cum ſigillis, ad dandas literas vbi pecunias expendiſſent. Equites ſplendidi ex Holſatia Iutiaque & omni Dania illo ſplendore ibant, in armis quibus ſolet ad magnas nuptias properari: omne ſecum aurum in marſupiis ferentes. Acceſſere nonnulli ex Marchia, Luneburgenſi Brunſwickcenſique terris, incertum an fœdere miſſi à principibus, an ſua ſorte militantes. Nemo dubitabat tantis viribus Thietmarſos protinus ceſſuros: &, ſi ad ſtatariam pugnam ventum fuiſſet, non erat ambiguum. Sperabant multi tum ſe dedituros homines, quum cernerent ante oculos rem apparatam, quam diu credere non poterant. Igitur cunctis ex re & pro temporum & locorum qualitate conſtitutis, magno agmine ducunt principes in terram hoſtilem XIII. Februarij. Nam aliquot dies conſumpſere in conſpectu hoſtium, expectandis copiis quæ confluxerant: ſimul vt aſpectu ſuo terrerent inimicos. Iam ceſſere de aridis terræ partibus, quæ ad Holſatiam cõtiguæ ſunt: intro in terram paluſtrem omnibus ſuis perductis. Et tamẽ ea fuit hominum pertinacia cum temeritate, vt in villa Wintberg nuptias peragerent, quum primi agminis aduentarent. Ingreſſum incolæ obſeruauere ad Hammam, inde perducturos ſuſpicati. Sed quum ſe ibi aliquandiu oſtenderent ingreſſuri, ductoribus freti incolis qui inter cæteros ſtipendio regio militarent, ex latere per graminium iter ſub aquis latens ducuntur, & vnicum terræ oppidum Meldorp (quod ipſum tamen incolæ negligenter communierant) quum aliquot inde ictibus tormentorum factis tonuiſſent in caſſum, facilè occupatur ab ingredientibus. Fugere qui poterant: in alios omnis ætatis, ordinis & ſexus eſt ſæuitum, vt terrore excitato promptius dederentur.

Eccleſia domi natio terrena.

Nimia propria potentia confidentia.

Cap. 25. Principes aliquantam in oppido moram fecere, ſi forte deditionis conſilium ſumerent incolæ, ſine ſanguine parentes. Ipſi verò in paluſtribus ſuæ terræ locis congregati, incerti erant conſilij. Quidam ſecum deditionem muſſitauere: alij circumſpexere fugam in Buze, quæ inſula munitior videbatur ad tuendum. Pauculos intus habebant ad ſtipendia militantes: ſed illos conuenire non ſinebant, exteris nõ fidentes. Quidam ex his profugi deſertores, quum oppidum ab hoſtibus caperetur, omnia iam perdita foris diſſeminauerunt. Ea prima volitauit fama. Iterum pertentandos nunciis putauere principes, ſi ſaniorẽ ſumerent mentẽ. Miſſis ſpeculatoribus terræ gnaris, ſcrutantur principes quæ intus capiant cõſilia: ex quibus vnũ natu Phriſiũ ceperãt Thietmarſi,

quem

quem bono ſuo viuere ſinebant: nam cæteros correptos mox trucidabant. Hunc hominem adigunt minis vera fateri, quo itinere ſint hoſtes ingreſſuri. Id quum accepiſſent, proxima nocte fodientes, vallum opponunt per lutoſiſſima itinera venturis. Ibi aliquot hominum millia ſeruauere excubias: alij locis aliis, quum non fiderent ad plenum nunciandi capto. Igitur peſſimo auſpicio mota ſunt caſtra die Lunæ, quæ fuit XVII. Februarij, multis reclamantibus, qui noſſent vadoſa itinera. Sed præualuit conſilium capitaneorum de Guardia, quos ad hoc obæratos rex habuit. Præceſſere hi pedites tria pene millia, cum ciuibus & agricolis maiori numero. Sequitur agmen equitum, tam certam præſumentium victoriam, vt vehicula quoque poſt ſe venire ſinerent. Per anguſtum quoque ſunt ingreſſi tramitem; quæ res infinitam peperit cladem equeſtribus. Nemo cogitabat periculum eſſe: vbi præceſſere pedites de Guardia, rem omnem habuere pro expedita. Lutoſum ac profundum iter ex lateribus ſeptum grandibus foſſatis ſupra genua, turbauit equites. Equites verò ibant in preſſura nimia, ſperantes & expectantes in ſolida peruenire. Iam Thietmarſi poſt aggerem deliteſcentes, tormentis miſſis ſonuerunt, non ſine diſcrimine venientium. Primi tamen agminis pedites pluteos conſertos præferebant, ſubiectiſque haſtis tranſibant foſſata, & iam in ſolido conſtiterant: ſed anguſtè ſtabant, vt pugnare haud poſſent. Dies erat nebuloſa, pluuia grandine mixta, ventis ſæuientibus de cœlo pugnabatur. Terra crebris foſſatis diſciſſa non ſinebat aciem extendere, aut excurſiones facere. Regia tormenta iam erant collocata: ſed pluuia cum ventis impediente emitti ſaxa non poterant. Procurrere nonnulli ex Thietmarſis, vt euerterent: ex quibus nonnulli ſunt cæſi. Interim aggere tuti tonuerunt illi bombardis, ruperuntq; ordines ſtantium peditum. Sed quum ambiri ſe ex hoſtibus cernerent Thietmarſi, pauci egreſſi, non plures trecentis (aut ad ſummum quadringentis) pugnam conſerunt aduerſus tot millia, ſed luto & frigore & anguſto loco conſtrictorum. Tranſilientes incolæ foſſata, pugnauere pauci in multos loco captos. Bis retropulſi reuertuntur, bis ex fuga ſe colligunt, & hoſtes loco captos, frigore & luto madidos cædunt, detrudunt in foſſata. Auxere aquam cataractis apertis, vt foſſatorum nullum iam videretur diſcrimen. Multis pereuntibus, primi ex Guardia pedites fugam ineunt, in qua tamen multi cæduntur. Tum aucti animis Thietmarſi, in reliquam ſtantium manum collectitiam ex vrbibus & agris, ſæuiunt ad internecionem, cædentes aut mergentes aquis, quæ maxima turba fuit.

Thietmarſi audaciſſimè magno hoſtiū exercitui reſtiterunt.

CAP. 26.

TVM verò inuadunt equeſtrium preſſam anguſtia loci turmam. Nam loco capti commouere ſe haud poterant, in nullam partem exire valentes. Nam antea pedites cæſi, poſtera parte curribus conſtricti, ex vtroque latere foſſatis incluſi ſtabant immobiles, præſente morte pallidi. Circumfuſi Thietmarſi ex latere, lanceis ac ſagittis primùm equos vulnerauere. Iumenta vbi perſenſere ferrum, ſæuiunt, proculcant, deiiciunt ſeſſores. Fit ſtrepitus miſerabilis: vapor aſcendens ex ſudore oculos obfudit. Primi agminis, quum iam foſſata peditum numeroſa multitudine implerentur, vtcunque euaſere, ipſis ignorãtibus quomodo tranſierint. Nam pluuius & nebuloſus aer, ſimul niues cum ventis, mixto ex ſudore fumo, viſum omnibus ademerunt. Miſerabili cæde ſternuntur, conculcantur, merguntur, & vna ſtrage pereunt viri militares, ne gladium ſtringentes. Principes ipſi cum aliquantis, incertum quomodo elapſi ſunt. Nam ne quiſquam retrocederet, impediuere currus: qui & ipſi iter conuertentes, quum iumenta cæderentur, ſtetere plauſtra in latum obuerſa, velut pro caſtris obiecta. Creditum eſt, per denſa cæſorum & merſorum cadauera nonnullos euaſiſſe. Qui in oppido remanſere ad cuſtodiam, multi euadunt: qui ab hoſtibus occupantur, ſine numero cæduntur. Incredibile eſt memoratu quanta triũ horarum ſpacio peracta ſit cædes: ipſi Thietmarſi mirantur quomodo tam breui tempore tantam conciderint turbam. Sed maior pars inuenta eſt ſine vulnere: quæ res declarabat aquis demerſos quãplurimos. Nemo ſatis explicat ordinem rei geſtæ, omnibus de ſuo periculo conterritis. Nebula, nox ingruens, bombardarum fumus, & ipſorum iumentorum vapor exuberans, viſum ademere. Mox ſequuti alij ex Thietmarſis, pugnantes primos nudauere armis, proſtratos excuſſis zonis: & quos ſpirantes reperere, cõtrucidant, deinde veſtibus, ad extremum etiam camiſijs detractis. Pauci reperti die Lunæ ſequenti, qui vitæ permitterentur. Hoc immaniſſimum crudelitatis genus: ſæuierunt in mortuos: & quidem peditum aliquot millia contumu-

Miſerrima ſtrages ſamula crum.

larunt, ſed equitibus hoc negauere. Inerant duo comites de Oldenborg, Adolphus & Otto, milites plurimi, militares ſine numero. Flos ipſe Holſatiæ militiæ periit, infinito ſuorum gemitu, commiſeratione omnium maxima, qui nouere humanitatem, modeſtiam frugalitatem in amicos, cæterùm in omnes ſplendorem, fortitudinem, conſtantiam. Sed tum in luto computruere ſub ſole tot ſplẽdidi equites. *Facilis iactura ſepulchri*, ait ille: & alius, *Cælo tegitur qui non habet vrnã.* Tertia hæc inſignis in Thietmarſia clades Holſatorum. Prima fuit ad annum à Chriſto milleſimum trecenteſimum viceſimum ſecundum, quum Iohannes & Gerhardus comites rebus præeſſent: qui tum euaſere, cæſis copiis vltra duo millia. Altera ad annum quadringenteſimũ quartum poſt mille, quũ Gerhardus primus Sleſwici dux, horum principũ maternus proauus, cum magna ſuorum manu in Hamma caderet. Et hæc tertia cæteris maior. Nam cæſorum numerũ nemo ſatis explicat, quum Thietmarſi illum fuiſſe maximum contendunt, alij negant, ad pauca millia redigentes. Sed ſua cuique domus monſtrat quanti perierint.

CAP. 27. ALBERTVS deinde Saxoniæ dux ſuperioris, æſtate quæ proxima ſequebatur, expeditionem fecit in Phriſiam, obſeſſo in terra filio laturus opem. Ad quem recurrêre qui cædi iam dictæ ſuperfuere pedites, cum multis aliis, aucto ſemper numero nouis ſupplementis. Duxit ille in Phriſiam, & eo terrore concuſſit incolas, vt dimiſſis oppidis & omni terra profugerent. Ignauiſſimæ pecudes, meritæ perpetuam ſeruitutem, quæ pro patria ne primam ſuſtinuere pugnam. Albertus ſoluta tum obſidione filij, oppida terræ communiuit, & in Groningen ducens eam vrbem obſedit: actum de omnibus reputans, vbi illa vel caperetur vel dederetur. Ex altera parte orientis oppugnauit eam Idzardus comes orientalis Phriſiæ. Leuia fiunt prælia multa: ſed nihil ad deditionem. Ita ſe commeatibus & armis præmunierant, vt omnem impetum facilè ſuſtinerent, & tempus in autumnum extraherent. Nam eſt paluſtris & aquatica terra, quæ difficilem faceret creſcentibus aquis oppugnationem. Interuentu epiſcopi Traiectenſis res componitur, vbi Albertus dux iam morbo correptus vitæ ſuæ deſperat. Nam priuſquam conditionibus totis conſentiretur, ignorante parte vrbis, ipſe in caſtris moriens defecit: princeps animo & rebus geſtis egregius, qui canos ſuos multis bellis pro Romano Imperio fatigauit. Filius eius ad regem contendit Romanorum, patris in eam terram gubernationem impetraturus. Interim qui fugerant Phriſij, conductis peditibus qui pridem Alberto militabant, magna vi terram repetunt, aduerſam factionem repellentes: vt eſt terra illa maledictioni ſubdita ſempiternæ, ſemper fouens hæreditariam diuiſionem, vt alij Schiring, alij Vetkoper cenſeantur, pertinaci odio, ſine cauſa, ſine fine, inuicem perſequentes. Quæ pertinacia etiam Hollandinos corripuit. Sed illi paulo ciuiliores, quòd mundum peragrant, leuius exequuntur ſuam ſectionem. Phriſij verò, genus hominum inciuile, quòd rarius aliis miſcentur nationibus, ſuis moribus inſordeſcunt. Sed luunt pœnas ferociæ ſuæ, quòd diuiſi crebrius ſuperantur, vbi indiuiſi fierent inuicti. Moriens Albertus teſtamento filiis commendauit cauſam Idzardi comitis memorati, ne vnquam illum desererent. Sciebat Groningenſium in illum implacabile odium, quòd redditi priſtinæ incolumitati, arma in illum exterminandũ eſſent conuerſuri. Occupauerat autem ille priori bello oppidum Dam, quod ad mare ituris Groningenſibus obuium eſt: idque præſidio impoſito communiuit.

Friſia loci natura & ſitu munitiſſima.

Perpetua Friſiorum diſcordia.

CAP. 28. MILITARES terræ Groningenſis adhæſere profugi Idzardo memorato, quòd nimia ſeruitute premerentur ab vrbicis, non permiſſi panem aut potum in ædibus ſuis conficere, ſed omnia ex oppido iuberentur expectari: inde verò ad iudicium euocarentur in dictum oppidum, quoties vel de minima re à quopiam impeterentur. A vetuſta memoria, quum inuicem cædibus & incendio in ſe deſæuirent homines memorati, eſſentque in oppido ex militari genere, qui iudiciis & conciliis præſiderent cum cæteris oppidanis: complacitum tum erat communi omnium aſſenſu (ad euertendas cædes & mutua incendia) vt de controuerſiis in oppido experirentur, euocatiq; adeſſent, magnis pœnis conſtitutis, aut amiſſione dexterę in criminalibus, aut prædiorum euaſtatione in ciuilibus. Harum rerũ abuſus quidam inoleuit, quum deficerent in oppido militares: & Groningẽſes veteri cõſtituto pertinacius inhęrebãt. His ex rebus orta diſſenſio ſecreuit militares terræ ab oppido: qui ſeſe interim bello tonante in terra comitis cõtinuere. Durantib. treugis, quas epiſcopus Traiectẽſis proximo anno interpoſuit, quũ Groningẽſes iniquis

Groningenſes bellum comiti Idzardo inferunt.

iniquis ferrent animis oppidum Dam à comite teneri, conduxere manum peditum validam, aliquot millibus aureorum expromiſſis, quæ dum expugnatum traderetur, ſoluerentur. Oppugnauere pedites cum ciuibus non ſatis communitum oppidulum, & niſi fortiſſimè ab iis qui inerant defenſum eſſet, etiam expugnaſſent. Comes interim armauit ſuos aliquot exteris cōductis: mittebantur etiā à vicinis nonnulla ſupplementa: fortior creuerat, quā vt ab oppugnantibus poſſet ſuſtineri. Itaq; repulit primo impetu Groningenſes. Priuſquā tamen ille accederet, impletis foſſatis fœno & euectionibus multis, tranſilierunt in oppidum gregarij. Ibi adunati qui intus erant, repulerunt, aliquot centenis oppreſſis. Sed vbi comes prodiit in aciem, rediguntur pedites collectitij cū Groningenſibus pugnaturi, etiam duplato militū numero exuperati. Miſſilibus primùm & deinde ex tormentis de parte comitū iacta ſaxa ordinem rupere, ſtragemq; fecere. Tū gregarij primi fugam ineunt: Groningenſes ſequuntur. Ibi magna fit ſtrages de parte vrbicorum. Altera & hæc peditum infida pugna, quæ vehementer eorū nomen extenuat, monſtratq; & perfidum & inane genus militum, ſolo nomine & gloriatione magnum. Tum victor comes firmat obſidionem, captiuis multis ex vrbe detentis. Tribus locis præſidia imponit, ne quouis pacto quicquam importetur. Ad famem res iſta reſpexit, niſi properata inundatione aut rerum compoſitione oppido conſuletur.

EODEM illo tempore, quum ageretur annus primus poſt mille quingentos, Henricus dux Brunſwici ſenior, pro filio adiutore diœceſis Bremenſis, Phriſiam eidem eccleſiæ ab olim ſubditam, nūc male parentem (quòd ſe liberam diceret à memoria diui Karoli Magni) ad iuga cogere inſtitit. Circuiuit ille ſuo more (vt ſolet) in perſona, diligēter omnium vicinorum principum domos inuitans ad auxilia ſubmittenda, pro infræni populo ſub iuga mittendo: perfecitq; vt ad principiū Septembris conuenirent, ſerius quidem quàm paluſtris terræ oppugnandæ ratio depoſceret, quòd autumni aquoſa tēpora immeabilem faciunt terrā. Sed latè contrahenda auxilia prius cogi non poterant. Submiſere ſuos Hēricus Luneburgenſis Magnus Magnopolenſis, Bugſlaus Pomeraniç duces. Ipſe Ericus cum Henrico fratre totis incubuere viribus: & è diœceſi Bremenſi militia omnis, & ab vrbe & ab agris, quotquot poterant, in vnum conuenere. Ferebantur ineſſe auxilia archiepiſcopi Colonienſis, & prouincialis Haſſiæ comitis. Poterant illa ad ingeminandum terrorem prædicari, poterant adeſſe: nihil ad rem. Ingenti tum equitum peditumq; agmine terram petiere memoratam, quamuis priuſquam eò declinarent, ſatis incertū haberetur quò tanta dirigeretur expeditio. Finxit ſibi quiſq; ſomnia: ſed tamen vigilabant omnes, & ſtabant ad cuſtodiā ſuarum rerum. Initiū Phriſiæ Stadland, quod continenti arida tangitur, quia defendi nō poterat, deſeritur, intro ad reliqua paluſtria retrocedentibus incolis cum armētis & gregibus. Ibi verò ſe defenſioni parabant. Hoſtile agmen plena horrea reperit, vnde faciliorem ſibi fecerat oppugnationem. Multitudo verò tanta, facilè abſumptis quæ aderāt, ad famem peruenere, vt caſtra multi deſererent inedia coacti. Oppugnatio verò intentata eſt viriliter: nec defenſio ſegnis erat ſtantium pro libertate. Inde (quod neceſſe fuit) incommoda ſunt vtrinque illata: ſed maiora tulere impugnantes. Acceſſit autumni pluuiale tempus, quod incolis quantum commodabat, tantum incommodabat impugnantibus. Eccleſiam vnam incaſtellauere ducales, vt per vniuerſam brumam diſtinerent populum ruricolam ab agrorum ſuorum cultura. Sed accolarum inſtantia & incumbentium eccleſiæ formidata inedia rem diremit: itaque duces retraxere copias. Sequuti ſunt non diu pòſt eccleſiæ defenſores. Ita in aliud tempus dilata res eſt. Quo tempore Groningenſes cum hoſtibus pacti ad treugas peruenerunt: pax deinde certis legibus eſt compoſita. Sed neque illa durauit, quum Idzardus comes orientalis Phriſiæ oppidum Dam, quod ſeruat aditum maris, teneret. Et quamuis non omnino diſcluſi Groningenſes viderentur, mari habentes portus alios: ægrè tamen cernebant comitem illis incumbere. Sed neque duces ſuperioris Saxoniæ tenentes occiduam Phriſiam, deſtitere Groningenſibus arma oſtendere. Vrbici feſſi ac pertæſi rerum bellicarum, miſſis oratoribus paci componendæ inſtiterant. Propoſita ſunt eis capita pactionis, quæ ſi ſubirent, rediret tranquillitas. Oratores retro ferebant ad ſenatum vrbis, qui videbatur conditiones amplexurus. Inſinuanda fuere eadem capitula populo. Qui vbi cognouit, vno ore reclamauit, extrema paſſuros omnes, ſanguinem & vitam impenſuros, priuſquam acciperent conditiones.

Cap. 29. 1501.

Bellum in Friſios grauiſſimum paratur

Friſia paludū præſidio tuta.

Homines ad deſperationem non adigendi.

Quod vbi renunciatum eſt principibus, videbantur laxare rigorem. Nam extrema perpeti decernentes, ſolent acres intendere caſus. Ibi in hunc diem res conquieſcunt.

Cap. 30.

Henricvs dux Luneburgenſis, tametſi titulum habeat Brunſwickcenſis principatus cum patruelibus, ditionem ſolam habet, quæ vulgò communiter dicitur Luneburgenſis, eam videlicet quam olim Hermannus, ab Ottone I. Imperatore ſubuectus in ducalem honorem, acceperat, quod arma eius ditionis commonſtrant. Is (inquã) princeps, quum nonnulli militares ſecuritatem ab illo prçſtitã oratoribus Brunſwickcenſis ſenatus violaſſent, diffunderentq; rumore, non ſine eiuſdem conniuentia rem eſſe peractam: indoluit illuſtre nomen ſuum commaculari, eoſdem violentos quibus poterat rebus inſectatus. Ceſſere illi in dioceſim Magdeburgenſem, excepti à cõtribulibus ſuis. Ibiq; quum nonnulli inter ſe militares cauſam armis (vt ſolent) intentatis verſarent, erat in parte is qui hoſtes memorati ducis confoueret. Oppugnatoribus eius partis ſubmiſit auxilia princeps memoratus, equites ſupra centum. Ea manus gladio & igne ſæuiit in memorata dioceſi, pertingens ad oppidum Balenſtede, olim caput principatus de Aneholt. Quam rem archiepiſcopus Magdeburgenſis indignè ferebat, inflammatus à comitibus memoratis. Sed principes ſuperiores Saxoniæ, Fridericus & Iohannes, inter ſe & archiepiſcopi memorati germani fratres, non paſſi vltrà progredi indignationem inter fratrem & ſororium (nam germanam eorundem principum tenet dux coniugem) vocant diſſidentes in oppidum Quedelenborg. Conuenerantq; archiepiſcopus cum ambarum eccleſiarum Magdeburgenſis & Halberſtadenſis prælatis. Aderant memorati duces, comiteſque de Aneholt Waldemarus & Georgius. Adolphus Magdeburgenſis præpoſitus ſtabat cum archiepiſcopo ſuo: non aberat Henricus dux ſæpe dictus. Ibi interuentu principum fratrum placatur Magdeburgẽſis ſororio, quum aliquanta expromitteretur pecunia in compenſationem damnorum. Rebus ex ſentẽtia compoſitis redeunt in ſua. Duo interim Henrici duces Brunſwickcenſes, patrueles, vnum tum ſenſerẽ. Nam regreſſus illo itinere dictus iunior, in ipſa vrbe Brunſwickcenſi ſalutauit ſeniorem, ibiq; cauſam duorum militarium ad arma vſq; diſſidentium compoſuere. Non durauit in longum ille conſenſus, quum recordaretur quiſque ſua parte pactionũ quas ſuperioribus annis bello in Brunſwicum intentato iniere: viſum eſt cuique minus ſe iuſto tenere, quum plus deberetur: ambo querulantur. Aliquot vicibus ad tractandum conueniunt: ſed creuerunt indignationes. Demum in Brunſwicum concurrunt. Ibi quum aliquandiu tractatum eſſet, in illam acerbitatem res excreuit, vt fierent alterna cõuitia, quum altrinſecus improperarent quæ videbantur contingere principalem honorẽ. Ibi Henricus dux ſenior, productis literis pactionum, vulgauit omnia conſilia e domandarum & partiendarum vrbium Brunſwico ac Luneburgo. Aſtitere multi quibus erat res incomperta, libenter tamen & cupidè acciperent nudata conſilia, vt cernerent ſuorum in ſe principum affectionem. Qui de parte iunioris affuere, conſilio proximi, quum eru beſcerent, ad circumſtantes vrbicos volebant à ſe deriuare talis rei conſcientiam. Sed nihil profuit, quum ex aduerſo illis diceretur & locus & tempus quibus interfuiſſent. Quumque res ſumma indignatione partium diſſidentium in apertum bellum reſpiceret, tanta erat ſecuritas ducis ſenioris, vt armata ſuorum equitum ad ſexcentos manu, contenderet in caſtra prouincialis Haſſiæ comitis: qui ab hac parte oppugnat comitem Rheni Palatinum, ab altera verò Romanorum rex, ſuo ſororio aſſiſtẽs, Alberto duci de Monaco. Belli cauſa nõ minima. Contendunt enim Bauari de ſucceſſione Georgij, quẽ Diuitem cognominauere, quum ille moriens ſuos hæredes nõ relinqueret. Exitus ipſe in incerto eſt: magnis vtrinque viribus concurritur. Germania fere tota fauet Alberto, quum alterum tueatur aurum plurimum, vnde ſtipendia ille largitur larga. Et ſi maior vis ingruat, reſpicit in Gallos, Bohemos, Vngaros, quos (vt ferunt) habet fœderatos.

Principes Saxones componendæ pacis ſtudioſi.

Aegerrimè pax inter homines bona fide coit.

ALBERTI KRANTZII SAXONIÆ LIBRI XIII. ET VLTIMI FINIS.

INDEX

IN ALBERTI KRANTZII SAXONIAM, DVPLICI NVMERO DESCRIPTVS, QVORVM PRIOR PAGINAM, poſterior lineam indicat.

A

ABBAS, Cæſaris papa 119.35

Abel dux Sleſvviccenſis 206.5. Daniæ rex coronatur 213.40. caſus 217.14

Accurſius gloſſator 45,20

Adalbero Herbipolenſis Epiſcopus 107.40

S. Adalbertus archie. Magdeburgenſis primus 87.36

S. Adalbertus Pragenſis, à Pruſſis trucidatus 95.30

Adalbertus Vuormatienſis epiſcopus 107.39

Adaldagus Hamburgenſis archiepiſcopus 84.24, 86.39, 92.42

Adalgiſus, Deſiderij Longobardorũ regis filius, regno Italiaq́ pulſus 31.31

Adelaus Sabaudienſis comes . 109.22

Adelbero archiepiſcopus Bremenſis 125.12

Adelgiſus Karoli Magni dux in Sorabos Wandalos cum copiis miſſus 38.4

Adelſtanus rex 70.47

Adolphus archiep. Colonienſis 189.29. deponitur & excommunicatur ibid.

Adolphus Brabantiæ dux 292.30

Adolphus Cliuenſis dux 285.45, & 305.38

Adolphus Colonienſis archiep. 178.19, & 183.17

Adolphus de Daſle 174.6, 175.52, 186.7

Adolphus Gelriæ dux 322.36

Adolphus comes de Scovvenborg 278.23. Holſatiæ comitatum dono accipit 123.31

Adolphus II. Holſatiæ comes 138.24, 139.4, 141.53, 150.53

Adolphus III. Holſatiæ comes 163.2, 166.45, 167.14, 172,4. contentio eius cum Henrico Leone 163.14, 164.25. Holſatia eiicitur 164.52, quã Imp. beneficio recuperat 166.26. Thietmarſiam occupat 169.43. Holſatiam rurſus amittit 174.6. ex peregrinatione terræ ſanctæ reuerſus 175.43. Lubicam obſidet 176.2. cum ſeq. in Kanutum Daniæ regem arma parat 177.17. cur ab Archiep. Bremenſi excommunicatus 178.29. Kanutum Daniæ regem armis expectat 185.49. rurſus Holſatia excluditur 186.187. captus in Daniam trahitur 187.29. laxatur certis conditionibus 188,8

Adolphus IIII. Holſatus & comes de Scovvenberg 188.43, 200.6. Tranſalbinam occupat 200.10. Daniæ regem in Holſatiam mouentem fruſtrat ibid. in Liuoniam cum expeditis, deuotionis gratia contendit 206.7. Minorum ordinem ingreſſus vt ſe habuerit ibid. & deinceps 216.47

Adolphus Holſatiæ comes 252.18, 263.53, 267.5

Adolphus Lotharingiæ dux 246.5

Adolphus menſæ regiæ præpoſitus, à Karolo dux cum nauali exercitu in Britãniam mittitur 38.20

Adolphus de Naſſovv electus Moguntinus 260.13, 261.51

Adolphus de Naſſovv, Aquiſgrani Rom. rex coronatus 224.21. in bello à ſucceſſore eius opprimitur ibid.49

Adolphus dux Sleſvviccenſis & Holſatiæ comes 305.10, 309.22

Adoptio genitura potior 57.55, 58.33

Adalbero archiep. Bremenſis 144.36

Adalgarius Hamburgenſis archiepiſcopus in ſuffraganeum Colonienſem detruſus 53.7

Aetius Rom. Patricius Galliis præeſt 17.10. militari diſciplina eruditiſſimus 19.49. denegat auxilium Britonibus 17.23, ibid.33. atrociſſimum bellum cum Hunnis gerit 19.50, 20.20

Aetius 208.17

Aetij patricij, Romanorũ ducis fortiſſimi, mors 63.3

Agapetus Papa 80.35

Agariſus dux 32.7

Alani 2.39, ibid.44

Albericus ex Hetruria, Vngaros vaſtãtes retropellit 79.40

Albero Herbipolenſis Epiſcopus 113.6

Albero Marchio, mouentem in Bauariam Ottonem Vngarorum regem, prælio fundit 102.15

Albertus archiep. Moguntinus rebellionis caput in Imp. 129.15. carcere ſolutus Eccleſiæ reſtituitur 130.26

Albertus Auſtriæ dux Rodulphi Rom. regis filius, prælio ſucceſſorem patris opprimit, ipſeq́ patri ab electoribus ſubſtituitus & coronatus 224.46, 224.50. vt eius electio à Papa comprobata ibid. 53, 225.34. mors eius 228.37

Albertus Bauariæ dux, fruſtrà Friſios aggreſſus 269.29. ſecundo ſubiicit 270,30

Albertus Bremenſis Archiepiſcopus 103.31, 244.52, 251.47

Albertus Brunſwiccenſis dux 214.55, 215.48, 219.44, 220.12, ibid. 20, 221.6, 223.13, 225.14, 244.7

Albertus Francus comes de Bamberga 53.33. publico gladio cur cæſus ibi. 34

Albertus Hāburgenſis archiepiſcopus 101.16, 102.49, 103.36, 105.52, 106.45

Albertus Halberſtadenſis epiſcopus 223.25, 253.44, 262.8

Albertus Holſatiæ comes 272.8

Albertus Liuonienſis epiſcopus 182.40, 198.49, 204.20

Albertus Lucerinus Epiſcopus 85.29

Albertus Luneburgenſis dux 256.4, 260.25, ibidem 48

Albertus Magdeburg. archiep. 262.7, 267.45, 269.6, 271.49

Albertus Magnopolenſis dux 248.23, ibid. 52, 250.54, 255.50, 280.24, 290.34. ibi. 39, 327.55

Albertus Mindenſis epiſcopus 315.32

Albertus Moguntinus Archiepiſcopus 137.39

Alberti Moſellanorum ducis mors 104.50

Albertus Nordalbingiæ Comes 189.13, 192.30, 193.2, 198.33, ibid. 46, 200.21

Albertus Nurenbergæ Burggrauius, in ſuos pugnat 306.26

Albertus Pinguis Brunſwici & Gottingē dux 223.18, 244.42

Albertus Saxoniæ & Luneburgi dux 257.6

Albertus Sueciæ rex, vt regnum conſequutus 353.21

Albertus Rigen. archiep. 204.28

Albinus ſiue Alcuinus Karoli Magni præceptor 34.21

Albio cum Wedekindo Sax. duce ad Chriſtum conuerſus 38.17, 46.24, & 26

Albion Tranſalbianorum præſes 124.42, ibi. 44. & ſeq.

Aldenardum 332.45

Aldenborgenſis comitatus 106.10

Aldenborg oppidum captum 258.25. illuſtris olim vrbs 5.12. Epiſcopatus 89.13

Aldenburgum 98.26. epiſcopatus ibidem conſtitutus à quo 78.39

Aldeſleph oppidum obſeſſum à quo & euerſum 162.41, ibid. 46

Alebrandus Hāburgēſis archiepiſcopus 101.19

Alexander Imperator 59.25. celebre à pirata reſponſum aufert 11.33

Alexander Papa 107.41, 148.38, 149.25

Alexandri Magni mors 1.42

Alexandria Italiæ vrbs 152.34

Alheida Lothary relicta à Berengario III. in vinculis Papiæ tenetur 80.18, ibid. 28, eductam coniugio ſibi ſociat Otto Ro. rex ibid. liberi eius ex Ottone ibid. 50, 81.17

Alphonſus Caſtellæ Hiſp. rex 215.28. Rom. rex coronatus ibid. 39, 221.53

Alphonſus dux Calabriæ 328.28

Aluelde oppidum 144.33, 254.37

Alzen terra maritima ducatus Sleſwicenſis, à Dano oppugnata 282.40, & deinceps.

Amadeus Sabaudiæ comes 230.33

Amadeus Sabaudiæ dux Pontifex declaratus 304.55

Amalricus Hieroſolymæ rex 157.49

Amaſis deſcriptio 13,51

Amburones 10.11, 12.28

Amelsborne monaſterium 115,47

Amphitheatrum Rom. à quibus Impp. inchoatum & conſummatum 57.40

Anaſtaſij Impatoris breuis vitæ hiſtoria 63.28

Anaſtaſij II. Imperat. breuis narratio 64.51. is victus pòſt, per Theodoſium III. Sacris ordinibus conſecratur 65.2

Anaxerſis dictum 344.3

Ancona obſeſſa 155.14, 159.32

Andreas Momentanenſis Epiſcopus 85.28

Aneſus fluuius Pānoniæ & Bauariæ limes 40.1

Angria olim Anglaria 47.6

Angirorum nomen vnde 18.49

Anglia quando ad Chriſtum conuerſa 19.28. frequentes patitur exterorum incurſiones ibid. 24. item eius ſitus 16.35. Vide in reliquis Britones & Britannia.

Anglorum orientalium, mediterraneorum & Nordhumbrorum, aliorúmque Anglorum origo 18.6

Annales Brunſwiccenſes notati 242.42. ib. 55

Anno Colonienſis archiepiſcopus 105.4, 107.45

Anſgarius Corbeienſis pater, Haraldum regem in Iutiam comitatur 47.31. è Corbeia Galliarum in abbatiam apud Viſurgum transfertur 47.37. apoſtolus regionū aquilonarium ibid. 35. primus Hamburgenſis Epiſcopus ibid. 39. ſede ſua pulſus, in Bremēſem Eccleſiam aſſumitur 50.31. eius prædicandi ſtudium ibid. 41

Anſona-

Anſonarix Saxonum princeps Belgiam inuadit 21.9
Antonini Baſſiani Caracallæ Imperatoris breuis vitæ deſcriptio 58,55
D. Antonÿ eccleſia in terra Aldenburgenſi 206.49
Antonini pÿ Imperatoris breuis vitæ deſcriptio 58.6
Antwerpienſium nundinæ 332.11
Aper Numerianum Cæſarem interimit 61.3. cur à Diocletiano Imp. gladio percuſſus ib. 5.
Aphrica Sarracenis auſertur 64.32
Aquinus Norwagiæ rex 252.37
Aquarum magna inundatio 242.15
Aquiſgranum 33.26, 88.14, 222.10. captum à Lothario Franciæ rege 89.49
Aquiſgrani Otto magnus inungitur 71.55
Aquiſgrani, regiam quare Karolus Magnus extruxerit 34.32. moritur 42.48. tumulatur in Baſilica D. Virginis 43.4. ibidem baſilica D. Virginis extruitur 33.38
Aquitanicum bellum per Karolum Magnum 16.31
Arbogaſtes & Eugenius tyranni 62.24
Arcadÿ & Honorÿ Imperatorum breuis vitarum deſcriptio 62.28
Aretia 127.38
Aria per proditionem capta 329.9
Ariouiſtus rex 2.6, 21.22
Arithpertus Longobardorum rex 85.3
Arnoldus Bauarorum dux 55.52, 66.48, 80.9, 67.1
Arnulphi Imperatoris breuis hiſtoria 66.5
Arnulphus Karlomanni filius 52.40, & 66.5. in Imperatorem aſſumitur 52.35. paganorum centum millia proſternit, è Chriſtianis vix vno amiſſo ibid. 42. Bauaris, Sueuis, Frãcis orientalibus, Lotharingis & Saxonibus dominatur ibid. 44. in Morauorum regẽ ducit ibidem 52. Ludouicus filius, ei ſuccedit 53.32
S. Arnulphus Metenſis epiſcopus 29.28
Aſcalis obſeſſa 208.15
Aſciburgum arx 135.4
Aſia omni, Chriſtiani exturbati 216.38
Aſiatica expeditio Bernardo ſuaſore à principibus ſuſcipitur 145.22
Aſſeborg arx 215.51
Aßiſium 204.3
Aſſyriorum Imperium 44.3
Anathaſius ſub quo exulauerit Imperatore 61.32
Atiſlus Sueciæ rex à duobus oppreſſus 9.10
Atrebatum captum 822.1
Atrebatenſis conuentus de pace componenda inter Burgundum & Franciæ regem 301.22
Attila à Romanis bello victus 20.34, ibid. 40
Auares Hunos eſſe 32.34, 37.55
Auaricum bellum 39.53
S. Audomari oppidum captum 338.19
S. Audomarus à Francorum rege oppugnatur 323.19. parum abeſt quin ab eo intercipiatur 326.34
Auguſta Ottonis regia ſedes 81.10
Auguſtæ tumultu exorto, ciuitas pro magna parte conflagrat 138.7
Auguſti nomen à quo primùm receptum 56.36
Auguſtorum primus Chriſtianus quis 59.49
Auguſtulus vt Imperium abiecerit 63.7, ib. 10
Aureliani Imperatoris breuis vitæ deſcriptio 60.29
Aurelius Scaurus Rom. legatus in Cimbrorum manus peruenit 12.2. occiditur à Bolo rege ibidem 5
Aureum vellus 332.6
Auſtralium nobilium cædes 263.6
Auſtraſia, Metenſis prouincia 29.31
Auſtriæ ducatus 307.4
Auſtria, Norica olim dicta 29.32
S. Author Treuerenſis Archiepiſc. 129.54. eius corpus Brunſwicum à quo perlatum ibidem 55
Authoris huius, de ſcriptoribus, querela 15.15

B

BAioarÿ qui noſtratibus 32.14
Balderus ex Sueuiæ proceribus, cur diuinus habitus 8.4. cum rege ob puellæ nuptias armis congreſſus ibid. 14
Baldewinus Flandriæ comes, Orientis Imperio præfectus 192.35
Balduinus Conſtantinopolitanus Imp. 209.9, ibid. 22, ibid. 27, ibid. 36
Balduinus archiep. Treuirenſis 247.42
Balduinus Bremenſis Epiſcopus ſchiſmaticus 154.28
Balduinus comes Flandrenſis 96.43, 104.49, 105.9
Balduinus Hieroſolymæ rex 145.44
Balingſtede monaſterium 123.1
Bamberga 84.36, 103.54
Bambergenſium Epiſcopatus à quo primùm erectus & dotatus, & quis ibidem Epiſcopus 95.35
Bardewicum euerſum 174.23
Bardo Moguntinus Archiepiſcopus 103.30
Barenborg arx capta 300.12
Barlinenſium in innocentem temeritas 255.8

Baruth oppidum, vt à Chriſtianis expugnatum 180.28

Batani hodiè Geldrenſes 7.8, ibid.14. origine Saxones ibid.

Batauorum in Rom. bellum 14.52

Bauaria à Marchione Brandeburgenſi hoſtiliter inuaſa 289.29

Bauaricum bellum à Taſſilone duce excitatum 32.13. & quæ eius cauſa ibid.14

Bauari, qui veterib. 32.14. ab Vngaris cæſi 66.28. in fugam verſi. ibid.31. Ottoni cur rebelles 72.18

Beardus Caſtrenſis epiſcopus 85.27

Belgici cæſi 21.16

Beliſarius patricius quid Iuſtiniano Imperatori in rebus bellicis præſtiterit 63.39

Bellogradum egregiè aduerſus Turcum à Chriſtianis defenſum 307.55

Bellum inter Odoacrē Bohemiæ, & Balam Vngariæ reges 215.20

Bellum inter Mauricium & Gerhardū fratres comites de Oldenborg 311.7, ibid.20

Bellum grauiſſ. de archiepiſcopatu Magdeburgenſi 222.43

Bellum in Catalaunicis campis geſtum 17.24

Benedictum Pontificem olim, Hamburgi martyrio coronatum fuiſſe, falſum oſtenditur 86.47

Benedictus V. pulſo Leone VIII. Pontifex eligitur 86.15. à Leone exordinatus Ottoni Imp. deditur ibid.36. Hamburgi moritur 87.2

Benedictus IX. Pontifex 102.19

Benedictus Tiburtinus Epiſcopus 85.27

Beneuentum captum & direptum 208.14

Beneuentani Guidonem Imperatorem conſtituunt 54.11. deſertis ſignis fugiunt 91.8. iiſdem bellum cōminatus Karolus Magnus, fidelitatis ſacramenta ab illis exigit 32.10

Benno Pontifex 98.27

Benno Saxoniæ dux 94.50, 95.43

Benno concionator in Aldenburgo 96.26

Berengarij tyranni 66.22. nominis primus Ludouicum Arnulphi filium capit, cæcatq́; ibidem 24

Berengarius Foroiulienſis dux, Imperator à Romanis cur creatus 79.17. pugnat aduerſus Guidonem Italiæ regem ibi.24. fœdera cum Arnulpho Imperatore iungit ibid.28. Vngaris in Italiam venientibus ſe opponit 79.36

Berengarius II. cum Burgundione in Italiam tendente cōgreditur 79.52. à Rodulpho Burgundo regno pulſus ibid.55. reduci tentatur 80.3. eiuſdem mors ibid.12

Berengarius III. in Italiam aduerſus Hugonē contendit, partiturq́; cum eo Longobardiam 80.16. Henricum Bauariæ ducem retrò agit ibid.20. Vngaros placat ib.26. Italiæ regno cum Alberto filio qui deturbatus ibid.40. Longobardia cum Alberto præficitur ib.48. ad Ottonem in Germaniam cum Alberto deſcendit 81.8. uterq́; in exilium mittitur 84.35

Bergerdorp arx 271.9. 287.24. ibid.36

Bergomum vt ab Arnulpho Imperatore captū 33.79

S. Bernardus Hildeſemenſis Epiſcopus 98.46

Bernardus dux Luneburgenſis 267.19, ibid.26, 268.46, ibid.39, 312.7

Bernardus Brunſwicenſis dux 262.22, 263.8, 266.38, ibid.55, 277.9, 289.18

Bernard⁹ comes in Anehold, pòſt Saxoniæ dux, alia Saxoniæ armorum inſignia ſubſtituit 47.2

Bernardus de Anehold comes, dono ducatum Sax. accipit 162.30. euocat omnes ſuæ ditionis nobiles & militares 166.51. nouos cenſus & impoſitiones in ſubditos conſtituit 167.8. nobilitatem in ſe concitat 167.26, ibid.30. Louenborg arcem fruſtrà obſidet 177.1

Bernardus Halberſtadenſis Epiſcopus cur ab Ottone in carcerem coniectus 83.29. excommunicans Ottonem liberatur 83.39, ibid.45

Bernardus Karoli Magni patruus 31.28

Bernardus comes de Raceborg 163.3, 164.47, 165.16, ibid.21, 166.27, 174.10, ibidem 45

Bernardus iunior de Raceburgo, Papæ diſpenſatione à clericatu extractus & militiæ redditus 175.53, 176.15, ibid.22

Bernardus Clareuallenſis, ſanctæ expeditionis author 145.22

Bernardus Saxoniæ dux 96.6, 98.16, ibid.29, 106.1, 298.26, 302.36, 311.35

Berneborg arx oppugnata 293.4

Berno Zuerinenſis primus epiſcopus 179.5

Berno Obotritorum Epiſcopus 150.14, 151.44

Beroſus Babylonicus ſcriptor 4.25

Bertoldus Carinthiæ dux 106.18

Bertoldus abbas de Lucka, Epiſcopus Liuonienſis 182.18, ibi.36

Bertoldus abbas Luneburgenſis 155.24, 158.3

Bertoldus Hildeſemenſis epiſcopus 333.20

Bertoldus Verdenſis epiſcopus 316.23, 333.16

Bertoldus Metenſis Epiſcopus 170.38. ſede ſua pulſus

pulſus ibidem 46
Bertoldus qui Bauariæ ducatum nactus 72.23, *duplex illi coniugium ab Ottone Rom. rege propoſitum* 75.21
Bertoldus Sax. dux 26.13. *pugnat in Dagobertum Metenſium regem* 26.20. *idem caſus poſt* 26.49
Betunia Artheſiæ capta 322.27
Bezelinus archiepiſcopus Hãburgenſis 124.24
Binga 118.5
Biſantius Maioricarum rex 246.2
Biſuntium 149.9
Blondus 216.42
Bohemia Rom. fit ditionis ac tributaria Saxonis 69.18. *eiuſdem motus* 274.45. *itẽ Dux vt inter electores admiſſus* 95.16, *ibid.* 20, 247.47
Bohemi 3.19. *obedientiam Rom. Eccleſiæ negãt* 261.8. *vnionis ergò ad Concil. Baſilienſe vocati* 298.35, *ibid.* 38
Bohemicum bellum à Karolo Magno peractum 33.20
Boij Saxonum patres 3.38
Boiorum origo & ſedes 3.15
Boleſlaus Poloniæ rex ab Henrico Imperatore oppugnatur 97.41
Boleſlaus Bohemiæ dux, cur & quandiu cum Ottone Magno bellum habuerit 72.7
Boleſlaus Polonorum dux 136.23
S. Bonifacius Moguntinenſis epiſcopus 46.30
Bonifacius epiſcopus & Martyr 36.21
Bonifacius VIII. 94.36, 224.53
Bonifacius IX. 267.35, 268.19
Bononia Picardiæ capta 323.45
Bononienſe ſtudium Paduam tranſlatũ 209.1
Bononienſes fugati & obſeſſi 155.3
Boſna à Turco occupata recuperatur 328.19
Brabantia Saxoni tributaria 21.21
Brabantinorum origo 7.15
Brabantinorum ſolum Gallicum incolentium origo 42.3
Brabantinos falsò Cimbros appellari 11.45
Brandeburgenſis Epiſcopatus fit Magdeburgenſis ſuffraganeus 87.39
Brandeburgenſis marchia 70.2, 254.17, 267.16, *ibid.* 20, 269.1
Brandeburgenſis marchio à Wandalis prouincia pulſus, apud Magdeburgum de præbenda victitat 98.27, 101.30
Brandeburgum electuram Imperij habet 70.9 *cum tota prouincia ſibi ſubiicitur* 69.11
Brema 102.50. *obſeſſa* 204, 43. *munita* 101.20. *direpta* 143.11, *ibidem,* 151.17. *ſuccenſa* 66.14, 68.51, *ibidem S. Petri Eccleſia à quo extructa* 39.50. *item tumultus ob duos ſimul electos Epiſcopos* 154.23
Bremenſium pietas 203.23. *tumultus in Senatum* 297.46
Bremenſis epiſcopatus à quo inſtitutus 38.28, *ibid.* 43, 39.10, *ibid.* 26
Bremenſi Eccleſiæ priuilegij donati à Karolo Magno exemplar 38.48. *eidem comitatus Stadenſis reſtitutus* 140.39
Bremenſis diœceſis vaſtata 286.55. *prædam paſſa* 292.40. *eiuſdem limites per Karolum Magnum* 39.29
S. Brigitta 245.43, 267.36, *ibid.* 42
Briſaeum oppidum milite einctum 74.9. *& deinceps* 35
Britanniæ vnde Angliæ nomen 17.42, *ibidem* 45, 19.4
Britanniæ & Saxoniæ comparatio 2.18
Britanniæ nomen, in continentem Galliarum tranſlatum 19.2
Britones Romanis parent 17.3. *Iulius Cæſar primus claſſe, ad eos accedit ibid.* 4. *Claudius eorum inſulam pro Imperio, deditam recipit ibidem*
Britãnicus Claudij filius cur ita appellatus 17.6. *à nouerca è medio tollitur* 57.1
Brixia dedita 230.18
Bructeri Saxones oppugnantur 13.51
Bruga Flandrenſium 249.50, *ibid. tumultus* 323.9, 326.42, 331.31, 334.8, 335.29, 340.14
Bruningus ex primoribus Saxonum 72.3. *eius vrbs Elsueri ſuccenſa à quo* ibid. 34
Bruno epiſcopus Olomucenſis 218.32
Bruno Epiſcopus & martyr 95.31
Bruno Bunnenſis præpoſitus, electus Colonienſis 189.46, 191.7, 191.45, 192.2, *& deinceps*
Bruno Treuerenſis Epiſcopus 119.22, *ibid.* 46
Bruno Epiſcopus Tullenſis 103.11, 140.47
Bruno Siguinus Epiſcopus 131.21
Bruno Auguſtenſis Epiſcopus vt Bambergẽſem Epiſcopatum oppugnarit 99.23
Bruno Coloniẽſis archiepiſcopus S. Pantaleonis cœnobij Coloniæ fundator 71.31. *eiuſdẽ parentes* 70.44. *item mors* 87.12
Bruno marchio Saxoniæ 94.45, *ibidem* 48, 104.3, *ibidem* 6
Bruno filius Wigberti Saxonum primarij 48.20
Bruno, Ludolphi Saxonum Principis, filius 50.53. *Brunſwici fundamenta ponit* 51.37. *cum Normannis Daniſq́ congreſſus, cũ ſuis cæditur* 52.9, *ibid.* 49
Brunsberg arx, à Karolo Magno obſeſſa 36.29

Brunſwicum 152.18, 99.43, *ibidem* 53, 225. 16, *à quo inchoatum* 51.37, *ibid*.44. *vnde dictum ibid. obſeſſum* 184.1, 345.29. & *deinceps*.

Brunſwicum S. Authoris reliquiæ à quo perlatæ 129.51, *ibidem tumultus* 258.11, 342.32. *grauis controuerſia inter populum & Clerum* 276.48. *Clerus in vrbem redit* 286.38. *Ciues ſolennem pœnitentiam agūt* 261.31

Brunſwiccenſes in Nouam ciuitatem mouent 301.52. *eorundem Duces vnde dicti* 51.42

Brunſwiccenſis terra à Saxonibus quando habitari cœperit 30.42

Brunſwiccenſis ducatus origo 30.50. *primus dux* 204.40

Brunſwiccenſis & Luneburgenſis ducatuum permutatio 295.5

Bugſlaus dux Pomeraniæ 337.28

Bulgarorum Myſiam tenentium origo 2.53

Bulla aurea Karoli IIII. Imp. 250.6

Burchardus Bituricenſis Archiepiſcopus orator 28.42

Burchardus Epiſcopus Halberſtadenſis 303.3

Burchardus Magdeburgenſis epiſcopus 255.4

Burchardus Sueuiæ dux qui domit⁹ à rege Henrico 55.40

Burgundia regnum olim 317.56. *in prouinciā à quo redacta* 100.31

Burgundionum origo 319.8

Buſſo electus Magdeburgenſis 222.45

C

Cacannus Hunorum rex 37.55

Cades inaudita 20.26

Caleſtinus Papa 175.15, 179.23, 203.34, 208.51

Cæſaris nomen vnde 56.26

Cæſaris Commentaria 21.43

C. Cæſaris authoritas 15.42, *ibid*.45.

Calff militis, perfidia 147.12

Calixtus Papa, Milo prius dictus, epiſcopus Vienenſis 133.4, 135.14, *ibid*.23, *ibid*.24

Calixtus Papa 159.37. *à ſchiſmate recedens Beneuentanus fit Epiſcopus* 160.55

Caij Marij Conſulis virtus 12.10

Caius Caligula Imperator 56.46. *vnde illi Caligulæ nomen &c.* *ibid.*

Caius Iulius Cæſar dictator &c. 56.18

Calmaren arx Sueciæ 253.4

Caluen oppidum 261.52

Caluorde dedita 314.18

Caminenſis diœceſis 89.15

Campanæ ad confectionem Euchariſtiæ quando & à quo inſtitutæ 208.26

Canes in vrbes deducere, probri genus apud veteres 72.38

Cannoſſum oppidum 109.10

Canonizatio D. Franciſci 202.50, 204.8

Cantuariorum & Vectuariorum origo 18.3

Capitolium Romanum 111.40

Capella diuini auxilij 31.50

Capuana Eccleſia Metropolitana per quem 88.38

Carauſius à Maximiliano occidi iuſſus 15.29

Carolus, vide in dictione Karolus

Carus Auguſtus declaratur 60.54. *Carinum filium Cæſarem creat ibidem, mors eiuſdem* 61.4

Carinthiæ ducatus 106.18, 248.19

Caſimarus dux Pomeraniæ 165.10

Caſimirus Poloniæ rex 304.35

Caſſinus mons 28.26

Caſtellum S. Angeli Romæ egregiè à Creſcentio munitur 93.22

Caſtitatis exemplum inſigne 97.21, 98.48, 99.50

Catti apud Tacitum, qui authori 4.13

Catulus Bauariæ dux, Latinis quis 122.33

Cedoaldi Anglorum regis ad Chriſtum conuerſio 27.24. *mors & ſepultura* *ibid*.28

Cepionis cur bona publicata 12.9. *primò poſt Tarquinium regem amittit Imperium ibi.*

Cerealis Rom. dux Batauos vt recōciliet Romanis 15.3

Cherſoneſi deſcriptio 10.19

Cherſoneſus Cimbrica Saxonibus paret 6.23. *in Daniæ ditionem venit* 7.43. *vaſtatur ſæpius à Saxonibus* *ibid*.5

Cherſoneſus Cimbrica, vide Iutia

Chidinga vrbs, ad amnem Oſtrit 22.54. *à Saxonibus obſeſſa* 23.15. *capitur* 24.7. *habitanda Saxonibus perpetuò conceditur ibidem* 19

Childericus Merouei filius 21.3

Chorizantes diuinitus puniti 98.2

Chriſtianus de Oldenburg 150.40, *ibidem* 45, 151.15

Chriſtianus Moguntinus archiepiſc. 152.36, 154.52, & *ſequentib.* 159.23, 160.21, 161.1

Chriſtiani nominis primus perſequutor Nero 57.10

Chriſtiernus Daniæ rex 309.36, 311.9, 313.46, 317.35, 330.19

Chriſtophorus adiutor Eccleſiæ Bremenſis 245.12

Chriſtophorus Daniæ rex 217.41, 228.25, 234.

234.55, 237.43, ibid.53
Chriſtus ſub quo Imperatore natus 36.43. crucifixus ibi.41
Cimbriæ inſula 281.35. vt ab Holſatis recepta ibi.&c.
Cimbrica regio 2.4
Cimber quid 10.47, 11.29
Cimbrorum ſedes quæ 10.19, ibid.35, 11.48. celebris expeditio ibid.
Cimbri cum Theutonibus, Romanorum exercitus conterunt 10.11. cæſi, ibid. C. Manlium & Q. Seruilium proconſules bello vincunt 12.6. in Hiſpaniam transgreſſi à Celtiberis impediuntur 10.14. vaſtant Hetruriam ibidem
Ciſtercienſis ordo 149.1
Citzenſis Epiſcopatus fit Magdeburgenſi ſuffraganeus 87.38
Claßicus & Tutor duces in ſocietatem belli acciti 14.53
Claudius Nero in Imperium ſuccedit 56.53. vt ſe geſſerit, & eius mors 57.3
Claudy ſecundi Imperatoris breuis vitæ deſcriptio 60.23
Clemens Papa ſchiſmaticus 261.11, 265.42
Clemens II. Pontifex creatur 102.31. Henricum III. Imp. coronat. ibid. veneno tollitur ibid.38
Clemens III. Papa à quibus creatus 110.24. vt Romam deductus ab Henrico IIII. Imperatore ibid.36. vt Romæ ſe habuerit ibid. 50, 111.29. quouſque durarit 115.5
Clemens IIII. Papa 220.29
Clemens V. Papa 230.48
Clementinæ ibid.53
Clementia ducis Saringiæ filia cur diuortium paſſa 153.17
Clodio dux 20.45
Clodoueus, primus Chriſto fidelis Francorũ rex 22.9. quatuor filios relinquit regnum inter ſe diſtribuentes ibid.
Cluniacenſis abbas legatus Imperatoris ad Pontificem 130.54, ibi.37
Colbeke villa Halberſtadenſis 97.55
Colonia 191.42. ab Henrico IIII. Imp. munita 120.8. obſeſſa ab Henrico V. ibid. item à Normannis 49.20
Coloniæ tumultus 269.13
Coloniam Magorum 3. corpora vnde & à quo tranſlata 152.45
Colonienſis Archiep. in celebri conuentu abbati Fuldenſi cedere coactus 167.51, 168.1, & deinceps
Cometes terribilis 316.51. ab initio Quadrageſimæ in Dominicam paßionẽ 119.50
Comitatus Hertzeneldenſis 140.5
Comitatus de Peyna, vt Hildeſemenſi Eccleſiæ prouenerit 221.12, & deinc.
Comitatus Tirolis 343.21
Comes de Belloioco 336.18
Comes de Henneberge 302.10
Comes ſancti Pauli 319.12, & deinc.
Comes de Retberge 333.37
Comes de Speilberg 300.18
Comites de Anehold 123.1
Comites Holſatiæ 263.53
Comes de Pirmont vnde originem trahat pagina 46.10
Comites de Queruorde 122.38, 137.26
Comites de Regenſteen in epiſcopum Halberſtadenſem mouent 249.10
Comites de Ringelheym qui 48.28
Comites de Scowenborg & Holſatiæ 218.13, 227.4, 234.48, 267.4, ibidem 14. 315.34
Comites de Solmis Weſtphalia eiecti 275.18
Comites de Suppelenborg 137.23
Commodi Antonini Imperatoris breuis vitæ deſcriptio 58.29
Concilium Baſilienſe 296.54, 297.3, & deinceps 299.20, ibid. 29, ibid. 50, 303. 34, 304.6, ibid.55
Concilium Claromontanum 114.27
Concilium Conſtantienſe 102.40
Concilium Florentinum inchoatum Ferrariæ 304.9
Concilium Lateranenſe 133.20
Concilium Leodienſe 138.5
Concilium Lugdunenſe 221.50
Concilium Mantuanum 310.10
Concilium Moguntinum 103.29, 126.42
Concilium Romæ in Conſtantina baſilica pagina 131.1
Concilium apud Trecas celebratum à Paſchali Rom. Pontifice 126.38
Concilium Viennenſe 230.49
Conciliorum authoritas 297.10, ibid.49
Confluentia 169.12
Confirmatio Epiſcopi 146.48
Conradus comes de Aldenborg malè in Phriſones mouet 254.49, & paulo poſt
Conradus archiepiſcopus Colonienſis 215.34
Conradus Guiſcardi 202.50
Conradus Henrici IIII. Imperatoris filius 114.11. mors eius, & continentia cum vxore 115.10
Conradus Karoli Magni dux 38.4
Conradus Herbipolenſis epiſcopus 184.6, pagina 203.26
Conradus epiſcopus Lubicenſis 151.38, 152.

7, 153.40, 155.23
Conradus priùs Lubecenſis, poſt Herbipolenſis Epiſcopus 179.45, *ibid.* 54
Conradus Ludouico patruo in Imperio ſuccedit 54.7, 66.33. *in ſola Alemannia regnat* 54. 9. *cæditur eius exercitus à Saxonibus* 54. 53. *Bauaros, Sueuos & Saxones ſibi aduerſos habet* 66.47. *moritur ſuccedente Saxone* 55.25, 67.10, *ibid.* 31
Conradus Moguntinus Archiepiſco. 168.47, 171.40, 183.35
Conradus II. Henrico Imp. ſuccedit 98.55. *oraculo territus Mediolanenſem obſidionem ſoluit* 100.19. *à Iohanne XIX. corona & Imperij titulis ornatus ibid. Burgundiæ regnum in prouinciam redigit ibidem* 32. *eiuſdem expeditiones* 100. 12. *ibidem & deinceps. mors & ſepultura pagina* 101.26
Conradus III. 141.41. *confirmat in Sax. ducatu Albertum marchionem ibid.* 46. *Marchionatum Brandenbur. vacantem confert* 242.12. *eius expeditiones militares* 143. 1, 144.9. 26.34. & 38. *eiuſdem mors & ſepultura* 145.55
Conradus Sapiens 73.16. *vnde ſic dictus ibid. Euerhardum comitem cædit, Giſelberto Lotharingiæ duce in Rhenum ſe mittente pagina* 74.48
Conradus Germaniæ rex, Friderici II. filius, Henricum Rom. regem electum aggreſſus ſuperat 211.26. *vt hæreſim nouam defenderit* 213.13
Conradus gener Ottonis Rom. regis 81.12. *qui Lotharingiam nactus* 76.34. *rebellionem eidem Ottoni mouet* 81.21. *in gratiam ab eo recipitur* 82.11
Conradi Francorum ducis & regis Ottonis generi, laus 82.26. *in Vngaros quàm fortiter depugnarit* 83.1. *mors & tumulus eius ibidem* 9
Conradus dux Saringiæ 144.37
Conradus comes in Scowenborg 218.33, *ibidem* 38
Conradus Verdenſis epiſcopus 215.1
Conradus comes in Witin 144.38
Conradus de Witin Marchio 115.38
Conſtantinopolis vnde dicta 61.33. *à Sarracenis triennio obſeſſa* 65.5. *à Turcorum Imperatore expugnatur* 307.35
Conſtantini Magni Imperatoris breuis vitæ deſcriptio 61.2
Conſtantinus II. Imperator 64.16. *eiuſdem depoſitio* *ibidem*
Conſtantini, Conſtantij filij, Imperatoris breuis vitæ hiſtoria 64.26
Conſtantini IIII. Imperatoris breuis vitæ deſcriptio 65.7
Conſtantinus V. cum Irene matre imperat, à qua excæcatus 65.15
Conſtantius & Galerius Imperatores &c. 61.13
Conſtantij Auguſti breuis hiſtoria 62.47
Conſtantij Conſtantini II. filij, Imperij breuis narratio 64.21
Conſtantij, Magni Conſtantini patris, mors & tumulus 17.9
Conſtantis, Conſtantij & Conſtantini fratrum Imperatorũ breuis vitarũ deſcriptio 61.28
Conſtantia Friderici II. Imp. mater 199.20
Conſulatus C. Marij quare in plures annos prorogatus 12.10
Corbeienſe monaſterium 47.37
Cornelius Tacitus Germaniæ diligentiſſimus deſignator 21.53. *Italicarum laudum ſtudioſus executor* *ibidem*
Corſorum familia Romæ 111.43
Crema obſeſſa 148.34
Cremona dedita 230.10
Creſcentius Numentanus 91.50. *vrbem ſibi ſubiicere curat* 92.13. *Iohannem XV. Pontificem vrbe excedere cogit ibid. reuertentis Pontificis pedes oſculatur* *ibid.* 23
Creſcentius à Romanis conſul creatus 93.15. *Iohannem Epiſcopum Placentinum, Rom. Pontificem declarat ibidem. Vrbem munit aduerſus Ottonem III. ibidem* 21. *inmento auerſus imponitur & confoditur ibidem* 34
Crito Chriſtiani nominis ſæuiſſimus hoſtis & oſor 125.7
Crucegladiatorum ordo 183.1
Cunigunda Henrici Imper. coniunx 182.52. *eius in Eccleſiam & pauperes liberalitas* 96.31. *virginitas & miracula* 98.47. *miraculosè pudicitiam ſuam ab aliis iniuſtè accuſatam oſtendit* 97.21. *eiuſdem ſepultura, cuius miraculum relatum pagina* 99.11
Cuno Ottonis Bauari filius per inſidias interemptus 115.31
Cuno Palatinus comes 112.30
Cuno Præneſtinus Epiſcopus 131.50

D

Dacia vnde dicta 11.27
Dagobertus Metenſium rex à Saxo. duce ſuperatus 26.20. *eundem viciſſim vincit* *ibid.* 49

Dam

Dam oppidum 341.53, 342,16
Damianus Alanus Epiſcopus 85.29
Dan III. Danorum rex 9.32
Dancmarus Ottonis Magni frater conſanguineus 72.26. *cur rebellis fratri* ibid.39. *ab eo obſeſſus, ſagitta configitur* ibid.52.& 53
Dancquerode arx Brunſwici 99.54, 104.7, *ibidem* 18
Dani ad fidem conuertuntur 78.12. *victi* 278.38. *victos Saxones ad tributa compellunt* 9.45
Danorum in Saxones odium 1.33, *ibi.*4, 2.9, *eorundẽ ſtirps regia mirè conſumpta* 14.25
Demyn Wandaliæ urbs expugnata 161.40
Decij Cibalienſis breuis vitæ deſcriptio 59.52, 60.1
Deciorum apud Romanos gloria 13.34
Deeſtz domina de Kellingdorpe 188.28
Deeſtz nobilis Weſtphaliæ familia ibid.
Delmenhorſt arx obſeſſa 311.11
Delphinatus, principatus Franciæ quis 306.9
Deſiderius Longobardorum rex 29.38, 31.26
Detheri marchionis tyrãnis cõpeſcitur 106.46
Dietherus de Iſenborg 310.40
Dietherus legatus Apoſtolicus 130.30
Diethmari Saxonis militis calliditas 55.4
Digotio 230.43, *ibid.*55
Diocletiani Imperatoris breuis vitæ deſcriptio 61.5
S.S. Dionyſij & ſociorum martyrum templũ in Francia à Chriſto conſecratum 27.17
Diſpenſatio apoſtolica 110.33, 113.46
Diuortium ob ſanguinis propinquitatẽ 292.9
Dola Burgundiæ capta ac direpta 324.9
Domitianus Imperium quot annis tenuerit 57.45. *vt ſe geſſerit, cum eiuſdem morte ibidem* 42
Donatio Conſtantini, Eccleſiæ Romanæ facta, qualis 85.50
Dordracum 249.52, 289.37, 326.4
Dorning arx fruſtrà obſeſſa 264.34
Dracunculi morbo affectus Imperator Henricus V. 137.1
Druſus Nero ad Imperium deſtinatus, in Germania moritur 56.34
Druſi Neronis laus 14.9, *ibid.*14.19. *Germanicum ſuum filium cur nominarit* ibid.9
Duellum inter principes 7.1, *ibid.*40. *& paſſim* 13.3
Duellum detrectare ignominioſum olim 7.39

E

EBerhardus Eyſtetenſis Epiſcopus 119.24 *in Ebbeckeſtorp acre certamen commiſſum* 52.5. *quæ inibi reliquiarum ſanctarum conſecratio* ibid.15, 67.8
Ebo Rhemenſis Archiepiſcopus à Papa omni honore cur deſtitutus 49.38. *Hildeſemenſis tertius Pontifex deſignatus moritur ibidem* 44
Eccleſiæ rebellem eſſe, quantum malum 198.10, *ibid.*52
Eccola fico, *vnde apud Italos* 160.36
Ecelinus 205.3, *ibid.*50, 210.40
Eduardus Angliæ rex, Franciæ regem bello aggreſſus ſuperat 245.55
Egardus annalium ſcriptor 224.34
Egbertus Saxoniæ Marchio, rebellionem reſuſcitat 112.30
Egbertus Saxoniæ marchio Turingiæ Lantgrauios commiſſo prælio capit 104.3. *eius filius Egbertus vt oppreſſus* ibid.10
Egbertus marchio Saxoniæ ad Imperium aſpirans à quibus fruſtratus 94.49. *item à quibus oppreſſus* ibid.53
S. Egidius 42.44
Eidora fluuius 9.14
Electores Imperij à Gregorio V. Pontifice inſtituti 93.38. *quo ordine Imperatori ſua officia deferant* ibid.43, 250.7. *& deinc.*
Elineri vrbs, interfectis habitatoribus, ſuccenditur 72.34
Eliſabeth in Merſburgum tranſlatio 204.49
Elmenow riuus 88.45
Emanuel Græcorum Imp. 161.5
Embica 310.34
Embica, vt in ditionem Brunſwiccenſium Ducum venerit 221.24
Embiccenſes cæſi 325.31
Emma, vxoris Luderi comitis, liberalitas in eccleſiam Bremenſem 95.45. *eiuſdem in ciues* ibid.48
Engelbertus Colonienſis archiepiſc. 100.1
Engelhardus Magdeburgenſis archiepiſcopus 103.32
Epiſcopus de Simonia conuictus deponitur 108.15
Epiſtola Emanuelis Græcorum Imp. ad Fridericum I. 161.5 *eiuſdem reſponſio* ibi.19
Epiſtola Henrici IIII. Imperatoris ad regni principes 120.12. *ad eandem reſponſio ibidem* 50
Ereſberg mons 35.47. *vnde dictus* ibid.
Ereſborg præſidium 30.28
Ereſborg arx à Karolo Magno expugnatur pagina 36.28
Ereſburg vrbs 54.49
Ereſburg vrbs deditur 72.44
Erphordia 167.20, 224.11

Erphordiæ pars magna concremata 316.53
Erphordienſis Academia quo tempore inſtituta 268.18
Erlongus pſeudoepiſcopus Herbipolenſis reſtituitur 117.23
Ericus Daniæ rex 212.18, 213.25, *ibid.* 39, 220.34, 226.10, *ibid.* 54, 275.32. & deinceps
Ericus Kanuti fratris necem vindicãs, tandem ab hoſte obſidetur 138.49, 139.9
Ericus electus Magdeburgenſis 222.44
Ericus Pomeraniæ dux 275.32
Ericus Oſnaburg. epiſcopus, diœceſi à ſuis eiect? 305.16. *à Monaſterienſibus in epiſcopum electus, fruſtratur* 308.34
Ericus dux de Salina, Henricũ comitem de Honſten in congreſſu capit 277.22
Ericus Saxoniæ Dux 242.23, 251.19, 268.14, 271.3, 272.7, 275.2, 287.23, *ibid.* 55, 290.17, 292.30. & *deinc.*
Ericus Sleſwici dux 236.9
Eridagus ſacerdos 47.19
Ermenfredus rex, Turingis præeſt 22.13. *duos fratres perimit ibid. vnde bellum exortum ibid.* 15. *victus ibid.* 23, *ibid.* 53
Erneſtus Gotingenſis dux, Brunſwiccẽſem ſubiicit ditionem 258.6
Erneſtus Halberſtadẽſis adminiſtrator 336.52
Erneſtus epiſcopus Hildeſemenſis 219.36, 315.34
Erneſtus Magdeburgenſ. archiepiſcopus 336.51, 331.53, & 45
Erneſt? dux Saxoniæ, Marchio Miſniæ, vt Quedelenborg expugnarit 321.3
Erneſtus Sueuorum dux & Welpo comes, Imperatori rebelles 141.41
Error de Adolphis Holſatorum comitibus ſublatus 200.24, 206.7
Erteneborg deditum 251.28
Erteneborg arx 165.38, *ibid.* 42, 166.51
Erteneborg oppidum euerſum 302.42
Ethico nobilis dominus in Rauẽsberge 48.34. *Iudith eius filia, Imperatori Ludouico matrimonio iungitur ibid. vt libertatem an..rit* *ibid.* 39
Ethiconis Bauariæ ducis eximia pietas 129.46
Eudo (vel vt alij Vdo) comes Andegauenſis regis Francorum tutor, regium ſibi nomẽ vendicat 67.50
Euerhardus Bambergenſium epiſcopus 95.36
Euerhardus regis Conradi frater in Eliuers vrbem ſæuit 72.31. *quare punitus, Otthoni ſe obiicit rebellionem mouens ibidem*, 73.1, & *deinceps.*
Euerhardus epiſcopus in Mekelenborg 145.4
Euerhardus Saltzburgenſis archiepiſcopus pagina 194.49
Euerhardus Treuerẽſis Archiepiſcopus 103.31
Eugenius Pontifex 296.51, *ibid.* 55, 297.2, & *deinc.* 299.14, *ibid.* 50, 303.33
Euſtachius Albanenſis epiſcopus 85.26
Excommunicatus Otto Romanorum rex ab Epiſcopo Halberſtadenſi 83.39
Expeditio Chriſtianorum in terram ſanctam per Vrbanum Pontificem 114.26
Eyſenbuttel 104.14

F

Facinus in leonem audax 246.37
Familia de Wenſtenzee 264.44
Fauentia dedita 208.55
Fernandus Flandriæ comes filius regis Portugaliæ 197.28
Fernandus Hiſpaniæ rex 339.13
Ferdinandus rex Neapolitanus 328.24
Feſtum Viſitationis Mariæ cur confirmatum à Papa Bonifacio 267.35
Feſulana vrbs à Florentinis capta 98.51
Feudorum vſus 43.25
Feudi concertatio 282.48
Filij rebellantis patri, nouum exemplum 116.18. *vſq. ad caput* 20
Flandrenſium origo 7.15, 323.16, & *deinc.* 329.11, *ibid.* 25, *ibid.* 33, *ibid.* 42, *ibid.* 50, & *deinc.* 331.21, *ibid.* 33, *ibid.* 52, & *deinceps vſq. ad caput* 9
Flandrenſium ſolum Gallicum incolentium origo 42.3
Flandrenſes falſò Cimbros dici 11.45
Flandrenſes cum rege Franciæ pacem ineunt 329.25
Flandri in Wandaliam tranſlati 150.10
Flensborg oppidum 275.53, 278.43. *obſeſſum* 264.33. *vt in Danorum ditionem venerit* 275.53, & *deinc. vt rurſus ereptum, Holſatis ceſſerit* 278.48. *à Dano rurſus occupatũ* 279.1. *fruſtrà obſidione ab Holſatis iterum tentatum* 284.37
Florentia 214.5. *quando primum caput tollere auſa* 98.50. *obſeſſa* 233.10. & *deinc. à Karolo Magno renouata* 38.23
Florentinorum libertas 285.34. *audacia compreſſa* 296.47
Floriani Imperatoris breuiſſima vitæ deſcriptio 60.41
Formoſus Papa 53.4. *à ſucceſſore effoditur & in Tyberim proiicitur* *ibid.* 13
Foroiulienſes Berengarium Imperatorem ſibi conſtituunt 54.11
Francfordia 248.3, *ibid. conuentus celebris* 239.54, 300.37, 303.41, 304.48

Francorum

Francorum nomen vnde 29.33. *item origo* 7.24. *& quanti eam faciant* ibid.
Francia Germaniæ, nunc Franconia 29.34
Francia Orientalis apud ſcriptores, quæ 29.35
Franci in quo reliquas nationes ſuperēt 34.29. *Turingis præſunt* 24.27. *item Auſtraſiæ, Sueuiæ, Baioariæ & Franconiæ* 29.32. *Cameracum Galliæ & Tornacum occupãt* 20.54. *victores Saxonum* 26.48. *cæſi* 324.32. *eorundem in mare vſque Britãnicum excurſus* 15.45
Francorum regnum vt à Karolo magno amplificatum 33.32. *eiuſdem magna contentio* 92.7
Franci & Papa vt ſe inuicem obſequiis efferãt 28.47
Francos ſub Valentiniano migraſſe in Germaniam, falſum eſſe 15.42
B. Franciſcus Aßiſij ſolenniter canonizatus 204.4
Franciſcus nouißimus Britanniæ dux 19.16
Franciſcus Picolomineus cardinalis 314.54
Franconia olim Francia Germaniæ, dicta 29.34. *& quæ mutationis eius cauſa* ibid.
Fregepani ciues Romani 132.51
Friburg arx 151.35, 152.11, *ſolo æquatur ibi.*
Fridericus comes de Arnsberg 130.8
Fridericus Auſtriæ dux Rom. rex declaratus, ab aduerſario vnà electo, captus in carcerē mittitur 234.11. *& deinc.* 239.13. *& deinc.*
Fridericus Bauariæ dux 288.53
Fridericus Bauarus Leoni IX. in Pontificatu ſuccedit 103.55. *Victorq́ appellat⁹* 105.11
Fridericus marchio Brandenburgēſis 277.12, 289.21, 290.32, 292.42
Fridericus dux Brunſwiccenſis 261.32, 262.22, 267.19, 268.30, 270.46, 308.45, 309.1, 313.22, 321.14
Fridericus Burggrauius Nurenburgenſis, fit marchio Brandenburgenſis 285.46. *vt perſequutus publicos hoſtes* 287.16
Fridericus archiepiſc. Colonienſis 259.9, *ibid.* 26, 260.23, 270.45
Fridericus, Friderici I. filius & Sueuiæ dux 173.8. *patre in expeditione mortuo, exercitum ductandi in terram ſanctam, curam excipit* 173.46
Fridericus Halberſtadenſis Epiſcopus 117.4
Fridericus Magdeburgenſis Epiſcopus 312.44
Fridericus Miſnæ marchio 254.14, 300.53
Fridericus Moguntinus Archiepiſcopus 74.11. *vt in carcerem Saxoniæ inciderit* 75.24, 76.29
Fridericus Palatinus 143.10
Fridericus I. 146.12. *cur Barbaroſſa ab Italicis cognominatus ibid. arbiter inter principes conſtitutus ibid. conuentus ab eo celebrati, ibid.* 148.18, 159.41, 166.19, 171.21, 173.1, *expeditiones* 146.37, 148.29, 150.32, 152.47, 160.19, 165.4, *ibid.* 31, *& deinc.* 168.37. *à Pontifice excommunicatur* 148.55. *eidem reconciliatur* 160.52. *Emanuelis Græcorum Imp. ad eum epiſtola* 161.5. *cui Fridericus reſpondet ibidem* 21. *filio, ſe viuente à Papa coronam donari optat* 169.17, 170.23. *diſsidium eius cum Lucio & Vrbano pontificibus* 168.55, 170.17. *cum ſequentib. Alpium vias obſtruit ibid.* 49. *minatur rurſus illi excommunicationem Papa* 171.54. *cum Kanuto Daniæ rege controuertit* 172.20. *eius mors* 173.44
Fridericus II. vt in Ro. regem aſſumptus 197.12. *Romæ ab Honorio Imperator coronatur* 199.17. *ſummo Pontifici rebellis excommunicatur & Imperio deponitur* 199.27. *Henricum filium Germaniæ regem declarat ibidem* 29. *Hieroſolymitani regis, cum titulo regni Hieroſolymitani in dotem dato, filiam ducit* 200.15. *in terram ſanctam expeditionem parat* 201.3, 202.8. *& deinceps. Pontifici reconciliatur* 208.42
Fridericus II. in Italiam mouens, Veronam, Vicentiam &c. vrbes capit 204.50. *& deinceps pagina ſequenti. filium regno deſtitutum & relegatum, cur (vt ferunt) interfici iuſſerit* 204.36. *in Mediolanenſes ducit* 205.32. *rurſus à pontifice excommunicatus ibidem* 46. *vt in Pontificem & alios ſæuiat* 207.27. *& deinceps. tertiò excommunicatus* 210.13. *in Parmenſes mouens vt Victoriam vrbem extruxerit* 210.40, *ibid.* 50. *alius illi regno ſuffectus ab Imperij electoribus* 211.20
Fridericus II. amiſſa vrbe Victoria & euerſa, in fugam pulſus 212.5. *in Placentinos & Hetruriam mouet* 214.3 *&* 4. *mors eius* ibidem 12
Fridericus III. Auſtriæ dux, in Rom. regem electus 304.49. *pacem Eccleſiæ reſtituit* 305.4. *audientes minus Imperio per alios comprimi paſſus* 306.15. *Romam profectus & vxorem & Imperialem benedictionem accipit ibidem* 55. *cunctator* 307.20. *in Bohemiæ regem mouet* 315.4. *Danorum regem in nouum Holſatiæ ducatum inueſtit* 317.38. *Auſtriam amittit* 344.24. *mors eiuſdem* ibid. 41

Fridericus Saxoniæ dux 294.2
Fridericus Siciliæ rex 233.39
Fridericus Sueuiæ dux 134.40,137.1,ibi.31. 153.8
Fridericus Tornacenſis epiſcopus 323. 10, 324.1
Fridlæuus danorum rex 12.43. *eius filius Frotho,* ibid.
Friſlaria oppidum 36.19. *eius eccleſia inſignis, diuinitus ab incendio præſeruata* ibid.
in Friſlaria conuentus Francorum & Saxonũ Principum 55.27,67.28
Froto Daniæ rex 11.10, 12.44
Fuldenſe monaſterium 72.2
Fuldenſis abbas 77.2, *in celebri conuentu ſibi Colonienſem Archiepiſco. cedere cogit* 167. 50. *cum ſequen.*
Fulginatum 202.51
Fulgur terribile 132.38
Furadus orator 28.44

G

Galba in Imperium à quibus aſſumptus 57. 52. *eiuſdem depoſitio & mors* ibidem
Galeatus vicecomes 229.37
Galieni Imperatoris breuis vitæ deſcriptio 60. 16
Gallorum parentes & regni fundatores qui 29.37
Gallorum ſuperbia retunditur 76.47
Galli notati 7.23
Gallici ſcriptores notati 11.47, 15.31
Galli Hoſtilij & Voluſiani eius filij, Imperatorum, breuis vitarum deſcriptio 60.3
Gambeke arx, dedita 281.45, & deinc.
Gandaui tumultus 321.43,334.10,338.23, 339.32,341.6
Gandauenſium temeritas 325.48,331.45
Gandersheim 90.15,98.13
Gandersheym monaſterium à quo extructum 50.55
Garganus mons. 93.5
Gaiſir Aquitaniæ dux 28.38
Garleſe arx, capta 287.13
Garumna amnis 31.22
Gebehardus Conſtantienſis Epiſcopus 119.24
Gebehardus Eccleſiæ Herbipolenſi ab Imperatore præfectus 134.37, *ibid.* 52 *in aduerſariũ monet* ibi.53, 135.2
Gebehardus Saltzburgẽſis archiepiſcopus 107. 40, 112.45
Gebegardus comes de Suppelenborg 122.40
Gebeshuſen arx expugnata 271.47
Gelaſius II. Papa 132.47,133.2
Gelderus Saxonum princeps 8.3. *caſus quo funere ab hoſte decoratus* ibid.19
Gelria 317.10,326.6, & deinc.
Geldrenſes Bataui dicti 7.8,16.14. *eorundem origo & conditio olim ibid. præclarè de iiſdem Tacitus* ibid.
Gelu inauditum 290.42
Georgius Ottenenſis epiſcopus 85.27
Georgius Tudertinus Epiſcopus ibid.28
Gepidarum origo 2.52
Gerberga regina Franciæ 87.7
Gerhardus Bremenſis Epiſcopus 199,9
Gerhardus Hildeſemenſis epiſcopus, Ottonem Brunſwiccenſem aggreſſus, Albertum Halberſtadenſem epiſcopum captũ ſeruat 253. 40. & deinceps.
Gerhardus Holſatiæ comes 206.13, 212.14, ibid.44, 218.37, & deinc. 219.32, 225. 39, 226.35. & deinc. 227.6, 234.49
Gerhardi comitis de Mansfelde horrendum facinus 254.8
Gerhardus epiſcopus Mindenſis 219.17
Gerhardus comes de Oldenborg 311.8,313. 27,314.24, ibid.35, 316.36
Gerhardus Oſnaburgenſis epiſcopus 196. 53. *in archiepiſc. Bremenſem confirmatur ibid.* 54,198.37
Gerhardus Sleſwici dux 219.25,264.8,267. 30,270.4,298.6. & deinc.
Gerita puella ex regia Danorum ſtirpe ſola relicta, in ipſis nuptiis ab Haldano abducitur legitimum cum eo coniugium contrahens 14. 25. & deinc.
Germanorum parens quis 4.31
Germania vt à Tacito deſcripta 4.30
Germaniæ laus 7. 22. *in Germania regium nomen quando vſurpari quando eſſe deſierit* 54.13
Germaniam vt deploret Auguſtus 14.18
de Germanæ linguæ iniuria, querela 5.44
Germaniæ & Galliæ ante Iulium Cæſarem Romanis vt incognitæ 7.7
Germani Italis barbari 2.32. *Puppieni & Albini Imperatorum corporis cuſtodes* 59.32
in Germanos Imperatoris electio trãsfertur 93. 39. *item Imperium occidentale* 65.17
Germanorũ de Romanis victoria 12.25. *præclara facinora* 2.34
Germanorum mercatorum claſſis ab Hiſpaniæ finib. prohibita, à rege intercipitur 286.43
Germanis cur excidium comminatus 100.19
Germanicus Druſi Neronis filius unde ſic nominatus 14.9. *eiuſdem laus* ibid.13
Geroldus Aldenburgẽſis electus 146.35. *ib.*42
Geroldi Baoariæ præfecti mors 33.15

Geroldi Sueuorum ducis, bellum cum Saxone 47.9
Gertrudis diua monialis 29.28
Gertrudis vxor Henrici comitis de Northem 104.18, *& dein.*
Gertrudis nobilis fœmina, S. Authoris reliquias Brunſwicum aduehit, erecto ibidem monaſterio 129.51
Gibellini qui 207.36, *ſæuiunt* 216.41
Giſelbertus Bremenſis Archiepiſcopus 223.33, 227.14
Giſelbertus Lotharingiæ dux 67.40, *vt regno exuere Karolum Simplicem tentet ibid.*
Giſelbertus Lotharingiæ dux vt rebellionē inter Ottonem Magnum & Henricum fratres foueat 73.7, *eundē Otto perſequitur* 74.2, *ab hoſte præuētus in Rhenum equo ſe demittit, ibiq; perit ibid.* 49
Giſla filia principis Wādaliæ de Warle 99.30
Glaciē decidiſſe quæ ædificia ſubrueret 133.33
Gladio cruciatorum ordo 183.1
Gneus & Anatrog Wandalorum Principes 182.1
Godfridus dux, Chriſtianæ expeditionis ductor præcipuus, in ſanctam terram 114.29, *& ſequentibus*
Godfridus Holſatorū dux à Wandalis per inſidias occiſus 123.19
Godfridus Lotharingiæ dux Henrico Imp. rebellis, ab illo capitur 102.45
Gordiani Imperatoris breuis vitæ deſcriptio 59.38
Goſlaria vrbs à quo fundata 71.10
Goſlaria capta miſerè diripitur 185.26
Goſlariæ vrbis initia, & vndè tā mirificè vrbs ornata 103.42
Goſlarienſes 334.32 *cæſi ibi.*38
Gotelo Lotharingiæ dux 102.1
Gotfridus Belgicorū dux bello ſuperatus 21.14
Gotfridus Danorum rex mittit nuncios ad Karolum Magnum 42.7
Gotfridus Danorum rex Obotritos oppugnans, à Karolo Magni filio impugnatur ibid. 28, *cum nauibus* 200 *in Phriſiam venit. eo. nu. eius mors ibid.*
Gotfridus Lotharingiæ & Brabantiæ dux 97.30
Gotfridus & Sigefridus, Normannorum regij proceres, cadunt 52.43
Gotfridi Normannorū Ducis vanitas & mors 33.23
Gothi 2.52, 4.46, 317.48
Gottingenſes 334.31, *obſeſſi* 263.14, 267.48
Gottorpe arx 276.24, 279.44, 280.33, 284.30
Gottorp arx, obſeſſa 236.15
Græcia quando Imperium conſequuta 44.14
Græcorum vnio cum Rom. eccleſia 299.29, 303.38, 304.9
Gram Danorum rex 6.3, *eiuſdem controuerſia cum Phinnorum rege ibid.* 10, *in nuptiis Saxoniæ regem opprimit ibi.* 29, *idem à Saxonibus oppreſſus ibid.*
Grando immenſa 133.34
Gratioſus Prænestinus Epiſcopus 85.26
Grauia capta 226.18
Gregorius Montelongus 205.22, 210.43, 211.41
Gregorio Papa inſtante, Euangelium Angli ſuſcipiunt 19.29
Gregorius Pontifex 202.9, 16.30, 204.2
Gregorius Papa Auinione ſedens 253.50
Gregorius V. qui Pontificatum adeptus 93.3, *Ottoni III. Imperij coronam imponit ibid. vrbem cur relinquere cogatur ibid. quando reſtitutus ibid.* 36, *Sanctionem de Imperatoris electione edit ibid.* 38, *mors eius ibid.* 53
Gregorius VII. Papa creatur 107.55, *Wormatiæ aduerſus eum cōcilium cogitur* 108.17, *& deinceps. Henrico IIII. gubernationem, dignitatem, & regni titulum interdicit ibid.* 40, *eundem poſteà in eccleſiæ ſinum recipit* 109.24, *conſulitur de regni cauſa* 110.1, *Epiſcoporum aduerſus eum congregatio, in qua Ro. ſede deſtituitur, Clemente III. in Pontificem aſſumpto* 110.22, *à Romanis in caſtello S. Angeli Romæ obſeſſus* 111.39, *per Guiſcardum Normannum libe ratur, & in Campania moritur* 111.11
Gregorius VIII. ſchiſmaticus 133.1, *captus & à Calixto Papa in monaſterium detruſus ibid.* 53
Gregorius X. Pontifex 221.50
Gregorius XI. Papa 260.10
Grilo Karoli Magni dux 38.4
Groningenſium cum vicinis vrbibus ſimultas 288.13, *inclinatio ibid.*48
Grone arx 289.49, 290.3
Gruona vrbs 55.2
Grypho Marcelli filius cur à fratribus captus 28.13
Grypho ad Saxones confugit, collectoq; exercitu Pipino fratri occurrit 28.28, *Taſſi'onem ducatu proturbat ibi. capitur & dimittitur ibid.*
Guelphi qui 207.36. *ſæuiunt* 216.40
Guido princeps Turrianorum 229.47
Guido Spoletanus dux, Italiæ rex declaratur 79.23, *pugnat cum Berengario Imperatore*

deſignato ibid. ab Arnulpho Imperatore expellitur 79.34
Gunterus archiep. Magdeburgenſis 271.50, 277,13, 293.33, 278.42
Guncelinus Dapifer 185.21
Gunterus comes de Sualenberg 222.47
Guncelinus comes de Zuerino 155.25.163.5, ibid.17, 164.25, 187.20, 212.19, Lubicam ab Imp. miſſus 242.1
Gunterus comes de Zuartzenborg, Rom. rex à quibus, & aduerſus quem electus 248.3, eiuſdem mors 248.12

H

HAchemolen arx, expugnata 300.4
Haddingus Daniæ rex 6.47, fugatus 6.49
Hadeleri ad Albiæ littus, à Karolo Magno domantur 40.53
Haduida vxor Hugonis Pariſiorũ comitis 87.7
Hadriani Imperatoris breuis vitæ deſcriptio 58.9
Hadrianus pontifex 30.1, 31.25, 38.35, 147.13
Hæreſis noua in Sueuia 213.3
Halberſtadij miſera clades 163.36, epiſcopatus vnde 37.21
Halberſtadenſium tumultus 291.11
Halberſtadenſes obſeſſi, cum magna vrbis calamitate deditionem faciunt 337.6, & dein.
Halberſtadenſis eccleſia cur, à quo, & quomodo fundata 46.37
Hallenſes 293.41, 300.19, 301,1
Hallis tumultus 324.43
Hama Saxo duellum cũ Dano experitur 12.52, 13.4, ſuccumbit ibid.10
Hamburgũ 40.17, & dein. 124.23, 259.52, 275.24, 279.46, 212.38, 228.33, vnde dictum 13.13, 40.25, ibi.32, & dein. Metropolitana ſedes fere ibi conſtituta 42.35, & ſeq. ſubuerſum à Wilſis Wandalis ibi. 39, inſtauratur rurſus ibid.
Hamburgẽſes 342.52, ſacris interdicti & cur 249.40
Hamburgenſis eccleſiæ primus Epiſcopus quis 47.39, priuilegia renouata 102.48, et Bremenſis eccleſia incorporata 47.37
Hamburgenſis cum Bremenſi Eccleſia vnitur, omni eius honore & poteſtate in Bremẽſem tranſlata 50.12, & paulo poſt.
Hanſa eiicere, quid 258.22
Haraldus & Reinfredus vt regnum Daniæ conſequuti 47.26
Haraldus regno eiectus, fœdus cũ Ludouico Imperatore percutit, baptizatuſq; cum armatura forti in Iutiam mittitur ibi.
Harelongi nobiles 74.7
Hartwicus præpoſitus, quid Bremenſ. eccle. præſtiterit 140.37, eiuſdem Eccleſiæ Archiepiſ. 16.53, 144.51, captus ibid.18
Hartwicus II. Bremenſis archiepiſ. 169.44, 172.33, 182, 5
Hartwicus Hamburgenſis epiſcopus 153.30
Hartwicus Ratiſponenſis Epiſcopus 117.47
Haſa fluuius 32.1
Haſſones vtrum Saxoniæ portio 3.36
Hatto Moguntinus archiepiſcopus 53.35. 54.36, & dein. in prælio cadit 66.53
Hauelbergenſis. Epiſcopatus fit Magdeburgenſi ſuffraganeus 87.39
Hebertus Viromãdorum comes qua perfidia vſus in Carolum Simplicem 68.5
Heideba nunc Sleſwicum 77.48
Helgo Saxoniam vaſtat 7.32
Heliogabali Imperatoris breuiſſima vitæ deſcriptio 59.12, cum ſeq.
Hemelſcheborg arx capta 337.48
Henningus Danorum rex fœdera percutit cum Imperatore Ludouico 47.23
Henningus electus Hildeſemenſis 316.17
Henningus Hildeſemenſis epiſcopus 333.12
Henricus Aretinus Parmenſis prætor 210.33
Henricus Argentinenſis epiſcopus 194.49
Henricus Auſtriæ dux 155.35
Henricus de Badewide comes 141.54, 142.53, ibid.25, 143.21
Henricus Ethiconis, domini in Rauensberge, filius, Bauariam in feudum qua arte ab Imperatore cõſequutus 48.36, Aurei currus dux cur dictus ibid. & ſeq.
Henricus in Italiam mouet 80.20
Hẽricus Bauariæ dux rebellis Ottoni II. 89.36
Henricus Bauariæ dux ab Ottone II. fratrueli capitur 90.32, qua occaſione rurſus dimiſſus ibid.
Henricus Bauariæ dux quid Gertrude coniuge ducta dotis nomine acceperit 139.42
Henricus de Bauaria, cum Alberto Marchione de ducatu Saxoniæ contendit 141.31, & deinceps, mors & ſepultura eius 143.19
Henricus Bonus, Sifridum & Tiadericum comites & marchiones filios habet 140.26 & dein.
Henricus Abbas Brunſwickcenſis 155.24, 157.8, & deinceps.
Henricus Bruſwickcenſis dux 240.33, 274, 24, & dein. 315.40, 333.26, ibi.46, 337.22, 345.5
Henricus Burgundiæ dux 90.2
Henricus Campaniæ comes & rex Hieroſolymitanus 180.7

Henricus Catulus Bauariæ dux 142.1

Henricus Craſſus, Ottonis Bauari filius 115.14, *in Phriſia cum aliis caſus* ibid.35

Henricus Cardinalis Epiſcopus Albanenſis 173.12

Henricus Ot. Sax. ducis filius, Pragã ad deditionẽ vrget 69.15, *eiuſdẽ expeditiones* 55.40, 68.55, 69.35, *ibi.* 50, *ſingularis eius modeſtia & prudentia* 54.30, *& dein. exiſtimatio apud exteros* 56.1, 70.14

Hẽrici (Ottonis Saxoniæ ducis filij) Imperatoris laus 70.42, 71.2, *vrbes ab eo fundatæ ibi.* 10, *Epiſcopi conſtituti ibi. & ſequen. Monaſteria ab eo & relicta vxore erecta* 71.20, *teſtamentum & mors, & eiuſdem tumulus ibid.*48

Hẽricus Bauarus Ottonis I. nepos, primus ab Electorib. in vim nouæ conſtitutionis electus & aſſũptus Imperator 94.40, *circa electionem eius cõtrouerſia* 95.7, *eius caſtitas ibi.* 33, *Giſlam ſororẽ Vngarorũ principi cõiungens & principem & regnum omne ad fidẽ pertrahit ibi.*38, *Bambergenſiũ Epiſcopatũ primus erigit ac dotat ibi.*35, *Eccleſiæ Bamber. duo monaſteria adiicit* 96.29

Henricus Bauarus Imperator, Ottonis I. nepos, Romæ pont. benedictionem accipit Imperatorq́ cõſalutatur 95.3, 97.11, *Papiæ tumultum ſedat ibi.*16. *Marſeborg comitatus partem, Eccleſiæ Marſeburgẽſi attribuit ibi.*18. *eiuſdẽ humilitas ibi.* 27, *expeditiones quas habuit militares* 95.11, *& dein.* 96.40, *ibi.*45, 97.5, *& dein.*

Henricus Bauarus Imperator, Ottonis I. nepos, ad colloquiũ cum Roberto Francorũ rege cõuenit 98.33, *conuentũ celebrẽ in Germania agit ibid.*41, *eiuſdem virginitas, miracula, mors & ſepultura* ibid.46

Henricus III. à Conrado patre rex deſignatus 101.24, *ſucceditq́ illi in omni ſua ditione* 101.37, *in Italiã ſchiſmatis cõponendi cauſa profectus, ibiq́ Imperij titulis inſignitus* 102.23, *paci ſtudet ibid.*40, *conſulitur à Ro. de eligendo Pontifice* 103.7, *intereſt Moguntinæ ſynodo* 103.30

Henricus III. Imp. quid Goſlariæ in Saxonia præſtiterit 103.41, *prima expeditio in Vratiſlaum Bohemiæ ducẽ* 102.5, *ducit in Balduinũ Flandrenſiũ comitem* 104.55. *mors eiuſdem & ſepultura* 105.22

Henricus IIII. in Ro. regem eligitur 105.3, *eo adhuc puero, duo per Imperium conſules ordinarij creantur ibi.* 50, *adoleſcẽs quid paſſus, quidve fecerit* 106.30, *Saxonia, conſpiratione Saxonũ territus, cedit* 107.43, *Romæ defertur ibi.* 49, *in Saxones ducit* 108.4, 113, 55

Henricus IIII. vt aduerſus Gregoriũ VII. Ro. Pontificẽ cõſpirarit 108.16, *& dein.* 110.16 *vt rurſus ab eo exceptus & correpť ſit* 108.40, 109.31, *& dein. Septem ſolia Romæ in deditionem accipit* 111.43, *ſynodum Moguntiæ indicit* 112.31, *cauſa eius cum Pontifice habita à doctis diſcutitur ibi.*41, *ſecundas nuptias Coloniæ contrahit* 113.13, *à Cõrado filio ob ineptos mores reſpuitur* 114.11, *ex Italia Ratiſponã reuerſus Iudæos baptizatos ad Iudaiſmũ redire permittit ibid.* 46. *Moguntiæ cum Principibus colloquitur ibi.*49, *à pontifice excommunicatio in eum renouatur* 115.3, 118.9, *rurſus anathematizatur à Papa* 118.45, *vt tandem Imperio exutus ſit* 119.8, 116.18, *poſt dimiſſum Imperium qui ſe geſſerit quidve fecerit ad mortem vſque* 119.40, 120.8, *& dein.*

Henricus V. quo ordine ad Imperium peruenerit 116.13, *& deinc. legatio ad Rom. pontificem* 119.18, *& ſeq. negocium quod ei cũ patre poſt ſucceſſionem in regno fuit* 119.40, *& deinc. idem quid cum Pontificibus* 126.44, *& dein.* 135.41

Henricus V. vt conſecratus à Pontifice & Imperator declaratus ſit 129.4, *variæ aduerſus eum conſpirationes & defectiones* 129.9, 130.38, 133.6, *conuentus ab eo celebrati poſt mortem patris* 126.41, 127.11, 133.9, 135.41, *expeditiones eiuſdem militares* 127.9, 128.11, *& deinc.* 129.20, 130.6, 134.8, 136.8, *ibi.*35, *mors eius &c.* 137.4

Henricus VI. Friderici I. filius, rex declaratus 187.41, *cum ſeq. Conſtantiam monialem regis Neapolitani filiã ſibi matrimonio iungit* 170.4, *Confluentiæ canonicos male afficit* 169.11, *item Italiæ epiſcopum* 170.29 *in Saxoniam mouet* 174.54, *Henricũ Leonem certis conditionibus in gratiam recipit* 175.5, *in Italiam contendit ibi.* 12, *Romæ coronatus ibid.*26, *Apuliam armis ingreditur & Neapolim fruſtra obſidet ibid.*30, *&* 34, *expeditiones reliquæ* 177.44, 179.30, *& dein. mors eius* 180.53

Henricus VII. Rom. rex deſignatus 229.1, *in Italiam cum expeditis contendit ibi.* 19, *& deincep. Romæ excitato tumultu coronatur* 232.6, *Roma mouens, Florentinos fruſtra obſidet* 233, 9, *& deinceps, mors eius* 234.3

Henricus VII. Angliæ rex 338.41

Henricus dux Forouilianus peremptus 33.14

Hẽricus Friderici II. Imp. filius Germaniæ rex,

uiuēte patre, declaratur 199.28, Brunſwicum fruſtratus amittit 201.6, regno à patre deſtitutus 204.36, & dein.
Henricus Holſatiæ adminiſtrator Wandalorū terram deuaſtat 142.41, ibid.43
Henricus & Iohannes Holſatiæ comites 229.29, 225.44, 240.24
Henricus comes de Honſten, captus 277.22, 303.3
Henricus Lotharingiæ dux 119.53, ab Henrico V. Rom. rege ducatu priuatur 120.3
Henricus epiſcopus Lubicēſis 155.24, 159.21
Henricus dux Luneburgenſis 267.44, 277.9, ibid.53
Henricus dux Luneburgenſis 337.41
Henricus Magdeburgenſis epiſcopus 117.7, 119.22, 120.52
Henricus princeps Magnopolenſis 235.46, 236.5, & dein.
Henricus epiſcopus Mindenſis 219.17
Henricus Mirabilis Traſſyluanorum dux 223.21, 244.34
Henricus epiſcopus Monaſterienſis 301.30, 302.48
Henricus Monaſterienſis epiſcopus 318.14
Henricus & Nicolaus Holſatiæ comites 251.12, 252.3, ibid.14
Henricus Obotritorū dominus 222.15. ibi.39
Henricus comes Orlemunde 151.1, 192.24
Henricus electus Oſnaburgenſis 264.53, 273.48, 289.9
Henricus Oſnaburgenſis epiſcopus 219.26
Henricus, Ottonis Saxo. ducis filius 54.27, primus ex Saxonibus Rom. rex ibid. 55.32, ut Saxoniam adminiſtrarit 54.31, inſidiæ illi ſtructæ 16.35, & deinc. à ſuperuenientibus Francis mirabili conſilio liberatus ibid. ut Rom. regni inſignia nactus 55.28, ibi.32, Imperatoriam dignitatem oblatam ut recuſet ibid.36
Henricus Ot. Sax. ducis fil. qui Conſtantini Magni lanceam nactus 68.30, cum Vngaris inducias pactus 69.3, ut ſuos ad pugnam inſtruat ibid. Brandenburgum cum prouincia ſibi ſubiicit ibid.11, Gronam Dalmatarum urbem expugnatam militi cur permittat ibid.13, fœdera cum Ludouico rege iungit 70.29
Henrici, Henrici Aucupis filij, laus 70.50
Henricus Leo 143.20, 148.33, in Saxonia cōfirmatur 143.51, Fridericum in Sueuia oppugnat 145.14
Henricus Leo, Saxoniæ armorū inſignia mutat 46.52, ut ducatu Saxoniæ priuatus 47.3
Hēricus dux Leo, Saxoniæ Principes cur aduerſantes habeat 150.23 & deinceps, peregrinatio eius in terram ſanctā 155.16. cū ſeq.
Henricus dux Leo, ad expeditionem Italicā rogatus ab Imp. 159.45, ibid. 51, & dein. indignationem ob hoc Imp. incurrit, & omni honore ſolenniter deſtituitur 162.29, cum ſeq. de illata iniuria ſibi conqueritur ibi.32, ab aliis rurſus oppugnatur & excommunicatur ibid.36, & dein. anathemate ſoluitur ibi.52, mouet in Weſtphaliā 163.1, in Vlricum Halberſtadenſem 163.31, in Thuringiam 164.10, in Adolphum III. Holſatiæ comitem 164.44, mouet in illū Imp. 165.2, cum ſeq. in gratiam Imp. redire tentat 166.14, in exilium abit ibid.36, reuerſus in Saxoniam 169.48, euocatur ab Imp. 173.14, Stadenſem comitatum recipit cum Holſatia 173.11, Bardewicū euertit 174.15, Lubicam in deditionem accipit ibid.31, Item Louenborg arcem ibi. arcem Zegeberge oppugnari iubet 174.36, Holſatiam reſtituere cogitur &c. 175.8, ut recuperationi priſtini honoris ſtudeat 177.33, cū præced. mors eius 177.50, 178.48
Henricus Leonis ducis filius 175.11, 177.35, fit Palatinus Rheni 177.44, intereſt expeditioni ſanctæ 179.24, 181.21, minanti Philippo regi accedit, fratrem Ottonem deſerens 185.3, ibi.16
Henricus Padeburnenſis Epiſcopus 117.3
Henricus electus Raceburgenſis 192.27
Henricus Ratiſponenſis epiſcopus 194.51
Henricus Sankenſtede legum Doctor 317.53
Henricus Sardiniæ rex 210.22
Henricus Saxonum rex 6.20, in uxorem filiam regis Phinnarum accipit ibi. opprimitur inter ſacra nuptiarum ibi.29
Henricus Saxoniæ dux 148.20, 149.28
Henricus dux Sleſwiccenſis 289.20
Henricus Thuringiæ Lantgrauius aduerſus Fridericū II. Rom. rex electus 211.20, à Conrado Friderici filio diſſipatis copiis ſuperatur ibid.26, mors eius 212.50
Henricus de Zwartzeborg comes, in latrina ſubmerſus 167.23
Henricus Zwerinenſis comes 193.1, facinus eiuſdem audax & memorabile 199.38
Hērici duo, pater & filius, Bauariæ duces 129.35
Henriciana hæreſis damnata 119.29
Heraclij Imperatoris breuis vitæ narratio 64.11
Heraclius & Tiberius fratres in Imperij cōſortium admiſſi ibid. 26
Herbipolis 117.23, 134.14, & deinc. unde contra-

contractum vocabulum 113.2, à Saxonibus obſeſſa ibid. 3
Herbipoli generalis conuentus indictus 134. 48
Herbipolenſi Eccleſiæ debitum Franciæ ducatũ eur Conrado nepoti concedat Henricus V. Imp. 130.48
Herculius Maximianus conſors fit Imperij 61.8
Heribertus Colonienſis Archiepiſcopus 95.7, miraculis claret 97.40
Heribertus Hildeſemenſis epiſcopus 194.51
Herlinberg arx, à quo extructa 184.6
Hermannus Bambergenſis pontifex 107.46, 108.15
Hermannus Biling Saxoniæ gubernator 71. 16
Hermannus Colonienſis Archiepiſcopus 103. 31
Hermannus Archiepiſcopus Hamburgenſis 101.13
Hermannus Hartesburgi comes 184.50
Hermannus Haſsiæ Lantgrauius, electus Hildeſemenſis 316.17
Hermannus Hildeſemenſis pontifex 150.36
Hermannus Lotharingiæ dux Rom. rex declaratus 112.24, cur Alliorum rex dictus. ibi. regis depoſito nomine, Henrico IIII. Imperatori reconciliatur. cũ eius morte 113.9
Hermannus prouinciæ ad Albim tutelam ab Ottone accipit 84.18, dux conſtituitur 88. 4, Luneburg arcem extruit ibi. 42, moriens filium Bennonem ſucceſſorem relinquit 92. 29
Hermannus Sueuorum dux 73.16, 77.33
Hermannus Thuringiæ Lantgrauius, Northuſen & Molhuſen vrbes, in beneficium accipit 184.30
Helmoldus de Zwerino comes captus 174.47
Hermannus comes de Wintzenborg, ob conſtupratam alterius vxorem, à marito cũ coniuge propria confoſſus 144.22
Hermolaus Barbarus 335.50
Hertzeuelde Bremenſis diœceſis 141.3
Heruli vt affectent Germaniæ originem 7.21
Heruordia 47.7
Heruordenſes in Oſnaburgenſes pugnantes victores 295.16
Heſdunum Artheſiæ captum 322.27
Hetruria ab Vngaris deuaſtata 79.45
Holſatia 186.31, 188.21, 309.54, vnde dicta, & quos terminos habeat 124.4, ad Adolphum comitem de Scowenborg vt peruenerit 123.31. 124.1, ibid. 52, regi Danorum cedit 309.39, 313.27, diuiditur inter filios Danorum regis 331.1, & deinc. fit ducatus, illo Daniæ rex inueſtitur 317.37
Holſati, alias Tranſalbiani Saxones, alias Nordalbingi 41.6, Obotritis Wandalis arma inferunt ibid. ducit in eos Karolus Magnus ibid. eorum pagi Obotritorum fiunt 42.1
Holſati pro prædicatore rogant 125.14, cur ad Daniæ regem concedentes proprium comitem oppugnent 186.27, & deinceps. vt Danis paruerint 187.35, 188.21, & deinc. qui in libertatem, excuſſo Daniæ iugo, ſe vindicarint 189.4, Plone Wandalorum præſidium capiunt 142.45, eorundem clades in Thietmarſia 273.8, & dein. & cum Danis contentio 239.5
Hiddeſacker arx, dedita 313.5
Hildebaldus Archiepiſcopus Colonienſis 39. 42
Hildebertus Moguntinus archiepiſcopus, cum breui eius vitæ annotatione 72.1
Hildebrandus cardinalis 105.14
Hildebrandus monachus 103.13, Ro. Eccleſiæ Subdiaconus & OEconomus fit ibid. 22
Hildericus Franciæ rex regno priuatur 28.39
Hildeſemenſium tumultus 333.21, & deinc.
Hildeſemenſis Eccleſiæ fundatio 46.37, motus 316.16, & dein. 321.13
Hildeſemenſis Eccleſiæ inſignis initium 49.5
Hildewardus Halberſtadenſis Epiſcopus 87. 22
Hogenſtegen præſidium 248.34
Hotum oppidum à quo incenſum 105.2
Holdenſten, ad Albim locus 42.10
Hollandinorum bellum maritimum 304.12
Honſten arx oppugnata 254.40
Horborg arx 264.18
Horeburg arx 151.35, 152.9. & dein. 164.4
Horneborg arx 260.49, euerſa 204.47
Honorius Papa 138.4, 199.2
Honouer oppidum 154.39, captum 224.36, oppugnatum 337.31
Horne oppidum expugnatum & munitum 274.39
Horſa & Hingeſt fratres 18.11
Hoſtis cæſi exequiæ 8.23
Hotherus Suediæ rex cur eum Baldero congreſſus 8.3. & dein.
Hugo Abbas 92.8, vnde cognominatus 90.9, qua occaſione regnum occuparit ibid.
Hugo Abbas Cluniacenſis 120.36
Hugo Arelatenſis, Rodulpho ſucceſſori Berengarij II. in regno ſuccedit 80.5, & ſeq. cum Berẽgario III. Longobardiã diuidit ibi. 17
Hugo Capetus dux, Ludouicum Frãciæ regem

captum Lugdunum mittit 76.44. eundem laxat 77.11, in eum cur ducat Otto Ro. rex 76.45, & 77.9
Hugo Magnus 90.2, 92.8
Hugo Oſtienſis cardinalis epiſcopus 194.46
Hugonis Italiæ regis legatio 70.14
Hundingus Sax. Princeps in duellum euocatus 7.30, & 42
Hungarorum Pannonias tenentiũ origo 2.53
Huni, vnde dicti & profect. 4.41, & dein. territi diuinitus fugiunt 40.2, in fugam acti 20.30, in Pannonia à Karolo Magno oppugnantur, maximumq; prælium cõmittitur 32.33
Hunorum terra deſcribitur ibid.47
Hulſt 339.44, 340.35
Hunoldum in Aquitania rebellantem Karolus Magnus ſubiicit 30.11, 31.20, & dein.
Hydruntum expugnatum à Turco 328.3, obſeſſum à duce Calabriæ 328.28

I

IAcobus Columna Prænestinus epiſcopus cardinalis 208.28
Ianua obſeſſa 152.35, expugnata 153.10
Ida nobilis ex Sueuia mulier 140.46
Ieiunium ante pugnam indictum 82.29, violare, piaculum 99.20
Ierſicus Bohemiæ rex 315.3
Ieſſe Ambianenſis epiſcopus orator Karoli Magni 41.48
Ignis è cœlo lapſus 226.8
Imaginum veneratio 236.17
Imperium occidentale iacet 63.2, renouatum & ad Germanos tranſlatum 65.20
Imperium Romanum quando declinare cœpit 27.48
Imperator Rom. ſeruus effectus 60.14
Imperatoris nomen vnde 56.21
Imperatoris mira demiſſio & patientia erga Romanum Pontificem 109.13
Imperatoris cuiuſdam vita aliorum merito ſpeculum 122.10
Imperatores excõmunicati 148.55, 196.52, 197.11, 199.24, 205.47
Imperatores bimeſtres aut trimeſtres cur in Imp. catalogo non recenſiti 63.6
Imperatorum Romanorum catalogus 56.14
Innocentius Papa Ottonem Imp. excommunicat 197.8
Innocentij Papæ epiſtola Decretalis, aduerſus Adolphũ Colonienſem archiep. 189, 49. eiuſdem epiſtola ad Ottonem IIII. Rom. regem 191.13
Innocentis hominis occiſi miraculum 94.15
Innocentius II. Papa 138.5
Innocentius IIII. Papa 204.26, 206.31, 209.30, ibid.49
Inſulæ Flandricæ 336.9
Inundationes maris grauiſſimæ in Hollandia & Selandia 289.36
Iodocus marchio Morauiæ 259.11, 267.18, 268.25, 269.2
Iohannes Albertus Poloniæ rex 344.38
Iohannes Antonius Campanus 314.55
Iohãnes Bauariæ dux veneno extinctus 292.6
Iohannes Bohemiæ rex 239.55
Iohannes Bohemiæ rex 245.25, 246.1, 247.40, & 46
Iohannes Brandenburgenſis marchio 302.37. 342.44
Iohannes dux Brunſwickcenſis 220.12, & dein. 221.7
Iohannes Capenolle Gandauenſis capitaneus 332.13
Iohannes Capiſtranus ordinis Minorum 308.1, ibid.17
Iohannes Daniæ rex 330.47
Iohannes Græcus Epiſcopus Placentinus, Rom. Pontifex declaratur 93.18, oculis orbatur ibid.33
Iohannes Græcorum Imperator 299.28
Iohannes epiſcopus Halberſtadenſis 289.19, 291.33
Iohannes rex Hieroſolymitanus 200.16, 202.28, 203.9
Iohannes Hildeſemenſis epiſcopus 221.13, 289.22, 290.53
Iohãnes comes de Hoia ab Oſnaburgenſibus captus laxatur 305.49
Iohannes Holſatiæ comes vt à Lubicenſibus exceptus 217.17, ibid.49, vt illos rurſus exceperit 217.52, mors eiuſdem 218.7
Iohannes & Gerhardus fratres Holſatiæ comites 206.13, 212.14, 218.37, arma mutuo ſibi mouent ibid.39
Iohannes Hus conuictus & damnatus 277.51
Iohannes Largus, Holſatiæ comes 234.48
Iohannes Leodienſis epiſcopus 286.10, 289.40
Iohannes Lubicenſis epiſcopus 283.41
Iohannes Magdeburgenſis epiſcopus 312.40, 314.10
Iohannes Mindenſis epiſcopus 224.1
Iohannes Mindenſis epiſcopus 244.23
Iohannes epiſcopus Monaſterienſis 309.5, 312.42
Iohannes X. Papa 55.35
Iohannes XII. Papa 83.50, 84.42, vt in Cardinales animaduertat 84.48, mors eiuſdẽ 86.15
Iohannes XIII. Papa qui à Romanis tractatus 88.1,

88.1, cauſa per Ottonem Imperatorē diſcutitur ibid.16, Ottonem II. Imperiali diademate honorat ibi.36, Capuanam Eccleſiam metropolitanam conſtituit ibid.37
Iohannes XV. Pontifex vrbem relinquere coactus 92.15
Iohannes XXII. Pontifex 234.16
Iohannes Peruſinus Epiſcopus 85.27
Iohannes archiepiſc. Rigenſis 286.10
Iohannes dux inferioris Saxoniæ 312,29
Iohannes Semeca Decreti gloſſator 220.26
Iohannes Sleſwickcenſis epiſcopus 278.29
Iohannes Stargardiæ captus 290.33
Iohannes Treuerenſis archiep. 194.48
Iohannes Verdenſis epiſcopus. 309.12
Iohannes II. Wagriæ comes 218.38, & 43, 220.37, 227.17
Iohannes Zwerinenſis epiſcopus 286.33
Ioppe à Saracenis expugnata 180.16
Iordanus dapifer 174.48
Iordanus nobilis Siculus, ab Imp. ferreæ cādenti ſedi cum corona impoſitus 179.34
Ioſeph patriarcha Conſtātinopolitanus 303.30
Iouiniani Imperatoris breuis vitæ deſcriptio 61.42
Irene Conſtantinopolitana Imperatrix ad Karolum Magnum Oratores mittit 41.45
Irene Conſtantini V. mater quot annis imperarit 65.17
Iringi militis, authoritas quanta 22.27, legatio ad Francorum regem 23.28, proditio in proprium regem 24.15, proditoris eiuſdem exitus ibi.
Iſara fluuius ex occiſorum cadaueribus conſuetum fluxum remittit 90.2
Iſo Verdenſis epiſcopus 194.52
Itali, contempto Imperio, ſuos in prouincia Imperatores conſtituunt 54.10
Italici ſcriptores notati 67.15
Italicarum ciuitatum mira facies & diſſenſio 207.37
Itzeho 189.6, 270.2, 272.42, 289.14
Iubileus annus quando & à quo inſtitutus 94.34, 224.54
Iudæi in carcerem coniecti à Bauaro 288.51, inuiti baptizati, ad Iudaiſmum permittente Imperatore redeunt 114.47
Iudith Imp. Ludouici coniunx confiсto crimine traducta 47.48, cogitur continentiam in monaſterio profiteri 48.1, marito Impe. redditur ibid. eius pater quis 48.4
Iulianus Cardinalis 297.1, 304.6
Iuliāi Imperatoris breuis vitæ deſcriptio 61.35
Iulius Cæſar an ſeptem in Germania arces (vt aiunt) fundarit 21.30, cur ciuile bellum in Senatum excitauerit 39
Iulius Cæſar primus claſſe, Britonum inſulā ingreſſus 17.4
Iulius Ciuilis, rebellionis author 14.53
Iulius Didius IC. vt ad Imperium peruenerit 58.42
Iunde arx capta 334.31
Iuſtitiæ zelus in Principe 278.2, & dein.
Iurgēborg ad Goſlariam à quo fundatū 99.47
Iuſtini Imperatoris breuis hiſtoria 63.33
Iuſtini minoris, breuis vitæ deſcriptio ibi.44
Iuſtiniani Imperatoris breuis hiſtoria ibi.38
Iuſtiniani II. Imp. breuis vitæ narratio 64.31
Iutia 10.24, per quē ad Chriſtū conuerſa 77.46 Saxonibus paret 5.54, in Daniæ ditionem venit 7.47, vaſtatur ſæpius à Saxonibus ibid.
Iutiæ prouinciæ deſcriptio 10.23
Iutas Danos, Cimbros dici 11.23

K

Kanutus Daniæ rex 100.36, 172.20, 177.13, 185.47
S. Kanutus dux, Slewiccenſ. ducatum adminiſtrat 125.5
Kanutus Sleſwici dux ab Imperatore coronam accipit 138.15, mors eiuſdem ibid.23
Kanuto Magni filio, Daniæ pars deputata 145.20
Karlomannus Martelli filius patri vt ſuccedat 28.8, Saxones qui domuerit ibid.19. Romæ conſtructo monaſterio fit monachus, relicta fratri regni adminiſtratione ibi.23, ad Caſſinum montem cur tranſeat ibid.
Karolomannus & Pipinus, Gryphonem fratrē capiūt 28.14, & 35, Alemannis arma inferunt & Aquitaniam componunt ibid.
Karlomānus Pipini filius vt patri ſuccedat 29.28, 31.8, Sueſſione coronatur 29.30. moritur, tranſlato in Karolū fratrem regno ibi. 39, 31.11
Karolus Burgūdiæ dux 315.11, 317.9, 318, 1, cum ſequentib. multis
Karolus Caluus puer adhuc deſtituto patre imperio 47.51, cum fratribus grauiſsimā pugnam edit 49.24
Karolus Caluus Ludouicum Germaniæ regem ſuperat 51.7, eiuſdem mors ibid.35
Karoli Calui Imperatoris hiſtoria breuis 65.41
Karolus Craſſus, Germaniæ regis filius, vt Imperium adeptus 52.30, volens Imperio ceſſit 52.38
Karolus rex Franciæ 19.17, 295.49, 328.47
Karoli Franciæ & Germaniæ regis, breuis Imperij narratio 65.20
Karolus dux Gelriæ 338.52, 339.4, 341.10

Karolus Magnus & Karlomānus fratres, Pipino patri patruoq́, Karlomanno ſuccedūt 31.6
Karolus Magnus Chriſtianam religionem Saxoniæ infert 18.51, 29.39, *fit Imperator* 35.2, 41.36, *bellum eius primū Aquitanicum* 31.16, *bellū Wandalis infert* 32.29, *Hunis ibi.* 34, *Holſatis* 41.6, *Normānis* 33.20, *Saracenis pulſis, Vaſconiā & Pampiloniam recipit* 37.13, *à Beneuentanis belli minis territis fidelitatis ſacramenta exigit* 32.6, *bellum in Hiſpania gerit* 30.34, *Bohemicum & Liburnicū bella peragit* 33.19, *Pannoniam ad Rabam fluuium deuaſtat* 40.2, *in eum coniuratio à proprio filio* 33.54, 34.1, *Longobardorum regem Deſideriū in exilium mittit* 31.27, *Italiæ ſubactæ Pipinum filium præponit ibid. bellum maximum gerit contra Saxones* 30.16, *Romanam Eccleſiam prædiis multis amplificat.* 29.46, *munera ei oblata à Perſarum rege* 42.19, *eius natiuitas* 29.44, *opera* 34.7, *& dein. Sermones patrum, Homilias SS. & Martyrologia quæri ac cōſcribi iubet* 36.26
Karolus Magnus ſe viuente filiis regnum diuidit 42.16, *quot annis regnauerit* 33.31, *eiuſdem mors & ſepultura* 42.53, 43.1
Karolus Karoli Magni filius, miſſus à patre aduerſus Saxones decertat 38.14, *in Bohemos agens, Lethonem ducem occidit* 42.16, *Danorum regem Gotfridum impugnat ibi.* 32
Karolus Martellus, præfectus aulæ Francicæ Saracenos pellit 27.50, *Saxones oppugnat* 28.3
Karoli III. Imperatoris hiſtoria breuis 65.52
Karolus IIII. Ro. rex electus 245.24, 247, 40 *alius ei per electionem Rom. rex opponitur* 248.2, *aurea eius bulla* 250.6, *Mediolanū fruſtra obſidione tentat* 255.31, *Lubicam ſolenniter ingreſſus* 259.8, *Wentzlaum filium Ro. regem declarat* 260.19, *vt Imperij opes exhauſerit* 260.40
Karolus Siciliæ rex 222.2
Karolus Simplex 67.46, *Robertum Burgundiæ ducem cædit* 68.4, *vt captus ab homine perfido ibi.* 6, *item mors* 70.15
Ketter ‿ Angermunde, oppidum vnde dictū à Brandenburg. marchione ſubigitur 287, 16
Kiil oppidum 206.47, 218.3
Kilonenſes 252.24
Kiuermont arx Lotharingiæ 75.49
Klotzeke arx 267, 28
Koningeſlutter in Saxonia monaſterium, à quo fundatum, mutatum & magnis indulgentiis ornatum 141.25
Krodo Saxonibus vocabulum execrationis, vnde ortum 37.22
Kyrie eleiſon, à Chriſtianis cum hoſte congredientibus, exclamatum 69.37

L

Ladiſlaus Vngariæ & Bohemiæ rex, Auſtriæq́ dux 304.42, 307.5
S. Ladiſlai Pannoniæ regis mors 114.22
Lalandia 248.24
Lanceæ Conſtantini Magni deſcriptio 68.33, *hanc adorat Otto Magnus cum aliis, victoriaq́ potitur* 73.36
Lantgrauius Haſſiæ in Padeburnenſem mouēs 313.12
Laureſheimenſis abbatia 74, 25
Laureſſa & Corbeia cœnobia 103.48
Lecca amnis Bauaros ‿ Alemannoſq́ dirimit 32.19
Lemegow oppidum 242.18
Lenditum in Francia quando inſtitutū 27.22
Leodium 119.55, 132.33, *obſeſſum* 329.31, *expugnatum* 315.11. *& deinc.*
Leodienſis terra Saxoni tributaria 21.21
Leo Belgicæ dux inito prælio cadit 21.14
Leo Papa 34.54, 41.13
Leo VIII. Papa 84.42, *exemplum eiuſdem literarum ad Ottonem Imperatorem* 85.4, *eiectus ad eundem Ottonem confugit* 86.15 *per quem reſtitutus rurſus à ſede pellitur* 86, 28
Leo IX. Rom. Pontifex 103.21, 104.28
Leo II. vt Imperium adeptus 64.35, *depoſitus & occiſus* ibid. 39
Leo III. Imp. 65.4, *hoſtis imaginum* ibid.
Leonis IIII. Imp. breuis vitæ hiſtoria ibi. 12
Leonina vrbs ad Wokeniſſam lacū à quo extructa 154.3
Leonina vrbs Romæ ſuburbium 110.48, 111.6, *vnde ſic dicta* ibid.
Leonina ſtirps 187.34
de Leone, fabula 159.12, 178.53
Leproſus diuinitus mundatus 27.17
Letho Bohemorum dux occiſus à quo 42.15
Lewarden oppidum captum 288.15
Lex in mulieres Saxones 26.4
Libētius Archiepiſcopus Hamburgenſis 101.3
Libertatis vis 13.15
Liborius Padeburnenſi Epiſcopatui præfectus 40.6
Liburni cum bellum à Karolo Magno peractū 33.20
Lichtenberg arx 184.50, 185.9
Licinius à Galerio prius Cæſar, pòſt à Conſtantino Magno ‿ Auguſtus deſignatus 61.21
Liemarus Bremenſis archiepiſcopus 113.25
Linea ducum Brunſwickcenſium 244.15
Linea Karoli Magni 29.22, 53.22

Linea

Linea ducum Saxoniæ 242.38, 243.10

Linea comitum de Scowenborg & Holſatiæ 218.13

Linow arx reſtaurata 232.22

Linow præſidium euerſum 248.50

Lipoldus electus Moguntinus 182.49

Lipſiæ gymnaſiũ publicũ quãdo cœpit 274.51

Liſmona 102.54

Liuonia quando & per quos ad fidem conuerſa 181.52, 182.13, & dein. 198.46

Lotharius Saxoniæ dux 136.3 & 12

Lotharij Imperatoris breuis hiſtoria 65.32

Lotharius Ludouici Imp. filius, vt patris Imperium inuaſerit 43.54, *vt eundẽ rurſus reſtituerit* 48.4, *conſors Imperij cõſtitutus* ibi. 6

Lotharius (qui Luderus propriè) Saxoniæ dux, vt ad Imperium peruenerit 137.20, & ſeq. *Expeditiones quas militares habuit* 137.52, 141.12, & dein.

Lotharius Franciæ rex cum conſobrino ſuo Ottone II. de Lotharingia contendit 89.42, & deinc. *ad eam recuperandam rurſus ſe conuertit* 92.2

Lotharingia vnde dicta 49.34, *Saxoni tributaria* 21.20, *quib. nominib. inſcripta* 89.43

Louenborg arx 167.2, ibi. 31, 174.32. 177.1, 186.7, ibid. 44, 187.9, & dein. 201.51

Louwenrode arx expugnata 257.11

Lubica 78.43, 138.35, & deinc. 142.27, 143.30, 152.28, 153.53, 154.4, 176.2, 187.38, 241.10, 242.1, 259.3, 270.35, 316.45, 325.21

Lubicenſes 314.27, *Danis ſubiecti in libertatem ſe vendicant* 201.50

Lubicenſium & Hamburgenſium expeditio 287.33

Lubicenſium bellum cum Holſato comite 226.30, *in magiſtratum tumultus* 275.3, *pietas* 203.23

Lubicenſis Epiſcopatus ex Polonia in ditionem Brandenburgenſem tranſlatus 87.40

Luceria Apuliæ ciuitas 208.38

Lucius Papa 168.37

Ludericus Abbas 89.5

Luderus comes, Bennonis Saxoniæ ducis frater 94.51, 95.45, ibid. 53

Luderus Saxoniæ dux, vt inferioris ducatum nactus 113.21, 122.30, & ſeq. *quare Lotharius poſt ſumptũ Imperiũ dictus* ibi. 35, 137.30, *vt ad Imperiũ peruenerit* ibid. 31,

Ludolphus Auſtriæ dux Zuiceros inuadens cũ omni Auſtrali nobilitate cæditur 262.44, & 263.1

Ludolphus Baſilienſis epiſcopus 194.51

Ludolphus Halberſtadenſis antiſtes 215.11

Ludolphus archiep. Magdeburgenſis 183.52, *ei Albertus præpoſitus ſurrogatur* ibi.

Ludolphus Saxoniæ princeps Romã, religionis cauſa profectus, reliquias inde adfert 50.22, *Tres eius filiæ moniales, quarta regina Francorũ* 50.54, *extruxit monaſteriũ* ibi. *Quieuit in pace* 51.38

Ludouicus marchio Brandenburgenſis 240.22, & dein.

Ludouicus Balbus, Karoli Calui filius, in Imperatorem aſſumitur 52.29

Ludouicus Nihil faciens cur ita dictus 67.44, *patri Ludouico Balbo hæres ſcribitur* ibid. *moritur filio relicto Carolo Simplici* ibi.

Ludouicus Bambergenſis epiſcopus 260.12

Ludouicus Bauarus & Fridericus Auſtriæ dux Ro. reges ſimul electi 234.10, & dein. *Ludouicus, capto aduerſario, fruſtra Pontificis in electionem ſuam aſſenſum poſtulat* ibi. 15

Ludouicus Bau. Ro. rex, Romã venit coronaq́; inſignitur 239.47, *permagnificũ conuentũ Franckfordiæ agit* ibi. 54, *conſpirant aduerſus eũ principes, alium ei ſubſtituentes* 245.15, *mors eiuſdem* ibid. 38

Ludouicus Delphinus regis Franciæ validã armatorũ manũ in Rheni ripam ducit 306.8

Ludouicus Flandriæ comes 246.5

Ludouicus Francorum rex 145.39

Ludouic⁹ Karoli Magni filius Imperator declaratur 42.41, *Tranſalbianam regionẽ Bremenſi & Verdenſi pontificibus commendat* 47.19, *cum ſeq. abbatiam extruit* ibid. 32. *arbiter inter duos de regno cõtendentes conſtitutus* ibi. 43, *Imperiũ eius à filio occupatum* ibi. 54, *Imperio à filiis reſtitutus* 48.4

Ludouicus filius Ludouici Imp. Germaniæ rex 49.37, ibi. 54, *nepoti Ludouico Imp. Lotharingiæ partem permittit* 50.6, *vt Saxoniæ præfuerit* ibi. 35, *in Wãdalos pugnat, Normannoſq́; coercet* ibi. 45, *Karolo Caluo in Italiam tendenti cum exercitu, occurrit* 51.6, *eiuſdem mors* ibi. 15

Ludouicus Lotharij filius Imperiũ cũ Italia, in diuiſione à patre accipit 49.50, *Lotharingiæ pars illi aſſignata* 50.7, *mors eius* 51.3

Ludouicus Arnulphi Imperatoris filius, in Imperium ſuccedit 53.40

Ludouicus Karoli Simplicis filius, cõiecto in carcerẽ patre cũ matre ſe ad Anglos recipit 68.13, *inde euocatus in patris locũ rex aſſumitur* 70.16, *deſciſcunt ab eo Franci* ibid. *fœdera cum Rom. rege iungit* ibid. 29, *Lotharingam relictam, vxorem ducit* 75.17, *ingratitudo eius in Wilhelmum Normannũ* 70.30, 75.40, *capitur* 76.42

Ludouici Pij Imperatoris breuis vita hiſtoria 65.27

Ludouici II. Imperatoris hiſtoria breuis ibi. 36

Ludouici III. Imperatoris hiſtoria breuis ib. 47

Ludouici IIII. Imp. hiſtoria breuis 66.21

Ludouicus Leodiẽſis Epiſcop⁹ 321.50, 329.28

Ludouicus dux Luneburgenſis 244.53

Ludouic⁹ Magdeburgẽſis epiſc. 224.2, 244.24

Ludouicus prouincialis Thuringiæ comes captus 164.11, 165.34

Ludouicus Thuringiæ Lantgrauius, B. Elizabeth maritus 201.4

S. Lugderus, primus Monaſterienſis Epiſcopatui præfectus 40.8

Lugdunum 77.12

Luitpoldus Mogũtinus Archiepiſcopus 104.30

Lullo Moguntinenſis Epiſcopus 39.14

Lupoldus Marchio 112.29

Lupoldus dux Sueuiæ 94.46

Lupold⁹ Auſtriæ dux 194.54, 195, 22. 229.22

Luneborg monaſterium 101.9

Luneburg arx à quo extructa, & quæ eius appellationis cauſa 88.42

Luneburgenſis ducatus arma 88.9

Luneburgenſes vt Magnũ ducẽ Alberto ſubſtituto eiecerint 256.5, ibid. 37, 257.4

Lupia amnis 30.39

Lupus Vaſconiæ dux, Karolo Magno ſe cum tota prouincia permittit 30.11, 31.22

Luſatij vnde dicti 3.27

Luſuntius fluuius 3.13

Luthmundus præpoſitus 141.10

Luticiorum gens 105.46

M

Macedonia vaſtata 12.1

Macedones poſt exitum Alexandri Magni quò ſe verterint 1.35

Macrinus & Diadumenus eius filius, Imperatores, vt Imperium conſequuti 59.6, *mors vtriuſque* ibid.

Magdeburgum collapſum reſtauratur, fundato ibid. monaſterio 77.19

Magdeburgenſis & Halberſtadenſis Eccleſiarũ contentio 272.1

Magdeburgenſiũ tumultus 271.39, 297.15, *ſæuitia* 255.3

Magnopolẽſis domin⁹ in Ducẽ creatur 248.23

Magnus dux Brunſwickcenſis 251.37, 255.33, 256.5, 257.40

Magnus Caminenſis epiſcopus, pòſt Hildeſemenſis 271.5

Magnus Hildeſemenſ. epiſcopus 291.4, 293.46, 296.13

Magnus dux inferioris Saxoniæ 122.29, ibid. 53

Magnus rex Suediæ, vt regno deſtitutus 252.37, 253.20

Magnopolitana Eccleſia quò tranſlata 152.30

Magorum triũ corpora, Coloniam vnde & à quo tranſlata 152.44

Mahumetes Imp. 328.29

Manegoldus Patauienſis epiſcopus 194.50

Manfredus 214.14

Marcellus falſarius 294.13

Marchionis nomen vnde, & quando cœperit 70, 1

Marchionatus Danorum Sleſwici & Brandenburgi, quando & à quo inſtituti 69.50

Marchionatus de Landesberg 244.26

Marci Antonini Imperatoris Ro. maximum in Macomannos bellum 15.12

Marci Antonini & Lucij Commodi Antonini Imperatorũ breuis vitarũ deſcriptio 58.22

Marcomanni Wandali Boios Bohemia pellunt, & ab iis inhabitatur 3.16

Marcomannicum bellum in Germania 58.7

Margareta Danorum & Normannorum regina 263.53

Marcradus Holſatorum præfectus 164.51, 166.47

Marcus epiſcopus in Vallerſleue 71.21

Maria Karoli Burg. ducis filia 318.10, 321.36, 329.4

Marinus Apoſtolicus nuncius 310.28

Marquardus Weſtenzee 248.47

Maritimæ ciuitates regi Daniæ confœderantur 279.30

Marſerborg comitatus magna pars Marſeburgenſi Eccleſiæ attribuitur 97.18

Martiani Imperatoris breuis hiſtoria 63.12

Martinus Narnienſis epiſcopus 85.26

Martinus Niger in Anglia cæſus 338.29

Martinus V. Papa 285.20, 286.30

Martina vt ſibi & filio Heracliom Imperium compararit, vtq; amiſerit 64.17

Maſſagetæ oppugnantur 270.36

Matthias Vngariæ rex 246.42, 315.8, 328.18, ibid. 51, 335.42, 344.22

Matthias Speiart 334.12, 340.41

Mathildis prima Abbatiſſa in Quedelinborg 71.25

Mathildis comitiſſa 109.22

Mathildis matronæ nobilis, quã Italici ſcriptores multum laudant, origo, laus, pietas, prudentia 113.36, ibi. 41, ibi. 50, 110.26, ibi. 37, 114.3, & dein. 115.10, 129.40

Mathildis vxor Hẽrici Ro. regis 70.33, *Ottonẽ & Hẽricũ filios plene inter ſe cõciliat* 76.16

Mathilda Henrici Leonis vxor 156.27

Mauritius comes de Aldenborg captus 274.44

Mauritius adminiſtrator Bremenſis 250.49
Mauritÿ Cappadocis, Imper. breuis vitæ narratio 63.54
Maxentius à Cõſtantino Magno victus 61.22
Maximilianus Friderici III. Imp. filius, vxorẽ Karoli ducis filiam accipit 318.10, 321.34, 323.12. *controuerſia eius cum Francorum rege ibid.* 21. *& deinc. in Rom. regem creatur* 335.20. *in Francos ducit* 336.5. *Flandriæ ſtatus conuocat, ærarium inſtructurus ibid.* 37, 338.14, 339.13. *qui à Brugenſib. captus* 340.20. *& dein. fruſtratur ſpõſa ſua* 343.43. *& deinc. cum ſequenti. in Vngariam ducit* 344.35
Maximus tyrannus in Galliis purpuram ſumẽs Gratianum Imperatorem opprimit 62.10. *& ipſe à Theodoſio oppreſſus* ibid. 13
Maximin⁹ Cæſar in Chriſtianos crudelis 61.19
Maximini Imperatoris breuis vitæ deſcriptio 59.26. *Maximini monaſterium Treuirenſe* 87.36
Mediolanum fruſtrà obſeſſum 255.32. *diuinitus obſidione liberatur* 100.16, *ibid. ſeditio* 229.32
Mediolanenſes victi 205.34. *eorundem expugnatio, ſummam ipſis ignominiam adferens* 160.23. *& ſeq.*
Megedeborg caſtellum 37.32
Meinardus Herbipolenſis epiſcopus 113.7
Mekelenborg ciuitas 126.23
Melchior Zwerinẽſis epiſcop⁹ 244.37, 265.50
Meldorp oppidum ab Holſatis captum 272.29
Menſium nomina Germanica, à quo inuenta 35.13
Merouæus Francorum rex 19.52, 20.20
Mersborg vrbs 66.34. *à Karolo rege obſeſſa* 66.51. *renouata* 71.13. *dedita* 73.47
Meynerus, ſiue Meynardus, in Liuonia Chriſtũ annunciat 181.55
Militum olim in conſtituendis & deponendis Imperatoribus licentia 58.47, 60.9
Milo Sarracenus 158.6
Minorum fratrum, ſingulare exemplum 206.13. *& deinc.*
Mindenſis Eccleſia cur, à quo & quomodo fundata 46.36
Mindenſes tumultuantes, vrbis ſuæ concilium eiiciunt 274.28. *banno imperiali adacti eiectos recipiunt* 274.33
Mindenſium pons ſuper Viſurgum 271.52
Miraculum 49.1
Miſa fluuius 3.14, ibid. 26
Miſna Saxonibus paret 71.14. *munitur, primo conſtituto in ea epiſcopo* ibid.
Miſnenſes vnde dicti 3.26
Miſnenſis Epiſcopatus fit Magdeburgenſi ſuffraganeus 87.38
Miſithæus Gordiani prætorio præfectus 59.41
Miſſam vt peregerit Holſatiæ Comes iam Minorum ordinem ingreſſus 206.43
Miſtiwoi Poloniæ dux rebellat Imp. Conrado, Chriſti fidem abiiciens 99.48
Miſtiwoi Boleſlai Poloniæ regis filius rebellis Henrico Imp. 97.48. *Ruſſos victor ad Chriſti fidem cogit* ibid.
Miſtiwoi Wandalorum Princeps 98.17
Modoẽcenſium cum Mediolanenſibus diſceptatio 100.7
Moguntia obſeſſa 81.27. *& deinc. ibid. tumultus* 299.44. *& maximus Principum cõuentus* 118.16. *eiuſdem pons in Rheno extructus igne conflagrat* 33.39. *item eius archiepiſ. captus Brunſwici ſeruatur* 216.18
Moguntiæ clades inſignis ob duos in diſcordia electos põtifices 310.38. *arx ad Rheni fluenta & publicum literarum gymnaſium à quo extructa* 311.2
Moguntini ob Epiſcopi cædem puniti 149.26
Molhuſen 184.30. *& Molhuſenſes* 290.6
Molne oppidum 275.4
Monarchia à quo inuecta 56.19
Monaſterium Weſtphaliæ, unde nomen habeat 40.10
Monaſterienſes Weſtphaliæ, Epiſcopo ſuo graues 133.40. *item Epiſcopatus à quo inſtitutus* 40.9. *& ſeq.*
Monaſterium B. Mariæ ad oppidum Stadenſe 144.1
Monaſterium fratrũ Carthuſienſium in Arnſboke 252.9
Monaſterium in Hagereſtorpe 143.39
Monaſteriom in Hartesborg multis prædiis dotatum 99.48
Monaſterium Dominarum in Quedelenborg 253.32
Monaſteriũ Waſteen à quo extructũ 268.38
Mons Sancti adiutorÿ 31.52
Morbi genus mirabile circa Niueruam 115.20
Mori pro ſuorum ſalute quantum 13.33
Morinum obſeſſum 324.15. *& deinc. deditum* 338.47
Moſellanorum ducatus 104.50
Mymyngrode Weſtphaliæ locus, qualis 40.7. *& ſeq. in eo epiſcopatus conſtituitur* ibid.
Myndyn arx apud Weſeram fluuium ibid. 14

N.

N*Anſeium obſeſſum & deditum* 339.51, 320.2. *recuperatum* ibid. 12
Narſes Italiæ rector vt contumeliam ab Imperatrice illatam retorſerit 63.46

Nemetenſe palatium 39.45
Neronis Imperatoris vita breuiter 57.5
Nerua vt ad Imperium peruenerit 57.52. *Vlpium Traianum Crinitum adoptat, cum eius morte* ibi.53
Neuſtria, hodie Normannia, à Normannis occupata 52.24
Nicephorus vt Conſtantinopolitanum regnum inuaſerit 41.49. *mittit oratores ad Karolum Magnum* ibid.
Nicephorus Conſtantinopol. Imp. cur à ſuis interfectus 88.26
Niclotus Obotritorum princeps 144.41, 149.53, 150.1
Nicolaus archiepiſ. Bremenſis 293.25
Nicolaus Holſatiæ comes 252.17, ibid.29
Nicolaus IIII. Papa 224.24
Nicolaus de Neapolis I.C. 266.3
S. Nodoaidus Treuirorum Epiſcopus 29.22
Noæ filios orbem terrarum diuiſiſſe 4.19
Normanni, qui Gallicis ſcriptoribus 49.16
Normannorum centum millia cæſa 66.17
Normannorum digraſſandi per littora Germaniæ & Galliarum libertas 49.19
Normannis vt paruerit Britannia 19.13
Nordalbingia veteribus quæ 5.7. *Dano paret* 192.23
Nortbertus archiep. 125.34
Northem 334.32
Northuſen oppidum 116.40, 184.30. *ſuccenſum* 164.10
Northuſenſes vrbis ſuæ concilium gladio cædūt 258.44
in Northuſen monaſteriū Mathildis regina extruit 71.27
Nouaciuitas obſeſſa 81.53
Nouauicus 204.32
Nouimagij ſuper Walam palatium à quo extructum 33.43. *palatium Imperatoris ſuccenſum* 104.49
Nouogardia Ruſsiæ ciuitas capta 321.23
Noxiorum 4000. *& quingenti, gladio plectuntur* 38.10
Nuborg fruſtrà oppugnatur 264.22
Numerianus Auguſtus declaratus, cum eiuſdē morte 61.2
Nuptiæ conditionib. firmatæ 253.3. *& deinc.*
ob Nuptias puellæ atrox pugna 8.6
Nurenbergenſes acre cum Burggrauio bellū gerunt 307.7
Nurenberg arx obſeſſa 117.21
Nuſsia 213.55, 214.39. *obſeſſa* 318.1

O

Obotriti in Normānorum ditionem veniūt 33.25
Ocko primari⁹ Phriſonū cur à ſuis cæſus 268.6
Octauianus Imperator 33.51
Octauius primus Auguſtus dictus 56.36
Odilo Baioariæ dux 28.16
Odo Campanenſis comes cæſus 102.2
Odoacer Bohemiæ rex 184.24, 185.33, 194.53
Odoacris Wandali in Italia mors 63.26
Odoacris Sax. dux 21.4
Oliuertus 322.22
Ono ab Vngaris rex electus, p̄lio funditur 102.12. *& deinceps.*
Oppenheim 108.28
Oratio Rom. regis, ad regni prælatos & principes 195.2
Ordo Crucegladiatorum 183.1
Ordo Theutonicorum ibi. 11, 203.13. *& dein.*
Ordulphus inferioris Saxoniæ dux 106.5, 107.4
Orientis Imperium in tria diuiſum 306.50
Oſnaburga 35.40
Oſnaburgēſis eccleſia cur à quo & quomodo fundata 37.8, 46.36
Oſnaburgenſes ab Heruordenſibus victi 295.16. *vt comitem de Tekeneborg armis vrgeant* 262.35
Oſtienſis Cardinalis 134.47
Oſtphali qui, vnde dicti, & qui à Weſtphalis diſtincti 30.47
Ottenſlund vnde mari nomen 78.2
Ottersberge arx 204.45
Otto comes de Balenſtede, pater comitū de Anehold 123.1, 130.19. *armorū eius inſignia* 123.11
Otto Bambergenſis epiſcopus 119.23, ibid.45, 134.33, 136.15, ibid.47
Otto Brandenburgenſis marchio 186.44, 215.10. *& deinc.* 22
Otto Bauarorum dux 106.31, ibid.50, 107.10. *& deinc.* 108.12
Otto Bohemiæ dux 175.37
Otto Bremenſis archiepiſcopus 245.1, 258.4, 274.41
Otto princeps Brunſwiccenſis 254.35, 265.33. *& deinc.*
Otto dux Brunſwiccenſis 223.54, 224.36, 226.18, 204.38, 289.48, 294.48, 295.4
Otto Friderici I. filius 155.32, 160.50
Otto Friſingenſis epiſcopus 194.50
Otto Halberſtadenſis epiſcopus depoſitus reſtitutus 138.3
Otto & Henricus fratres comites de Rauēsberg 115.42
Otto electus Herbipolenſis 193.51
Otto Hildeſemenſis epiſcopus 215.2, 221.20.

20, 223.4, 244.19
Otto dux de Leina 268.52, 269.36
Otto princeps Luneburgenſis 201.10. & dein. 203.46, 204.38
Otto dux Luneburgēſis 245.30, 300.15, 306. 21, 312.13, 313.3
Otto Magnus Magdeburgenſem epiſcopatū inſtituit 46.39
Otto Miſnenſis Marchio 184.25
Otto Monaſterienſis epiſcopus 275.18, 289. 23, 292.3
Otto Ludolphi Saxonum principis filius 50.53, principatum arripit 52.26, 53.19, ibi.24. mors eius 54.17
Otto Galbæ Imp. ſucceſſor 57.16
Otto, Hērici Aucupis filius, vt in regno patri ſuccedat 71.44. Magnus cur cognominatus ib. 52. expeditiones quas habuit militares 72. 15, 73.32, 74.35, 75.6, 76.45, 77.7, ibid. 51, 80.40, 81.19, 82.19, 88.39. in Italiā Pontificis cauſa contendit 87.54. ab Epiſcopo Halberſtadenſi excommunicatus 83.40. in Italiam per literas à Cardinalibus vocatus ibi. 53. Berengarium III. & Albertum in exilium proſcribit 84.34. Henricum fratrem rebellem in gratiam recipit 85.6. fundat tres epiſcopatus 78.33. eiuſdem mors & ſepultura 89.23
Otto II. Imp. à Pontifice coronatus 88.36. patri in Imperio ſuccedit 89.34. de Lotharingia contendit cum rege Franciæ ibid. 46. Vdalricum Bohemiæ regem oppugnat 90.20. Wandalos domat 89.39, 90.35. Sclauoniā & Dalmatiam inuadit 90.52. à Græcis ſuperatur 91.12. à piratis interceptus 91.18. Beneuentum captum deinde ſpoliatum incendit 91.21. eiuſdem mors & ſepultura ibidem 33
Otto III. Imperator creatur 81.53. in Wildeshuſen præcepta conſtitutaq; edit 92.48. Romam capit, Creſcentio deſignato conſule interfecto, & Iohanne Rom. pontifice electo, oculis orbato 93.33. obſidetur Romæ in palatio ibidem 47. vxorem Mariam cur concremari iuſſerit 94.20. mors eius ibidem 28
Ottonis tertij, de eligendis Imperatoribus, conſtitutio 45.12
Otto IIII. Henrici Leonis filius, Rom. rex creatur confirmaturq; 183.17, 193.51. copias in aduerſarium Philippum educit 184. 53. Romæ coronatur 169.2. & 18. Romam oppugnat ibidem 33. in Apuliam mouet ibidem 50. conuentus ab eo celebrati 193.49, 194.2, ibidem 45, 195. 42. à papa anathemate percuſſus 196.52. demum abſolutus moritur 199.3
Otto comes de Scowenborg 257.40, 309.37
Otto de Swinfurde Sueuorum dux 106.14
Otto de Wiltisbach comes Palatinus 193.18. Philippum Rom. regem interfecit ibid. & 193.36. proſcriptus & truncatus 194.7

P

PActum legis commiſſoriæ 276.1
Padeburna 30.32, 37.2, 38.14
Padeburnenſis eccleſia cur, à quo & quomodo fundata 38.28, 46.36
Padus fluuius 122.14
Paganorum continentia 6.14
Praga 274.46. & deinc.
Pannonia ad Rabam fluuium deuaſtata 40.2
Pannoniæ vt ab Hunis & Gothis & aliis occupatæ 53.48
S. Pantaleonis cœnobium Coloniæ 71.32
Papa vt ſe de hæreſi purget 131.30
Papia regni ſedes 80.18. obſeſſa 31.30. capta 80.4. ibid. tumultus ſedatus 97.16
Pariſiorum ſuburbia ſuccenſa 90.1
Papyrius Ro. conſul cum exercitu cæſus 12.2
Parmenſium cædes 210.34. obſeſſio ibid. 41, 211.33
Paſchalis Papa 115.28, 122.14, 132.43, 159.29, ibid. 35
Paſchatis die communicandi mos Chriſtianorū 46.23
Pattenhuſen expugnatum ac direptū 294.53
Paulus Papa 314.48
Peregrinatio celebris in terram ſanctam 155. 16
Perona Leodienſium 315.26
Perſarum regni interitus cauſa 27.44
Pertinax Imperator 58.36
Petrus Caputius Cardinalis 312.52
Petrus Leonis vrbis præfectus 131.37
Petrus rex Nauarræ 246.2
Petrus Piſanus diaconus, Karoli Magni præceptor 34.20
Petrus Vngarorum rex 102.4. ab Vngaris expulſus reſtituitur ibid. & ſeq.
Philippi Arabis Imperatoris breuis deſcriptio 59.45
Philippi II. Imperatoris breuis hiſtoria 64.47
Philippus, Henrico VI. Imper. fratri ſurrogatus 183.29. in Ottonem IIII. mouet ibid. 40. in Brunſwicum contendit, vrbem fruſtrà obſidens 184.1. Aquiſgrani rex conſecratur 189.34. Ottonem aggreſſus vulnerat & in fugam vertit 191.47. excommunicationis vinculo abſoluitur 192. 6. lachrymabilis eius exitus 193.35

Philippus Auſtriæ dux vt in Imp. mouens à ſuis deceptus 256.14
Philippus de Beueren 323,3.326.7.& deinc. 330.12,335.33
Philippus Burgūdiæ dux 295.49,299.9,301. 23, 310.18, 311.49
Philippus Colonienſis archiepiſcopus 161.1
Philippus Deſquordes 322.5, 338.39
Philippus rex Franciæ 197.28. & deinc. ibid. 55, 209.48
Philippus electus Raceburgenſis 192.29. & deinceps.
Philipp⁹ de Rauēſteen 321.42,323.3,324.41
Phinni domiti 245.41
Phocæ Imperatoris vitæ breuis narratio 64.4
Phriſij 288.17,ibid.42. *edomiti in libertatem ſe rurſus vindicant* 289.40
Phriſones tributarij Normannorum 49.18. *fruſtrà oppugnati* 269.35. *dediti* 270.30. *Rom. regem vt oppreſſerint* 214.49. *eorundem inſolentia* 268.5
Picardia ad Franciæ regem redit 321.27
Picti ſedes in Scotiam transferunt 16.41. & deinceps.
Pileorum fœmineorum vſus olim apud Saxones 76.55
Pipinus Martelli filius patri vt ſuccedat 28.9. *item fratri Karlomanno* ibi.24. *Gryphonem fratrem capit, Taſſilone reſtituto* ibi.36. *regnum in perpetuum illi à ſucceſſoribus prouenit* ibid.41. *prima eius in Saxones, poſt coronam, expeditio* ibi.54
Pipinus Karoli Magni filius Italiæ præfect⁹ 31. 34. *rex* 42.31. *bellum illi contra Hunos à patre commiſſum* 32.36. *Venetias ſibi ſubiicit* 42.31
Pipinus Karolo Magno ex concubina natus, fit monachus 33.53,34.1
Piratæ cuiuſdam inſigne reſponſum 11.34
Pius Papa 310.1
Plinij 20. libri rerum Germanicarum 2.33
Pol arx capta 274.37
Polaborum terra 143.24
Pomerani vt ad Chriſtum conuerſi 136.24
Pontifex exordinatus 86.37
Pontificis aſſenſum in electione ad Imperium non requiri 240.2
Pontificia ſedes Romā Auinione relata 253.50
Poppo Wormatienſis epiſcopus 110.8
Porenēſis epiſcopatus fit Magdeburgenſi ſuffraganeus 87.39
Prati cuiuſdam diuina immunitas 95.48
Pribiſlaus 142.27,151.6,155.17
Principibus eleemoſyna, ſacerdotibus Miſſæ, & populo ieiunia indicta 98.42
Probi Imperat. laus, & breuiſſima vitæ deſcriptio 60.46
Procopius Morauiæ Marchio 267.18,268.25
Prodigia 313.19
Proditorum pœna 238.51, 269.8
Pudicitia miraculo comprobata 97.23
Pultes feruentes, ad vrbis defenſionem 35.55
Punica bella 15.13
Puppienus & Albinus Imperatores 59.32
Ptolemæus 2.27

Q

Quedelinborg vrbs à quo fundata 71.23. *abbatia in ea conſtruitur* ibi.24. *expugnatur ac miſerè diripitur* 321.3
in Quedelēborg vrbe principū conuētus 89.8
in Quedelenborg, Albeidis Saxoniæ ducis filia abbatiſſa 53.21
Quintilij Vari mors 14.16
Q. Catulus & C. Marius Romani cōſules 10.14

R

Raceburgi à quo erectus epiſcopatus 152.27
Radulphus Karolo Simplici in regno ſubſtituitur, Sueſſione ſumpto diademate 68.12
Raimundus Toloſanus comes 209.15.& dein.
Rainaldus Theutonici generis nobilis 202.44
ob Raptum puellæ bellū 90.19.& 22,240.50
Ratenow oppidum proditione deditum 269.6
Ratiſpona 114.46. *obſeſſa* 81.45. *tota conflagrat* 82.7. *ibidem reliquias B. Dionyſij martyris Leo Papa probat* 103.51
Ratzeburgum 275.12
Ratzeburgenſis diœceſis 89.15
Rauennæ Imperatori Leoni cū filio, ſedes 63.20
Reginbertus comes de Ringelheym Danos ſuperat coercetq́ 67.4, 70.34
Regnum per alios adminiſtrare, quantum malum 27.43
Regis in auferendis SS. reliquiis temeritas diuinitus punita 68.21. & ſeq.
Regium nomen vt Romanis inuiſum 21.34
Reinerus epiſcopus Halberſtadenſis 130.7
Reinoldesborg arx expugnata 186.1
Reinoldus Colonienſis archiepiſcopus 150.41, 152.43. & deinc. *trium Magorum corpora Coloniam transfert* ibid. *eiuſdem mors, & Coloniam tranſlatio* 153.7
Reliquiarum ſacrarum miraculum 48.55
Rembertus Hamburgenſis epiſcopus 52.2
Renatus dux Lotharingiæ 318.44,320.11
Rentelen oppidum 300.18
Reualia Liuoniæ vrbs 183.8, 199.12
Rhemis epiſcopus reſtituitur 77.12
Ribeling arx dedita 262.31
Ribenborg arx capta 287.48
Richardus Angliæ rex 166.37,191.20

Richardus Cornubiæ comes 215.29. vt Romanum Imperium ambiat ibid. 40, 216.23
Richardus Grambatoſa 230.35
Riga Liuoniæ vrbs à quo primò cõmunita 182.48. prima Liuoniæ ſedes Epiſcopalis 182.12
Ripenborg 251.21
Riphæi montes 1.46
Rixa coniunx Luderi Saxoniæ ducis 113.28, 122.41. aliàs Ribenſa 129.42
Robertus Bauarus in locum Wentzlai ſuffect⁹ Rom. rex conſecratur 270.41. ei mortuo Sigiſmundus Vngariæ rex ſubſtituitur 277.26. & deinc.
Robertus Burgundiæ dux 67.52. victus prælio cadit 68.4
Roberti Francorum regis cum Henrico Imp. colloquium 98.33
Robertus Guiſcardus Normãnus 111.54. ingentes copias in Vrbem ducens, Gregorium VII. ex caſtello Creſcentij liberat 111.54, 112.15
Robertus Neapolitanus rex 230.35, 239.21
Rodeborg arx capta 277.55
Rodogiſus Foroiulianus dux 31.32
Rodulphus Burgundiæ dux 55.41
Rodulphus Burgundionum rex Magni Conſtantini lanceam dono mittit Henrico Romanorum regi 68.38. Sueuiæ parte magna potitur ibid. 42
Rodulphus Burgundionum rex, Berengarium II. regno pellit, ac occupat 79.55. Hugoni Arelatenſi cedit 80.6
Rodulphus Burgundionum rex regnum Imperatori ſubmiſit 97.35, 100.30
Rodolphus epiſcopus Halberſtadenſis 271.28
Rodulphus comes de Habsburg Rom. rex 221.48. Aquiſgrani non ſine miraculo coronatus 222.7. mors eius 224.17
Rodulphus de Rynfelde vt Sueuiæ ducatum nactus 106.15
Rodulphus Saxoniæ dux 247.44, 270.51, 286.23
Rodulphus Sueuiæ dux Romanorũ rex electus 109.37, 110.1. ab Henrico IIII. Imperatore oppugnatur, vulneratusq́ moritur ibidem 10
Rodulphus comes Thietmarſiæ 143.9, ibid. 49. cæſus ibid. 52
Rodolphus Traiectẽſis epiſcopus 291.53, 298.1, 301.29, 302.54
Rodolphus electus Treuerenſis 169.2
Roë, rex Daniæ 7.31. euocatum ad duellũ Hundingum Saxoniæ principem vincit ibid. 42
Rogerius Normannus per Imper. domitus 141.14, ibid. 20
Rolo dux vt ad baptiſmum venerit 65.54
Roma à Gothis capta 62.38. item ab Ottone III. 93.27. à Normannis vaſtata 112.17. ibid. tumultus 299.14
Romani à Theutonicis cæſi 152.40. turpiter fugam tentant 91.8
Romani ſcriptores vt hiſtoriã ſuam texuerint 15.15
Romanorum Imperium quando cœperit 44.16. vt attritum ad ruinam vſque 285.31. eiuſdem interitus cauſa 27.45
Romani cõſules C. Mari⁹ & Q. Catulus 10.14
Romana eccleſia, bona dominio vacantia occupat 29.51. eiuſdem eminentia edicto declarata 64.6. donationes à Conſtantino factæ 29.47
Romanorum Pontificum ſcandalum 53.14
de Romano pontificatu inter Symmachum & Laurentium diſſenſio 63.30
Ropertus Bambergenſis Epiſcopus 108.16
Roſimon Italiæ præficitur 51.11
Roſtockij publicũ gymnaſiũ collocatur 286.30
Roſchildia Daniæ quondam vrbs inſignis à quo fundata 7.31
Rothomagum 75.45
Ruffinus Arcadij Imperatoris curator perfidiæ pœnas dat 62.30
Rupertus Archiepiſcopus Colonienſis 319.44, 325.8
Ruſſi ad fidem coacti à quo 97.53
Ruſſorum regis filia Imperatori Henrico IIII. iungitur 113.14. ab eo deſciſcit, multarum in Chriſto filiarum mater effecta 114.3
Ruſticus Gregorij VII. Papæ nepos 111.30
Ruteni Baronis de Plawis crudele conſilium 253.35

S

SAcrum in venatione 48.51
Sala fluuius 41.52
Saladinus Hieroſolymæ & Babyloniæ rex 180.51
Salardus Vngarorum dux 80.3
Salina Luneburgenſis 220.6
Salueldia 73.19, 81.5
Sanguine pluiſſe 313.19
Sanianus Feranenſis Epiſcopus 85.29
Sarraceni vnde ſe genitos & dictos teſtentur 181.22. vt omnia Romam vſque deuaſtent 79.39. cæſi pulſiq́ Calabria & Apulia 88.28. eorundem impia libertas conceſſa per Chriſtianum Imperatorem 208.35
Sanctorum cultus 32.11. inuocatio 157.31. 184.17, 201.44. merita 184.17. reliquiæ 68.21. loca 157.39, 204.18, 206.25
Sarſtede oppidum exuſtum 334.49

Saſones 2.36
Saxona fluuius 3.13. *vnde Saxones* ibid.28
Saxoniæ deſcriptio 5.4. *inſignia* 46.54, 242.51. *ad Chriſtum conuerſio per quem* 18.50. *primus epiſcopatus* 37.8
Saxonia vaſtata 7.34, 26.51. *ante Karoli Magni aduentum quibus adminiſtratorib. vſa* 45.25. *in Danorum ditionem venit* 11.29. *in prouinciam redigitur ac in Epiſcopos diſtribuitur* 38.41, 39.5, 47.18, 49.36. *tumultuatur* 166.41, 173.52
Saxonia ſuperior quæ 5.24. *præteritis legitimis ſucceſſoribus, ad Miſnenſes tranſit* 260.31, 290.24
Saxoniæ tam inferioris quàm ſuperioris ducibus, electio viciſſim permiſſa 260.25, 290.22
Saxoniæ inferioris principũ catalogus 123.34
Saxones vnde dicti 3.28. *& deinc. à Francis in belli ſocietatem vocati* 23.11. *in Phinniam & Suediam arma proferunt* 15.8. *Belgia peruaſtata vrbes capiunt* 21.18. *Valentiarum arcem occupant* ibid.20. *in Haſſones mouent* 36.18. *miraculosè fugantur* ibid.47. *Francos cædunt* 38.7. *Hunnis obiecti ſuperiores fiunt* 20.42. *& paulo ante cum Norwagiis arma iungentes, iniuriam ſui regis perſequuntur* 6.31
Saxones Italiam ingreſſi 24.36. *redeunt* 25.4. *reducti rurſus* 25.33. *cum Sueuis bellum ob occupatas ſedes committunt* 25.47. *quos ſecundo exturbant* 25.53
Saxones Danorum hoſtes 2.9, 9.27. *eorundem tributarij* ibid.45. *item tributarij Francorum* 26.53. *liberi rurſus* 27.16. *à Brutonibus ad ſtipendia euocati* 16.38. *victi* 25.50, 26.50. *domiti* 28.20. *cæſi* 8.19, 9.45, 25.27, 30.38, 72.10. 129.22. *à Frãcis iuſſu Valentiniani Imperatoris oppreſſi* 16.9. *bello exhauſti, componere coguntur* 28.5
Saxones victores 54.52, 72.9, 105.48, 130.10, ibid. 23.47, *ad mare quotidie luctantes* 15.8. *in libertatem ſe vendicant* 9.31. *inter Wandalos ſedem figunt* 30.41. *cum Danis pro libertate pugnant* 12.45. *pacem cum iiſdem habent* 13.40. *Liuoniam ad Chriſtum conuertunt* 181.52. *rurſus tributa Danis ſoluunt* 12.43. *à tributis liberantur* ibid. 13.45. *quandiu Imperium tenuerint* 214.29
Saxones in prouincia ſua diu ante Theodoricũ Francorum regem conſediſſe 15.32, 16.27
Saxonum in Galliis militia 21.7. *virtus atq; agilitas* 16.10. *item feritas, inconſtantia, pertinacia in falſa religione, temeritas* 30.17, 28.1. *perfidia* 17.38, 19.36, 31.41. *coniuratio aduerſus Henricum IIII.* 107.49. *excurſus in mare vſque Britannicum* 15.45. *bellum ab eis per continuos 30. annos geſtum à Karolo Magno finitum* 32.2
Saxonum multi, baptizati 30.31, 37.6
Saxonum principũ olim armorũ inſigne quale 30.46
Saxonum idola 36.46, 37.22, ibid.35. *prima apud ſcriptores mentio* 6.30, 15.19
de Saxonũ origine, variæ ſententiæ refutantur 1.1. *& deinc.* 4.15, 11.6. *authoris ſententia* 2.22
Saxones Angli 17.41. *Britãniæ quando dominari cœperint* ibid.
Saxones orientales & occidui 30.43. *eorundẽ origo* 17.42. *& deinc.*
Saxones Tranſalbiani, hodie qui 41.5, 42.2
Saxonum Meridianorum origo 18.6
Saxo Sialandicus Danicæ antiquitatis ſcriptor 2.7, 3.7
Saxi miraculum in eccleſia Colonienſi 300.49
Scauria 288.16, 289.45
Schaldinborg arx 238.47
Schidingen vrbs 73.47
Schiſma inter Pontifices 102.18, 111.50, 148.35. *& deinc.* 261.11
Scotia vt à Britannia dirimitur 16.52
Scoti Hyberniam incolentes, in Scotiã ſedes ſuas transferunt ibid.
Secta Beguinarum & Sueſtrionum 255.18
Sedium olim mutandarũ ratio per claſſes 3.43
Sena 296.52
Senebaldus filius Arnulphi Imperatoris 79.29
Seneſcallus 202.54, 203.4
Septemſolia Romæ 111.31. *quo extructa* 58.54, 111.45. *Henrico IIII. Imperatori deduntur* ibidem
B. Sergius Pontifex 27.27
Seueri Cæſaris à Galerio creati mors 61.17
Septimij Seueri Imperatoris breuis vita deſcriptio 58.48
Sexcenta millia pugnatorum in vna expeditione 173.10
Sibico Spirenſis epiſcopus 103.33
Siborg arx à Karolo Magno capta 30.28, 36.28. *à Saxonibus oppugnatur* ibid.42
Sicambriæ ſitus, neque duas (vt quidam aiunt) eſſe Sicambrias 15.38
Siciliæ regibus vnde Hieroſolymitani regni inſcriptio 200.16
Sifridus Auguſtenſis Epiſcopus 194.50
Sifridus Ottonis Bauari filius 115.37
Sifridus comes de Blanckenborg 155.26

Sifridus

Siſridus Archiepiſcopus Bremenſis 123.8
Siſridus Hildeſemẽſis epiſcopus 199.1,224.38
Siſridus Moguntinus Archiepiſcopus 194.48
Siſridus comes Palatinus Rheni 96.35
Siſridus Moguntinus à Pontifice confirmatus 183.51
Siſridus rex præeſt rebus Saxonicis 6.41
Sigebertus Metenſium rex 25.35
Sigebertus ſcriptor 113.16
Sigefridus Danorum rex 30.33,37.54
Sigefridꝰ Mogũtinus Archiepiſcopꝰ 107.39. *Eccleſia priuatur per Pontificẽ Gregoriũ VII.* 108.38
Sigefridus ex primoribus Saxonum 72.24
Sigefridus & Amilo nepotes de ſucceſsione regni Danici decertantes ambo cadunt 47.25
Sigiſmundus Auſtriæ dux 319.53,343.20
Sigiſmundus Vngariæ rex & eius vxoris Mariæ inſolentia 263.25
Sigiſmundus Vngariæ rex, in Rom. regem eligitur 277.26. *eius laus ibid. & deinceps. Conſtantienſi intereſt concilio* 285.44. *in Italiam profectus, & Mediolani & Romæ coronatur* 296.31. *Baſilienſi concilio authoritatem à Papa impetrat* 297.48. *fœdera cum Turcorũ Imp. init* 298.51. *mors eiuſdem* 303.24
Silueſter III. Pontifex 102.20
Simblus Phinnorum rex 6.5, *ibid.* 19. *eiuſdem cum rege Gram controuerſia* *ibid.*
Simon electus Padeburnenſis 213.33
Simon epiſcopus Padeburnenſis 315.35
Simon comes de Tekeneborg captus 163.11
Simoniaca hæreſis & ſacerdotalia cõiugia à Synodo damnata 103.23
Sindagerus ex Bambergenſi epiſcopatu ad papatum peruenit 101.15,102.30
Sinibaldus Cardinalis 209.29
Siwarus Saxo 14.24. *vxore in ipſis nuptiis priuatus* *ibi.*44
Sleſwicum fit colonia Saxonum 69.51
Sleſwici Marchionatus quando & à quo inſtitutus ibidem, marchio eius trucidatus à Danis 77.50
Sleſwiccenſis ducatus Iutiæ finibus contentus 10.23. *Saxonibus ſubeſt* 7.46. *iure feudi Holſato permiſſus* 263.53, *& deinc.*
Sluſa 331.46, 341.47. *& deinc.*
Sluttere arx 197.6
Soldanus Turcorum princeps 158.15. *& dein.*
Somma fluuius 220.53
Sophia III. Ottonis ſoror & abbatiſſa in Gandersheim 98.13
Sorabi qui 46.43. *in Saxoniam & Turingiam exercitum ducunt* *ibid.*
Sorabi Wandali 38.5
Speculum Saxonum, vtrum rectè Karolo Magno aſſcribatur 43.14. *& deinc. de eiuſdem Gloſſatore, authoris iudicium* 45.2. *& ſeq.*
Spiritus in arce quadam ſe oſtendens 144.29
Spielbergi comes attenuatur 289.53. *ictus telo interit* 300.17
Spliit 227.26
Stadium quando ædificatum 140.16. *munitũ ibid. captum* *ibid.*22,193.7
Stadenſis comitatus quid iuris ab olim habuerit 139.50. *& deinc.*
Stadenſium nobilium linea 140.30. *& ſeq.*
Starcaterus Danus in duellum euocatus 13.4
Statuam à Saxonibus victoribus erectam plebs colit 130.12
Stauenow arx capta 302.32
Stedingi impugnant Bremenſes 198.37
in Stendalia ciuium tumultus 342.43
Stephanus Columna 239.50
S. Stephanus Vngarorũ rex 87.44. *quã ad Chriſti religionem peruenerit* 95.38
Stilico Honorij Impera. curator & dux fortiſsimus 62.29
Stormaria quæ terra, & vnde dicta 124.15. *eiuſdem deſcriptio* 212.34
Stratagema 235.40, & 342.3
Sturwold arx dedita 316.29
Subdiaconatus 206.36
Sueuia Alemannia vnde ſic dicta 54.14
Sueui Germani 4.49
Sueui à Saxonibus regione exturbati 25.53
Summa fluuius 47.33
Suſatum, à Colonienſi eccleſia ad ducem Cliuenſem defecit 305.27,306.6
Swederus Traiectenſis epiſc. 291.53, 298.1
Swertingus & Haneſus Saxoniæ Principes in Danos ducunt 12.46. *Swertingus amore patriæ hoſtem admoto igne ſecum opprimit* 13.31
Switenſium bellum cum Burgundis 320.7
Synodus, vide Concilium.

T

Tacitus 2.27,3.15. *vt Germaniam deſcripſerit* 2.29. *loquax Italis & vt apud Italos reconditus* 42.31. *eius de origine Saxonum teſtimonium* 3.40
Tacitus Imperator vt ad Imperiũ euectus, cum eiuſdem morte 60.35
Tamerlanes Turcorum Imperatorem captũ circunducens 271.36
Tancredus Siciliæ regnum ſibi vendicans 175.27. *cum ſeq.* 177.51,178.7
Tartari Sarmatiæ campos occupant 207.21. *eorundem origo* 2.55. *vita* *ibid.*

Tartari, mirabilis hominum colluuies mundũ circumeuntium 285.48. & deinc.
Taruiſium fruſtrà obſeſſum 205.11
Taſsilo Bauariæ Ducatu proturbatus per quem 28.35
Taſsilo Baioariæ dux, inito cum Hunis fœdere, bellum Karolo Magno mouet 32.14. *cum filio fit monachus* ibid.27
Templary 230.50
Terdona obſeſſa 146.54
Terræmotus ingens in Germania & Italia 132.32
Teſtamenti factio ante pugnãm 77.42
Teurcmunda 332.2, ibid.45
Teutonem Germanorum ex Tuiſcone parentem 4.40
Teutonum ante natum Christum in Italiam acceſſus 2.11
Thadeus Sinueſſanus I.C. 210.3
Theodoricus Colonienſis Archiepiſcop. 194.48, 284.23, 290.1, 305.26. & deinc.
Theodoricus Flandrenſis, cur in Phriſones moueat 97.28
Theodoricus Italiæ rex 63.34. *Arrianæ ſectæ propugnator Iuſtino Imperatori minatus* ibidem
Theodericus Kagelwiid Archiepiſcopus Magdeburgenſis 253.42
Theodericus Metenſium Epiſcopus ab Henrico rege coercetur 96.34
Theodoricus Metenſium rex 22.10, ibid.22, ibidem 29, ibid.30. *Cum Ermenfredo rege prælio congreſſus* 22.45, & deinc.
Theodericus Mindenſis epiſcopus in bello aduerſus Normannos cadit 52.7
Theoderic⁹ comes de Ringelheym 67.35, 70.33
Theodericus comes de Werningrode ſuſpendio damnatus 262.44
Theodericus Wiſigotharum rex cum Hunnis prælio congreſſus 19.50. & deinceps. *occumbit* 20.31
Theodoſij I. Imperatoris breuis vitæ deſcriptio 62.20
Theodoſij minoris, Imperatoris vitæ breuis hiſtoria 62.41
Theodoſij III. Imper. breuis narratio 64.55
Theodoſius Milecenſis Epiſcopus 85.28
Theophania coniunx Ottonis II. 90.50
Thietmarus Bremenſis decanus 143.41
Thietmarus comes 92.35, 102.54
Thietmarus Verdenſis epiſcopus 144.10
Thietmarſia 140.37. *ad deditionẽ coacta* 172.36. *proprio epiſcopo deficit ad alium* ibidem 45. *Holſatiæ ducatui incorporatur* 317.36. *cuius magna quæſtio & lis orta* ibid. & 327.30. *einſdem quæſtio ab Holſatis infeliciter renouata* 223.29
Thietmarſi populus 124.16
Thietmarſi in Holſatos egreſsi 265.1, 273.7. *in Phriſones* 280.54. *in Hamburgenſes* 295.17. *inter ſe tumultuantur* 299.31, 301.55. *item cæſi* 235.52. *victores* 236.3
Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus cur cæſus 154.43
Thomas Palæologus 312.1
Thoruttum à Chriſtianis obſeſſum 181.7. *cum ſequent.*
Thuringi à Francis cæduntur 22.20. & deinc. *cæſi pacem petunt* 23.28
Tiadericus Marchio 98.2
Tiberius Nero, ſub quo Chriſtus crucifixus 56.39
Tiberij II. Imperatoris breuis hiſtoria 63.49
Tiberius III. Leonem II. vinctum ſeruauit 64.39
Tidericus comes de Euerſten vt captus & ſuſpenſus 216.7. & dein.
Tigurini 10.11
Tilen præſidium 281.30
Tilo Marcgrauius de Brandenburgo 224.16
Tira regis Angliæ filia 78.14
Titus Imperator &c. 57.38. *Romæ amphitheatrum abſoluit* ibid.39
Tornacum 105.9. *munitum* 322.22
Toſto. Danorum & Saxonum regibus minatur 6.42. *pacis conditionem accipit à Rege Saxonum* ibid.47. *Haddingum Daniæ regem oppugnat* ibid. *piraticam aggreditur, ac duello ſternitur* 6.53, 7.3
Traiani Vlpij Criniti Imperatoris breuis vitæ deſcriptio 58.3. & deinc.
Traiectum captum 330.5, 331.18, 291.49, 298.1, 299.47, 301.29, ibid.32
Traiectenſes ſuum epiſcopum excludunt 326.26
Tranſalbina regio, Eridago ſacerdoti à Karolo Magno, deinde à Ludouico Imper. Verdenſi & Bremenſi pontificibus commendatur 47.19
Tranſalbiani à Karolo Magno ſubacti 124.29
Traſico Obotritorum Wandalorum dux quatuor millia Holſatorum cædit pagina 41.9
Trauena 138.33, 172.4
Tranſrhenani quanti faciant ſuam in Germanos referre originem 7.20
Trebellius Bulgarorum rex Iuſtinianum II. Imperio reſtituit 64.43
Tremonia 73.28

Tremonienſium bellum cum comite de Marka 266.28
Treueris conuentus 317.9
Treuiri vt affectēt Germaniæ originem 7.21, 42.6
Tridentum 119.48
S.Trinitatis Eccleſia Florentiæ iuxta mœnia 98.49
Troia vrbs Italiæ 97.1
S.Trudonis oppidum captum 329.30
Tuiſco Noæ filius, Germanorum parens 4.30
Tuttium 30.35, 37.16
Tullus Leucorum vrbs 101.55
Tunderen arx 279.20, expugnata 252.32
Turbo maximus 300.47
Turcorum origo 2.54, pugna cū Venetis de Cypro & Candia ibid.
Turcus vniuerſam Græciam inuadit 306.47
Turingia miſere vaſtata 184.38
Turingis Franci præſunt 24.26, 27.7
Twiſeling arx funditus euerſa 261.26

V

Valentiniani Imperatoris laus & breuis vitæ deſcriptio 61.49
Valētiniani II. Imperatoris breuis vitæ deſcriptio 62.14
Valentiniani III. Imperatoris breuis hiſtoria 62.53
Valens à fratre Valentiniano Imperij conſors conſtitutus 61.51
Valentis & Gratiani Imperatorum breuis vitarum deſcriptio 61.55, 62.7
Valentinus Merenenſis Epiſcopus 85.28
Valeriani Imperatoris breuis vitæ deſcriptio 60.9
Valentianæ in feudum datæ 96.50
Vaſſenberg arx expugnata 191.48
Vdalricus Bohemiæ dux cur ab Ottone II. oppugnetur 90.19
Vdo Hildeſemenſis Epiſcopus 117.3
Vdo primus marchio Comitatū Stadenſem in feudum accipit 140.39
Vecti & Vecta 18.13, ibid. 54
Vechta oppidum 268.42
Venerab. Bedæ locus in hiſt. ſua Anglica explicatus 18.42
Venetia à Pipino, Karoli Magni filio, ſubacta 42.31
Venetorum & Ianuenſium factio ſtultiſſima 216.37
Verdenſis Eccleſia 46.36
Vermium volitantium in aere prodigiū 114.8
Vermibus Imperator abſumptus 66.19
Veſpaſianus Imperator &c. 57.31, primus Imperium partitus ibid.
Vexillum B. Ambroſij Mediolanenſibus aufertur 149.6
Vſſo Daniæ regis filius 8.28, in duellum euocatus, Saxoniæ regis filium vnà cùm armigero perimit 9.20
Vicariatus Rom. magiſtratus 239.49
Vicelinus Aldenburgenſis Epiſcopus 145.2, 282.34
Vicelini Wandalorum prædicatoris, hiſtoria 125.17, 138.31
Vicentia obſeſſa 205.7
Victor Papa deſignatus contra Alexandrū III. 148.54, & dein.
Victoriæ in Italia vrbis initia & ſucceſſus 211, 1, item eiuſdem euerſio 212.12
Virginopolis, vrbs Magdeburgū dicta 78.28, fit Wandalorum metropolis ibid.
Virginitas in maritali toro ad finem vitæ ſeruata ab Imperatore Henrico & eius coniuge 99.8
B.Virgo per viſionem apparēs, maris tempeſtatem pollicita 157.28
Virdunum à Lothario Francorum rege captum 92.2
Viſurgus 242.17
Vitellius Imperator &c. 57.25
S.Viti corpus ſub Pio Ludouico in Corbeiā trāſlatum 68.26
Vlricus Halberſtadenſis epiſc. 161.32.163.29
Vngaria à tribus ſimul impugnata, Bohemiæ tandem regi cedit 345.1
Vngari in Pannonias veniunt 53.48, in Sueuiam & Bauariam excurrunt 54.4
Vngari excurrentes ſæpius repreſſi 68.44, vexati leuibus prælijs 68.55, victi 72.16, cæſi 66.15, Imperatori militant ibid. 12, fidem recipiunt 95.38
Vnwanus archiepiſcopus 96.9
Volmarus electus Treuerenſis 169.4, ab Vrbano præficitur 170.25, exulare cogitur 170.47
Vordia arx 199.6
Vox diuinitus inter pſallentes audita 28.23, & deinc.
Vpſalēſis epiſcopus accuſatus deponitur 291.8
Vrbanus Pontifex in Henricum IIII. Imp. excommunicationem renouat 115.2
Vrbanus Papa Lucij ſucceſſor 170.17, cum ſeq. 171.49
Vrbanus VI. Papa 261.15, 265.40
Vrbs Kiſſin 126.10
Vratiſlaus Bohemiæ rex Henrico III. obedientiam negans ab eo corripitur 102.4
Vt quilibet in rebus nationis ſuæ ſcribendis, affectus ſit 10.5

Vto Karoli Magni præfectus, Hãburgo à Wandalis eiectus 42.40
Vto primarius inter Francorũ proceres 75.53
Vto Hermanni Sueuorum ducis frater 73.16
Vulgi furor 258.12, ibid.43, 271.42
Wala ſiue Waalis 33.44
Walbertus Wigberti ducis Angriæ, filius 49.8, *Roma corpus Alexandri martyris in Wildeshuſen transfert* 49.8, *eiuſdem mors & ſepultura* 50.15
Wagria quæ terra olim 124.11
Wagriæ deſcriptio 212.29
Waldemarus Abelis Daniæ regis filius 217.8
Waldemarus Daniæ rex 149.21, 165.49, 187.49, 192.54, 198.17, 248.23, 251.1, 252.55
Waldemarus Kanuti Daniæ regis frater 176.9
Waldemarus marchio Brandenburgẽſis 254.23
Waldemarus Sleſwici dux 186.23, 187.10, 226.43, 238.7, 236.9, 237.17, 240.29, 236.44
Waldemarus Sleſwiccenſis Epiſcopus 177.12, *& deinc.* 288.9, *electus in Bremenſem* 192.37, *& dein.* 193.42, 196.26, *& dein.* 198.18. *& dein.* 172.45
Valkenberg arx 197.6
Walramus electus Traiectenſis 299.48, 302.44. 308.35
Walterus de Blandenſilen, Leonis copiarũ præfectus 174.37
Wandalorum origo 2.53
Wandali Aphricam quandiu tenuerint 40.31, *in Thuringiam irrumpentes, à Saxonibus repulſi* 27.6, *oppugnati à Karolo Magno* 32.28, *ſubacti* 101.6, *caſi* 90.35, *ad fidem conuertũtur, fiuntq́ tributarij* 78.21. 144.45
Wandali à Chriſti fide deficientes, magnam in Chriſtianos ſtragem edunt 98.25, *coercentur cæſo Miſtiwoi principe* ibi.
Wandalorum in Hamburgum ſæuitia 68.53
Wandalica gens quos complectatur 3.22
in Weddingſtede conuentus fratrum Prædicatorum quando & qua occaſione inſtitutus 141.16
Wedekindus primarius dux Saxonum 30.33, 40.10, *cum Saxonibus Rhenum tranſgreſſus, omnia deuaſtat* ibid. & 37.14
Wedekindus dux, Chriſtianos in Saxonia perſequutus 46.1
Wedekindus Saxonum dux, rebellionis author 38.9, *baptizatus* 38.40, 46.19, *vt in religione profecerit* 47.8, *Weſtphaliam gubernat* 46.50, *eiuſdẽ mors & ſepultura* 47.12
Wedekindus dux Angariæ, cur rex Saxonum apud ſcriptores nominetur 45.28
Welpus Bauariæ comes 107.8
Welpus Bauariæ dux 119.47, 122.33
Welpus Bauarorum ducatum amiſſum, Imperatori reconciliatus, recipit 114.24
Welpus iunior, relicta fratri Bauaria, Mathildam coniugem ſibi iungit 129.38, *religioni vt ſe commendarit* ibi. & ſeq.
Wentzlaus regis Bohemiæ filius, vxoris diuortium & raptum paſſus 240.41
Wentzlaus rex Bohemiæ, Ro. rex viuente patre, creatus 260.19, *ibid.* 54, *vt vtrunque regnum adminiſtrarit ibid.* 55, *ei deſtituto Robertus Bauarus in regno Ro. ſurrogatur* 270.41
Wentzlaus Morauiæ marchio, Ro. rex electus 245.23, *vide in dictione Karolus IIII.*
Werbena Saxoniæ colonia, à Wandalis vaſtata 101.23
Werlaon vrbs 68.49
Wermundus Daniæ rex 8.26, *præclara ad eũ legatio.* ibi. & ſeq. nu.
Weſera fluuius 39.10, 40.11
Weſera, olim Viſurgus 30.40
Weſſillo Moguntinus archiepiſcopus 112.45
Weſtphali 13.54, *vnde dicti* 30.52, *notati ibid.* 54
Weſtphali Anglarij 36.35
Weſtphalia 3.32, *deuaſtata* 162.2, *ibid.*37
Weſtphalia, vetus Saxonia 26.31
Wladiſlaus Bohemiæ rex 344.37, 345.2
Vldaricus Bohemiæ dux, vt raptam Imper. filiam in vxorem nactus 90.19
Wichmannus Magdeburgenſis archiepiſcopus 150.36, 152.1, 154.38, 155.20, 162.41, 165.31
Wichmannus aulicus Ottonis Imperatoris, vt Wandalos in Saxoniam cõcitet 87.42, *vt è medio ablatus* ibi.53
Widekindus de Daſenberg 153.47
Widela arx capta 293.50
Wigbertus Rauennatum Epiſcopus qui in Papam aſſumptus 110.23, & deinc.
Wigbertus Wedekindi ducis filius 47.15
Wigbertus Angriæ dux 48.13, *primarius inter Saxones ibid.* 16. *filius eius* ibi.20
Wigberti cadauer è tumulo protectum 119.31
Wigbertina hæreſis damnata ibid.29
Wildeshuſen 48.22, 92.48, 49.10, 311.31
Wiligiſus dux Spoletanus, Leonis Papæ cauſa Romam aduolat 41.19
Wilhelmus dux Aquitaniæ 105, 37
Wilhelmus de Arberg 326.8. 332.27, 334.22
Wilhelmus dux Brunſwickcenſis 295.5, ibi.44

ibi.44, 296.11, 309.10, 310.20, 311.7, 325.34, 330.26, 337.46, & dein.
Wilhelmus Hollandiæ comes, aduerſus Fridericum II. Rom. rex electus 212.55, ibi.24, in Phriſones mouens ab ipſis opprimitur 214.46
Wilhelmus dux Luneburgenſis 244.49, 250.49, 251.18, & dein. 286.55, 289.48, 293.6, 294.47
Wilhelmus dux Luneburgenſis & Brandenburgenſis marchio 194.31
Wilhelmus comes de Hennenberge 311.41
Wilhelmus Henrici Leonis ducis filius 187.33
Wilhelmus comes Iuliaci 189.24
Wilhelmus marchio Miſnenſis 259.11, 269.3, 292.25
Wilhelmus Archiepiſcopus Moguntinus 87.15, 90.40
Wilhelmus dux Normanniæ, Ludouicum & Henricum reges, ictis vtrinque fœderibus, coniungit 70.22
Wilhelmus & Otto Lantgrauy Thuringiæ, cõmiſſo prælio capti 104.6
Wilhelmus Siciliæ rex 175.26
Wilhelmitarum ordo 105.38
Willebrandus Magdeburgenſis archiepiſcopus 215.11
Willegiſus Moguntinus archiepiſcopus 95.9
S. Willehadus primus Bremẽſis Epiſcopus 38.29, 39.5, perſequutionem patitur 38.31, Phriſiis & Saxonibus Chriſtum prædicat 39.46, 46.30, eiuſdem mors & ſepultura 39.48
Willericus epiſcopatus Bremenſis adminiſtrator 41.2
Wilſi Wandali à Karolo Magno armis oppugnantur 39.52
Winuli ad paganiſmum coacti à quo 96.13
Wizlo archiepiſcopus Magdeburgenſis 110.5
Wentzlaus dominus Luneburgenſiũ 266.40
Wentzlaus Saxoniæ & Luneburgi dux 262.19, 263.20
Wolacræ in feudum data 96.51
Woltorp præſidium deiectum 248.49
Wormatia obſeſſa 136.44
Wormatiæ Karolus Magnus coronatus 29.30
Wormatiæ negocium inter Pontificem & Henricum V. Imperatorem tranſigitur 135.7
Wulfardus de Veris 326.26, 332.36, 335.32
S. Wulfgangus Ratiſponenſis Epiſcopus 103.53
Wulfenbuttel arx 296.1

Z

Zacharias Papa 28.41
Zacharias protoſpatarius Rom. Pontificem adducere miſſus 64.35
Zegeberge oppidum 241.19
Zegeberg Wagriæ monti, arx cum ſubiacenti Eccleſia à quo impoſita 139.26, ſuccẽſa arx cum Eccleſia 142.36
Zegeberge arx obſeſſa 174.38
Zeno 63.23
Zueno in Dania regno confirmatur 146.18, regno pulſus denuo reſtituitur oppreſſo Kanuto 148.22
Zuenotto Danorum regis filius 78.16
Zuentebaldus vel Zuantocopius, Morauorum rex armis ſuperatus 52.52, eremitam agit 53.3
Zuiceri ducentem in ſe Auſtriæ Ducem cum omni penè nobilitate Auſtrali cædunt 263.1 & dein.
Zwerinenſis epiſcopatus 89.15, 145.5

FINIS.

FRANCOFVRTI AD MOENVM
EXCVDEBAT ANDREAS WECHELVS,
ANNO SALVTIS M. D. LXXV.

